This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lt 6.220 Bd. Aug., 1888.

Harvard College Library

FROM

Mrs. Ellen Sever Tebbets.

11 May, 1863.

Theodore Tebbetts.

Oct. 29. 1850.

PUBLII TERENTII

CARTHAGINIENSIS AFRI

COMŒDIÆ SEX,

EX RECENSIONE FRID. LINDENBROGII,

ET CUM NOTIS SELECTIS BENTLEII, LINDENBROGII, WESTERHOVII, ZEUNIIQUE

NECNON SCHOLIIS ÆLII DONATI, CALPURNII, ET EUGRAPHII:

QUIBUS NUNC PRIMUM

SCHOLIA ANONYMI (FORTASSE CALLIOPII)

ET PICTURAS VETERES,

AB ANG. MAIO E CODD. AMBROS. NUPER EDITA,

ADJUNXIT

J. A. GILES, A.M. E C.C.C. OXON.

LONDINI,

IMPENSIS JACOBI BOHN,

12, KING WILLIAM STREET, STRAND:

VENEUNT APUD BIBLIOPOLAS OXONIENSES, CANTABRIGIENSES, EDINENSES ET DUBLINIENSES; NECNON APUD WILEY, LONG, ET SOC. NOVI EBORACI.

OXONII, TYPIS HENRICI COOKE.

MDCCCXXXVII.

1863, May 11.
Gift of
Mrs. Ellen Lever Tebbets,
of Kingston.

PRÆFATIO.

Cum nuper a Librario quodam Oxoniensi de nova ab eo suscepta Comœdiarum Terentii editione certior factus essem, necnon oratus essem ut, si quid haberem quod in opus a se susceptum novitatis aliquid inferre posset, id secum communicarem, nolui ego illius rogatum irritum fieri. Cogitanti mihi de hac re, statim in mentem venit de Scholiis quibusdam, quæ una cum picturis veteribus Ang. Maius V. D. paucos ante hos annos ex Codicibus Ambrosianis in lucem protulit. Nec præterea me clam fuit, præter omnia quibus iste Comicus instructus e prælo est prodire solitus, scholia antiqua, recentiorumque notas, animadversiones, castigationesque, scholia illa ante dicta inter subsidia auctoris nostri a nullo editore ad hunc usque diem esse adhibita. Codex, unde Maius ista Scholia excerpsit, noni sæculi esse videbatur; quocirca dubitare non licet, quin antiquissimus sit omnium qui verba *Calliopius recensui* unicuique fabulæ adscripta habeant. Hæc cum ita sint, non diffiteor me Calliopio ipsi Scholia ista attribuere. Attamen de vita ejus, nisi quod circiter nonum sæculum floruit, et Terentii Comœdias recensuit, nihil aliud certi habemus. Nec tamen non omnibus curæ necessario fuit scire, quis iste Commentator esset, cujus verba *Calliopius recensui* ad finem omnium Terentii Comœdiarum agnoscebant. Primam et eam solam ejus mentionem fecit Eugraphius, cujus verba sunt ad vocem *Plaudite* (Andr. v. 6. 17.) "Verba sunt Calliopii ejus recitatoris, qui, cum fabulam terminâsset, elevabat aulæum scenæ, et alloquebatur populum, *Vos valete, Vos plaudite*, sive *favete*." Scripsisse eum quædam ad emendandum Terentii textum, satis ante compertum fuit; sed qualia ea essent, utrum adhuc in Bibliothecis laterent, hactenus ignorabatur. Scholia quidem Ambrosiana similitudinem quandam habent cum istis anonymis, quæ primum edidit P. J. Brunsius, (Halæ, 1811,) e codice Halensi. Utcunque res se habeat, ea jam hancce nostram ampliabunt editio-

nem, quæ his quidem scholiis picturisque necnon pau additamentis ornatior, cætera tamen nihil aliud prof quam ut editionem Zeunianam, quæ Lipsiæ olim pro taretur. Pauca sunt quæ, ut in unum volumen cogeret nullo modo necessaria, omisimus. Hæc sunt Index in I et Lindenbrogii Observationes. Cætera, quæ integra mus, opera data ut quam accuratissime excuderentur, præterea Calliopii Scholiis, tabula quæ sequitur aper strabit.

Majores Literæ antiquos auctores indicant.

ANONYMI cujusdam vita Terentii, scholia, et picturæ veteres
RUFINI V. D. Grammatici Antiochensis in metra Terentiana Commentarium ....
RUFINI Grammatici Versus de metris Terentianis, etc.....
Vocum aliquot apud Terentium explicatio e veteri codice....
Index auctorum qui apud Scholiastas, etc.....
Dedicatio Zeunii.....
Præfatio Zeunii .....
Præfatio Lindenbrogii.....
Elogia Veterum de Pub. Terentio .....
P. Terentii Vita ab ÆLIO DONATO (sive SUETONIO)..
EVANTHIUS (sive CORNUTUS sive ASPER) de Tragœdia et Comœdia.....
P. Terentii Vita ab ANONYMO e cod. MS. Oxon. .....
P. Terentii Vita de dictis D. F. Petrarchæ, etc. .....
D. Heinsii ad Horatii de Plauto et Ter. judicium dissertatio..
Petitus de ordine Comœdiarum Pub. Terentii.....
L. Victoris Fausti de comœdia libellus.....
De fabularum, ludorum, etc. libellus .....
De metris Terentianis *σχεδίασμα*.....
TERENTII ANDRIA, cum ARGUMENTO, C. SULPICII APOLLINARIS Periocha et DONATI Præfatione.....
..... APPENDIX SPURIA .....
..... EUNUCHUS, cum ARGUMENTO, C. SULPICII APOLLINARIS Periocha et DONATI Præfatione.....
..... HEAUTONTIMORUMENOS, cum C. SULPICII APOLLINARIS Periocha, CALPURNII Brixiensis Prolegomenis et Argumento ejusdem.....
..... ADELPHI, cum ARGUMENTO, C. SULPICII APOLLINARIS Periocha et DONATI Præfatione.....
..... HECYRA, cum ARGUMENTO, C. SULPICII APOLLINARIS Periocha et DONATI Præfatione.....
..... PHORMIO, cum ARGUMENTO, C. SULPICII APOLLINARIS Periocha et DONATI Præfatione.....
Index Verborum et Phrasium Terentii .....

VIRO MAGNIFICO

SUMME VENERABILI

JOANNI AUGUSTO ERNESTI

THEOLOGIÆ DOCTORI ET PROFESSORI ORDINARIO, EPISCOPATUS CITICENSIS CANONICO, CONSIST. LIPS. ASSESSORI, EPHORO STIPENDIATORUM ELECTORALIUM, VILLARUM ACADEMICARUM PRÆPOSITO, SOCIETATIS GOETTINGENSIS LITTERARIÆ SODALI, ETC.

VIR MAGNIFICE SUMME VENERABILIS PATRONE AC PRÆCEPTOR OMNI PIETATE COLENDE,

Non diu dubitavi et hæsitavi, cui hanc Terentii editionem dedicarem. Etenim cum in TE, VIR MAGNIFICE, præter multas alias easque summas animi ingeniique virtutes, quibus ornatum TE esse satis inter omnes constat, summam in scribendo elegantiam et perspicuitatem, exquisitam in judicando disserendoque subtilitatem et acumen, atque in locis scriptorum corruptis emendandis et castigandis diligentiam cautionemque plane admirabilem, et TUA doctrina dignam, omnium consensu maximopere et verissime laudari meminissem: statim decrevi, judicio subjicere TUO quicquid hic mea effectum sit opera, adhibuerimne aut in notis Bentleii Faernique in compendium redigendis satis perspicuitatis cum justa brevitate, aut in scholiis, quæ interdum vel aliunde compilassem, vel ipse addidissem, idoneam diligentiam, aut in locis scholiastarum, quæ corrupta et manca viderentur, restituendis, justam cautionem et prudentiam; ut adeo quicquid TIBI, VIR DOCTISSIME, displicere intellexissem, in posterum corrigeretur evitareturque, vel si quid

forte TIBI probari audivissem, TUA, VIR GRAVISSIME, auctoritate, quæ apud omnes maxima est, satis defenderetur ac confirmaretur. Huc accessit alia causa, mea quidem sententia haud levis, quæ me ad hoc invitaret consilium. Cum enim olim TUA, PRÆCEPTOR FIDELISSIME, disciplina essem usus, et usque posthac prudentissimis TUIS consiliis et patrocinio adjutus et sublevatus: animi grati esse (et hunc inprimis spectes velim) duxi, hunc TUÆ institutionis fructum, qui fere primus a me edi existimandus est, offerendum esse TIBI, ut, si bonus esset, TUÆ fidei acceptus referretur, aut, si immaturus, a TE castigaretur. Quod si vero et in posterum TUA cura, PATRONE OPTIME, me dignum judicaveris: profecto non frustra in litterarum curriculo alsisse ac sudasse me existimabo. Equidem, sanctissime confirmo et polliceor, omnem curam ac diligentiam adhibebo, ne TUA disciplina et cæteris beneficiis indignus reperiar; atque si non re et palam gratum animum declarare potuero, certe precibus pro TUA, SENEX SUMME VENERABILIS, valetudine recta et senectute placida clam faciendis Deo me TUI studiosissimum et reipublicæ amantissimum probare studebo. Vale, et in litterarum bonarum salutem vale diutissime,

Vir magnifice, atque summe

venerabilis, tibi addictissimus,

JO. CAR. ZEUNIUS.

LECTORI ERUDITO

S. P. D.

JO. CAR. ZEUNIUS.

Quod in mercatoribus forte non valde reprehenditur, si laudant quas cupiunt extrudere merces, aut etiam ab editoribus librorum interdum recte fieri potest, ut libros suos commendent, et omni ratione hominum animos ad lectionem invitent et alliciant; id sane hic quam alienissimum et ineptissimum puto. Etenim quis quæso est ab omni humanitate ita remotus, ut sibi Terentii laudari desideret fabulas, quas pueri avide legunt, magnopere admirantur adulti, et senes ipsi non sine magna animi lætitia relegunt? Igitur agamus potius, quod jure a nobis postulatur, ut, quam rationem in hac editione curanda secuti simus, aperiamus. Cum bibliopola mihi consilium, quod dudum cepisset de *Lindenbrogii* editione, quam adhuc optimam et usui discentium accommodatissimam esse ex viris rerum peritis audivisset, typis repetenda, mihi significasset, petiissetque, ut exemplar a vitiis operarum purgarem, in suum quodque locum redigerem, et, si quid haberem, quod commode accedere posse existimarem, adderem; occasionem a me minime quæsitam, sed ultro oblatam, Terentium, quem semper summo habueram in pretio, edendi et curandi dimittere nolui. Itaque exemplar, quod operis tradendum erat, editionis Lindenbrogii, quæ Francofurti anno superioris seculi tertio et vicesimo prodiit, cum inscitia et negligentia correctorum, inprimis in Observationibus, satis corruptum et interdum etiam mutilum intellexissem: ubique omni diligentia, non sine magno tædio, cum Westerhoviana editione, cujus usum Cl. Clodius benignissime mihi concesserat, contuli, et inde omissa restitui; loca auctorum vel laudavi, vel male laudata correxi; vitia typographica, quæ inprimis in Græca irrepserant, nec ab ipso Westerhovio sublata, emendavi; interpunctiones et distinctiones ita constituere studui, ut quædam constantia, a Lin-

denbrogio aut ejus correctoribus neglecta, servaretur; graphiæ denique rationem cum in singulis litteris, vel *aput, accersivi, etc.* tum in compositionibus verborum, denbrogium aliosque fluctuasse videbam, stabiliorem naturæ Græcæque linguæ analogiæ convenientiorem sum conatus, adeo ut v. c. pro *inridere* reponerem *irrid* sed salvis archaismis, quos profanis manibus attinger putabam; atque omnino omnem curam diligentiamque ne hæc editio conspurcaretur vitiis, quæ per vulgares et lucello fere parvo conductos correctores, ubi fides q quæ requiritur et diligentia, ne quid gravius dicam, ad rara deprehenditur, interdum committuntur, et adeo vir tionum, quam primam judico, tollitur. Hactenus de i fere omnia non nisi ad repetitionem Lindenbrogianæ e pertinent. Explicemus nunc deinceps, quæ tanquam accesserunt. *Faernum* quidem olim, et postea *Bentlei* intellexissem multam Terentiano textui emendando et le auctoritate confirmando operam dedisse; ab usu hujus e critico, præsertim cum multæ Lindenbrogii notæ eunden tent, non alienum duxi, ubique utriusque viri sententiam gere; sed, nê liber magnitudine et scholiorum nube m lectoribus, et forte pretio emtoribus incommodus exister temperamento sum usus, ut fere verbis meis, ad rem b salva perspicuitate, significandam, utriusque viri senten compendium redigerem, et uni nomini tribuerem Bentleii ut copia locorum omissa, et verborum formularumque a bus detractis, et crebris ejusdem rei repetitionibus vitati nisi sententiæ argumentorumque, sive a codicum auct sive metri legibus, sive loquendi usu, et elegantia sermon torum, summam spectandam sequendamque mihi esse ex rem. Etsi igitur non negaverim, Bentleium cum alias Terentio corrigendo interdum paulo audaciorem videri, nonnunquam vix mihi temperarem, quin contradicere auc cum tamen ille et magna copia librorum scriptorum eor antiquissimorum, quibus Angliam in omni genere abunda dum inter omnes constat, fuerit instructus, et ipsis Fae tionibus haud contemnendis mirifice adjutus, et præter ingenio acutissimo elegantissimoque ornatus, non ingratu tori docto me fecisse spero, quod illas conjecturas et le hic exhibuerim; præsertim cum eam brevitatem ubique rem, qua ad summam rei cognoscendam lectoribus nor

esset universas paginas, sæpe cum magno tædio, perlegere, et inde colligere, quid sibi auctor vellet. Satis de Bentleio. Dicendum est, quid acciderit *Donato*, qui sane, ob antiquitatem et doctrinam, primum tenet inter scholiastas locum. Verum sane dolendum est, ejus scholia, qualia quidem hodie extant, inprimis duplici laborare vitio, interpolationis et corruptionis. Illa enim esse interpolata accessione nonnullorum aliorum scholiorum, quod fatum quoque in Aristophanem scholiis evenit, ita clarum est, ut non nisi levi inspectione sit opus. Hoc vitium autem cum tolli sine summa temeritate, aut inani disputatione non posse videretur, a nobis intactum relictum est, nec attulimus notatiunculas supervacuas, quas Westerhovius interdum adjunxit. Verum alterum vitium, quantum in nobis fuit, inprimis post Actum primum Fabulæ primæ, (quoniam ab initio hoc consilium nobis nondum erat captum) tollere sumus conati. Igitur primum interserui et signo ( ) a textu Scholiastæ distinxi conjecturas et lectiones, quas Westerhovius vel debet Abr. Wielingio viro consultissimo, vel ipse collegit non modo ex codice Sam. Hulsii Haganæ civitatis viri consularis, codice Theod. Boendermakeri Canonici S. Martini apud Ultrajectinos, et codice edito Cardinalis Du Bois, (posteriores nos compendii causa interdum diximus *Librum utrumque*,) sed etiam ex editionibus antiquissimis Venetis. Deinde ego ipse locis corruptis, a Westerhovio neglectis, manum admovi, eaque vel corrigere vel supplere sum conatus; atque ne mea conjectura aliis forte invitis obtruderetur, eam addita littera Z notavi. Post Donatum et tempore et dignitate sequitur *Eugraphius*, qui, quantum ex Gerberti, seu Sylvestris, ad Airardum epistola colligitur, sub finem seculi decimi, Othone III. imperante, vixit, homo pro ratione illorum temporum haud indoctus. Hujus commentarii in Terentium, qui apud Lindenbrogium admodum corrupti et mutili deprehenduntur, hic partim ex editione Westerhovii, qui duobus codicibus, sed his ipsis corruptis et mutilatis, Bibliothecæ Leidensis est usus, et veteres editiones contulit, partim nostris conjecturis qualibuscunque aucti prodeunt. Cum Donati in Heautontimorumenon scholia videantur periisse, in locum illorum *Calpurnii* Brixiensis, qui seculo quinto decimo Laurentii Vallæ ætate vixisse videtur, substituimus scholia, ut non modo ubique esset haud ingrata Fabularum æqualitas, sed etiam quoniam illa lectu haud indigna existimabamus, quæ sæpe ad similitudinem Donatianorum quam proxime accedunt. In hoc

scholiaste, fateor, ut brevitati consuleretur, interdu aperte corrupta, et facillima emendatu tacite correxi, du editionibus antiquis, vel legibus linguæ et contexti. C *Diatribas* virorum eruditorum, quæ et in Westerhovi tione reperiuntur, intelligebamus Lectori haud injucun et usui hujus libri accommodatissimas, hic quoque petere placuit. Vale igitur, lector erudite, et si quid passi sumus, ignosce. Scripsi Lipsiæ in nundini CIↃIↃCCLXXIV.

PRÆFATIO LINDENBROGII.

Pub. Terentium Afrum, Comœdiæ Latinæ scriptorem undecunque elegantissimum, atque ingenii festivi, curatiore studio recensitum bono publico exhibere visum fuit. Quem enim pueri amavimus, ejusdem amœnitate ac Venere vel hac quoque ætate nos capi, non erubescimus: a cujus lectione etiam ipsos Romani eloquii principes, eosque gravissimos viros, non abhorruisse constat: quorum sane elogia suo loco digessimus, ut omnium oculis, qualenam æstimium veterum doctissimi quique de eo semper fecerint, velut in tabula exponeremus. Nam recentiorum encomia colligere, aut commendatitiam illius novam conscribere, insuper habendum duximus; ne laudatum ab omnibus concelebrare si vellemus, actam rem agere potius, quam novi aliquid dicere videremur. Quippe cujus ea gloria est, ut nullius laudibus crescere, nullius minui possit. Ergo igitur id mihi in hac editione potissimum curæ fuit, ne ad nitelam ejus et splendorem quod faceret, quicquam scienter omitteretur. Non denegarunt nobis hac in re operam suam amici nostri, viri litterati. Inprimis vero multum adjuti sumus favore celeberrimi jurisconsulti Franc. Pithœi Tricassinensis, qui duo nobis Terentii exemplaria suppeditavit; alterum fratris B. M. alterum manu sua emendatum: adscriptis interdum Menandri, Apollodori, aliorumque versibus; quos Terentium exprimere voluisse putamus. His accessit Ms. codex qui in bibliotheca regis Galliæ adservatur: cujus ea visa est antiquitas, nec minor bonitas, ut vel solus sufficeret, cujus fidem sequeremur: in quo etiam Terentii imago, plane ut eam ex Vaticana bibliotheca Fulvius Ursinus V. C. edidit, antiqua manu depicta erat. Usi sumus et aliis scriptis libris, sed qui perparum profuerunt: nam et recentiores erant: et si quid variarent, id levidense admodum atque exigui momenti.

Donati duo exemplaria habuimus, et illa Pithœorum accurata diligentia ad Mss. codd. Antonii Contii et Jacobi Cujacii Antecessorum Bituricensium collata; quorum auxilio in hoc commentario plurimæ lacunæ suppletæ, aliaque infinita errata

integritati suæ restituta sunt. Juverunt etiam nonnihi tanea quædam, quæ in bibliotheca regia Parisiensi, et vett. Pet. Danielis Aureliani, viri humanissimi. Sed ne veluti de compacto factum, ut Græca fere omnia in libris adeo vitiose scripta, ut raro quid inde boni extrici erit, vel indagare, quod specie recti placeret. Itaq nostro saltim, sed aliorum quoque judicio, characteres proponere voluimus, ut cuilibet pro captu ac lubidine dandi causa relinqueretur integra.

Eugraphium non uni debemus. Præter pauca en quæ hujus scholiastæ Faernus vir diligentissimus olim provulgavit, alia longe plura ex antiquissimo libro Ant. I. C. nunc primum edita: et quæ huic deerant, ex Franc. Olivarii codice suppleta sunt. Cætera vero quæ rantur, si tanti videbuntur, a felicioribus meliori secu fuat an in lucem proferri poterunt: nam ut nos hic Ital præstitimus, sic alii diligentiam nostram si supplebunt, videbimus: laus est publica. Extat quidem Parisiis in theca regia commentum in hunc comicum, Eugraphi insignitum: sed adeo ineptum, adeoque nugis plenum, quis ex Luciorum schola detonsi cujusdam tenebrionis blatteramentum: idcirco etiam ejusmodi affaniis editione contaminare nobis religio fuit.

Postremo: observationes quasdam adjecimus, breve et nostro more modoque factas; magis ut de varietate l et fide veri constaret, quam ut prolixe hic omnia explica Quod rectius hercle vero facient magistri in ludo et um publice *τὴν ἀκρισίαν ἐκθεατρίζειν* necessum habeamus, a insanientibus furere; qui nullum amplius librum prod tiuntur, nisi ingentibus commentariis oneratum, *ὡς ἂν εἶναι ἡμιόνων πολλῶν*. Proinde, lector, si probus e nobis tribuenda est quod egimus, venia danda quod reliq Feliciter.

CALLIOPII CUJUSDAM SCHOLIA IN TERENTIUM,

UNA CUM PICTURIS QUIBUSDAM VETERIBUS, AB ANGELO MAIO E CODD. AMBROS. NUPER EDITA.

Publ. Terentii vita, ex Ambrosianis codd. D, 79; O, 109; et F, 92, part. sup. ab Angelo Maio primum edita.

Terentius Afer, genere Carthaginiensis, puer captus et a quodam Terentio Lucano emptus, literis Græcis Latinisque instructus, cum librarius esset, mox propter elegantiam studiorum morumque in amicitiam perductus est Scipionis et Lælii sapientis et Rupilii, quorum fabulas in scena dare inimici diffamabant: maxime Turtullius Lavinius, qui ejus æmulus erat, hanc opinionem divulgabat. Sed cum criminarentur quidam Terentium non vere Græcorum mores exprimere, pleraque in Latina fore consuetudine; ut instituta moresque Græcorum cognosceret, Athenas profectus est. Ibi aliquamdiu commoratus, Menandrum in Latinum sermonem transtulisse dicitur. Et cum Romam petiturus esset, sarcinas fabulasque, quas ibi conscripserat, in navem imposuit, quæ Maleam circuitura erat. Ipse terrestri itinere Patras profectus est, ubi et navem expectare constituerat. Auditoque naufragio, ægre ferens amissas fabulas, Stymphali deœssit in Arcadia, publiceque ibi sepultus est, C. Dolabella Fulvio Flacco consulibus. Fabulæ ejus extant quatuor e Menandro translatæ, Andria, Eunuchus, Adelphe, et Heautontimorumenos. Duæ ex Apollodoro Caricio, Hecyra et Phormio. Eunuchum vendidisse dicitur octo millibus numorum, quod precium ante eum nemo acceperat.

Calliopii Schol. ad Terent. ex Ambros. cod. ab Angelo Maio nuper edita.

EUNUCHUS.

III. 2. 19. *Hem eunuchum tibi*] De Chærea dicit, qui habitum eunuchi assumserat et nomen.—3. 7. *Rem seriam*] Secretam, certam causam, sine risu.—4. 1.] Quærens Antipho Chæream secum hæc loquebatur.—5. 53. *Ego limis specto*] Tortis oculis, transversis a limine in transverso posito.

IV. 1. 1.] Doria ista Chremetem duxerat ad Thrasonem et dominam, et revertens dicebat Pythiæ alteri ancillæ.—2. 12. *Extrema linea*] Quinque sunt lineæ amoris: extremam vero lineam vocat visum.—3. 1.] Pythia ancilla Thaïdis cognoscens viciatam virginem a Chærea, illumque fugisse, egrediebatur quæritans quem putabat eunuchum.—4. 1. *Exi foras*] Phædria iratus quærebat eunuchum in domo.—4. 15. *Ita visus est*] Ut esset tunc pulcher, quia bene indutus erat, quod modo non est eis vestibus indutus.—4. 18. *Quid intersiet*] Inter istum et adolescentem qui ad nos deductus est—5. 1.] Chremes adolescens de domo Thrasonis veniens sic loquebatur.—6. 15. *Cum monumentis*] Id est, chartis ubi continebatur quemadmodum empta a matre Thaïdis.—6. 16. *In risco*] Riscus proprie repositorium vas, videlicet ex junco et foliis palmarum contextum.—7. 1. Ad domum Thaïdis Thraso iratus cum suis veniens et Gnathone, hæc loquebatur.

V. 1. 1.] Thais irritata ad Pythiam ita loquebatur, quæ ei fuerat.—*Perplexe*] Supplex et involute et obscure.—2. 6. *portum*] Compendiosa via et rectior ducens ad portum, et pro angusto portu.—3. 1.] Pythia ancilla videns Parmenor dona illis adduxerat, secum hæc loquebatur indignans.- Parmeno ignorans quid evenisset Chæreæ, quem intro revisere volebat, secumque hæc in eundo aiebat—5. 1. ancilla, terrere volens Parmenonem redeuntem, hæc secun batur, ita ut Parmeno potuisset audire, et simulabat quod teneretur in domo constrictus.—6. 1.] Laches iste pater er driæ et Chæreæ, qui omnia ignorabat quæ narrabantur rea, revertens de agro suo hæc secum loquebatur.—7. 1. Laches a Parmenone ingredi in domum Thaïdis, ubi putab vinctum teneri.—7. 3. *Ridiculo fuit*] Mirum derisus in mod 20. *Nobilitas*] Id est, cognitio multorum: unde ignobiles incogniti.—8. 3.] Argumentum a majore ad minorem. fuit regina Ægyptia quæ eum coegit *ad lanificium* amore s eum suscepisset hospitio.—9. 55. *Saxum volvo*] Id est, ver me hæc cogitans et desiderans. Proverbium dignum mem

CALLIOPIUS RECENSUI.

(Plura de Calliopio vide in Fabric. Bib. Lat. Ed. Nov. i

HEAUTONTIMORUMENUS.

Epigraphe. *Duabus dextris*] Quia ex dextris cruribus gruu ores tibiæ fiunt quam ex sinistris.

Prolog. 6. *Duplex*] Græca Menandri et Latina mea. In stilo duplicata.—11. *Non prologum*] Non prolocutorem vel def causarum et comœdiarum.—12. *Actorem dedit*] Recitato potestatem agendi causas.—28. *Æqui sitis*] In discernendis nibus æquum servate judicium.—31. *Servo currenti*] Quidar poeta fecit fabulam de servo currenti in via: et cum ea in recitaretur, populus tædio ipsius affectus fugit.—36. *Sta* Standi licentiam, id est stationem meam tranquillam ir facite, ut audiatur mea fabula.—47. *In utramque partem* fabulis componendis honeste, et in carminibus aliorum corri

I. 1. 1.] Menedemum senem se excruciantem in agro propter filii alloquitur ita Chremes.—2. 1.] Rediens Chremes a Me invenit in domo sua Cliniam filium Menedemi loquentem c tiphone filio suo.—*Cessant*] Scilicet venire Antiphila et illi ipsa missi fuerant.

II. 1. 1.] Clitipho adolescens secum patrem omnesque senes re debat.—2. 1.] Tristatur Clinia eo quod tardaret venire ejus Antiphila, unde loquitur cum Clitiphone.—3. 1.] In redeund loquebatur cum Dromone, et est abrupta sententia.—3. 40. *improviso*] Ubi nuntiatum hoc fuit subito Antiphilæ . . . parenthesis qualiter invenimus eas occupatas.—3. 50. *Pax*] jectio vel adverbium comicum propriæ significationis BE tantummodo qua cessare præcipimus—3. 58. *Internuntii*] quæ apparatæ mittuntur ad amatores.—3. 84. *Aut hæc*] A ricula sustinere, et meretricibus frui; aut amatores amit meretrices non amare.—3. 103. *Sero ac nequicquam voles*] T ac frustra cœpisti hoc velle quod dicis modo, ut sine p

habeas amicam, quam quandocunque pater sciet.—4. 1.] Bacchis amata Clitiphonis laudabat Antiphilam amicam Cliniæ, et illa similiter istam dum irent.—4. 6. *Omniumque adeo vostrarum*] Scilicet matronarum, quæ sunt contentæ uno amatore.—4. 11. *Desertæ vivimus*] Post amissam formam.—4. 13. *Hi se ad vos applicant*] Quod uxorem vir diligat, et uxor virum.

III. 3. 1.] Chremes videns filium Clitiphonem jocantem cum Bacchide, quæ dicebatur amica esse Cliniæ filii Menedemi, increpat illum.—3. 6. *Subagitare*] Tractum a porcis verbum, qui, quando lac sugunt, matrem subigitant.—3. 8. *Metui quid futurum denique esset*] Videlicet ne Clinia irasceretur.—3. 32.] Multi textus hanc scenam conjunctam habent superiori, quod melius videtur.

HEAUTONTIMORUMENOS

CHR Ego istuc curabo SYR atque etiam tibi adservandus est. CHR
Fiet SYR si sapias nam mihi iam minus minusque obtemperat

IV. 1. 1.] Antiphila intrante in balneum, annulum ejus accepit Sostrata uxor Chremetis, et recognovit quod filiæ suæ esset.—3. 1.] Ut cognovit Clinia filius Menedemi Antiphilam amicam suam filiam esse Chremetis et Sostratæ, lætabatur, securus quod illam duceret, utpote quæ libera esset.—3. 10. *Date mihi*] Tu et Antiphila scilicet consilium, quomodo Clitiphoni Bacchis detur.—3. 44. *Traducatur Bacchis*] Traducere, id est publicare sive diffamare: sed in hoc loco pro transducere ponitur.—4. 1.] Adhuc dum Bacchis esset in domo Chremetis, indignans quod Syrus ei mentitus esset, dicebat secum.—5. 43. *Dixi de argento*] Fraudulenter per hoc a domino suo argentum volebat extorquere, ut illud daret Bacchidi; nam ei promiserat.—5. 48. *Jus summum*] Plerumque qui maxime veridicus est, incidit in culpam. Et tu maxime culpaberis, si justitiam agere volueris.—8. 28. *Ne tu propediem*] Timeo ne forte proximo tempore, quod facile ei indulges, filii tui adventu satureris.

V. 1. 69. *Me mea omnia bona doti dixisse illi*] Hoc ideo dicebat vide-

licet, quod omnia sua daret filio illius Cliniæ, qui *Antiph*
ducturus: volens terrere filium Clitiphonem, qui contra vo
patris Bacchidem amabat.—2. 1.] Clitipho sciens sibi iratur
dicebat secum.—2. 46. *Nil gratiæ*] Referat de his quæ n
si postea uxorem duxerit.—4. 10. *Gerro*] Gerra dicitur p
lius saporis, non aptus cibis. Alii dicunt gerra machin
bellicum, quo quondam usi sunt Romani ad expugnandos
sed nihil proficere potuerunt. Hinc Clitiphonem ineffica
dicere.—5. 1.] Menedemus alloquitur Chremetem ut
nuptias, sive ut ignoscat filio suo Clitiphoni, si aliquid p
—5. 12. *Ad me recipio*] In mea providentia illum accipio,
quod vis. CALLIOPIUS RECENSUI.

ADELPHE.



INCIPIT ADELPHE

*Incipit Adelphe, acta Ludis Funebrib.
Q. Fabio Maximo · P. Cornelio
Africano Æmilĩ Pauli
Ædilibús Curulib.
Quos fecere · L. Actilius Prænestinus
Minutius Prothimus
Modos fecit Flaccus Claudi
Tibiis Serranis
Facta Græca Menandri
Anitio · M. Cornelio Consulib.

---

* Alia Epigraphe ex alio Codice Ambrosiano
Græca Adelphoi Menandru
Acta Ludis Plebeis
Gn. Balbio · C. Terentio Ædilib. Pl.
J. Publilius Pollio
Marci Par (oppii)
Tibiis Serranis totam
C. Sulpitio · C. Aurelio Consulibus.

Epigraphe. *Sarranis*] Sarranæ dicuntur ab auctore qui illud genus musicum excogitavit.

Prolog. 6. *Diphili*] Diphilus Græcus Comœdus fuit, qui composuit fabulam quem appellavit Synapothnescontes, quod Latine Commorientes significat.—20. *In negotio*] Negotium dicitur quasi nec otium. In compositione enim nullum est otium.—22. *Ne expectetis*] In comœdiis non narrantur res gestæ, sed personæ loquentes inter se ipsam fabulam agunt.

I. 1. 1.] Demea habuit duos filios, quorum unum commendavit fratri suo Mitioni ad nutriendum, qui vocabatur Æschinus.—*Storax*] Proprium nomen; indubia etiam scriptura nomen arboris invenitur, cujus resina storax, hujus storacis vocatur.

II. 1. 1.] Sannio iste leno dum privaretur meretrice sua ab Æschino clamabat.—2. 1.] Syrus servus videns sollicitari Æschinum dominum suum de hoc quod lenoni fecerat, ait illi.

III. 3. 1.] Demea audiens filium suum participem fuisse, in hæc verba prorumpit.—10. *Omnem rem modo seni*] Omnem rem quam fecerant Æschinus et Syrus in raptu mulieris narraverat Micioni.—4. 1.] Geta veniens cum Hegione, quem adducebat, sermocinabatur de hoc facto.

IV. 3. 1.] Dum Hegio laudaret Mitionem omnia honeste judicare, missus a Sostrata hæc ei respondit.—4. 1.] Æschinus cognoscens tristari Sostratam filiamque illius quam ipse vitiaverat, quasi ipse vellet eam abicere, in hæc verba prorumpit—5. 1.] Mitio Sostratam jam certam reddiderat quod Æschinus Pamphilam per silentium duceret, simulque hortabatur illam parare ea quæ ad nuptias pertinent.—6. 1.] Demea, revertens ab inquisitione fratris sui, delusus a Syro secum loquebatur.

V. 1. 1.] Syrus satur effectus egrediebatur foras lætus dicens ad semetipsum: per Dominum Pollucem more Syri te curâsti molliter. Syrisce autem est adverbium qualitatis.—2. 6. *Mastigia*] Mastigia vel mastix dicitur corrigia, qua Syrus volebat impedire Demeam. Demea ergo intrat in domum interiorem, ut videret si esset ibi Ctesipho filius suus absconditus cum psaltria. Volebat eum Syrus cum corrigia impedire.—4. 1.] Dolet Demea quod durus erga filium nimium fuerit, et simulat se lenem, dicens quia nullus ita bene vivit, ut non indigeat alterius admonitione.—6. 1.] Geta servus dominam suam alloquitur Sostratam.—*Ad hos*] Ad Mitionem et alios.—*Quam mox*] Quam cito dicens se iturum ut puellam evocet.—9. 18. *Serio*] Pro certo accipitur adverbialiter. Similiter quando serium est nomen, verum et certum significat dictum quasi sine risu.—19. *Emitti*] Manumitti et per hoc liberam fieri. Et id est nomen viris quando servili conditione liberi fiunt.

CALLIOPIUS RECENSUI.

HECYRA.

I. 1. 1.] Philotis seu Philocium loquitur cum Syra aliisque meretricibus de Pamphilo, qui dimissa Bacchide desponsavit Philumenam filiam Phidippi.—2. 1.] Pamphilus certa causa ierat ultra mare et sperabatur jam reverti, unde Parmeno it consideratum si jam venit.

II. 1. 1.] Laches pater Pamphili noscens Philumenam ad domu ternam regressam nimium iratus loquebatur, putans quod S uxor sua pepulisset eam.—2. 1.] Phidippus pater Philumen loqueretur cum ea fortassis de hoc ut rediret ad domum patris Pamphili, ne forte Pamphilus revertens tristaretur quod a domo sua exisset, subito advenit Laches pater Pamp

III. 1. 1.] Rediens Pamphilus de Imbro, ut comperit de uxo Philumena quod ad domum paternam esset reversa, sive gravida esset, cœpit ita loqui.—38.] Philumena parturiente batur eam sua mater Myrrhina ut compesceret semetipsam more et taceret. Et hic erat clamor quem Pamphilus se audire.—47.] Parmeno servus dum voluisset Pamphilum p ad Philumenam, quam visitare ibat, retinuit se, ne forte My mater, aut Philumena filia aut aliquis ex illa familia exco aliquid mali illatum esse Philumenæ per aliquem illorum. dicit ergo illis et dicit: eveniat et augeatur illis morbus in si aliquid tale contra nos dixerunt.—2. 1.] Sostrata mate phili audiens tumultuari in domo, ubi Philumena uxor filii j parturiens, putabat quod morbus, quo illa fingebat se lal ingravesceret, et propterea Deum medicinæ Asclepium et salutis exorabat.—4. 1.] Loquebatur Parmeno cum Sosia erat cum Pamphilo ultra mare in Imbro, et interrogat si fui illuditur incommodum—5. 1.] Loquebatur Laches pater Pa ad Phidippum, qui dixerat, ideo non redire Philumenam filium ejus Pamphilum expectabat.

IV. 4. 1.] Timens Myrrhina mater Philumenæ quod Phidippus set vocem pueri vagientis, dicebat secum.—2. 1.] Excusat s trata apud filium, non suæ culpæ fuisse quod uxor ejus r sit ad domum maternam.—5.] Dictum est superius (III. 5 quoniam Pamphilus patri dixerit, matris amorem pariterque rem præferendum esse amori uxoris: quod Sostrata audier rum reduxit ad memoriam illius.—3. 1.] Laches audivit Sos cum Pamphilo loquentem.—*Procul hinc stans*] Ex adverso cens quod dimitteret urbem et pergeret rus—4. 1.] Phidipp crepat filiam suam Philumenam, quod celaverit ei partum.

V. 1. 23. *Aliud si scirem*] Si scirem rem agere majorem, qu crederer quam ex jurejurando, per illam rem pollicerer segregavi a me Pamphilum.—33. *Meritus de me est*] Sæpe bona intulit. Æquum est ut restituam ei mercedes secu posse meum auferendo ab eo malam suspicionem.—34.] A Laches quod falsum esset quod suspicabatur de filio suo e chide, et quod minime Bacchis hanc fecisset discordiam, 2. 13. *Falso credidisse*] Quod putabat quod filius meus recip in domum Bacchidis et ideo ejus reliquisset filiam.

CALLIOPIUS RECENSUI.

PHORMIO.



INCIPIT PHORMIO

Prologus 10. *Actoris opera*] Quomodo ipse in populo celebris non propter se sed propter suum recitatorem extiterit—17. *In medio*] Id est, in publico vel indifferenter, quoniam poetæ boni indifferenter dicuntur utrum laudentur an vituperentur.

I. 1. 1.] Condolebat Davus nummularius Getæ, qui sibi argentum detulerat ad percutiendum, quod minutatim sibi ipse Geta congregaverat, et cogebatur nunc expendere in nuptias filii domini sui, hæcque secum dicebat.—10. *Comparsit*] Vix, parcendo sibi, congregavit uxori domini sui.—11. *Haud existumans*] Non recogitans cum quanto labore adquisitum sit quod ipsa libidinose expendet.—2. 1.] Egrediens Geta a domo ut iret ad Davum rufum, argentum reposcere, dicebat suis: "Si quis me quæret," sed ipse subito Davus advenit—5.] Ut nunc sunt mores. Ad hoc, inquit, mores hominum devenerunt, ut, siquis reddat non totum sed aliquid quod sibi est commendatum, idcirco pro ipso parvo gratia referatur.—46. *Lamentari mortuam*] Ea erat mulier Chremetis, quam in Lemno habebat, quæ veniens Athenas mortua erat, cujus funus filia ejus observabat cum una anicula.—77. *Tibi scribam dicam*] Dica, -æ; chartula, -æ; et codicella, -æ.—3. 1.] Antipho filius Demiphonis alloquitur Phædriam filium patrui sui, dicens se in magno metu esse quocienscumque patris adventum reducebat sibi ad memoriam, ac propter hoc dicit—4. 1.] Veniens Geta de porta vidit venientem Demiphonem dominum suum et loquitur in eundo secum.—53. *Succenturiatus*] Succenturiati sunt non qui in prima sed qui in secunda centuria consistunt. Sunt autem et ipsi in speculis armati positi, ut si prima defecerit, isti laborantibus primis

subveniant. Unde et ad insidiandum ponitur succenturiat armis dolo subinstructus. Centurias autem dicimus partes tus in centenos milites distributas, et qui his præsunt, ce vocantur.

II. 1. 1.] Demipho reversus loquebatur secum audiens de fi phone.—7. *Verum scientem*] Intelligibiles annos habe scientem quod sine imperio patris non debuerat illam d *Tacitum*] Tacendo confitemur. Ut Cicero: Dum tacent, —*Adversariis*] Id est, inimicis, ut facerent ei ducere uxor *O artificem probum*] Istum Demiphonem probatum, qui sic ante agnitionem veritatis.—66. *Non fuit necesse*] Ut : Quia apud antiquos fuit mos, quod cognatus si nollet cognatæ, daret ei dotem et sineret ire.—2. 25.] Dat compa de Antiphone: quia ut aliquis alium invitans parat quæ e ad prandium, dum alter securus maneat; sic Phormio pa tias Antiphoni, dum ille otiosus sit.—3. 1.] Recedente Ph inde alloquitur Demipho hos, quos adduxerat, de filio s phone qui se miscuerat his, et qui ante præsentiam venerat, ut reversus est de Cilicia.

III. 1. 1.] Semetipsum redarguit Antipho, quod ipse suam fugerit atque aliis commiserit.—2. 41. *Stercilinium*] P quilinium.

IV. 1. 1.] Jam Chremete reverso de Lemno alloquitur eum D —2. 1.] Revertens Geta a Phormione ad quem ierat c capere de argento, loquebatur.—3. 47. *In mentem ejus*] Ph ei poterat evenire, si traderet illam diciori: videlicet ne p in servitutem redigeret.—49. *Sed mihi opus erat*] Si nece mihi talem ducerem quæ mihi causam dotis afferret, und mea persolverem.—4. 24. *Ille istis reddet*] Phædria lenoni e *Vel* istis senibus. Hæc verba superius dicta reddit Ph deludat tempus.—5. 1.] Chremetem alloquitur Demipho non daturum sine testibus argentum.—7. *Ut conveniat han* lam Antiphonis, atque persuadeat ut mulier ne exhorresca mionem.

V. 1. 1.] Sophrona nutrix Phanii metuens, ne forte pater illiu lum inferret, eo quod filiam illius dedisset Antiphoni, loc secum.—3. 1.] Demipho Nausistratam uxorem fratris sui al ut Phanium conveniat quatinus Antiphonem dimittat.— *filia*] Id est, de tua quæ venit de Lemno, quam volebas ut Antipho. Hoc propter Nausistratam sub persona ami quamquam filia ejus esset—4. 1.] Congratulatur Antipho P quod amicam habiturus esset, ignorans adhuc causam suan

Reliqua desiderantur.

COMMENTARIUM

RUFINI V. D. GRAMMATICI ANTIOCHENSIS

IN METRA TERENTIANA.

Libellus, admodum in plur. locis corruptus, meliores codices aut medentis manum expectat.

Evanthius in commentario Terentii de fabula, hoc est, de comœdia, sic dicit: concinna argumento, consuetudini congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. Et postea sic: veteres etsi usi ipsi quoque metris negligentius iambici versus duntaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosæ orationis. Asper in commentario Terentii sic: hosce versus agere cœpisset: "itănĕ pātrĭs ăis ādvēntūm vĕrĭtŭ hīnc ăbīssĕ dŏmūm." Et deinceps quæ sequuntur quadrati. Diomedes sic: septenarium versum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad iambum trisyllabus pes additur, et fit tale: "quĭd īmmĕrēntĭbŭs nŏcēs? quid invĭdēs ămīcīs?" similiter in Terentio versus est:

"Nām sī rĕmittānt quīppĭām Phĭlūmĕnæ dŏlōrēs." Et in Plauto sæpe tales reperiuntur. Varro de lingua Latina ad Marcellum sic: quare in hujusmodi locis poni oportet notam in transversum inter syllabas, frequentius ad extremum versum, senarium, et similes, si pro longa brevem habebunt, ut in hoc: "ămīcŭs sūmmŭs mĕŭs ēt pŏpŭlāris Gĕta." Charisius sic: septenarium versum fieri dicit Varro hoc modo, cum ad iambum trisyllabus pes additur, ut præfatum est. Bassius ad Neronem de iambico sic dixit: iambicus autem cum pedes etiam dactylici generis assumat, desinit iambicus videri, nisi percussione ita moderaveris, ut cum pedem supplodis, iambicum ferias: ideoque illa loca percussionis non recipiunt alium quam iambum, et ei parem tribrachum: aut si alterius exhibuerint metri speciem: quod dico, exemplo faciam illustrius. Est in Eunucho Terentii statim in prima pagina hic versus trimetrus: "ēxclūsīt, rĕvŏcāt, rĕdĕām? nōn si me ōbsĕcret." Hunc incipe ferire, videberis heroum habere inter manus ad summam paucis syllabis in postremo mutatis, totus erit herous. "Exclusit, revocat, redeam? non si mea fiat." Ponam dubium secundo loco pedem, propius accedam. "Hĕros ătrīdēs, cœlĭtūm tĕstor fidem." Varro in VII. clausulas quoque primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Accium: "an hæc jam obliti sunt Phryges?" Nonnunquam ab his initium fit, ut apud Cæcilium: "dī bŏnī quĭd hōc?" Apud Terentium: "discrŭciŏr ănĭmī." Idem Varro in eodem lib. VII. de lingua Latina ad Marcellum sic dicit: aut in extremum senarium totidem semipedibus adjectis fiat comicus quadratus, ut hic: "heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeo." Trimetros versus iambicos Terentii et Plauti et cæterorum comicorum et tragicorum M. Tullius senarios dicit et nominat. Quintilianus etiam trimetros senarios nominavit. Et Flavius Caper in artibus suis trimetros versus iambicos Terentii senarios appellavit. De metris Terentii et Plauti et cæterorum comicorum et tragicorum Victorinus sic dicit: quantum autem ad versum comicum spectat, ut paululum evagemur, scio plurimos affirmare, Terentianas vel maxime fabulas metrum ad disciplinam Græcarum comœdiarum non custodisse, i. quas Menander, Philemon, Diphilus, et cæteri ediderunt. Nostri n.

in modulandis rhythmis seu metris, veteris comœdiæ scriptores maluerunt, i. Eupolim, Cratinum, Aristophanem: prologos itaq primarum scenarum actus trimetris comprehenderunt: deinde l simos: i. tetrametros subdiderunt qui appellantur quadrati: po sequentibus variaverunt: modo. n. trimetros, modo addito qua vel semisse posuerunt, i. semipede adjecto, vel integro pede vel sesquipede hæc per medios actus, varie rursus in exitu fabu quadratos, quales diximus in secunda scena locaverunt. Sed quadrati legitimi cum XVI. syllabis juxta jus proprium co debeant, plerumque inveniuntur XX. aut amplius syllabarum existimantur metrum non tenuisse, nec sua lege composuisse. vero ad clausulas i. minuscula cola pertinet, quot genera ve sunt, totidem membra pro clausulis poni possunt, et solent in c magis quam diverbiis quæ ex trimetro magis subsistunt, colloc præcipue apud Plautum et Nævium et Afranium. Nam hi maxi omnibus membris versuum; colis ab his separatis licenter usi riuntur in clausulis. Idem Victorinus in alio loco de iambo sic improbatur aut apud tragicos, versus ex omnibus iambis compo nam quo sit amplior, et par tragicæ dignitati, interponunt frequ locis duntaxat imparibus pedum dactylicorum moras et spon Similiter apud comicos laxius spacium datum est: nam et illi loc proprie debentur iambis, spondeis occupant, dactyloque et ana locis adæque disparibus. Ita dum quotidianum sermonem i nituntur, metra vitiant studio, non imperitia: quod frequentius nostros quam apud Græcos invenies. Genera autem iambici sunt duo: nam ex iis alia integra, alia clauda, quæ scazonti choliamba vocant, sunt: quorum differentiam penultima versu laba demonstrabit. Nam si brevis contigerit, erit rectum et inte iambicum, ita, "vĭgōrĭs ăddĕ cōncĭtūm cĕlĕrēm pĕdem." Sin longa, delumbe et claudum, ut est: "novĭtātĕ dūctūs nōn ēs scĭūs lēgis." "Lē" longa quæ penultima reperitur, metrum rumpit: hujus repertor Hipponax; nam pro iambo inductis tro contra legem trimetri iambici, metrum innovavit, quod adæqu spondeo contingit.

VERSUS RUFINI GRAMMATICI

DE METRIS TERENTII ET PLAUTI ET ALIORUM.

Agnoscit metrum, servatque Terentius artem,
Nam prologos trimetro didicit componere versu,
Scenarumque actus primos pede claudit eodem.
Ut sunt hi versus prologi:
Pŏētă cūm prīmum ănĭmum ăd scrībēndum ăppŭlit,
īd sĭbĭ nĕgōtī crēdĭdīt sōlūm dări
Pŏpŭlo ūt plăcērēnt quās fēcissēt fābŭlas.
Vōs īstæc intro āufĕrte, ăbītĕ: Sōsĭa
ădesdūm; paūcis tē vŏlo. Dictūm pŭta.
Tetrametros sequitur quem finxerat ille Boiscus.

Quales sunt isti versus:

Mirābăr hōc sī sīc ăbīrĕt, ĕt hĕri sēmpēr lēnĭtas.
Qui sequitur dimetrus est, id est, quatuor simplices pedes habet.
Vĕrĕbār quōrsum ēvādĕrĕt.

Item tetrametri similes hi de iambo:

ĕnĭmvĕrō Dāvĕ nĭhĭl lŏci ēst sēgnĭtĭæ, nĕquĕ sōcōrdĭæ.

De iambo trochaicum Archilochicum unde fieri dicunt metrum.

Creticon Archilocus supra caput addit iambi.

Quales sunt isti.

Dĭi bŏnī quĭd pŏrtō,
Sĕd ŭbi invĕnĭām Pămphilum,
Lætŭs ĕst nēsclō quĭd.
Nĭhĭl ĕst, nōndŭm hæc rēscīvit măla.

De iambo Hipponactico,

Ultimus amphibrachys velocem claudit iambum,
Aut bacchius erit finis discrimine nullo.
Utitur Hipponax hoc metro maximus auctor.

Quales sunt hi versus:

Nĕ fŏrte ĭmprūdēns făcĭām quŏd nōlim, sclēs căvēbo.
Nām sī rĕmittānt quĭppiām Phĭlūmĕnæ dŏlŏres.

Legitimum interdum sub scenis ponit iambum.
obsequium amicos, veritas odium parit.
Utitur his Plautus metris et mille poetæ.
De pedibus quibus hæc consistunt metra notabis:
Dactylus aut spondeus inest, vel cursor iambus,
Aut anapæstus erit, positi discrimine nullo
Partibus in quinis: nam post celer extat iambus,
Pyrrichiusve citus finem concludere possit.

Ut sunt hi tales:

exclusit, revocat, redeam? non si me obsecret:
Quod plerisque omnes faciunt adolescentuli.

De nomine talium versuum sive metrorum.

Græcus apamphænonta solet memorare poeta.
Immanifesta vocant hæc carmina voce Latini.
Hunc trimetrum veteres Graii cognomine dicunt,
Quod pedibus junctis hunc scandere sæpe solebant.
Ponitur aut scazon, spondeum finis habebit.

Quales sunt isti:

Nec fonte labra prolui caballino.
Nec in bicipiti somniasse Parnasso.

De metris comicis:

Tetrametros trimetrosque capit comœdia versus.
Tetrametrum primus fertur posuisse Boiscus,
Creticon Archilochus trimetro superaddidit ingens,
Amphibrachum trimetro Hipponax supponit iambo.
Fulserat hac Plautus, pulcherque Terentius arte.

Terentianus de iambis fabularum sic dicit.

Culpatur autem versus in tragœdiis,
Et rarus intrat ex iambis omnibus,
Ut ille contra qui secundo et talibus
Spondeon, aut quem comparem receperit:
Sed qui pedestres fabulas socco premunt,
Ut quæ loquuntur sumpta de vita putes,
Vitiant iambum tractibus spondaicis,
Et in secundo, et in cæteris æque locis.
Fidemque fictis dum procurant fabulis,
In metra peccant arte, non inscitia,
Ne sint sonora verba consuetudinis,
Paulumque rursus a solutis differant.
Mage ista nostri: nam fere Græcis tenax
Cura est iambi, vel novellis comicis,
Vel qui in vetusta præcluent comœdia.
Aristophanis ingens emicat sollertia,
Qui sæpe metris multiformibus novus
Archilochon arte est æmulatus musica.

Sisenna in commentario Pœnuli Plautinæ fabulæ sic: Halonium Pœni dicunt deum et producendam syllabam metri gratia exigit iambus.

Scaurus in commentario Plauti in Pseudulo dicit: malai διαίρεσις metr
Scaurus in eadem fabula sic: nunc jam, jam divisit in duas syllabas metri ca

Sisenna in Rudente sic:

Fuit extenta prima syllaba metri causa; et postea sic: habiliore metro usu
solet in mulierum oratione. Postea sic: latronem producit metri causa.

Idem Sisenna in Amphytrione sic:

His quatuor generibus quintum accedit, de genere versuum qui non sunt uni

Idem Sisenna in Captivis sic:

Hic ornatu S literam metri causa amisit.

Idem Sisenna in Aulularia sic:

Hæc scena anapæstico metro est, sed concisa sunt, ut non intelligas.

Juba in libro quarto sic dicit:

Iamborum itaque exempla quæ maxime frequentata sunt subdidi: *πάτερ λ
ποῖον ἐφράσω τόδε; Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ. ξανθῇ παλαιῇ γ
λῆσιν φίλη. οἶδ' ὑπὸ γὰρ ὑμῶν παρεπέθη καὶ περικλέους. ἱμάτιον ἐφέρει μαλακ
Σικελικῶν. τοδὲ προσκεφάλαιον φησὶν ἅμα σοὶ βούλομαι.*

Videre non vult Cœlium Pansetius
Misera marino quæ tumida litore
Vallis perimas amne labens cærulo.
Armiger in Ida pede vago litora petens
Cærula, non aliter superans liquida malaciæ.
παρὰ σοφοῦ μάθε κλύων ὅσα τίσαν καταμάθοι.
Rape faces, cape puer, sopor abit, cane melos.

In alio loco sic: iambicum metrum non ex solis iambis conscribitur, sed
suscipit pedes, id est, iambum, tribrachum, anapæstum, dactylum, et sponde
est iambum et spondeum et solutiones eorum, scilicet ex iambi solutione trib
Nam si sequentem longam syllabam in duas breves solvas, fiet de iambo tril
Spondei autem solutiones duas, dactylum et anapæstum. Nam si prior
spondei solvatur in duas breves, fiet anapæstus: si vero secunda, fiet d
Unde datur intelligi, iambica metra de iambo et spondeo fieri, et de eoru
tionibus.

De choliambo sic: est aut proceritas ejusdem versus qui unius pedis dif
nomen amittit, nam quod sexto loco, qui locus par est, non iambus, sed s
vel trochæus accipitur, et a longa incipit syllaba, claudum carmen facit, et c
bicum nominatur, ut est, *ὃ κλαζομένοισι βούπαλος κατέκτειθεν ἀκούσαθ' Ἵππα
οὐ γάρ. ἀλλ' ἥκω.*

O quæ tenerulæ comparis tenes crinem,

Sudes in ista via latet fossa. Quod autem binis pedibus, et non singulis sc
vetus institutum est. Quippe Herodotus antiquus historiæ auctor, cum de
diceret versu, quem singulis partiri pedibus moris est, ita dixit: *καὶ σφὶν
φήσω ἅλνσιν.* Unde apparet heroicum singulis pedibus scandi etiam apud
solitum, iambicum autem binis. Idem autem ait, cum de Archilocho Paric
qui Gigæ fabulam optime complexus est ita, *Γύγεω αὐτοῦ καὶ Ἀρχίλοχος Πάρι
τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονὼς ὑπέμνησεν ἰάμβῳ τριμέτρῳ.*

Meminit autem versus ejus Herodotus, quem amplicui, *ὃ μήτε Γύγεω πολι
μέλει.* Et hactenus de catalectico trimetro dictum. De octometro Boiscio i
dixit: octometrum catalecticum quod appellatur Boiscium. *Βοΐσκος ὁ ἀπὸ
παντὸς γραφεὺς ποιήματος, τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον.*

Boiscus iste Cyzico novi repertor carminis:

Nam primus versum octonupedum deo dicaverat. Firmianus ad Probum de
comœdiarum sic dicit: nam quod de metris comœdiarum requisisti, et ego sc
rimos existimare Terentianas vel maxime fabulas metrum non habere co
Græcæ i. Menandri, Philemonis, Diphili, qui trimetris versibus constant.
enim veteres comœdiæ scriptores, in modulandis fabulis sequi maluerunt E
Cratinum, Aristophanem, ut præfatum est. Mensuram esse in fabulis, hoc est
Terentii et Plauti, ac cæterorum comicorum et tragicorum dicant hi, Cicero, S
Firmianus, Varro, Victorinus, Cæsius Bassus, Terentianus, Cæcilius Vindex, S
Cinna, Diomedes, Albinus, Quintilianus, Sosipater Charisius, Helenus, Asper, I
Caper, Aruntius, Probus, Plinius, Evanthius, Sacerdos qui et Domatus, Juba.

Hæc ego Rufinus collegi mente benigna,
Discipulisque dedi munera pulchra libens.

VOCUM ALIQUOT APUD TERENTIUM EXPLICATIO,

EX VETERI CODICE, IN GOTHOFRED. DE L.L. AUCTORIBUS PRIMUM EDITA.

Heus ! Ohe ! Eho ! Ehodum ! vocandi.

Antehac, Quoad, Posthac, temporis.

Usquam, Uspiam, Nusquam, Quopiam, loci.

Amabo, Sodes, Hem ! Mea tu, blandientis.

Pol, Ædepol, Castor, Hercle, jurandi.

Ea ! Euge ! Eia ! Age ! Agedum ! hortandi.

Nullus pro *non.*

Utut, qualitercunque : *Ubiubi,* ubicunque : *Cuicui,* cuicunque.

Hem ! heu ! dolentis.

Hui ! Phy ! Papæ ! admirantis.

Vaha ! deridentis vel indignantis.

Atat, expavescentis.

Ha ! ha ! ha ! deridentis.

Heu ! heu ! au ! au ! flentis.

Nequicquam, frustra : *Neutiquam,* nullo modo.

Itidem, similiter.

Apprime, valde.

Atqui, certe.

Potis es, potest : *Pote,* potes.

Etsi, tametsi, pro quamvis.

Qui, quare vel quomodo.

Quam, quantum.

Maxime, sæpe pro libenter.

Eccum, ecce eum vel ipsum.

Ecca ipsa, ecce ea ipsa.

Hicce pro hic : *hiccine* pro hicne : *hisce* pro his : *istoccine* pro istône : *hujusce* pro hujus : *hiiscine* pro hiisne.

Illaclon' pro illaclone.

Malum ! interjectio.

Tute, tu ipse.

Scelus, quandoque pro scelesto.

Periculum pro experientia.

Res pro prædiis vel utilitate.

Facinus, quandoque factum.

Mala, maxilla.

Dica, scedula.

Angiportum, via arcta.

Occipio, incipio.

Cesso, tardo.

Faxo, faxim, pro faciam vel fecerim : *faxint,* facient, fecerint.

Dedo, do : *dedim* dabo : *duint* dent.

Sies pro sis : *Sient* pro sint.

Face pro fac : *Adduce* pro adduc.

Mitte pro dimitte : *Rogo* pro interrogo.

Offendi pro inveni.

Mane pro ausculta.

Opperior, expecto.

Percontor, inquiro.

Maturo, accelero.

Obtundo, eneco, de magna molestia.

Concedo, obedio.

Exigo, expello et sperno.

Arcessor, vocor.

Vereor, timeo : *Revereor,* observo.

Calleo, callide scio.

Abnuo, nego et subtraho.

Refello, contradico.

Gannit, latrat, inaniter loquitur.

Disperii, per Deos perii.

Posterdie pro postridie, hoc est, postero die.

Astu, astutia vel providentia : *Astu* pro civitate.

Misere, interdum pro immoderate.

Præviso, videre desidero.

Sedulo, intento : *Utiliter,* studiose : *ex animo,* sine dolo.

Ambages, verba frustratoria: *Phaleræ,* insidiosa.

Clientela, servitium, vel multitudo clientium.

Conclamatum, satis dictum.

Facessere, libenter et cum desiderio facere.

Id propterea, propter id.

Ostentare, vane se jactare vel ostendere.

Propediem, brevi vel cito.

Diem, breve tempus.

Ætatem tempus longum significat adverbialiter.

Debacchari, furere, a furore non cessare.

Despicatus, despectus.

Ærumna, molestia vel miseria.

Flocci facere, contemnere, despicere.

Lacessere, provocare.

Suffarcinatus, succinctus.

Jurandum pro jusjurandum.

Exemplum facere, id est pœnam constituere.

Potesse, potis esse, posse.

Qui pro quæ : *Quivis* pro quævis : *Quisnam* pro quænam.

Sycophanta pro comedone.

Succenturiatus, sub centuria positus.

INDEX AUCTORUM

QUI APUD SCHOLIASTAS ET IN COMMENTARIIS CITANTUR, LAUDAN EMENDANTUR, VEL ILLUSTRANTUR.

ACCIUS, p. xviii. Adel. v. 4. 17.
Acta concilii Chalcedonensis Ms. Eun. iv. 6. 15.
Achilles Tatius, And. ii. 1. 3. · Eun. ii. 3. 74. iii. 1. 23. iii. 5. 32. iv. 5. 6.
Adamantius, Eun. iii. 5. 53.
Adesio, Eun. iv. 4. 22.
Ælianus, And. iv. 4. 30.
Afranius, p. xv. Adelph. iii. 4. 34.
Æschylus, p. xx.
A. Gellius, Phorm. v. 7. 71.
Alcuinus, And. i. 1. 34.
Alexander Aphrodia. And. v. 3. 7.
Alexis, And. v. 4. 17. Hec. iv. 3. 2.
Aldhelmus, Eun. iv. 6. 15.
Ambivius Terentii histrio. Phorm. ii. 2. 1.
Ambrosius, Heaut. ii. 1. 8.
Ammianus Marcell. And. iv. 4. 43.
Amphis, Hec. iii. 4. 11.
Anacreon explicatur. Eun. ii. 3. 66.
Antiphanes, And. i. 1. 43. ii. 2. 32. Eun. ii. 2. 1. Phorm. ii. 1. 47.
Apollodorus, p. xv. And. v. 5. 2. Hec. i. 1. 1. ii. i. 17. iii. 1. 6; 3. 20; 4. 26. Phorm. i. 1. 15; 2. 37. ii. 1. 51. iii. 1. 18; 3. 30. iv. 1. 9. 21; 3. 42. 63.
Apuleius, Eun. i. 2. 5. emendatur. Eun. ii. 3. 26. iv. 5. 6. Heaut. ii. 3. 65. Phorm. iv. 4. 25.
Aristænetus, Eun. iv. 3. 24. Phorm. iii. 2. 20.
Aristides, And. i. 1. 30. 135.
Aristophanes, p. xvi. And. iv. 2. 5. Eun. iii. 5. 43. iv. 4. 22. Phorm. ii. 1. 53.
Aristoteles, And. iv. 1. 58; 4. 30. Phorm. iv. 1. 9.
Arnobius, Eun. iv. 3. 23.
Artemidorus, p. xvii. Eun. i. 2. 5.
Arrianus, And. i. 1. 12. Eun. iii. 5. 38. Adelph. ii. 1. 40.
Asper, p. xiii.* Ad. iii. 2. 25. iv. 2. 20. Phorm. i. 2. 24.
Asterius Episc. Eun. v. 4. 38.
Athenæus, p. xvi. And. p. 6. i. 1. 30.
Augustinus, And. ii. 1. 5. 6. iv. 3. 15. Eun. iii. 5. 36. iv. 3. 24. v. 6. 23. Phorm. iv. 4. 27.
Ausonius, Eun. ii. 3. 26. v. 6. 23. Heaut. ii. 3. 50. Phorm. ii. 1. 11.
Axionicus, Eun. ii. 2. 13.
Calpurnius, Heaut. v. 1. 56.
Cæcilius, And. iv. 5. 10. Eun. iv. 4. 4; 7. 45. Adelph. iv. 5. 34. Hec. prol. alt. 1. 6. 15.
Cælius Sedulius, And. prol. 17.
C. Cæsar. p. xv.
Calliopius recitator Terentii, And. v. 6. 11.
Carcinus Tragicus, Hec. ii. 1. 17.
Cassiodorus, Eun. ii. 3. 24.
Cato, p. xix. seqq. Phorm. iv. 3. 6.
Catullus, And. iv. 3. 3. Eun. ii. 3. 74.
Charisius, p. xiii.*
Cicero, pp. xv. xix. And. prol. 5. 7. 17. 22. i. 1. 16. reprehenditur, i. 1. 41. 86. 107; 3. 1. 13; 5. 2. ii. 1. 19. iii. 3. 33; 4. 3; 5. 12. iv. 1. 1; 5, 14. v. 2. 16; 4. 4. 28. Eun. i. 1. 10; 2. 92. iii. 2. 3. 51; 5. 7. iv. 3. 24; 2. 24; 7. 26. v. 3. 2. Adelph. ii. 1. 9. iii. 3. 8. 47. iv. 5. 47. 51. 58. Hec. ii. 1. 15. 16. 36. iii. 5. 25. 65. iv. 1. 36; 2. 4; 4. 30. v. 2. 13; 3. 13. Phorm. prol. 28. 30. 33. i. 3. 2; 4. 31. 37. 40. ii. 2. 1. 12. 43. iv. 3. 6. 43. 44.
Cincius, p. xx.
Clemens Alexand. ii. 1. 40. Phorm. 26.
Codex Justin. Eun.
Codex Theodos. An. 30.
Columella, Adelph. 33. p. 337.
Concilium Chalced. Eun. iv. 6. 15.
Cornelius Nepos, p.
Cosconius, p. xiv.
Cyrillus, Adel. iv. 7.
Demosthenes, And.
Adelph. iii. 4. 24. i. 2. 18. 75. ii. 3.
Digesta juris, And. 52. Phor. ii. 1. 6.
Dio Cassius, Phorm. 25.
Dio Prusæus, And.
Adelph. iv. 2. 15.
Diodorus Siculus, I. 3. 18.
Diomedes, p. xiii.* And. prol. vi.
2. 4.
Dionysius Halicarn. 1. 34. Eun. iii. Phorm. ii. 1. 53.
Dionysius P. P. E. 7. 19.
Diphilus, Adel. prol. ii. 4. 11.
Duodecim Tabb. E. 3. 9.
Ecloga Basilicor.
2. 32.
Ennius, And. ii. 5. 1. 2. 25. Adelph. i. Hec. i. 2. 60. Ph. 2. 24; 3. 5. ii. 1. 25. iii. 1. 1. v. 4. 39.
Ennodius, And. v.
Epicurus, And. v. 5.
Evanthius, p. xiii.*
Eubulus, And. i. 1.

Expilis, p. xvi. Eun. ii. 2. 20.
Euripides, And. i. 1. 34. Hec. ii. 1. 17.
Fenestella, p. xiii.
Festus, Eun. ii. 3. 22. Hec.
Flav. Caper, p. xiii.*
ii. 1. 41.
Fl. Vopiscus, Eun. iii. 1, 36.
Galenus, Phorm. iv. 1. 9.
Gloss. Philoxeni, And. i. 1, 34; i. 3. 3; ii. 6. 26. Phorm. v. 8. 53.
Glossæ Placidi, Phorm. i. 4. 53. ad Donatum.
Glossæ Latinæ, Eun. ii. 2. 13.
Gunterus, Adelph. iv. 7. 22.
Harmenopulus, And. iv. 4. 32.
Hegias, And. ii. 5. 16.
Helladius, And. iv. 1. 58. p. 307.
Hellanicus, Eun. i. 2. 87.
Herodotus, Eun. iv. 1. 16.
Hesychius, emendatur, Eu. iii. 1. 55.
Hieronymus, And. prol. 22. And. i. 1. 34. p. 304. Eun. prol. 41. Phorm. ii. 1. 81.
Homerus, p. xvi. And. ii. 3. 26. iv. 3. 3. Eun. 2. 5. 38; 7. 33. Adelph. iii. 4. 14; 2. 38. v. 3. 4. Hec. iii. 3. 1. 20.
Horatius, p. xx. Andr. i. 1. 30. ii. 3. 26. iv. 1. 42. v. 3. 32. Eunuch. i. 1. 1; 8. 8. Adelph. ii. 2. 22. iii. 2. 21. iv. 2. 11. Hec. prol. 41. ii. 1. 27. iii. 5. 28. iv. 1. 41; 2. 27. Phorm. ii. 1. 57; iv. 4. 1; 5. 14.
Hortensius, And. i. 1. 107.
Inscriptio vetus. Adelph. iv. 7. 43. p. 216. Phorm. i. 1. 14. ii. 1. 81. v. 8. 66.
Jo. Chrysostomus, And. prol. 27. Phorm. iv. 4. 27.
Jo. Sarisberiensis, Eun. ii. 2. 20. iv. 4. 55; 7. 3. 22. Heaut. i. 1. 25. p. 20. Phorm. iv. 4. 25.
Josephus, Eun. prol. 13. emendatur. Eun. v. 7. 4. Phorm. i. 1. 14.
Irenæus, And. i. 1. 52.
Isidorus Hispal. Phorm. iv. 4. 26.
Isocrates, And. i. 1. 30.
Juba, p. xvi.*
Julianus Imp. Observatt. ad Donat. Phor. ii. 2. 1.
Jul. Firmicus, Phorm. v. 7. 4.
Junius Philargyrius, Phor. i. 1. 9.
Justinus Historicus, Eun. iv. 6. 15.
Juvenalis, Phorm. i. 2. 6. iv. 4. 21.
Labeo, p. xiv.
Lactantius, And. i. 1. 41. Phorm. ii. 1. 19. v. 2. 15.
Lampridius, Adel. iv. 5. 9.
Latinus Pacatus, Phorm. v. 7. 71.
L. Lavinius, And. Prol. 1. Eun. prol. 9. seq. Heaut. prol. 16. 22. 26. 31. Adel. prol. 1. Phorm. prol. 1.
Libanius. Eun. ii. 2. 12. 13. iv. 7. 19. v. 2. 36.
Livius Andronicus, p. xix. seq.
Livius, Phorm. ii. 1. 81.
Lucanus, Eun. ii. 3. 56.
Luitprandus, Eun. ii. 3. 24. Adelph. iii. 3. 18.
Lucianus, And. iv. 1. 20. emendatur. Eun. iii. 1. 55. v. 4. 14. Heaut. ii. 3. 48. Adelph. iv. 7. 34. Phorm. iv. 4. 25.
Lucilius, p. xvi. And. i. 2. 12. ii. 1. 13. 24. iii. 2. 4. v. 4. 38; 6. 12. Eun. ii. 3. 44. iii. 1. 34. iv. 3. 3; 4. 20. v. 2. 60. Adelph. ii. 4. 18. iii. 1. 8. v. 4. 5. Hec. iii. 4. 26. Phorm. i. 2. 3. 73. i. 3. 11; 4. 7. ii. 1. 57; 3. 26. iv. 3. 9. v. 7. 95.
Lucretius, And. i. 2. 4. Eun. iii. 1. 34; 3. 9. iv. 4. 21. Adelph. iv. 2. 37. Phorm. i. 4. 36. ii. 1. 2.
Luscius, vide supra *Lavinius*.
Lysias, And. i. 2. 28.
Macrobius, p. xvi. And. i. 1. 135. Hec. i. 2. 114.
Marcellinus in Hermogen. And. i. 1. 135. Eun. v. 8. 57. Heaut. ii. 3. 35. p. 337.
Marcianus, Phorm. i. 1. 14.
Marius Victorinus, Eun. Prol. 37.
Marius Victor, And. p. 101.
Martialis, And. iv. 1. 1. Phorm. i. 2. 75.
Matt. Blastares Ms. Eun. v. 4. 35.
Memmius, p. xiv.
Menander, And. i. 2. 33. ii. 1. 9; 2. 32; 4. 4; 5. 16; 6. 6. iii. 2. 3; 5. 5. iv. 1. 3. 48. 54; 2. 9; 3. 1. 11; 5. 3. 21. v. 4. 16. 24. Eun. Prol. 36. i. 1. 1. 13. 32; 2. 18. ii. 2. 22. iii. 2. 23; 3. 26; 5. 42. iv. 4. 22; 6. 23; 7. 2. v. 8. 27. Heaut. ii. 3. 52. 73. 101. 118. iii. 1. 98. iv. 2. 8. Adelph. i. 1. 18. ii. 1. 46. iii. 4. 24. v. 8. 15.
Nævius, And. i. 1. 28. Eun. prol. 19. Adel. iv. 1. 5. 21. Phor. i. 2. 24.
Nicetas, And. iv. 1. 20.
Nicolas, Eun. ii. 2. 13.
Nigidius, Phorm. i. 4. 4. ii. 1. 3.
Nonius Marcellus, Hec. v. 4. 8.
Œcumenius, Eun. iv. 6. 25.
Olympiodorus Ms. p. 309.
Pacuvius, Adelph. prol. 16. Phorm. ii. 2. 28.
Persius, And. iv. 4. 30. Adelph. iv. 2. 52.
Petron. Arbiter emendatur, p. 306.
Petrus Blesensis, Phorm. iv. 4. 25.
Petrus Chrysologus, p. 338.
Philemo, And. ii. 1. 9.
Philostratus, p. 307. Eun. prol. 13. iii. 1. 23. p. 520.
Phornutus, p. 308.
Photius, Phorm. iv. 4. 25.
Pindarus, And. i. 1. 34.
Plato, Eun. iii. 2. 23. *Platonica*, Pythagorica vocabula. Eun. ii. 2. 32.
Plautus, And. i. 1. 70. 120; 5. 16. ii. 1. 31; 5. 19. iii. 2. 16. iv. 4. 11. 30. v. 4. 38. Eun. i. 1. 1. 35. ii. 2. 11. 21; 3. 36. iii. 1. 42; 3. 2. iv. 2. 13; 4. 2. 4; 7. 39. v. 3. 3; 6. 12. Adelph. prol. 1. 2. 15. i. 1. 25. iii. 2. 27; 3. 45; 4. 12. 24. iv. 5. 32. Hec. iii. 1. 41. iv. 2. 4. Phor. ii. 2. 29. iii. 1. 5. 20. iv. 4. 28. v. 3. 7; 6. 37; 7. 91.
Plinius, Heaut. iii. 2. 10.
Plutarchus, And. iv. 1. 58. Phorm. ii. 1. 11.
Pomponius, Eun. iv. 3. 7. Heaut. ii. 3. 48.
Popilius, p. xiv.
Porcius, p. xiii.
Posidippus, Hec. iii. 4. 4.
Priscianus, And. i. 1. 28.

Probus, Eun. i. 1. 1. Adel. iii. 2. 25. Hec. Prol. 2. Phorm. i. 1. 15; 3. 3. ii. 3. 25.
Procopius, Phorm. ii. 1. 81.
Prudentius, Eun. ii. 3. 24. Phorm. i. 2. 18.
Pub. Syrus, Phorm. i. 3. 20.
Querolus, Phor. iii. 2. 20.
Quinctilianus, And. p. 101. Eun. ii. 2. 20. iii. 5. 53.
Rufinus, Eun. v. 7. 4.
Sallustius, And. i. 1. 38. 56. 67. 70: 5. 19. ii. 1. 34. iii. 2. 25. iv. 2. 23. v. 1. 9; 4. 4. 36. 43. Eun. i. 1. 29. ii. 2. 10; 3. 21. iii. 1. 11. iv. 6. 12. v. 4. 17. 21; 5. 8; 6. 17. Adel. i. 1. 40. 46. iii. 4. 12. iv. 5. 58. Hec. i. 2. 95. iii. 2. 2. v. 1. 32. Phorm. i. 1. 1. 4; 2. 18. 47. 48. 91; 3, 19; 4. 15. 28. ii. 1. 13. 62; 4. 24. iv. 2. 15. v. 6, 32; 7, 71. 86.
Salvianus Massil. And. ii. 5. 16. Heaut. iv. 6. 1.
Santra, p. xiv.
Scaurus, xvi.*
Scævola emendatur. And. ii. 2. 32.
Scholiastes Aristophanis. And. iv. 1. 58. Phorm. iv. 4. 21.
——— Callimachi, And. iv. 4. 30.
——— Juvenalis, Eun. i. 1. 22.
——— Lucani Ms. Phorm. iv. 4. 21. it. in Observatt. ad Donat. Phorm. ii. 2. 1.
——— Persii, Adelph. iv. 7. 32.
——— Pindari. Eun. v. 8. 57.
Cæl. Sedulius, And. pro. 17.
Seneca, And. i. 1. 50. Eun. iii. 5. 43. Adelph. iii. 2. 8. Phorm. i. 1. 13.
Servius emendatur p. xxxiii. And. p. 7.
Silius Italicus, p. xxxii. Phorm. v. 8. 37.
Simonides, Phorm. v. 8. 45.
Sidonius Apollinar. And. v. 4. 47.
Sisenna, pp. xv.* xvi.*
Socrates, Phorm. ii. 1. 22.
Solinus, And. pag. 6.
Sopater, Phorm. ii. 3. 57.
Sophocles, And. v. 6. 11.
Soranus Ephesinus, And. i. 3. 14.
Sotades, Phorm. ii. 1. 47.
Spartianus, Eun. v. 8. 57.
Statius Papinius, Eun. iii. 5, 41.
Stephanus de Urbib. Eun. v. 5. 17.
Strabo, p. 338.
Suetonius, p. xv. And. i. 3. 14. Phorm. iii. 2, 20.
Suidas, Phorm. iv. 4. 25.
Sulpicius Gallus, p. xiv.
Sulpicius Severus. And. i. 1. 41.
Symmachus, Eun. iv. 7. 21. Phorm. i. 1. 14.
Syrianus, Phorm. ii. 3. 57.
Tacitus, Phorm. i. 2. 35.
Terentianus, p. xv.*
Themistius, Adel. i. 1. 32.
Theocritus, Eun. v. 3. 3. Adelph. iv. 1. 21.
Theodoretus, Phor. iv. 4. 27.
Theognis, Heaut. v. 1. 39.
Theon in Aratum, Eun. iv. 5. 6.
Theophrastus, Phorm. iv. 4. 26. 27.
Thespis, pp. xvi. xx.
Thucydides, Adelph. iii. 3. 32.
Terentius Libo, And. p. 6.
Terentianus, xv.*
Tertullianus, And. i. 1. 41. 52. p. 304. Adelph. i. 1. 20. Hec. iv. 2. 16. Phor. iv. 4. 21.
Tzetzes, Adelph. iv. 7. 21. Phorm. iv. 4. 25.
Tubero, Phorm. ii. 1. 57.
Val. Maximus, Hec. iv. 2. 16. Phorm. iv. 4. 21.
Valgius, p. xv.
Varro, p. xiii.* p. xiv. Eun. ii. 2. 25. emendatur. Eun. iii. 1. 55. iv. 3. 7. Adel. 2. 37. v. 8. 15. 29. Phorm. i. 1. 15.
Vegetius, And. i. 1. 135.
Victorinus, p. xiv.*
Virgilius, And. prol. 1. 3. 4. 8. 16. 24. And. i. 1. 7. 9. 10. 11. 17. 21. 30. 42. 45. 48. 50. 56. 70. 75. 90. 101. 103. 106. 111. 115. 140; 2. 14. 18. 25; 3. 18; 4. 1. 3. 7; 5. 8. 10. 16. 19. 32. 35. 44. 46. 49. 50. 54. 56. 57. 59. ii. 1. 1. 11. 18. 19. 28. 30; 2. 25; 3. 15; 4. 5. 7; 5. 1. 6. 14. 19; 6. 6. 27. iii. 1. 2. 15; 2. 6. 9. 23. 29. 30. 39; 3. 1. 6. 24. 47; 4. 3; 4. 15. 16. 18. iv. 42. 51; 2. 5. 7. 3. 1. 3. 8; 4. 4. 2. 13. v. 2. 24. 19; 4. 8. 32. 3. 6. 7. Eu. pro. 4. 22. 23. 25; 2. 35. 53. 91. ii. 5. 9. 11. 30; 3. 18. 21. 23. 26. 3. 73. 91. iii. 1. 5. 25; 2. 1. 5. 20. 46. 48. iv. 1. 8. 14; 3. 6. 11. 1. 54; 5. 9; 7. 2. 39. 43. v. 1. 2. 36. 60; 4. 24; 49. 51. Adel. 1. 1. 2. 5. ii. 1. 3. 28. 37. 42. 47; 3. 8. 10. iii. 2. 14. 16. 19. 21. 3. 3. 11. 78; 4. 1. 1. 21; 2. 11. 3. 52; 5. 34. 38. 4. v. 3. 3. 4. 8. 6. 3. 6; 8. 6. 15. 25. i. 1. 9; 39. 53. 56. 85. 17; 2. 16; 3. 1. 6. 8. 17. 38; 3. 22. 23. 27. 29; 32. 57. iv. 1. 2. 2. 8. 18; 3. 4; 34. 38. 42. v. 1. 18. 19. 21. 32; 6. 13; 3. 19. 2. 38. Phorm. prol. 13. 18. i. 1. 1. 1. 15; 2. 3. 7. 9. 1. 52. 56. 91; 3. 7. 20. 23. 28. 39. i. 11. 14. 20. 22. 3. 41. 43. 62. 78; 31; 3. 15. 18. 2. 43. 73. iii. 1. 2; iv. 1. 24; 3. 7. 31; 5. 2; 7. 30. 8. 83.
Ulpianus, And. i. Eun. iv. 7. 7. 2. 75.
Ulpianus, in De. Eun. v. 3. 3.
Volcatius, p. xiv.
Volcatius Gallican. v. 4. 20.
Xenophon, And. i.
Zeno Veronens. Eu.
Zenobius, And. And. i. 2. 18. Eun. iii. 5. 37.

ELOGIA VETERUM

DE PUB. TERENTIO.

Varro, Parmenone; Nonius in Poscere.

In argumentis Cæcilius poscit palmam; in ethesin Terentius; in sermonibus Plautus.

Cicero de optimo genere oratorum.

In re quod optimum sit quæritur: in hominibus dicitur, quod est. Itaque licet dicere, et Ennium summum epicum poetam, si cui ita videtur; et Pacuvium tragicum; et Cæcilium fortasse comicum. Unum vero est genus perfecti, a quo qui absunt, genere differunt, ut ab Accio Terentius, sed in eodem non sunt pares.

Et infra.

Iidem et Andriam et Synephebos, nec minus Terentium et Cæcilium, quam Menandrum legunt. Quod est igitur eorum in orationibus e Græco conversis fastidium, nullum cum sit in versibus.

Lib. vii. epist. 3. ad Attic.

Secutus sum, non dico Cæcilium, Mane ut ex portu in Piræeum, malus enim auctor Latinitatis est, sed Terentium, cujus fabellæ, propter elegantiam sermonis putabantur a C. Lælio scribi, Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeum.

In Lælio.

In Andria familiaris meus Terentius dixit.

Horatius lib. Epist. ad Augustum.

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro;
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte;
Hos ediscit, et hos arte stipata theatro
Spectat Roma frequens.

Ovidius lib. ii. Tristium.

Nec liber indicium est animi; sed honesta voluntas
Plurima mulcendis auribus apta refert.
Accius esset atrox: conviva Terentius esset;
Essent pugnaces qui fera bella canunt.

Volcatius Sedigitus, apud A. Gell. lib. xv. cap. 24.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetæ comico cui deferant.
Eum, me judice, errorem dissolvam tibi:
Ut contra si quis sentiat, nihil sentiat.

Cæcilio palmam Statio do comico.
Plautus secundus facile exsuperat cæteros.
Dein Nævius qui servet, pretium tertiu'st.
Si erit, quod quarto, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto sequitur hos loco Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium.

Velleius Paterculus, lib. i.

Dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentium Afranium suppari ætate nituerunt.

Fab. Quinctilian. lib. x. cap 1.

In comœdia maxime claudicamus; licet Varro dicat, Musa Stolonis Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui v licet Cæcilium laudibus ferant: licet Terentii scripta ad Scij Africanum referantur: quæ tamen sunt in hoc genere elegantiss plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent.

Idem Declamat. ix. sive Gladiator.

Terentium, quem inter cæteros captivos, secundo Punico bell pio Africanus vinculis exsolverat, memoriæ tradidere majores, i receptæ libertatis pileo testantem in triumpho ducis esse conspe

Plinius lib. i. epist. 16.

Legit mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat, Plauti Terentium metro solutum legi credidi.

A. Gellius lib. vii. cap. 14.

Vera autem et propria hujusmodi formarum exempla in Lati gua M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lu mediocritatis Terentium.

Idem lib. vii. cap. 21.

Neque magno intervallo postea Q. Ennius, et juxta Cæci Terentius, ac subinde Pacuvius: et Pacuvio jam sene Accius, c que tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit.

Ausonius in protreptico ad Nepotem.

Tu quoque qui Latium lecto sermone Terenti
Comis et adstricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.

Lactant. de falsa sap. cap. 4.

Nemo potest de se recte judicare, quod nobilis poeta testat enim comparatam esse hominum naturam, etc.

Hieron. in Chronico, Olymp. 155. ann. 3.

P. Terentius Carthaginiensis comœdiarum scriptor ob ingen formam libertate donatus, in Arcadia moritur: qui primam Ai antequam Ædilibus, Cæcilio multum se miranti legit.

Idem: de optimo genere interpretandi.

Terentius Menandrum, Plautus et Cæcilius veteres comicos pretati sunt: numquid hærent in verbis? ac non decorem m

elegantiam in translatione conservant, quam veritatem interpretationis.

Idem ad Suniam et Fretellam.

Hanc esse regulam boni interpretis, ut idioma alterius linguæ, suæ linguæ exprimat proprietate · quod quidem et Tullium in Protagora Platonis, et in Œconomico Xenophontis, et in Demosthenis contra Æschinem oratione fecisse convincimus, et Plautum, Terentium, Cæciliumque, eruditissimos viros in Græcis comœdiis transferendis.

Idem ad Paulinum.

Habet unumquodque propositum principes suos. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones: philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem: poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.

Paulus Orosius lib. iv. cap. 19.

Scipio jam tunc cognomento Africanus, triumphans urbem ingressus est, quem Terentius, qui postea comicus, ex nobilibus Carthaginiensium captivis pileatus, quod indultæ sibi libertatis insigne fuit, triumphantem post currum secutus est.

Livius lib. xxx. non comicum hunc intelligit, sed ad Terentium Culleonem senatorem Rom. refert, qui pileo capiti imposito secutus est Scipionem triumphantem; certe de alterutro Quinctiliani etiam locus ex declam. ix. intelligendus est.

Sidonius Apollinar. Carm. xx.

Quid vos eloquii canam Latini,
Arpinas, Patavine, Mantuane,
Et te comica qui doces Terenti,
Et te, tempore qui satus severo,
Graios, Plaute, sales lepore transis.

Rufinus grammaticus Antiochensis.

Agnovit metrum servatque Terentius artem;
Nam prologos trimetro didicit componere versu,
Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

Servius in illud lib. i. Æneid. Talibus incusat.

Sciendum est Terentium, propter solam proprietatem, omnibus comicis esse præpositum; quibus est, quantum ad cætera spectat, inferior.

Fl. Sosipater Charisius lib. ii.

Ἤθη, ut ait Varro de Latino sermone lib. v. nulli alii servare convenit quam Titinnio et Terentio. Πάθη vero Trabea, inquit, et Attilius, et Cæcilius facile moverant.

Isidor. Origin. lib. i. cap. 39.

Fabulas poetæ quasdam delectandi causa finxerunt, quasdam ad naturas rerum, nonnullas ad mores hominum interpretati sunt. Delectandi causa fictas, ut eas quas vulgo dicunt, vel quas Plautus et Terentius composuerunt.

Ex antiquo Cod. Ms. in Bibliotheca Regis Gall.

Natus in excelsis tectis Carthaginis altæ
Romanis ducibus bellica præda fui.

Descripsi mores hominum juvenumque, senumque,
Qualiter et servi decipiant dominos:
Quid meretrix, quid leno dolis confingat avarus;
Hæc quicunque legit, sic, puto, cautus erit.

DE ÆLIO DONATO.

Hieronym. in Chronico Olymp. 284.

Victorinus rhetor et Donatus grammaticus præceptor meus, insignes habentur: e quibus Victorinus etiam statuam in for jano meruit.

Idem Apolog. advers. Rufinum.

Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium co tarios: Vulcatii in orationes Ciceronis: Victorini in dialogos e in Terentii comœdias præceptoris mei Donati, æque in Virgili aliorum in alios; Plautum, Lucretium, Flaccum, Persium, atqu canum. Argue interpretationes eorum, quare non unam expl nem secuti sint, et in eadem re quod vel sibi, vel aliis vi enumerent.

Hieronym. in Eccles. cap. 1.

Comicus ait, Nihil est dictum, quod non sit dictum prius: u præceptor meus Donatus, cum ipsum versiculum exponeret, P inquit, qui ante nos nostra dixerunt.

DE EUGRAPHIO.

Gerbertus quondam scholasticus ad Airardum Epist.

Petitionibus tuis annuimus: nostra ut exsequaris negotia, propria, monemus. Plinius emendetur, Eugraphius recipiatur.

Gerbertus hic postea P P. factus, Sylvester dictus fuit, vixitq Othone III. Imp circa A. C. DCCCCXCVIII. Vid. Fascicul. te Onuphrius Panvin. in chron. Eccles. et alii.

PUBLII TERENTII AFRI

. CARTHAGINIENSIS VITA.

[1]Auctore Ælio Donato V. C.

Publius Terentius Afer, Carthagine natus, servivit Romæ Terentio Lucano senatori; a quo ob ingenium et formam, non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus est. Quidam captum esse existimant; quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella docet: quum inter finem secundi belli Punici, et initium tertii natus sit, et mortuus: nec si a Numidis aut Getulis captus sit, ad ducem Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros, nisi post deletam Carthaginem, cœpto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano, et C. Lælio: quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur. Quod et ipsum Fenestella arguit, contendens utroque majorem natu fuisse. Quamvis et Cornelius Nepos æquales omnes fuisse tradat, et Porcius suspicionem de consuetudine per hæc faciat:

[2]Dum lasciviam nobilium et fucosas laudes petit:
Dum Africani [3]voce divina inhiat avidis auribus:
Dum ad Furium se cœnitare et Lælium, pulchrum putat:
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum [4]rapi
[5]Ob florem ætatis suæ: ipsus sublatis rebus ad summam
Inopiam redactus est.
Itaque e conspectu omnium abiit in Græciam, in terram ultimam.
Mortuus est in Stymphalo, Arcadiæ oppido: nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius;
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Scripsit comœdias sex: ex quibus primam Andriam cum ædilibus daret, jussus ante [6]Cærio recitare. Ad cœnantem cum venisset, dictus est, initium quidem fabulæ, quod erat contemtiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse: post paucos vero versus invitatus, ut

[1] Alii hanc vitam tribuunt Suetonio Tranquillo. Cæterum quas hic additas vides, lector benevole, notulas Tan. Fabri, excerpsimus ex edit. Westerhovii. Z.

[2] *Lascivia* hic significat lusus liberiores, joca, convivia, et alia, quæ tenuioribus hominibus sunt denegata; sed summis viris, qui eleganti ingenio sint præditi, et concessa sunt, et bene succedunt. Fab.

[3] Alii legunt *vocem divinam*, quod præferendum esse videtur. Z.

[4] *Rapi* est rheda aut equo vehi. Sic Horat. Serm. i. 5. *Quatuor hinc rapimur viginti et millia rhedis.* Fab.

[5] Hunc et sequentem versum Westerh., duce Fabro, in unum contractum edidit sic: *Ob florem ætatis suæ: ad summam inopiam redactus est.* Z.

[6] Westerhovius recte edidit *Cæcilio*, ut paulo post *Cæcilii*. Z.

accumberet, cœnasse una; deinde cætera percurrisse, non sine Cærii admiratione. Et hanc autem, et quinque reliquas æqual pulo probavit; quamvis Volcatius de enumeratione omnium ita *Sumetur Hecyra sexta ex his fabula.*

Eunuchus quidem bis die acta est; meruitque pretium, q nulla antea cujusquam comœdia, id est, octo millia nummum; pr summa quoque [7] titulo adscribitur. Nam Adelphorum principiu etiam præfert principio Menandri. Non obscura fama est, Terentium in scriptis a Lælio et Scipione, quibuscum fam vixit. Eandem ipse auxit. Nunquam enim, nisi leviter, se tu natur, ut in prologo Adelphorum:

Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Hunc adjutare, assidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam: cum illis placet,
Qui vobis universis, et populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat Lælio et non ingratam esse hanc opinionem; quæ tamen magis et u posteriora tempora valuit.

Q. Memmius in oratione pro se ait: *Pub. Africanus, qui a personam mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius in scena lit.* Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Lælium quo Puteolano [8] Kal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut beret, petiisse ab ea ne interpellaretur: serius tandem ingress clinium dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi: rogatum ut scripta illa proferret, pronunciasse versus qui Heautontimorumeno:

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adjutorib guerit, non tam Scipione et Lælio uti potuisse, qui tunc adole fuere: quam C. Sulpitio Gallo homine docto, [9] et qui consu ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel Q. Fabio Lab M. Popilio, consulari utroque, ac poeta. Ideo ipsum non juve signasse, qui se adjuvisse dicerentur: sed viros, quorum opera bello, et in otio, et in negotio populus sit expertus. Post ed mœdias nondum quintum atque trigesimum egressus annum evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere: se piendi Græcorum instituta moresque, quos perinde exprim scriptis, egressus urbem est, neque amplius rediit. De mo Volcatius tradit:

Sed ut Afer sex populo dedit comœdias,
Iter hinc in Asiam fecit: [1] navim cum semel
Conscendit, visus nunquam est: sic vita vacat.

[2] Q. Cosconius redeuntem a Græcia periisse in mari dicit c

[7] *Titulus*, h. l. Didascaliam significat. Ergo, ut hodie editur, mutila est. FAB.

[8] *Kalendis Martiis*] Quia hoc die regnum matronarum erat. FAB.

[9] *Et qui consularibus*] Ms. R. *cujus consularibus*. L. Muretus conjicit *Consualibus ludis*: sed Faber vult legi *Cerea*

[1] *Navim cum semel*] Ms. Dan *vim ut semel*. L.

[2] *Qu. Cosconius*] Ita ex Mss. vulg. hactenus fuit *Consentius*. um laudat Varro de Ling. Lat. l

tum et octo fabulis, conversis a Menandro. Cæteri [3]mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo, sive Leucadia tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coss. morbo implicitum acri, dolore ac tædio [4]amissarum sarcinarum, quas in navi præmiserat, ac simul fabularum quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quæ post equiti Romano nupsit. Item hortulos xx. jugerum, via Appia ad Martis villam: quo magis miror, Porcium scribere:

nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius;
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Hunc Afranius quidem omnibus comicis præfert, scribens in Compitalibus, *Terentio non similem dices quempiam.*

Volcatius autem non solum Nævio, et Plauto, et Cæcilio [5]sed Licinio quoque postponit. [6]Cicero in Limone hactenus laudat:

Tu quoque, qui solus lecto sermone Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
[7]In medio populi sedatis vocibus effers;
[8]Quicquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Item C. Cæsar.

Tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator,
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis
Comica, ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac [9]despectus parte jaceres!
Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

Hæc Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios poetas fuisse scribit Metius, quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis fabulas edidisse Terentium, Valgius in Actæone ait:

Hæ quæ vocantur fabulæ, [1]cujæ sunt?
Non has, qui jura [2]populis end' ibus dabat *
Honore summo affectus fecit fabulas.

Duæ ab Apollodoro translatæ esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra: quatuor reliquæ a Menandro: ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus fabula: Hecyra sæpe exclusa, vix acta est.

[3] *Mortuum esse in Arcadiæ*] Alii *in Arcadia Stymphali sinu.* Ausonius ad Ursulam de senario numero: *Protulit in scenam quot dramata fabellarum, Arcadiæ medio qui jacet in gremio.* L.

[4] *Amissarum sarcinarum*] Nil verius hac lectione, quam omnes scripti codd. præferunt, excepto uno in quo *fabularum* erat. Vulgo hactenus legitur *satyrarum;* sed id ne titivilitii quidem. L.

[5] *Sed Licinio*] Ms. *sed Livio.* L.

[6] Puto hunc Ciceronis librum nihil continuisse, nisi epigrammata in viros claros, quocunque in genere præstantiæ sibi nomen parassent. Fab.

[7] *In medio populi*] Ms. Dan. *In medium nobis sedatis, etc.* L.

[8] *Quicquid come*] Ms. Dan. *Quiddam come:* al. *Quicquod.* L.

[9] *Despectus parte*] Ms. Dan. *despecta parte.* L.

[1] *Cujæ sunt?*] Sic libr. Dan. al. *cujus sunt?* L.

[2] *Populis end' ibus dabat*] Ita Mss. Danielis. vulg. *petentibus dabat:* al. *recensentibus.* L.

[1]DE TRAGŒDIA ET COMŒDIA.

Initium tragœdiæ et comœdiæ a rebus divinis est inchoatu bus pro fructibus vota solventes operabantur antiqui. Nam jam altaribus, et admoto hirco, id genus carminis, quod sace: reddebat libero patri, tragœdia dicebatur, vel ἀπὸ τοῦ τράγου ᾠδῆς, hoc est, ab hirco, hoste vinearum, et a cantilena. Ejus i apud Virgilium plena fit mentio. Vel quod hirco donabatur minis poeta: vel quod uter ejus musti plenus solemne præmi toribus fuerat; vel quod ora sua fecibus perlinebant scen usum personarum, ab Æschylo repertum. Feces enim [2] Græce τρύγες. Et his quidem causis tragœdiæ nomen est in At vero nondum coactis in urbem Atheniensibus, cum [4]Apo mio, vel AFyAΘῶ * id est, pastorum vicinorumque præsidi D structis aris in honorem divinæ rei circum Atticæ vicos, villa: et compita [5]festum carmen solenniter cantarent: orta est ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς composito nomine, vel ἀπὸ τοῦ κω ᾄδειν, quod est, comessatum ire cantantes: quod a poetis sole vel amatorie lascivientibus choris comicis non absurdum est. ut rerum, ita etiam temporum ipsorum cœpto ordine tragœdi prolata esse cognoscitur. Nam ut ab incultis et feris moribu tim perventum est ad mansuetudinem, urbesque sunt conditæ mitior atque otiosior processit: ita res tragicæ longe ante inventæ. Quamvis autem retro prisca volventibus reperiatur tragœdiæ primus inventor: et comœdiæ veteris pater Eupo Cratino Aristophaneque esse dicatur. Homerus tamen, omnis poeticæ largissimus fons est, etiam his carminibus præbuit, et velut quadam suorum operum lege præscripsit: dem instar tragœdiæ, Odysseam ad imaginem comœdiæ fecis

[1] Quæ hic de tragœdia et comœdia referuntur, ea non ut alii ex Cornuto vel Aspro desumta, sed ex Evanthii commentario in Terentium selecta esse arbitror. Ejusceque rei evidentissimum argumentum est, quod sub hujus eruditissimi grammatici nomine (quem iisdem cum Donato temporibus, hoc est Olymp. 285. regnante Constantio fil. Constantini, C P. floruisse notat Hieronym.) hæc verba afferat Rufinus Antiochensis grammat. lib. de metris Terentianis: *Concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro.* Et postea sic: *Veteres etsi usi ipsi quoque metris, etc.* Quæ ipsissima in hisce prolegomenis nunc leguntur. L.

[2] Καὶ τῆς ᾠδῆς] Hoc ex Mss. additum. L.

[3] Dicuntur Græce ΤΡΥΓΕC] Athen. lib. ii. Ἀπὸ μέθη, καὶ ἡ τῆς κωμῳδίας, καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη, καὶ κατ' αὐτὸν τὸν τῆς τρύγης καιρὸν, ἀφ' οὗ δὴ καὶ τρ πρῶτον ἐκλήθη ἡ κωμῳδία. Vid. Magnum in Τραγῳδία. L.

[4] Apollini Nomio, vel AFyA est scriptura priscorum codd. q genda videtur hoc modo: *Apoll vel Agyieo.* De Apolline Nomi Georgicor. ad illa verba, *auditq Apollo.* Ἀγυιὰς autem Elei ap teste Pausania in Eliacis, τοὺς ναῶν καλουμένους στενωπούς. Apollo Agyieus, de quo fus Horat. Carm. lib. iv. Od. 6. *L ieus* et ibi Porphyr. Macrob. lib. i. cap. 9. Postea sic legitu *pastorum vicinorum Deo:* ubi in *vicinorumque præsidi Deo.* L.

[5] *Festum carmen*] In Ms. D *vum carmen sollemniter cantare* τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς coma *tata est, ut opinor a pagis et canti posito nomine, vel* ἀπὸ τοῦ κωμ L.

stratur. Nam post illius tale tantumque documentum, ab ingeniosissimis imitatoribus et digesta sunt in ordinem, et divisa ea, quæ etiam tum temere scribebantur adhuc impolita, atque in ipsis rudimentis haudquaquam, ut postea facta sunt, decora atque lævia. At nos ea, quæ proprie de tragœdia dicenda sunt, titulo propositi operis instantes, in alia tempora differamus: et de his fabulis jam loquamur, quas Terentius imitatus est. Postquam demonstrandæ originis causa de utriusque generis initio diximus: quod necesse est jam dicemus.

Comœdia fere vetus, ut ipsa quoque olim tragœdia, simplex carmen (quemadmodum jam diximus) fuit: quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc consistens, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat. Sed primo una persona substituta est cantoribus, quæ respondens alternis choro, locupletavit variavitque rem musicam: tum altera, tum tertia, ut ad postremum crescente numero, per auctores diversos, personæ, pallæ, cothurni, socci, et cæteri ornatus atque insignia scenicorum reperta: et ad hoc unicuique suus habitus: et ad ultimum qui primarum partium, qui secundarum, et tertiarum, qui quartarum atque quinctarum actores essent, distributa et divisa quinquepartito tota est fabula: quæ tamen in ipsis ortus sui velut quibusdam incunabilis, et vix dum incipiens, [6] *κωμῳδία ἐτεώνιος καὶ ἀρχαία* dicta est: *ἀρχαία* idcirco, quia est de nobis parum cognitis vitiis: [7] *ἐτεώνιος* autem, quia inest in ea velut historica fides veræ narrationis, et denominatio omnium, de quibus libere describebatur. Etenim per priscos poetas, non ut nunc, penitus ficta argumenta: sed res gestæ a civibus palam cum eorum sæpe, qui gesserant, nomine decantabantur. Ideo ipsa suo tempore moribus multum profuit civitatis: cum unusquisque caveret, culpa ne spectaculo cæteris esset, et domestico probro. Sed cum poetæ abuti licentius stilo, et [8] passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata siluere. Et hinc deinde aliud genus fabulæ, id est, satyra sumsit exordium: quæ a satyris, quos illotos semper ac petulantes deos scimus esse, vocitata est: etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. Hæc, quæ satyra dicitur, ejusmodi fuit, ut in ea quamvis duro et veluti agresti joco, de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. Quod item genus comœdiæ multis obfuit poetis, cum in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta describisse in pejus, ac deformasse genus stilo carminis: quod primo Lucilius novo conscripsit modo, ut poesin inde faceret, id est, unius carminis plures libros. Hoc igitur, quo supra diximus modo, coacti omittere satyram, aliud genus carminis *τὴν νέαν κωμῳδίαν*, hoc est, novam comœdiam reperere poetæ; quæ argumento communi magis, et generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret: et minus amaritudinis spectatoribus, et eadem opera multum delectationis afferret: concinna argumento, consuetudine congrua,

[6] *Κωμῳδία ἐτεώνυμος καὶ ἀρχαία*] Mss. *ἀρχαία κωμῳδία* et EPONOMATOS. L.

[7] *Ετεώνυμος autem*] Mss. EPONOMATOS *autem*. L.

[8] *Passim lædere ex libidine*] Veteris comœdiæ scommata et maledicta eleganter Artemidor. lib. i. cap. 58. *τὸ δὲ κωμῳδῶν ἀκούειν, ἢ κωμικὰ ἔχειν ἀναπλάσματα, ἢ βιβλία, τὰ μὲν τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας σκώμματα, καὶ παραχὰς, καὶ στάσεις, καὶ αἰσχρολογίας σημαίνει. τὰ δὲ τῆς κάθ' ἡμᾶς κωμῳδίας, τὰ μὲν ἄλλα ἴσα τῇ τραγῳδίᾳ σημαίνει, τὰ δὲ τέλη χρηστὰ καὶ ἀγαθὰ ὑπαγορεύει· τοιαῦτα γὰρ αἱ ὑποθέσεις τῶν δραμάτων.* Vide Schol. Aristophan. L.

utilis sententiis, grata salibus, apta metro. Ut igitur superior
suis quæque celebrantur auctoribus: ita hæc νέα κωμῳδία cum
rum antea, tum præcipue Menandri, Terentiique est: de qu
multa dicenda sint, sat erit tamen velut admonendi lectoris causa
de arte comica veterum chartis continetur, exponere. Comœdia
ut ab initio chorus fuit, paulatimque personarum numero in q
actus processit: ita paulatim velut attrito atque extenuato ch
novam comœdiam sic pervenit, ut in ea non modo non inducatur c
sed ne locus quidem ullus jam relinquatur choro. Nam pos
otioso tempore fastidiosior spectator effectus, tunc cum ad canto
actoribus fabula transibat, consurgere et abire cœpisset: adi
poetas primo quidem choros prætermittere, locum eis relinqu
ut Menander fecit, hac de causa, non ut alii existimant, alia.
remo ne locum quidem reliquerunt: quod Latini fecerunt comici
apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile est. Tum
Græci prologus non habent more nostrorum, quos Latini h
Deinde θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς, id est, Deos argumentis narrandis machi
cæteri Latini instar Græcorum habent: Terentius non habet
hoc προτατικὰ πρόσωπα, id est, personas extra argumentum arce
non facile cæteri habent: quibus Terentius sæpe utitur, ut per
inductiones facile pateat argumentum. Veteres, etsi ipsi quo
metris negligentius egerunt iambici versus, duntaxat in secu
quarto loco: tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus
quantum potest, comminuti ad imaginem prosæ orationis. Tur
sonarum leges circa habitum, ætatem, officium, partes agendi,
diligentius Terentio custodivit. Quinetiam solus ausus est c
fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra præs
comica meretrices interdum non malas introducere: quibus
cur bonæ sint, et voluptas per ipsum et causa non desit. Hæ
artificiosissima Terentius fecerit: tum illud est admirandum, q
morem retinuit, ut comœdiam scriberet: et temperavit affectum,
tragœdiam transiliret: quod cum aliis rebus minime obtentu
Plauto, et ab Afranio, et Accio, et multis fere magnis comicis i
mus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod ej
bulæ eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam
tudinem, neque abjiciantur ad mimicam vilitatem. Adde quo
abstrusum ab eo ponitur: aut quod ab historicis requirendum sit,
sæpius Plautus facit, et eo est obscurior in pluribus locis. Adde
argumenti ac stili ita attente memor est, ut nusquam [9]non caver
curaverit ea, quæ obesse potuerunt: tum quod media primis
postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se t
et uno corpore videatur esse compositum. Illud quoque mira
eo primo, quod non ita miscet personas quatuor, ut obscura sit
distinctio. Et item quod nihil ad populum facit actorem, vel
tragœdia loqui: quod vitium Plauti frequentissimum est. Illud
inter cætera ejus laude dignum videtur, quod locupletiora argu
ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam excepta H
in qua unius Pamphili amor est, cæteræ quinque binos adolesce
habent. Illud vero tenendum est, post νέαν κωμῳδίαν Latinos
fabularum genera protulisse: ut togatas, a scenicis atque argu

[9] *Non caverit, aut curaverit*] Ms. Dan. *non aut caverit, aut curaverit.* L.

Latinis: prætextatas, ab dignitate personarum, et Latina historia: Atellanas, a civitate Campaniæ, ubi actitatæ sunt plurimæ: Rhyntonicas, ab actoris nomine: tabernarias, ab humilitate argumenti et stili: mimos, ab diuturna imitatione vilium rerum et levium personarum. Inter tragœdiam autem et comœdiam cum multa, tum in primis hoc distat: quod in comœdia mediocres fortunæ hominum, parvi impetus periculaque, lætique sunt exitus actionum. At in tragœdia, omnia contraria, ingentes personæ, magni timores, exitus funesti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla ultima. In tragœdia contrario ordine res aguntur. Tum quod in tragœdia, fugienda vita; in comœdia, capessenda exprimitur. Postremo, quod omnis comœdia de fictis est argumentis: tragœdia sæpe ab historica fide petitur. Latinæ fabulæ primo a Livio Andronico scriptæ sunt, adeo ut ad has res etiam tum recentes idem et poeta et actor fabularum suarum fuisset. Comœdiæ autem motoriæ sunt, aut stataríæ, aut mistæ. Motoriæ, turbulentæ: stataríæ, quietiores: mistæ, ex utroque actu consistentes. Comœdia per quatuor partes dividitur, prologum, protasin, epitasin, catastrophem. Prologus est velut præfatio quædam fabulæ: in quo solo licet, præter argumentum aliquid ad populum, vel ex poetæ, vel ex ipsius fabulæ, vel ex actoris commodo, loqui. Protasis primus est actus, initiumque dramatis. Epitasis incrementum processusque turbarum: ac totius, ut ita dixerim, motus erroris. Catastrophe conversio rerum est ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum.

[1] *Comœdia* est fabula diversa instituta continens, affectuumque civilium ac privatorum: quibus discitur quid sit in vita utile, quid contra evitandum. [2] Hanc Græci sic definiere, *κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν, καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή*. Comœdiam esse Cicero ait, *imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis*. Comœdiæ autem a more antiquo dictæ: quia in vicis hujusmodi carmina initio agebantur, apud Græcos: ut in Italia compitalitiis ludicris, admisto pronunciationis modulo, quo, dum actus commutantur, [3] populus detinebatur. Aut *ἀπὸ τῶν κωμῶν*, hoc est, ab actu vitæ hominum, qui in vicis habitabant, ob mediocritatem fortunarum: non in aulis regiis, ut sunt personæ tragicæ. Comœdia vero, quia poema sub imitatione vitæ atque morum similitudine compositum est, in gestu et pronunciatione consistit. Comœdiam apud Græcos dubium est quis invenerit primus: apud Latinos certum est. Comœdiam et tragœdiam togatam primo Livius Andronicus reperit: aitque, *comœdiam esse quotidianæ vitæ speculum*: nec injuria. Nam ut intenti speculo veritatis lineamenta facile per imagines colligimus: ita lectione comœdiæ imitationem vitæ consuetudinisque non ægerrime animadvertimus. Hujus autem originis ratio ab exteris civitatibus moribusque pervenit. Athenienses namque Atticam custodientes elegantiam, cum vellent male viventes notare, in vicos et compita ex omnibus locis læti alacresque veniebant: ibique cum nominibus singulorum vitam publicabant: unde nomen compositum, ut comœdia vocaretur. Hæc autem carmina in

[1] *Comœdia est fabula*] In Mss. sic est *De comœdia. Comœdia est f.* Adeo ut quæ sequuntur, non Evanthii amplius, sed alterius auctoris esse videantur. L. Westerhovius nomine *Fragmenti Donati* edidit: satis audacter. Z.

[2] *Hanc Græci sic definiere*] Diomed. Gram. lib. iii. ubi eadem definito habetur, *καὶ πολιτικῶν* non addit. L.

[3] *Populus detinebatur*] Ms. *populus attinebatur*, ut et inf. L.

pratis primum mollibus agebantur. Nec deerant præmia, quib scribendum doctorum provocarentur ingenia: sed et actoribus m offerebantur, quo libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinem mendationis uterentur. Caper namque pro donis his dabatur vitibus noxium animal habebatur: a quo etiam tragœdiæ nome ortum est. Nonnulli autem ex amurca olei fece, quæ est humor tilis, tragœdiam dici vocarique maluerunt. Qui ludi cum per ar in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipsi comœdiarum trag rumque scriptores hujus dei, velut patris numen colere venera cœperunt. Cujus rei probabilis ratio extitit. Ita enim carmi choata proferebantur, ut per ea laudes ejus, et facta gloriosa cel proferrique constaret: tum paulatim fama hujus artis incr Thespis autem primus hæc scripta in omnium notitiam pr Postea Æschylus secutus exemplum, publicavit: de quibus ita l tius in arte poetica loquitur:

Ignotum tragicæ genus invenisse camœnæ
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti fecibus ora.
Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis:
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit vetus his comœdia non sine multa
Laude: sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi: lex est accepta; chorusque
Turpiter obticuit sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poetæ:
Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

Fabula generale nomen est, ejus duæ primæ partes sunt, trag et comœdia. Si Latina argumentatio sit, prætexata dicitur. Com autem multas species habet. Aut enim palliata est, aut togata tabernaria, aut Atellana, aut mimus, aut rhintonica, aut planip Planipedia autem dicta, ob humilitatem argumenti ejus, ac vili actorum, qui non cothurno aut socco utuntur in scena aut pu sed plano pede: vel ideo quod non ea negotia continet, quæ per rum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in pla humili loco. Personati primi egisse dicuntur comœdiam Cinci Faliscus: tragœdiam [4]Minutius et Prothonius. Omnium auten mœdiarum scripta ex quatuor rebus omnino sumuntur; nomine, facto, eventu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epid Loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina. Facto, ut Eunuchus, A ria, Captivi. Eventu, Commorientes, Adelphi, Heautontimorum Comœdiarum formæ sunt tres, palliatæ, Græcum habitum fere quas nonnulli tabernarias vocant. Togatæ, juxta formam person habitum togarum desiderantes. Attellanæ, salibus et jocis compo quæ in se non habent nisi vetustam elegantiam. Comœdia auter viditur in quatuor partes, prologum, protasin, epitasin, catastro Prologus est prima dictio, a Græcis [5]dicta πρόλογος, id est, antece veram fabulæ compositionem elocutio. Ejus species quatuor s

[4] *Minutius et Prothonius*] Ms. *Minutius et Prothimus.* L.

[5] *Dicta πρόλογος*] Ms. *Dicta πρῶτ γος.* L.

ἐπιτατικὸς, commendatitius: quo fabula vel poeta commendatur: [6] ἀναφορικὸς, relativus: quo aut adversario maledicta, aut gratiæ populo referuntur: [7] ὑποθετικὸς, argumentativus: fabulæ argumentum exponens: μικτὸς, mistus: omnia hæc in se continens. Inter prologum et prologium quidam hoc interesse voluerunt: quia prologus est velut præfatio quædam fabulæ, in quo solo scilicet præter argumentum, aliquid ad populum vel ex poeta, vel ex ipsius fabulæ vel actoris commodo loquitur. Prologium autem est, cum tantum de argumento dicitur. Protasis est primus actus initiumque dramatis, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi exspectationem tenendam. Epitasis est incrementum processusque turbarum, ac totius ut ita dixerim nodus erroris. Catastrophe est conversio rerum ad jocundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum. In plerisque fabulis ipsarum nomina priora ponebantur, quam poetarum: in nonnullis poetarum, quam fabularum. Cujus moris diversitatem antiquitas probat. Nam cum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronunciabantur ante, quam poetæ pronunciarentur, ne aliqua invidia a scribendo deterreri possent. Cum autem per editionem multarum poetæ jam esset auctoritas acquisita, rursus priora poetarum nomina proferebantur: ut per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur.

Actas diversis ludis manifestum et inscribi. Nam ludorum quatuor sunt species, quos curules ædiles munere publico curant: Megalenses, magnis diis consecrati, quos Græci [8] μεγαλησίους appellant: Funebres, ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plene instruitur: Plebei, qui pro salute plebis eduntur: Apollinares, Apollini consecrati. In scena duæ aræ poni solebant, dextra Liberi, sinistra ejus dei, cui ludi fiebant: unde Terentius in Andria ait, *Ex ara hac sume verbenas.*

Hinc Ulyssem palliatum semper inducunt: sive quod aliquando insaniam simulavit: quo tempore tectum se esse voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire; seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusque plurimum sociis profuit. Hujus enim virtutis erat, animi semper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolas, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant. Achillis et Neoptolemi personæ diademata habent: quamvis regalia sceptra nunquam tenuerint: cujus argumenti probatio talis inducitur, quod nunquam cum reliqua Græciæ juventute ad gerenda cum Trojanis bella, sacramenta conjurationis inierunt, nec unquam sub Agamemnonis imperio fuerunt.

Comicis senibus [9] candidus vestitus inducitur, quod is antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentibus discolor attribuitur. Servi comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditiores agant. Parasiti cum intortis palliis veniunt. Læto vestitus candidus: ærumnoso obsoletus: purpureus diviti: pauperi phœniceus datur: militi clamis purpurea: puellæ habitus peregrinus inducitur.

[6] Ἀναφορικὸς] Ms. ἐπιτιμητικός. L.

[7] Ὑποθετικὸς] Ms. δραματικός. Quæ mox sequuntur, ex collectaneis Regii exemplaris immutata sunt. L.

[8] Μεγαλησιοὺς *appellant*] Ms. ΜΕΠΟΥCΙΟΥC. Videtur legendum (ut et in Pith. lib. emendatum erat) μεγάλους σιούς. Vult Megalenses ludos nomen invenisse ἀπὸ τῶν μεγάλων σιῶν: hoc est, dis magnis. Nam Doribus, ut et Plato et Aristoteles testantur, σιὸς est deus. L.

[9] *Candidus vestitus*] De vestitu comico vid. Pollucem. L.

Leno pallio varii coloris utitur. Meretrici ob avaritiam luteum Syrmata dicta sunt ab eo, quod trahuntur: quæ res ab scenica l instituta est. Eadem in luctuosis personis incuriam sui per ne tiam significant. Aulæa quoque in scena intexta sternuntur pictus ornatus erat, [1]ex Attalica Regia Romam usque perlatu quibus siparia ætas posterior accepit. Est autem [2]mimicum quod populo obsistit, dum fabularum actus commutantur. D histriones pronunciabant. Cantica vero temperabantur modis poeta, sed a perito artis musicæ factis. Neque enim omnia modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis. Ut signific tres numeros in comœdiis ponunt, qui tres continent mutatos cantici illius. Qui hujusmodi modos faciebant, nomen in pr fabulæ et scriptoris et actoris superponebant. Hujusmodi ade mina ad tibias fiebant, ut his auditis, multi ex populo ante dis quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribu antecedens titulus pronunciaretur. Agebantur autem tibiis p aut imparibus, et dextris aut sinistris. Dextræ autem tibiæ su vitate seriam comœdiæ dictionem pronunciabant. Sinistræ et s acuminis levitate jocum in comœdia ostendebant. Ubi autem et sinistra acta fabula inscribebatur, mistim joci et gravitates ciabantur.

PUBLII TERENTII VITA

QUAM E CODICE MS. OXONIENSI DESCRIPSIT ABR. GRONC

Comicus genere quidem exstitit Afer, civis vero Carthagin Scipione autem remeante victore Carthagine ad urbem Roma interfectionem Hannibalis, iste qui cum aliis multis Carthaginie comprehensus fuerat, ante currum Scipionis ligatis retro m minatus est, ut captivus, sed currum illius pileatus prosequutus urbem, quod erat in signum libertatis. Nam quicunque capti a victore libertate potiretur, pileum in capite habens currum prosequebatur; ut enim a Scipione agnitus est liberali ingenio, s tia florere, in tanto honore, tanta gratia apud eum habitus est, p tim cum liberis genitoribus ortus esset, ut ei eandem libertate cederet, atque inter domesticos suos præcipuam familiarita donaret. Romæ autem dum moraretur, et videret frequenter po in theatrum ad spectaculum convenire; ea ratione atque inte exorsus est comœdiam scribere, ut populo recitationem fabu suarum conferret, sibique eum conciliaret: sed quum cœpissent ejus recitari, longe aliter visum est, quam sperasset, quia æmulos propter hoc contra se excitavit, qui ejus dicta reprehend Scripsit autem nitidissimo stilo sex fabulas, ex unaquaque

[1] *Ex Attalica Regia*] Sil. Italicus, lib. xiv.—*quæque Attalicis variata per artem Aulæis scribuntur acu.*

[2] *Mimicum velum*] Hæc vera est lectio. Apul. *Siparium mimicum dimoveto.* Quinctilian. lib. vi. cap. 4. *Cum ejus accusator in siparii omnibus locis, aut nudum nervo, aut ab amicis redemtum ex al isset.* Hæc eadem vox restitue Servio in Georg. Virgil. Vid. Juvenal. Scholiast. ad Satyr. 8. L.

librum determinans; quas licet multi negent, mentiuntur, teste Prisciano, qui de metris Terentianis loquitur, et insuper in libro grammaticæ sæpe dicit, cujus genere metri constat exemplum, quod ponit; nec non etiam teste Ruphino in eo libro, quem de metris scripsit: ipse quoque nihilominus in prologis se poetam vocat. Omnes quidem ejus libri permaxime iambico metro constant, licet non uniformi. Prologi vero omnium librorum ternario iambico catelectico compositi sunt, sex pedibus pro tribus computatis. Nam diversa sunt genera iambici metri. Est enim monometrum, quod constat duobus iambis: est dimetrum, quod quatuor: est trimetrum, quod sex: est tetrametrum, quod octo: est pentametrum, sed raro invenitur: in quibus ista lex observatur, ut semper duo iambi pro uno pede computentur, ob celeritatem temporis, quam occupant, teste Horatio in libro pocticæ. Imitatur autem Nævium, Plautum, Ennium, veteres comicos, præcipueque Menandrum, qui longe ante ipsum duas fabulas descripsit, in quas transtulit quædam ex Perinthia illius, quæ convenere tam in sensu, quam in stilo: idcircoque graviter reprehendebatur ab æmulis. At tamen notandum, inter omnes comicos istum Terentium ab hoc principalitatem possidere, quum proprietatem verborum præ omnibus observavit. Illud etiam animadvertendum, has fabulas non ab ipso recitatas esse in senatu (scena Z.), sed a Calliopio clarissimo viro, satisque erudito, cui ipse præcipue adhærebat, cujusque ope sustentabatur, et auctoritate audiebatur. Modulator autem harum fabularum fuit Flaccus, quotiescunque enim recitabantur, erat modulator, et alii, qui gestu corporis eosdem affectus agebant. Comœdia enim ita constat, ut non res gestas more historiarum narret, sed ex colloquutione personarum res gesta comprehendatur, quasi inter eos tunc agatur. Hoc quoque notandum, quia non absque re imagines Terentianæ turgido et inflato ore pinguntur. Facundia enim et affluens eloquentia comicorum per hoc innitur, quia fastuosi loquuntur, ut Horatius,

Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Nomina autem fabularum, sive librorum hujus comici sunt ista: Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Adelphoe, Hecyra, Phormio.

PUBLII TERENTII VITA

DE DICTIS D. F. PETRARCHÆ QUÆ EST IN EDITIONE MEDIOLANENSI ANNI MCCCCLXXVI.

De Terentii vita in antiquis libris multa reperiuntur; plura etiam in modernis, scripta per varios scholiasticos rerum ignaros: eoque veris falsa miscentur. Illud primum rei totius fundamentum. Multi ponunt Carthaginiensem patria fuisse Terentium. Quod haud dubie verum est, sicut epitaphium ejus clare indicat. Quamvis hoc ipsum quidam negent, ut inferius patebit. Cæterum et qui hoc dicunt, vero huic falsum illud implicant. Dicunt enim Scipione Romam revertente eversa Carthagine, interfecto Annibale, hunc Terentium inter cæteros captivos solutum et pileatum incessisse post triumphalem Scipionis currum. Quæ res multipliciter a veritate semota est. Nam in primis

Scipio Carthaginem quidem vicit, et tributariam fecit, non tamen ipsam Carthaginem ; sed nepos ejus adoptivus, Africanu Annibalem præterea bello vicit, fugavitque, sed nequaquam in Nempe qui victus in Asiam profugit, et sub Antiocho rege S litans consilio atque opera sua et regis potentia novum cum bellum denuo gessit. Quæ historia omnibus, qui in talibus i exercent, planissime nota est. Deinde Scipionis triumphantis non hic Terentius pileatus prosecutus est, sed alter hujus Romanus civis : et ut Valerius Maximus testatur, prætoria ortus, et inter paucos senatorii ordinis splendidus. Qui etiam tempus, tunc scilicet quum Scipionis frater accusatus est Rom turam gessit. Hic ergo triumphantis currum Scipionis pr est, pileo capiti imposito, quod donatæ libertatis signum erat. tuor millia siquidem Romanorum civium, qui bello Punico ca et in servitutem redacti, victor Scipio liberatos in patriam Inter quos fuit hic Terentius, de quo dixi, et tam memor bene cepti, tamque singulariter ante omnes gratus, ut per omnen liberatorem suum Scipionem omni obsequio ac patrociniis debi ratione coluerit. Triumphi autem die post eum pileatus inces est liberti habitu : quasi per illius viri virtutem se libertati r populo Romano pileo testante denuncians. Quæ omnia apud Livium celeberrimum historicum nota sunt. Sed minus miro lasticos hoc errore deceptos, cum Paulus Orosius hoc scripse quo admodum mirarer, nisi quod interdum magna quidem in in multis occupata et inter difficultates erecta equorum instar incautam securitatem in plano cespitant. Identitas nominis, n errorem fecit, quod scilicet uterque Terentius. Sed circum homo non vidit, quod se oculis ingerebat, in primis diversitate nominum, quæ ad discretionem nominum sunt inventa, quod ille Terentius Culeo, hic Terentius Afer, ut tituli hujus operis in ille Romanus, iste Carthaginiensis : ille e servitute in libertat autem contra e libertate in servitutem ductus ; ille senator, hic ille jam senior eo, hic puer eo tempore, quo a Romanis captus est : in qua captivitate ob elegantiam morum ad ma venit amicitias ; utque ait Eusebius libro de temporibus, ob in et formam libertate donatus est. Inter tot diversitates fallere debuisset identitas. Hic sane Terentius a principio juventu fertur a Terentio quodam Lucano emtus, a quo et nomen ipsu tasse potuit accipere, aliter antea dictus apud suos. De hoc præter conjecturam habeo nihil. Id quod constat, litteras Romæ didicit, ad poeticam pronus, et præcipue comœdiam ; genere facile, ut mihi videtur, omnes ante se vicit. Nam sec etiam a scribendo deterruit, nec fere, quem noverim, comœdiæ s clarus post Terentium fuit. Scripsit comœdias forsan plure quæ habentur in manibus, sex sunt, quæ per ordinem hoc vo continentur : quamvis ipse ordo non in omnibus voluminibus u Utcunque vero sint aliæ, ubique prima omnium est Andria : comœdiam priusquam ædilibus venderet, ut Eusebius idem a cilio multum se miranti legit. De materia comœdiarum loq lixum est : de expositione prolixius. Sed cujusque materi argumento ejus perbreviter comprehensam lector inveniet ; e tionem studio et ingenio molietur. Genus poematis carmen iam

sed varium. Iambi enim materiæ comicæ apti sunt. In comœdiis quidem nusquam auctor loquitur, sed introductæ personæ: quem morem hic ad prologos transferre nititur; quibus scribendis æmulorum invidia causam dedit. Respondendum enim erat, ne forte procacitas gloriam mereretur, infamiamque modestia. Horum vero stimulis ac vocibus agitatus fertur Athenas petiisse, ut Græcorum penitus ingenia moresque pernosceret: et cum multis in Latinam linguam translatis, post aliquod tempus voti compos Romam remearet cum sarcinulis et comœdiis, quas ibi scripserat, in navim impositis, ipse terrestri itinere Patras perrexisse: unde brevi transitu in Italiam navigaret. Ubi exspectatæ navis audito naufragio, quæ circa situm Illyricum periclitata erat, tantæ jacturæ dolore permotus Stimphalim in Arcadiam decessisse: ibique defunctus ac sepultus publice fuisse. Periisse eum in Arcadia, ipso eodem teste Eusebio notum est. Et inprimis quidem quatuor comœdiis, scilicet Andria, Eunucho, Heautontimorumeno, Adelphis, Menandrum comicorum principem Græcorum imitatus creditur; quod et rubricæ vetustissimorum codicum innuunt. Quin partem scripturæ, quia plus confusionis, quam lucis habere visa est, sciens omisi. Innuunt et prologi quidam in reliquis duabus Apollodorum Corinthium. Vendidisse eum Eunuchum suam, fama est, viginti millibus nummum: quod pretium ante eum nullus acceperat. Ad summum, suo genere poetandi tantus vir fuit, ut Hieronymus inter quatuor poetarum, duos scilicet Græcorum, et totidem Latinorum duces quartum hunc nominare non dubitet, hoc ordine, Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium: quam sibi excellentiam non stili attribuit altitudo, qua a multis non dubie et Menander apud suos vincitur, et Terentius apud nostros, et quæ in comœdiis non modo non necessaria, sed plerumque etiam vitiosa est. Quid ergo humanorum morum exacta notitia et ordo narrationis ab ipso Cicerone laudatur, et stili jucunditas ac gratia? Sed super omnia, ut quibusdam placet, sola proprietas hæc facit; ut enim primo Æneidis commento ait Servius, sciendum est, Terentium propter solam proprietatem omnibus comicis esse prælatum: quibus est, quantum spectat ad cætera, inferior. Quod ultimum omnibus, quos legere potui, commentatoribus excussis, Servii salva pace non approbo. Hæc vel ad notitiam habendam, vel ad errorem declinandum, breviter de Terentio dicta sunto.

DANIELIS HEINSII

AD HORATII DE PLAUTO ET TERENTIO JUDICIUM DISSERTATIO.

> At nostri proavi Plautinos et numeros et
> Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
> Ne dicam stulte, mirati: si modo ego et vos
> Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
> Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Durum equidem judicium, et quod non nemo hac ætate de leporum omnium parente, summo critico ac maximo poeta excidisse nollet:

cujus tamen vernæ melius de Plauto judicabant, quam qui nunc
liam in litteris tueri hac ætate creduntur: qui nec seculi, quo v
quo, cum poesis, tam Latina lingua, ad supremum culmen a
gium evecta fuit, ignorare potuit judicium; vir tantus, et qu
caput arbitror, principibus, qui inter se quotidie de iis
bant, intime familiaris ac amicus. Augusto autem, optimo in
rum judici tam gratus atque acceptus, ut non raro lepidissim
muncio ab eo diceretur, et quem, si antiquitati habenda hic
etiam habere ab epistolis optavit. Qui cum contra tanti T
fecerit fabellas, ut et integras ex iis *ῥήσεις* descripserit, et ubiq
commodet, soli denique artem tribuat; hominis *αὐθάδους* potius
eruditi esset, ita dissentire a tanto viro, ut ne causam priu
noscendam crederet. Quare videamus saltem, quid afferri pro
que possit. Ne vel Flacci judicium in posterum, ut solent, aut
tium secure nimium damnare quidam pergant in comœdia.
autem pro Horatii judicio, qui Plautum sic amamus, ut e manib
rissime putemus deponendum, dicentur potius quam nostro.
numeris quidem nonnulla Donatus: qua etiam in parte haud
veteribus nonnullis placuit Terentius. Rufino quidem gramm
cum inquit:

> Agnovit metrum, servatque Terentius artem:
> Nam prologos trimetro didicit componere versu,
> Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

Quamquam certe Fabius, non stetisse intra trimetros deplorat
quo forte alias dicturi sumus. Ad alterum priusquam ven
quædam præmittenda erunt. Cum eædem comœdiæ propen
sunt partes ac tragœdiæ, finis quoque ex parte idem, ex pa
versus, multa esse utrique communia necesse est. Delectare e
docere est comœdiæ: neque minus comici *διδάσκαλοι* et *κωμῳδιδά*
quam tragici, a Græcis dicuntur. Nec movere risum sane con
comœdiam, sed plebis aucupium est et abusus. Nam ridiculi
recte Aristoteles, *vitium est et fœditas, doloris expers; quæ par*
homine aliquam corrumpit absque morbo. Sicut fœda et detorta
si nullo cum dolore hoc fiat, risum movet. Unde ipsum quoque
omnes fere antiquissimi philosophi indignum sapiente judic
Adeo ut Plato, tanquam sacrilegum, traducere non dubitet Hom
qui ridentes introduxit deos: quod in homine non *τῆς κατὰ*
verum *τῆς κατ' αἴσθησιν*, quemadmodum philosophi loquuntur, *δια*
sit signum; a qua longe abest deus: *αὐτὴ ἡ οὐσία λόγου, καὶ αὐ*
Unde Thespis:

> Ὁρᾷς ὅτι Ζεὺς τῷδε πρωτεύει θεῶν,
> Οὐ ψεῦδος, οὐδὲ κόμπον, οὐ μωρὸν γέλων
> Ἀσκῶν, τὸ δ' ἡδὺ μοῦνος οὐκ ἐπίσταται.

Quare divinitus ab Aristotele dictum est, partem turpitudinis e
quod est ridiculum. Diserte enim ait, *ὅτι τὸ γελοῖον, μόριον τοῦ α*
ἐστιν. Ita quæ vel in verbis auctorum vel sensibus, vel in se
hominum et factis, aut detorta sunt aut depravata, animos pl
vehementer movent, et hoc ipso risum ut plurimum excutiunt.
que inusitata dicta et obscœna, optimorum cavillationes, singu
contumelias, sententias perversas, ideoque inexspectatas, aliaq
genus (qualis imitatio dictorum vel factorum, et inprimis improb
risum maxime in comœdia, quam veterem dicebant, expressisse

stat. Quod intelligunt, qui genium ridiculi intelligunt atque indolem. Cujus segetem largissimam vel unus Aristophanes suppeditat. Qui non modo Plautum, sed quoscunque hac in parte superavit, omnesque τοῦ γελοίου modos ac figuras lepidissime expressit. Denique ut acetum, nisi vinum sit corruptum, bonum nunquam erit; ita quæ sincera sunt et vera, risum nunquam excitabunt. Apposite Quinctilianus, ubi de Ridiculo: *Et hercule omnis salse dicendi ratio in eo est, ut aliter quam est rectum verumque dicatur.* Quare et compositus ad risum sermo, ab oratione recta, quam πολιτικὴν magistri vocant, quam longissime abeat necesse est, cujus propriæ virtutes, ἡ σαφήνεια, ἡ ἐπιείκεια, ἡ ἀλήθεια, *perspicuitas, æquitas, simplicitas, veritas*, ponuntur. Qua in parte supra admirationem omnium Menander apud Græcos, Terentius Romanis fuerit necesse est: qui ut viris sapientibus ac eruditis voluptatem potius afferrent, quam quacunque ratione risum extorquerent, duplici jucunditate utilitatem (imitatione vitæ scilicet humanæ, et inimitabili lepore) condierunt. Metu enim Macedonicæ potentiæ, licentia antiquæ, ut observant critici, defecit. Cujus locum occupavit nova. Cujus et formam nondum penitus vidisse absolutam, sed jam concepisse animo, putatur Aristoteles. Ejus vero unicum propositum, humanos nosse atque imitari mores. Quo et D. Hieron. epistola ad Furiam, de viduitate servanda respicit, cum inquit: *Nec mirum, hoc figulum sensisse de vasculo, quod ipse fabricatus est, cum etiam comicus, cujus finis est humanos mores nosse atque describere, dixerit:* SINE CERERE ET LIBERO FRIGET VENUS. Omnis autem imitatio, ut postea dicemus pluribus, natura placet et delectat. Hoc enim proprium est hominis, ut recte Aristoteles, qui et μιμητικώτατος τῶν ζώων, merito ab eo dicitur. Joci vero, si petantur undique, molesti ac frigidi, aut theatrales fiunt, si a vita sint alieni: qui ut plebi forte, ita doctis placere ac sapientibus non possunt. Constantis enim viri ac sapientis animus, laxari vult, non solvi. Illam autem constitutionem, καὶ τόνον, ut cum Stoicis hic loquar, ἐν ταυτῷ τοῦ ἤθους μονὴν, risus solvit. Quem præclare τῆς περιχαρείας ὑπερέκχυσιν τῆς ψυχικῆς antiqui vocant. Ideoque et Socratici, quorum libri penuarium leporum omnium fuerunt, ac facetiarum, quod e Xenophonte et Platone etiam hoc tempore apparet, χαριεντίζεσθαι, non γελωτοποιεῖν, solent. Ac ne ipsi quidem Siculi, ad festivitatem nati, et qui primi omnium comœdiæ putantur inventores, alium illius finem, quam τὸ χρήσιμον, id est, utilitatem posuerunt. De Epicharmo Theocritus:

> Πολλὰ γὰρ ποττὰν ζωὰν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα,
> Μεγάλα χάρις αὐτῷ.

Id quia secus in comœdia antiqua, statim defecit; in qua omnia, a veritate et consuetudine aliena, hoc est, vere γελοῖα, et ad risum erant comparata. Quis non ridet, cum exemplum vitæ, pater omnium virtutum, ipsa innocentia, probitas, ac virtus, Socrates ridetur? Cum in corbe festivissime philosophatur? cum, quot pedes pulex saliat, subtiliter ac geometrice metitur? Pleraque enim falsa de sententiis opinionibusque veterum philosophorum, et ad risum facta aut excogitata sunt, quæ præcipue hunc excitare solent. Ideo nec omnes Plauti, tantam materiam ridendi, quantam unaquævis ex Aristophanicis suppeditat. Alteri enim omnia, alteri pauca per leges licebant. Cæterum, ut modo dicebamus, quicquid maxime ab agendi consuetudine

aut dicendi alienum est, risum maxime movere solet. In sent
qualis illa comici Nebulis,

Καί τοι πρότερον τὸν Δι' ἀληθῶς ᾤμην διὰ κοσκίνου οὐρεῖν.

In verbis, ut cum furacissimus servus, κλεπτίστατος a domino vc
qui laudare taciturnitatem in eodem videtur:

Ἀλλ' αὔ σε κρύψω· τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν
Πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ κλεπτίστατον.

Quod ipsum aliquando castigatius Nero extulit, qui de tali servo
apud se plus fidei habere dicebat: *nihil enim ei neque inclusum signatum esse. Vox enim* κλεπτίστατος, tantum abest, ut sermoni
nire possit, ὥστε οὐδὲ αὐτοῦ τὴν διάλυσιν (dicerent subtiles harum
judices) πολιτικὴν εἶναι, hoc est, ut ne quidem voce alia, quæ ea
primat, consuetudini aut usui accommodari possit. Itaque cor
vocem, plane ut faciem, qui sic movere risum cogitat: qualia
infinita Aristophanis. Exemplo sint diminutiva, quæ tam dili
tertio rhetoricorum in illius Babyloniis rex criticorum Aristotel
tavit: χρυσιδάριον, λοιδορημάτιον, ἱματιδάριον, καὶ νοσημάτιον. Quod
sermone ejus passim et in sensibus observes, quos non raro risus
effert corruptissimos; sæpe tamen cum illudit aliis. Quare
phrases, sensus, etiam structuram, novæ, ut imitari cuivis tutu
ita antiquam si quis imitari velit, maximo delectu ac judicio est
quod si quisquam, recte Aristoteles notavit. Atque hæc caus
ut multo perfectior utiliorque, ita minus ridicula, sit nova, i
omnes, ut jam absoluta, acquiescunt. Cum antiqui comici, iis
quæ dicunt, et dicendi ratione, urbanitatem, quia nihil aliud s
runt, quam ridiculum, plerisque in locis, imprudenter excedant:
que et vitium plerumque, quod βωμολοχίαν dixit Aristoteles, incu
Qui vir magnus Ethicorum quarto, ubi de urbanitate agit, q
primis locum in his habet, eosdem et urbanos et honestos vocar
εὐτραπέλους enim, quasi εὐτρόπους, dici. Sicut autem de corporib
motu, ita ex urbanitate judicari de animo: utrum nempe honest
an turpis. Qui de corporibus locus, cum obscurus nobis vide
neque quicquam in recentibus scriptoribus, qui interpretati eum
præsidii ad manum esset, ad Andronicum Rhodium, cujus parapl
in illos libros plane admirandam, primi et edidimus, et in Latinum
vertimus sermonem, ut sæpe alias, confugimus. Qui hoc modo:
μεσότης, εὐτραπελία, καὶ οἱ ἔχοντες, εὐτράπελοι, οἷον εὔτροποι· καὶ γὰ
ἤθους δοκοῦσι τοιαῦται κινήσεις, οὗτοι δέ εἰσιν οἱ παίζοντες ἐμμελῶς, καὶ
καὶ ὅτε. ὥσπερ γὰρ αἱ κινήσεις τὰ σώματα χαρακτηρίζουσιν· οἷον πῦρ μὲ
τὸ ἄνω κίνησις καὶ πᾶν κοῦφον· βαρὺ δὲ ἡ εἰς τὸ μέσον, καὶ ἐπὶ τῶν
ὁμοίως· οὕτω καὶ ἀπὸ τῶν ἔξω καὶ Φαινομένων τοῦ ἀνθρώπου κινήσεων, αἱ
τῆς ψυχῆς φαίνονται καὶ τὰ ἤθη. Quod est ex interpretatione nc
Medium vero, εὐτραπελία, *id est, urbanitas, quique in eo excellunt,*
πελοι, *quasi* εὔτροποι, *hoc est, bene morati, dicuntur. Etenim potiss*
a moribus videntur esse hi motus. Hi autem sunt, qui concinne, et q
admodum, et cum oportet, jocantur. Sicut enim corpora distinguu
motus, ut, exempli gratia, ignem et quicquid leve est, motus qui in
fertur, grave contra, motus qui ad medium, eodemque modo in aliis
ex iis qui extra sunt, et qui in oculos incurrunt hominum motibus, ha
quoque apparent animæ et mores. Quia autem risus iis, ut pluri
qui minus sunt honesti, quales homines plebei sunt aut scurræ, g

esse solet; hinc fit, inquit idem Aristoteles, ut qui scurriles sunt, urbani etiam dicantur. Addit autem, quod spectare huc propius videtur: *Discrimen vero ex antiqua comœdia apparet et nova. Nam in illa id quod obscœnum, in hac autem, quod suspicionem tantum ejus movet, risum quoque exprimit; quæ non parum differunt ad venustatem.* Idem de cavillis quoque addit et conviciis. Quibus abstinuisse Plautum constat, cum obscœnitate nemini concedat. Hujus autem in utroque ex Aristotelis judicio discrimen videamus. Byrrhia apud Terentium Andria:

Ego illam vidi virginem: forma bona
Memini videre. Quo æquior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.

Vides in his, non obscœnitatem, sed suspicionem rei parum verecundæ, καὶ ὑπόνοιαν, quæ tam est honesta, ut a quavis virgine id, urbanitate salva, dici possit. Quid enim suavius, quam *in somnis amplecti?* Et quidem si de viro et formosa conjuge dicatur! Non enim dicit βινεῖν, quod Aristophanes dixisset, nec quæ in re tali Plautus usurpare solet, qui nec honeste ea dicit, et obscœne circumloquitur. Nam qualia sunt ista Casina!

Ol. Ubi locus sumtus porro est, continuo stricto gladio: atat! papæ! papæ! Cl. Quid id papæ?

Ol. Flagitium oh erat maximum: gladium ne haberet metui: id quærere occepi.

Dum gladium ne habeat quæro, arripio capulum.

Nam cætera in quibus plane loquitur, præsertim cum de Venere ἀῤῥήτῳ agit, ea vero ne commemorare quidem malo. Puto autem satis esse manifestum, etiam cum circumloquitur quæ parum sunt honesta, ne honeste quidem, et cum honestarum aurium fastidio, id fieri. Vides ergo passim veteris imaginem, etiam, de quo mox paullo post, dicacitate ac maledicentia. Quæ Athenis partim leges, partim metus, partim ipsa emendavit ratio: cum tamen sola risum felicissime moverent. Novæ autem rex princepsque Menander fuit: cujus expressa imago ac effigies Terentius. Quem cum uterque accepisset, Aristophanis virtutes hac mercede expressit Plautus, ut nec omnes posset (quod et linguæ diversitas, et Romanorum leges, et tempora, ac rerumpublicarum ratio vetabat, sublata jam maledicendi libertate, quæ præcipua, quod nemo nescit, τοῦ γελοίου pars est,) et quæcunque in Aristophane Plutarchus a communi consuetudine loquendi abhorrere notat, retineret. Nam et κατὰ τὸν λεκτικὸν, ut critici loquuntur, καὶ τὸν τῆς διανοίας τρόπον θυμελικὸς est, et theatralis, non πολιτικὸς, neque τῇ κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἰδέᾳ διαπρέπει· neque pauciora addidit, in quibus dum ridiculus videri vult, frigidus ac odiosus fit, quod non nostrum, sed Horatii judicium est, et Donati; quos utrosque emunctæ naris, utrosque criticorum primos suo tempore fuisse, constat. Sed et in dicteriis, de quo jam dicebamus, ita veterem comœdiam amavit Plautus, ut ad eam sæpe flectat, et quod proprium in illa erat, ἑτεωνύμως, et expresso nomine, aut circumscribendo, non tam vitam hominum, quam hominem perstringat. Ut in illo:

Etiam Epidicum, quam ego fabulam æque ac me ipsum amo,
Nullam æque invitus specto, si eam agit Pellio.

Sed et crudelissime infelicem Nævium milite excepit:

Nam os columnatum poetæ inesse audivi barbaro,
Cui bini custodes semper totis horis accubant.

Videtur audire *κώδιον Κρατίνου*, et quæ reliqua in veteri como currunt, *ὅση κόνις*. Nam ad Aristophanis *τὸ εὔθικτον* frustra sa ravit. Quis enim risu non emoritur, cum vinositatem Cratini Irene?

> Ει. Τί δὲ Κρατῖνος ὁ σοφὸς ἐστιν; Τρ. Ἀπέθανεν,
> Ὅθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον. Ει. Τί παθών; Τρ. Ὅ, τι,
> Ὡρακιάσας (οὐ γὰρ ἐξηνέσχετο)
> Ἰδὼν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέον.

Id est:

> P. Sapiens autem Cratinus quid agit? Tr. Obiit,
> Cum Lacones huc irruerent. P. Quo morbo? Tr. Quo?
> Misere pallere cœpit (ferre enim hoc non potuit)
> Frangi cum videret vino plenum dolium.

Alter enim vitium Cratini ridet: alter Nævii miseriam. Ri autem a miseria prudenter Aristoteles sejungit. Risus enim cu alicujus malo aut calamitate si conjunctus sit, immanis fit ac b Illa autem plane extra novæ legem comœdiæ:

> Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium
> Qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.

Et quæ deinde sequuntur. Quod profecto est a pulpito ad pl redire. Legat cætera qui volet. Sed hæc, *ὡς ἐν προθεωρίας μέρ* sint dicta. Nunc ingenii exercendi causa ac judicii ad singula et utrumque paullo quam plerique accuratius inspiciamus. Pri comœdia tragœdiaque est dispositio. Neque dubitandum, qu Aristoteles de dispositione disputat tragœdiæ, etiam comœdi convenire pleraque existimaverit, nisi quod, ut tragicus disp comicus quoque invenit. Alter enim accipit ab aliis: alter i dat quod disponendum est: nisi si ab alio desumat argumentu apud Græcos. Nam Latini fabulas Græcorum, dispositione a tulum plerumque immutata et personis, expresserunt. Ut cum nandri Eunucho suam paucis immutatis Terentius expressit. tione, ut Davus Parmeno, Chrysis, Thais, Chærestratus hic esse dria. Plautus in tragico-comico Amphitryone, more tragicorun lam accepit et disposuit: sed et nomina retinuit ex parte, qu solet in comœdia: ex parte, fecit. Unde raro invenisse argun tragicus poeta dicitur, (quod aut e relatione aliorum aut e scri plerique ex Homero aut Cyclo Epico, petebant,) contra autem Aristoteles, *τὸ δὲ μύθους ποιεῖν, Ἐπίχαρμος καὶ φόρμις ἤρξαν*. I vocem, non ut quidam, hic accipio. *Μῦθος* enim, ut ubique fe stoteli, non drama est, sed ea actio, e qua drama constituitur, *ἡ ἡ τῆς πραγματείας σύστασις*· quomodo et accipit, cum dixit, *μῦθος εἷς, οὐχ ὥσπερ τινες οἴονται, ἐὰν περὶ ἕνα ᾖ*. Et ipse, *πολυμύθους* eos qui vel varias, vel quæ tempore eodem, ab alio, non uno, et gestæ sunt, conjungunt. Ideoque fabulam eligere, et electam r ordine disponere, ut prima virtus, ita primum maximumque op In Amphitryone maneamus. Nam ut argumentum hoc acce ipse ex animi sententia disposuit. Quare potuit, ut voluit, ligar lam ac solvere. In ea igitur divina *δέσις*: mira enim ratione im fabula et intricatur actio. At transitio, quæ non est tragica sed c (*μετάβασιν* vocavit Aristoteles,) pars quæ opponitur *τῇ δέσει*, (q *λύσιν* seu solutionem vocant,) ex sententia succedere non Quare impeditus et oblitus sui, ire cogitur ad deum; ho

ἀπὸ μηχανῆς finire: quod est ultimum refugium poetæ, cum τὴν δέσιν, hoc est, nodum, quem ligavit ipse, solvere non potest, et rem parum provide tractavit. Nam cæteræ, quæ ibi adhibentur machinæ, ad scenæ et choragii ornatum, καὶ τὴν ὄψιν, ut philosophus de iis loqui solet, referuntur. Quale est brontium, et ceraunoscopium, quorum altero ad tonitru, hoc ad fulmen exprimendum, in Amphitryone opus fuit. Finem vero quæ a machina, lubentius in tragico quam comico excusat Aristoteles; quia argumento tragicus astringitur, quod accipit. Quamquam ne huic quidem eam fecit gratiam, cum inquit: φανερὸν οὖν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν. Id est, *Manifestum ergo est, etiam exitum fabulæ, e fabula ipsa peti debere, non a machina, ut in Medea, aut quemadmodum in Iliade, in iis, quæ circa reditum Græcorum fiunt.* Medeam autem, non Euripideam, sed alterius intelligit poetæ. Idem et Horatius, e Pariano, credo, Neoptolemo, a quo pleraque præcepta sua in hoc scripto hausit, fugiendum monet:

Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit.

Ubi *nodus* est ἡ δέσις, quæ interdum ope humana solvi non potest. Qui quidem, nisi præter poetæ voluntatem aut ex argumenti eveniat necessitate, non a Deo, quod cujusvis etiam imperitissimi est hominis, verum a poeta solvi debet. Rursus sicut pictor primo ambitum delineat, deinde singula absolvit, ita sapiens poeta actionem suam circumscribit. Primum, ut sit tota: hoc est, ut principium, ut finem habeat, et medium: quæ in minimis quoque esse possunt. Minima autem sensum vix admittunt: magna nimium dispergunt. Sic formicam vix videmus: in conspectu elephanti visus vix colligitur. Quare comœdiæ tragœdiæque magnitudo, et periodus, ut cum philosopho hoc dicam, e natura utriusque et ratione peti debent. Et, mutatione prima, hoc est, cum infelicitate ad felicitatem in comœdia, contra autem in tragœdia mutari potest actio: ita ut ex argumento nihil, quod ad rem spectet, præmitti sit necesse. Summus Aristoteli ambitus unius solis est: potest esse aliquot horarum. Qua in parte admirandus Sophocles Terentiusque. Plautus vero novem menses uno dramate complexus est. Ut vix major ampliorque Homericæ Iliados, quam Amphitryonis sit periodus. Alcumena autem concipit et parit. Quod si fieret ubique, nullo episodio jam opus esset: ideoque nec ars esset, scribere comœdiam. Præterquam quod sit monstri instar, et cum ratione ac natura pugnet, ut quæ simul et concipiat et pariat. Qualia nonnulla in scriptore hoc summus criticorum Cæsar Scaliger notavit. Atque hæc vitaverant poetæ Græci, quorum scripta hic tantopere commendat Flaccus: technici Græcorum, quomodo vitanda essent ac cavenda, sæpe inculcarunt suis. Plautus susque deque habuit, ut in Captivis. Quam incuriam poeta cum videret, continere se non potuit, quin exclamaret:

vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.

Contra negligentiam suorum et incuriam gravissime taxaret. Quidni enim qui hoc tum agebat, quod ante eum Aristoteles: qui ubique Euripidem et alios in illis reprehendit: nam de comicis quæ scripsit, hodie non exstant. Porro simul ac poeta actionem habet, locum

quoque ut actioni det, necesse est, quia sine loco fieri nil potes autem locus σκηνὴ δράματος a criticis vocatur, cujus finem tr nefas. Nemo enim tempore eodem, quod a Plauto recte alibi atque alibi versari potest: nisi aliquid monstrosum comœdia. Idem tamen, cum Curculionis scenam Epidauri po Romam transit in eadem, et in Romanorum mores, scenæ si oblitus, libere invehitur; et quidem, ut antiqui comici, tribu ut et singula describat loca act. iv. scena *Ædepol.* Jam τὰ ἀ fabulis quam multa? ita voco, quæ nihil verisimile habent. T Sosiclem Menæchmum, qui veniret e Sicilia, surreptum item Illyria jam habitaret, habitu, eodem tempore, ita simili fui dignosci a spectatoribus non possent; cum nihil simile habere gentes. Quod vitium, ne a chorago quidem emendari potest. Mercurius Amphitryone et Jupiter, dii sunt: quibus omnia etiam hic, solent. Quare incurrere τὸ ἄλογον non possunt. U dii agunt, cessat ratio. Quidvis enim posse eos, nemo est, intelligat. In Terentio, cui soli artem Flaccus noster assi nihil tale. Omnia cum judicio, cum ratione, circumspecte, e et cum cura. Nam et fabulæ insignem fere cum agnitione tionem habent: quæ inter τὰς μὴ ἁπλᾶς sive πεπλεγμένας esse perf mas necesse est. Qualis et in reliqua ubique dispositione est. ad dictionem autem, quis negabit, quædam esse in Plauto, qu locum extra scenam, neque usum nisi inter histriones habent? solo et exiguo theatri ambitu circumscribuntur. Nam et ἀγω in foro, neque minus γραφικὸν, sive usitatum in scribendo chara longe excedunt: quo ubique nova, et jam emendata, respicit co Quare Varro cum sermonis laudem illi tribuit, idem quod ubi scriptis, quanti faceret antiquitatem, profitetur: ut qui τὰ ἀπηρχ quæ in Plauto partim ævum quo hæc scripsit, partim quæ pl placet, ipsa desita excusat antiquitas, commendat. Unde et ip sic judicavit, ut nimium antiquitatis in scribendo studiosus, nequ ævi sui memor, Varro ab antiquis criticis notatur. Qui cum s sic, judicentque; nobis qui ab illis merito pendemus, equidem dum reor. Auctor de causis eloquentiæ corruptæ: *Neminem nabo; genus hominum signasse contentus: sed vobis utique ve ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, et Lucretium pro Virgilio quibus eloquentia tui Aufidii Bassi, aut Servilii Noviani, ex compa Sisennæ aut Varronis, sordet.* Quod ex vocibus antiquis pate ex libris ejus critici legerunt, cum non pauca alia ex script peti possint. Ideoque Cicero, qui de ætatis suæ et serm venustate maxima cum cura judicabat, laudem hanc Terentio c merito pronunciat. Sic enim ad Atticum: *Secutus sum, nc Cæcilium;* Mane ut ex portu in Piræeum: *malus enim Lat auctor est: sed Terentium, cujus fabellæ propter elegantiam se putabantur a Lælio scribi:*

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeum.

Et Servius proprietate cæteris præpositum hunc notat. Idem c tentiis, quas διανοίας vocant, judicari potest. Omnes enim fere et θυμελικαὶ sunt, et ab usu alienæ, quales passim habet. In cum philosophatur καὶ γνωμοτυποῖ. Ut ecce:

Insanum est malum, in hospitium divorti ad Cupidinem.

Vere scenicum et illud :

> Et postremo, nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis,
> Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor.

Et quis illud extra scenam usurpare ausit?

> Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Quare nunquam effugient quin sint inepti, qui hæc et alia id genus, ad serium dicendi genus transferunt. Consequuntur enim, quod non vident, ut inviti risum moveant; quod non pauci hodie in scriptis maximo molimine a lectore impetrant. Sequitur τὸ ἦθος, quod, ut docet Aristoteles, in oratione, uniuscujusque institutum indicat et voluntatem. Quod in singulis repræsentare, nisi viri aut prudentis aut philosophi, nullius est. Nam quemadmodum e singulis experientia, ita nemo singulorum mores sine hac exprimit. Quare omnium accuratissime et optime, quid sit facere ut sit ἠθικὴ oratio, philosophus ostendit. Quod vel solum tanti est, ut nihil minus nonnulli, qui ad rhetoricarum suarum leges magnorum quoque et sublimium ingeniorum orationes exigere audent, hac in parte videant: in qua, ad ipsius quoque antiquitatis stuporem, Afer iste regnat. Recte ergo Varro: *In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesin Terentius.* Significat enim, Cæcilium εὑρητικὸν, aut potius εὐοικονόμητον fuisse: quemadmodum ~~δυοικονόμητος~~ nonnunquam præ reliquis videtur Plautus, cui sermonis idem assignavit laudem. Quod, si quicquam sapimus, Terentium est Plauto præferre. Ut cum eum, qui excellit in majori, magis quam qui in minori, dicimus excellere. Neque causa fuit alia, quare, quod observant veteres, idem Varro, etiam Menandro, in quibusdam prætulerit Terentium, exempli causa, Adelphorum initio. Neque immerito. Mirifice enim, cum alibi, tum ibi regnat τὸ ἦθος. Idem Varro, cum tragœdiæ, comœdiæ, ac satyræ effingat formas, quid de nostro judicet, diserte expressit. Ubertatem enim tribuit tragœdiæ, quam dat Pacuvio: gracilitatem satyræ, quam tribuit Lucilio: mediocritatem vero comœdiæ, quam dat Terentio. Ut si quis uberrimo sermonis genere heroicum definiat poetam: et hoc tribuat Virgilio. Aulus Gellius lib. vii. cap. 13. *Vera autem et propria hujusmodi formarum exempla, in lingua Latina, M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.* Quæ est de comœdiæ, quemadmodum in scholis loquimur, essentia. Cum Plautus sæpe tragico, nonnunquam quoque serio, utatur. Quamquam ibi sane sermo, ut priore loco a Varrone accipitur. Sermo enim et τὸ ἦθος differunt, ut homo prudentissimus, et femina quæ pure loquitur; qualis dicitur Gracchorum mater. Unumquemque enim recte exprimere, et humanam optime delineare vitam, summus atque extremus viri atque auctoris maximi conatus est. Recte grammatici ad Sophoclem: Ἔστι δὲ τοῦτο μέγιστον ἐν ποιητικῇ, δηλοῦν ἦθος. *Est autem illud maximum in poetice, exprimere ethos.* Debebat addidisse, *in dramatica præsertim.* Et Horatius tam multis, vitam tragœdiæ τὸ ἦθος esse docuit. Aristoteles vero, etiam in tragœdia, post actionem (quam fabulam plerumque vocat) quæ essentiæ pars prima, partem essentiæ secundam constituit τὸ ἦθος. Mirum est autem, locum Varronis a nemine intellectum. Qui cum palmam in argumentis Cæcilio concedit, principem comœdiæ haud dubio Cæcilium constituit. Quare? Pars tragœdiæ præcipua est argumentum. Aristoteles modo μῦθον, modo τὸν πραγμά-

τῶν σύνθεσιν vocare solet. Qui et multis probat, eum qui ha excellit, etiamsi cæteris destituatur, dramaticum poetam dici Pars secunda est τὸ ἦθος, quod cum Terentio assignet Varro illi proximum concedit. Quod non potest ignorare, qui antiq ticos, inprimis autem Aristotelem, cum cura legit ac intelligit monis enim laus, quam Plauto tribui ab eo volunt, tantum a çum reliquis conferri possit, ut postremo loco, et post τὴν διάνο natur. Quare ex sententia Varronis, qui hic Aristotelem ex primus est Cæcilius, secundus est Terentius: quos deinde Plat quitur. Quod debebat cogitasse Siren ævi nostri Justus Lipsi profecto locum summi Romanorum critici non penetravit. autem Plauto Horatius abjudicat, cum inquit:

aspice Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi.

Et videtur Charinum habuisse in animo, qui Mercatore τὸ μα τὸ ἐρωτικὸν confundit ἦθος, hoc est, ita amat, ut Menæchmu Furere autem præ amore, comœdiæ non ἦθος, sed tragœdiæ es ut ex Phædria aliisque patet. Quare? quia πάθος aliquod i exspectatur. Quod tragœdiam constituit, ut μετάβασις conve renti. Sed hæc triviales non intelligunt: qui summum virum telem tam facile contemnunt, quam nos et judicia illorum et m merito contemnimus, quibus persuasum est, omnem veram e nem ex hoc uno fonte limpidissimo petendam. Charinus autem ad frigiditatem usque calet, quam non potuit vitare. Qualia s scena *Divum atque hominum:*

jam Cyprum veni, etc.

Item,

Porro proficiscor quæsitum: nunc perveni Chalcidem.
Video ibi hospitem Zacyntho. Dico quid eo advenerim:
Rogito quis eam vexerit, quis habeat si ibi inaudiverit.
Hospes respondit, Zacyntho ficus fieri non malas.

Vides hominem tam tristem, ut festivus esse quærat. At divi in parte, duos amatores in Eunucho, suo more, Phædriam e ream, divinitus utrumque, ἠθοποιεῖ. Quare cum poetæ omnes, imitatione constat institutum ac consilium, pictorum instar, te ticorum rege ac principe, aut similes, aut (quod non raro eve imperite καὶ ἐξ ἀσθενείας vel captandi risus causa) nunc pejore sunt exprimant, nunc meliores; servos pejores Plautus, ut plu Terentius hos semper similes, non meliores; meretrices vero similes, partim meliores aliquando introducit. Similes, ut Th meliores, ut Bacchidem. Parasitos semper deteriores et vo Plautus, nunquam meliores. Ut et Dossennus, qui hos solos modum curabat, in personis reliquis ἐκπίπτων. Phormio Tere plane est admirandus: ut et Gnatho. Plautini quia risum q veritatem et sermone et sententiis amittunt. Tres virtute sermo, quem non sine causa ἠθικὸν dixerunt Græci, nos moratu mus, æquitatem nempe, veritatem, et simplicitatem postulat: ἐνδιάθετον, hoc est, id quod unicuique est insitum, ob oculos p Cum ridiculum, ut violentum, quia a natura alienum, quod rect Aristoteles pronunciat, corruptum sit, et a corruptis causis, qu dixi, moveatur. Moratum quia simile est naturæ, leniter de quod ætatum singularum, hominum, ac nationum, totiusqu

simulacrum quoddam ac imaginem, in scena repræsentat. Plane ut pictura quæ a vero abit, et vel cubitalem nasum, vel distortum os facete repræsentat, risum movet: similis delectat. Atque hoc est, quod omnes tribuunt Menandro, quem Terentius expressit. Ut Hermogenes: Παρά τε αὐτῷ Μενάνδρῳ ἂν μυρία εὕροις τοιαῦτα καὶ γυναῖκας λεγούσας, καὶ νεανίσκους ἐρῶντας, καὶ μαγείρους, καὶ παρθένους θρυπτομένας, καὶ τινας ἄλλους· ὅλως τε διὰ τὸ ὑποπίπτειν τῷ ἠθικῷ λόγῳ καὶ τῶν ὁμοίων, ταυτά γε πάντα ἢ τάγε πλεῖστα αὐτῶν, ὑποκεῖσθαι τῇ ἀφελείᾳ δεῖ. Quemadmodum Hieronymus Menandrum et Terentium cum maximo judicio conjungit. Ad Paulinum enim: *poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.* Audi orationem patris irati. Heaut. act. v. scena 4.

non, si ex capite sis meo
Natus, itidem ut aiunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.

Et quæ sequuntur. Audi mitis viri potius quam boni:

Ausculta, ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi.
Is meus est factus. Si quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obsonat? Potat? Olet unguenta? De meo.
Amat? Dabitur a me argentum, dum erit commodum:
Ubi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? Restituentur. Discidit
Vestem? Resarcietur. Est dis gratia
Et unde hæc fiant, et adhuc non molesta sunt.

Et divina illa:

credo hercle: nam ingenium novi tuum
Liberale. Sed vereor ne indiligens nimium sies.
In qua civitate tandem arbitrare te vivere?

Et quæ sine motu animi et suavissima voluptate legi non possunt Hecyra:

odiosa hæc est ætas adolescentulis:
E medio æquum excedere est. Postremo jam nos fabula
Sumus, Pamphile, senex atque anus.

Et cætera: pluscula sunt enim. Quis, cum illa Phormione legit, non uxorem honestam adulteri agnoscit?

an quicquam hodie est factum indignius?
Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.
Hæccine erant itiones crebræ et mansiones diutinæ
Lemni? Hæccine erat quæ nostros fructus minuebat vilitas?
Quid? ego æquo animo cupio misera in hac re defungier.
Sed quid sperem? ætate porro minus peccaturum putem?
Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
An mea forma atque ætas jam magis expetenda est, Demipho?
Quid mihi nunc affers, quamobrem exspectem, aut sperem, porro non fore?

Et quandoquidem simplicitas, maxima moratæ orationis virtus, si intendatur, suavitatem parit; nemo sine incredibili ac summa voluptate illud Bacchidis leget:

recte amasti, Pamphile,
Uxorem tuam. Nam nunquam ante hanc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.
Perliberalis visa est.

Ideoque fabulæ Terentianæ, doctiorem histrionem, quam reliquorum

desiderabant. Semper enim quæ morata est oratio, τῇ ὑποκρίσ cienda. Nam quæ moribus affectibusque destituitur, teste philo est ἀνυπόκριτος. Neque ulla fere apud eum syllaba exstat, qu animi aut affectus alicujus sit index. Jam ut ad lepores, sale tias, et venustates veniamus; certum est, fere omnes eas tolli culo, non secus quam in vita ab excessu morum virtus, ab e apparatus in scena tollitur voluptas. Quare Menandro ac Te lepores tribuunt antiqui, sales Plauto Horatius concedit: quos nunquam inurbanos esse notat. Audi Paterculum: *dulcesque leporis facetiæ per Cæcilium Terentiumque et Afranium suppari floruerunt.* Græci χάριτας et χαριεντισμοὺς vocant. Remissiore enim, quam ut risum violenter moveant: circumspectiores, qu frigeant. Absurdum enim sæpe causa est risus, aut inusi Contra autem sermo, qui et usitatus et moratus, quique leniter rum servat, sicut eo ipso fit venustus et delectat; ita quidam e joci possunt. Qui quidem in hoc Afro, (nisi Lælio eos pot Scipioni tribuendos putes) e Menandro, si judicium Horatii e quorum sequimur, ex eodem sale, e quo nata Venus est, de videntur. Ecce statim Andria, act. v. scena 4:

Davo istuc dedam jam negoti. S. Non potest.
P. Qui? S. Quia habet aliud magis ex sese, et majus. P. Qui
S. Vinctus est.
P. Pater, non recte vinctus est. S. Haud ita jussi.

Jam Gnathonem vide. Qui cum putidos Thrasonis mores Ph ac Chæreæ exposuisset, contra autem illi persuasisset, et jam ineptus homo ac ridiculus haberet:

bene fecisti; gratiam habeo maximam.
Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.

Respondet ad utrumque conversus:

Dixin' ego in hac inesse vobis Atticam elegantiam?

Certe tota scena tertia tertii actus in Adelphis, in qua luditur a Demea, divina est. Qualia enim illa?

mihi quidem non placent,
Et clamo sæpe: salsamenta hæc, Stephanio,
Fac macerentur pulchre.

Plane enim præter exspectationem omnia. Jam cum vetus com nihil æque ac παρῳδίαν amet, quæ plerumque et acerba est, et scenam quæritur, urbanissimus virorum rationem, qua ex action parodiam lepidam sane et venustam peteret, invenit. Nam cum I dixisset,

fit sedulo,
Nihil prætermitto, consuefacio: denique,
Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo: atque ex aliis sumere exemplum sibi.
Hoc facito.

Et quæ sequuntur; respondet Syrus:

Conservis ad eundem istunc præcipio modum:
Hoc salsum'st, hoc adustum'st, hoc lautum'st parum.
Illud recte: iterum, sic memento. Sedulo
Moneo, quæ possum, pro mea sapientia.
Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,
Inspicere jubeo: et moneo, quid facto usus sit.

Ita sane et Plato et Xenophon, omnesque Socratici jocantur. Nunquam frigide, nunquam obscœne, nunquam inepte, nunquam putide. Videamus jam Plautina quædam. Ac Plutarchus quidem illud tanquam frigidum ex Aristophanis Thesmophoriazusis de Euripidis matre adducit:

Ἄγρια γὰρ ἡμεῖς, ὦ γυναῖκες, δρᾷ κακὰ,
Ἂν' ἐν ἀγρίοισι λαχάνοις αὐτὸς τραφείς.

Cui illud, quamvis non in simili omnino genere, adjungas licet:

Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala:
Domi habet hortum et condimenta ad omnes mores maleficos.

Rhetores *θυμελικὸν*, sive theatrale, vocarent. Ridiculum enim potius quam festivum est: et ut sit festivum, nemo, vere in his subactus, dixerit venustum esse: ab usu enim quam longissime remotum est. Jam vero cum in verbis frigidum aut in rebus; de verbis Aristoteles, de rebus alii egerunt. Frigidum autem jam vocamus, non magniloquentiæ vicinum illud vitium (quanquam illud quoque habere hic locum potest) quod discedere ab urbanitate dicitur. Quod, ut nonnihil a dicendi hic magistris abeamus, modis fit pluribus. Vel in frigida translatione: ut cum dentes *calceati* dicuntur. Capt.

Cum calceatis dentibus veniam tamen.

Et cum victus *senteis esitare* et *scruposam viam commeare* dicitur. Quæ sane frigent. Vel in minimis allusiunculis et longe petitis. Ut Pœnulo:

Mi. Assum apud te eccum. Ag. At ego elixus sis volo.

Et quod illi placuit non semel:

magis calleo quam aprugnum callum callet.

Item,

callum aprugnum æque callere non sinam.

Et,

Quanta sumini absumedo, quanta callo calamitas!

Et Curcul.

facite ventum ut gaudeam.
Ph. Maxime. Cu. Quid facitis? quæso. Ph. Ventum. Cu. Nolo equidem mihi
Fieri ventulum. Ph. Quid igitur vis? Cu. Esse, ut ventum gaudeam.

Quas cum grammatici Latini, qui citius cœlum digito, ut ita loquar, expugnassent, quam ut minimam Horatii Oden expressissent, morologias in Plauto dixerint; nondum video, quare Horatio, ut summo maximoque poetæ, ita critico incomparabili, quem acutum doctumque virum ipse D. Hieronymus ad Pammachium vocavit, idem non licuerit. Ejus sane generis sunt, quæ in Aristophane accusat, quæque trivialia potius, quam ut viris eruditis, etiam in scena placere aut debeant, aut possint, accuratus censor Plutarchus judicavit. *Καὶ γὰρ ὁ μὲν ἀναίδευτος καὶ ἰδιώτης οἷς ἐκεῖνος λέγει ἁλίσκεται· ὁ δὲ πεπαιδευμένος δυσχεραίνει. Λέγω δὲ τὰ ἀντίθετα, καὶ ὁμοίπτωτα, καὶ παρονομασίας. Τούτοις γὰρ ὁ μὲν μετὰ τοῦ προσήκοντος λόγου καὶ ὀλιγάκις χρῆται, ἐπιμελείας αὐτὰ ἀξιῶν· ὁ δὲ πολλάκις, καὶ οὐκ εὐκαίρως, καὶ ψυχρῶς.* Et adducit exemplum: ut cum, *τοὺς ταμίας, λαμίας* vocat. Nam quæ ille de Menandro, ad Terentium fere omnia referri possunt; in quo nihil putidum est aut ineptum. Quamquam multa quæ notavit, potius antiqui comici virtutes, quam illius de quo ibi judicavit, vitia censenda sunt. Princeps enim inter illos fuit, et ad leges eas plane se composuit. Quod de Plauto nemo dicet. Et est frigidum, quod longe ab eo abest, quod aut esse aut

posse fieri putatur. Quale est, *pugno frangere elephas horiola in cœlum pervenire.* Et est frigidum, cum ita a fi mone oratio recedit, ut ad usum amplius transferri neque illud ibidem:

Si ante lucem ire occipias a meo primo nomine,
Concubium sit noctis, priusquam ad postremum perveneris

Crescit tamen frigidum, cum addit alter:

Opus face est et viatico ad tuum nomen, ut tu prædicas.

Quæ si pedem unum extra scenam feras, protinus putisc ad usum applicari poterunt. Qualia nec Scipio nec Lælius litatis, vel in scena approbassent. Plutarchus certe, extra theatra ac doctorum, libere relegat. Ridiculi enim ac inep plebeis tantum scribi comœdiam existimant; cum non mi scribatur. Quod et Flaccus scivit; qui non sine causa:

Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum; sed habet comœdia tanto
Plus oneris, quanto veniæ minus.

Deinde autem Plauti et Dossenni utitur exemplo, quos judiciis doctorum ait. Et hæc ad divinum, ut jam dixi, ac in his principem, cujus nec judicium nec cæterorum ignora pestate potuit. Et cujus judicium vereri debuisset, nisi ide fuisset. Jam illa Epicharmi imitatio, ut festivissima, ita, quens, frigore non caret. Quæ fit, cum vel falsa oppon subjectum idem est cum prædicato. Ut cum Epicharmus d

Τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼ ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήνοις.

Tunc inter illos ego eram, tunc apud illos.

Bis enim idem dicit; quæ est fraus in verbis præter exspec Idem autem est cum prædicato subjectum: ut in illis Curc scena 4.

Quoi homini dii sunt propitii, ei non esse iratos puto.

Sticho:

E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est n

Captivis:

Hos quos videtis stare captivos duos,
Hi stant, non sedent.

Quæ jam docti collegerunt. Unde et istam summi critici meruit:

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi
Dicitur.

Quanquam sane alibi non invenuste iis usus est. Quæ l tamen, et imago ejus, de quo nunc agitur, Terentius, tanq periculo conjuncta, serio fugerunt. Hæc pro viro maximo neque adversus Plautum dicta sunt, quem amamus, suspicim mus, ac veneramur; verum, ut judicium sic acuamus; simu isti, quod videntur sibi, ita facetissimum scriptorem amen tractent atque ediscant (quod et recte et ordine ab iis fieri neque enim satis commendari potest) ut nec plane et ubique probasse se meminerint: et, quod hic præcipue spectamus, d ejusque crisi, minus libere loquantur: Terentii autem m prope ineffabilem amœnitatem, elegantiam, judicium, ac ver

intelligere paulatim discant. Cujus incredibiles lepores, ut Josephus Scaliger dicebat olim, vix centesimus eruditorum quisque videt. Ne cum illo simul et Afranium, antiquum comicum, condemnent, cujus verissimum atque absolutum extat judicium :

Terentio non similem dices quempiam.

Nobis eruditi ignoscent, quod hæc fusius, si cogitent præsertim, munus veri critici esse ac censoris, non literulam ejicere alibi, aut innocentem syllabam damnare, vocem tollere alibi aut emendare, sed sincere de auctoribus ac rebus judicare : quod et solidæ et absolutæ eruditionis est. Quo, ni fallor, omnes aspiramus. Neque ulla in re magis antiquitas præivit nobis. De auctoribus autem comicis, uter melius judicare potuerit ; isne qui ætate illa vixit, qua ad summum culmen poesis pervenit, qui poeta summus, summus criticus, familiariter cum Cæsare Augusto ac Mæcenate vixit, eorumque atque aliorum quotidie de his judicia audivit ; an qui hodie harum rerum plane imperiti judicant ; ipsi viderint.

PETITUS

DE ORDINE COMŒDIARUM PUB. TERENTII.

Omnia non sunt plana atque liquida. Primam omnium Andriam esse, liquet ex *Donato*, præfatione in Andriam. *Hæc prima acta est Ludis Megalensibus, etc. Suetonius Tranquillus* in vita Terentii : *Scripsit comœdias sex, ex quibus primam Andriam, cum ædilibus daret.* Quod et testantur hi versus in *Andriæ prologo :*

Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite,
Ut pernoscatis, ecquid spei sit reliquum :
Posthac quas faciet de integro comœdias,
Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

Editam testantur cum Didascaliæ, tum Suetonius, M. Marcello, Cn. Sulpitio Coss. hoc est, anno ab Urbe condita DLXXVIII.

Hecyra semel atque iterum exacta, tertio stetit ; unde factum, ut quo loco edita primum sit a Terentio, non ex vero proditum sit a *Donato*, præfatione in hanc comœdiam : *Factaque et edita quinto loco, Cn. Octavio et T. Manlio Coss.* Atqui si facta editaque est Cn. Octavio, T. Manlio Coss. non igitur quinto loco : nam Cn. Octavius et T. Manlius consules fuerunt anno ab U. C. DLXXXIX. Ergo facta est post Andriam, quam edidit Terentius anno proxime præcedenti ; proinde Hecyra secunda est, ordine fabularum, quas fecit Terentius.

Tertia fuit Heautontimorumenos, ut constat ex Didascaliis, quæ in fronte illius leguntur, in hæc verba : *Acta tertia M. Juventio et M. Sempronio Coss.* Qui consules fuerunt anno ab U. C. DXCI.

Sequitur quarta Phormio, de qua *Didascaliæ : facta est IV. C. Fannio, M. Valerio Coss.* Quod etiam testatur *Donatus*, præfatione in hanc fabulam : *Edita est quarto loco M. Valerio et C. Fannio Coss.* Post Phormionem quinta est edita Eunuchus, iisdem coss. iisdem ædilibus ; habes id ex *Didascaliis*, et *Donati* præfatione in hanc fabulam : anno nimirum ab U. C. DXCIII.

Bis eodem die producta in scenam, tertium denique acta : pretium octo millibus sestertium numeratum est poetæ.

Adelphoe sexta est comœdia a Terentio facta, eaque edita e Anicio, M. Cornelio Coss. hoc est, anno ab U. C. dxciv. *Lud* bribus L. Æmilii Pauli, ut habes in Didascaliis. Iisdem lud bribus relata est Hecyra, sed non placuit, ut est in *Didascaliis* tamen in scenam producta est Hecyra, quam Adelphoe, ut co *Donato*, qui dicit: *Factam et editam quinto loco.* Male, ut audi nisi perinde habueris primam illius editionem, Cn. Octavio, T. Coss. quasi omnino edita non esset, cum neque spectata, neq tunc sit; neque tum male dices *quinto loco*, cum producta ludis funebribus Æmilii Pauli ante Adelphos. Quare audiend est *Donatus*, qui eam *secundo loco actam dicit, etiam tum rudi poetæ; itaque sic pronunciatum* Adelphoe Terentii, *non* T Adelphoe. *Quod adhuc de fabulæ magis nomine poeta; quam d nomine fabula commendaretur.* Quæ futilis argumentatio est nulla fabularum Terentii pronunciata est Terentii, exempli Phormio, Heautontimorumenos, antequam tertium edoceretur chus. Idque observat *Donatus* præfatione in Eunuchum, t editam fuisse post Adelphorum editionem.

L. VICTORIS FAUSTI

DE COMŒDIA LIBELLUS.

Sim brevis usque licet veterum de more libellus,
Meque suum quisquam nequeat asserere:
Nec triviis volgata feram, decerptave passim,
Nec proinde elata fronte superbus eam:
Attamen egregium nihil undique, et undique tersum est.
Nam quod miraris, ridet id alter opus.

Editurus ego libellum de triplici comœdiarum sectione, Trivisa decus, Andrea, tibi, quanquam prætextato, munus dicare d Non equidem admiratione bonorum corporis aut fortunæ, qua Venetiis et in adeo excellenti familia veneraremur: sed quonia genio te singulari adolescentem multis jampridem indiciis ipse veram. Etenim vere, quod de se jactabat Hermogenes, ætate tutibus, haud indole prævenisti. Quocirca nemini videatur ali si quod ab ingenio proficiscitur, ingenio præstanti adolesc nuncupatur. Cæterum arbitror me meis, quotquot potuerunt ir viribus consecuturum, ne amplius quid novum aut vetus, q medium, et cur in comœdia dicatur, ullus ignoret. Quod ha vel omissum a Latinis, vel abolitum vetustate secula nostra des runt. Multa quidem egregie Donatus, multa Diomedes, et adeo auspiciis protulerunt, ut ea grammatici passim in sua transcr sed tamen huc illa parum videntur, immo nihil pertinere. Qu igitur a Græcis auctoribus et Latinis haudquaquam nominatim tractata, verum obiter disserta collegimus: quædam ipsi collati se multis elicienda, ac breviter curavimus annotanda, quæ tibi parvus ego devovi, perinde atque suam Virgilianus ille Micon Venationem. Fatemur enim et eorum quæ nos minime præter subticuisse complura. Jam itaque nostram hactenus obligatam absolvamus. Comœdiæ nomen a Dæmone Como religiose adm

arbitramur esse deductum, quoniam et comessari de nomine dictum Philostratus affirmat, cujus scilicet numinis dexteritate quælibet hominibus fausta comessatio daretur. Quid autem sit comessari, Philostratus imagine Comi facilius tibi, quam ego possim, demonstrabit, ubi fingit eum fervescente mero supinum dormitare, facieque præ nimio potu scintillante, rhonchos ab imo pectore stertere deducentem. Utriusque vero sexus homines, id quod ipse desiderat, gregatim vestibus permutatis, plausuque concinno, quo maxime possunt genio indulgere. Quod ipsum in hac urbe sæpius vidisti, quum mimariæ (ut aiunt) saltationes hybernis noctibus debacchantur, quæ teste Pollucē κόρδακες appellari consuerunt. Noli igitur eos audire, qui comessari dictum putant ab esu, quoniam *s* simplici necessario scriberetur, nec secus eruditi veterum codices haberent. Nam Græcum illud κωμάζω, quemadmodum *z* litteræ natura desiderat, duplici *ss* Latine quidem annotatur, sicuti φιλιππίζω, philippisso est. Ita κωμῳδία quasi κωμαζῳδία, videlicet comessantium hominum cantilena. Quæ Græcorum et Donati sententia maxime placet; quum præsertim doctissimus quisque fateatur in Dionysiacis comessationibus id genus poematis a veteribus fuisse celebratum. Ii vero mihi nullo pacto blandiri possunt, qui nomen hoc ἀπὸ τῶν κωμῶν derivare contendunt, quoniam Athenienses (apud quos natam fere et auctam esse comœdiam nemo ambigit) δήμους vocarunt, quæ ab aliis κῶμαι fuissent appellatæ. Enimvero illud unum mihi negotium facit, ne scilicet Comum ἀπὸ τῶν καμῶν Græcia dixerit: quemadmodum Romani fornacaliam servatis ab incendio coluere fornacibus: et Robigum, sive Rubiginem, atque alios complures, a quibus præessent rebus appellavere. Utcunque tamen sese res habeat, περὶ τὸ κωμάζειν appellari comœdiam affirmo: quoniam etsi περὶ τὰς κώμας dicatur ὁ κῶμος, tamen ab eo τὸ κωμάζειν, unde κωμῳδία quasi κωμαζόντων ᾠδὴ nominatur. Verum ex ipso jam nomine patuit quænam definitio possit comœdiæ convenire, poema scilicet demulcendis hominum mentibus, excutiendisque potissimum cachinnis accommodatum. Hoc innuit Virgilius, et illi Græcorum, qui Θάλειαν musam comicis præsidere cecinerunt. Quæ scilicet festivis pullulans jocis, ad risum usque delectet. Hoc etiam Aristoteles comprobavit, inquiens, quod in turpitudine ridiculum est, comœdiam imitari. Quandoquidem illud inprimis poetæ rebus et verbis efficere conabantur: ipse quidem re bifariam, videlicet vel opinione sua, vel alterius persuasione deceptas fingendo personas: deinde magna nomina, vel deos mortalium postremis componendo, sicuti Plautus in Amphitryone Mercurium simulat agere Sosiam: vel contra, quemadmodum in Ranis Aristophanis fabula Xanthias vile mancipium Herculem agit. Verborum autem modis septem comici risus excitabant: vel scilicet plura significans verbum usurpantes, quod grammatici dicunt ὁμωνυμίαν: vel plura significationis ejusdem, quod vocant συνωνυμίαν: vel proprium aliquod ludentes nomen ea quidem ratione, qua nos interdum oratorem dicimus aratorem, quod illi nuncupant παρωνυμίαν, vel eadem sæpius non invenuste repetendo, quod appellant ἀδολεσχίαν: cujusmodi est illud Ennianum ab Aulo Gellio citatum, ubi verbum hoc *frustra* et *frustrari*, decies eodem loco inculcatur: vel aspernandi studio diminutiva formantes: vel aliquam haud absurde literam mutantes. Denique per non tritas dicendi figuras elegantiam alicujus, aut rude ingenium exprimentes, theatrum omne risu diffun-

debant. Verum hæc universa nihili nonnunquam erant, nisi histriones singulis adhibuissent accommodatam: quandoquidem oblectatio comœdiæ propemodum in actione consistit. Ha autem quæ diximus, bono omine procedant: ne (licet huic libe perplexis adeo quæstionibus propositum non sit disputare) nimis esse videantur.

Si funditus Latinæ comœdiæ quæras perspicere conditionen primis ejus originem par esse arbitror non ignorare: quippe ci nos e Græco fonte derivata per Latinos quasi traduces emanari veterum itaque fabulis quinque perhibent esse differentias, tem scilicet, stili, materiæ, numerorum, et apparatus. Nobis igitu pora considerantibus, tria comœdiarum genera sese offerunt guenda. Primum enim est, quod una cum Peloponnesiorum im Susarione, vel Sannirione floruit inventore. Alterum, quod a positis per Lacædemonios Atheniensium cervicibus, triginta quas tyrannis ad ætatem usque Philippi Macedonis est propagatum, licet per annos circiter sexaginta. Tertium, quod ab Alexandr poribus adeo faustum sumsit initium, ut etiam a Latinis in præ celebretur. Veruntamen ego comœdiam Græcum esse inv minime arbitror: neque (ut Thomas Magister, et eum secuti, vi æstimare) ab agricolis civium injurias conquerentibus esse deriv Hoc nempe causam asperitatis, et jurgiorum in veteri comœdia r quam mox ipsi longe aliam esse docebimus: neque videtur quic ut reor, ad comœdiæ primordia pertinere: quoniam Orpheus, constat per centum amplius annos ante Trojani belli tempora vi sub Laomedonte scilicet, ac Athenis Ægeo imperante, Bacchi my ab Ægyptiis tralata suis Thracensibus indicavit. Atqui com quemadmodum idem asserit Thomas, veris tempore in Bacchan agebantur. Unde etiam apud Romanos ara Libero patri sa dextro latere scenæ, quemadmodum ait Donatus, vel orchest Pollux, semper erigebatur, quod maximum est argumentum, a I mysteriis omne fabularum genus esse depromtum. Id Horatius i quum spectatorem et sacris functum, et potum appellat. P igitur arbitrari, prima comœdiæ semina per Orpheum ab Ægy Græciam fuisse delata: unde complura non Orpheus modo, ver alii transtulerunt. Celebres enim erant et Phœniciæ literæ no Græcis sexdecim a Palamede Nauplii filio configuratis: ac p studia poetices habebantur: proindeque sapientes illi numeris componebant: quæ una cum cæteris apud tum Ægyptios flo nemo bene doctus dubitarit. Non defuerunt etiam, qui fabu initia Siculis adjudicarent, quemadmodum Aristoteles in Poetic quoniam Epicharmus comicorum antiquissimus poeta illinc oriundus. Syracusanus enim revera fuit, duplicesque Græ litteras ζ ξ χ primus omnium excogitavit, sicut in Iliados alpha maticus Johannes solerti vir ingenio mecum sentit: ubi longas per Simonidem poetam in insula Chio natum scribit esse for aspiratarumque characteres θ ϕ χ Cadmo illi Milesio testatur eff licet hæc Plinius quinquagesimo sexto libri septimi capite longe tradat: nisi sit error in codicibus, aut Græci ipsi non satis sib stent, quos ille potissimum fuerit secutus. Satius tamen arbitro elementa singula singulis inventoribus addixisse. Ea igitur ægi tium somnia prætermittas. Uuum hoc sciens ab Æschylo, et qu

secutus est, Cratino, fabulas in suam formam esse tandem redactas. Siquidem ante devictos Persas ad Salamina, cujus victoriæ fabulam, quæ nunc exstat, Æschylus dedit, nullus in iis ordo poterat reperiri. Comœdiarum itaque prima semina ad Ægyptios referamus, formulam earum et ordinem Cratini temporibus adscribentes, stili cum cæteris scripturis eadem esse differentia videtur, antiqua enim comœdia gravis et elata semper incedit, ac nonnunquam obsoletiora quædam verba sectatur: at contra recentior perspicuum sermonem affectat, utpote quæ novis ac politioribus utatur atticismis.

Materiæ, quum tres esse nemo ambigat sectiones, quædam altius videntur nobis esse repetenda. Per Atticæ urbis incrementa potissimum vigente republica, quum scilicet omnia populi arbitrio regerentur, poetæ qui fabulis operam dabant, ab insectatione aliena stilum minime poterant continere: seu quoniam Attici suapte natura nasutiores esse dicuntur: sive potius quod plebeii semper innato odio patricios prosequuntur. Etenim præpotenti morem populo gerentes, et judices et prætores maledictis insectari minime dubitabant: ac nihilo secius privatos, si quis vel avarus, vel impurus esse videretur: maximeque dabatur laudi, si poeta quispiam e scena gravioribus, ac plene censoriis verbis id genus homines, veluti jaculis confecisset. Hoc namque multi domestico probro quasi flagello quodam vexati, cum mores præteritos mutare, tum vel esse frugi, vel saltem apparere cogebantur: ne denuo sese male gerentes, male identidem audirent: cujus rei numeros omnes Cratinus dicitur implevisse: quippe cæteris austeritate præstans, acerbissima jurgia procaciter exspuebat. Hac etiam in parte bonus ille Aristophanes non dormitavit. Ejus enim Vespæ fabula, quotquot erant sycophantæ, quos quidem ipse vocat ἠπιάλους, fecit ab incepto desistere, quo inter cætera facinore tantum placuit, ut oleagina, quæ par est aureæ coronæ, donaretur. Deinde labefactis populi viribus, quum scilicet imperium ad paucos omnino recidisset, nulla poetis amplius libere loquendi facultas concedebatur, sed pœnas dare potentioribus necesse erat, si quis vel minimum esset obloquutus. Idem enim Aristophanes, quemadmodum in Acharnensibus fabula de se ipse meminit, quinque talentorum multam perpessus est, propterea quod Cleonis cujusdam ex Atheniensium optimatibus impotentiam et peculatum per Equites fabulam detegere conaretur. Etenim illi adeo fuit infensus, ut quoniam ab opifice personam Cleoni similem habere non posset, sibi multo cæterisque id genus fucis concinnarit: histrionibusque præ nimio metu e scena prodire non audentibus, Cleonis personam solus agere non dubitarit. Eupolis vero præceps in mare datus est, eo quod potentiores aliquot in Baptis fabula momordisset. Quum igitur hæc animadverterent poetæ, decreverunt sibi fore prorsus a maledictis illis temperandum. Itaque stili nasum ob imminens vitæ discrimen alio converterunt, poema scilicet Homeri, vel alterius in ludibrium sæpe quidem injuriose vertentes: quorum maxime Cratinus scenæ populoque (ut aiunt) servire contendit. Noverat enim (arbitror) id quod in oratione de corona Demosthenes asserit, esse natura comparatum, ut homines libenti animo calumnias aliorum audire videantur. Ulysses itaque plurali numero fabulam dedit, quæ totius Odysseæ calumniaretur historiam. Aristophanes quoque postquam suo malo contra stimulum calces nihil valere didicisset, in alteram se formam quasi Protheus convertit, Æolum scilicet fabulam a tragicis

olim celebratam, in comicam *αἰολοσυκῶνα* deridendo permutavit idem Aristophanes (mirum dictu) novæ etiam initium comœdiæ quod velim ejus egregia laude dictum arbitreris. Quippe quun ipse queat triplicis argumenti poeta reperiri, siquidem et alia nomen est Cocalo, fabulam commentus esse dicitur, in qua vi compressiones, agnitæque agitarentur affinitates. Demum A Macedonum petulantia subjugatis, eas continuo fabellas edere erunt poetæ, quibus illorum impuritati satisfactum esse vid Quandoquidem vel ex Athenæi monumentis facile possumus c tare, quod gulæ ventrisque servitio Macedones fuerint eman Menander itaque suæ tempestati morem gesturus, comœdiam a stophanis Cocalo feliciter admodum est auspicatus: cui sic C alludit Amorum secundo, nobis obiter quænam fuerint ejus argu demonstrans,

> Dum fallax servus, durus pater, improba lena
> Vixerit et meretrix blanda, Menandros erit.

Quod nos cum Græco carmine ludentes in egregiam Terentii l vertissemus, tibi pulcherrimos condendi iambos dedisse ansam mur. Cæterum fuit octo tantum annis junior Alexandro, sa nobilis et morum integritate præclarus. Alexideque (ut ar præceptore jam adolescens dare fabulas cœpit, quæ centum e numero coram doctissimis quibusque steterunt, vel quinque centum, ut cecinisse Apollodorum Gellius scribit. Tandem A in patria duos et quinquaginta natus annos obiit mortem, decim licet ante bellum Macedonicum anno, quod Pyrrhus cum popul mano gessit acerrimum. Nec solæ quidem hæ Menandri Macedonum lumbos (ut his utar Persii verbis) intravere, sed Diphili Sinopei centum Philemonisque Syracusani Menandrum lantis fere totidem accesserunt. Prætereo quas Apollodorus, dippus, et Philippides addiderunt, ac cæteri, quos nova comœdia bravit. Profecto mira fuit Aristophanis felicitas: cujus una C e quinquaginta quatuor (tot enim vidisse se Thomas Magiste adeo multas diversorum poetarum fabulas procrearit, quæ cu rente suo reliquisque veterum pene omnibus ab usu nostro rante tempore exciderunt. Utinam extarent vel dimidiatæ, non forsan in præsentia fabulas perspiciendo cæcutiremus: nec ess ego vos semicæcus ducere conarer. Sed acta ne agamus, vitiu et præteritam calamitatem his quasi frugibus, quotquot extant stophanis fabellis compensantes. Duplex esse numerorum diffe videtur: quandoquidem veteres illi comœdiam variis distin versibus studuerunt, eo quod laudi maxime daretur, siqui novu minis genus adinvenissent. Unde Phrynicus in Ionico minori lecticon tetrametrum excogitavit, Pherecratesque sibi versum e deo, dactylo, et trochæo pulcherrimum concinnavit: nec secus I lis tetrametrum ex trochæis conglutinavit. Verum Aristophan in omnibus est *ποιητικώτατος*, in hoc etiam ulli cedere noluit. I cum enim hypercatalecticum monometrum, et brachycatalecticu metrum, est mira suavitate modulatus. Insuper ex anapæsti metrum acatalecticum, ex choriambis vero monometrum p omnium temperavit, atque alia complura per Servium, et illius pretes fabularum annotata, quæ mortalibus adeo placuerunt, ut b ros etiam Persarum animos potuerint demulcere. Etenim apu

Aristophanem accepimus præsertim a rege celebratum. Contra vero nova comœdia iambos, ut plurimum solet, usurpat: quemadmodum a Stobæo, Plutarcho, Gellio citata Menandri carmina demonstrant.

Binas apparatu differentias extitisse grammatici tradiderunt, cum scilicet in personis, tum in ipsa serie, comœdiarumque contextu. Platonius enim auctor est veteris comœdiæ poetas e scena solitos esse eos educere personatos, qui statim ex ipsa facie quos essent toto opere carpturi, spectatoribus indicarent: ut si forte quis non audire carmina cogeretur, de persona tamen, quisnam esset deridendus agnosceret. Sed comici recentiores ad excutiendos potissimum risus, histrionum facies configurarunt. De industria quidem monstrosos hominum vultus effingere conabantur, ne cuipiam forte fortuna Macedoni tunc præfecto similes esse viderentur: proindeque miser ille poeta non secus ac si barbarum principem data opera subsannaret, publice multaretur: adeo nobilis illa Græcorum majestas impuris obtemperabat. Quippe distorta corpora Menander (si Platonio credimus) planeque communem hominum excedentia naturam personis imitabatur, profecto sapienter, Quoniam, inquit ille, non solum malum, sed et mali vitanda est suspicio. Quod autem ad fabulæ pertinet contextum, chorus in causa est cur inter se veteres novique non quadrent: quandoquidem illi varia quædam modulamina temperabant, quæ chorus singulis actibus intercinendo plebem sine tædio, quousque novi egrederentur histriones, detineret. Populus enim Atheniensis, quatenus rerum dominus habebatur, quotannis ædiles creabat, qui sumtus alendis puerorum choris subministrarent. Cæterum chorus quatuor et viginti viris, puerisve aut feminis instruebatur, sicut Aristophanes in Avibus fabula numerat. Si vero promiscue viri feminæque ad explendum chori numerum adhiberentur (quod fecisse dicitur primus omnium Tyrtæus) mares dimidium excedebant. Si pueri, tum feminis illorum major numerus erat. Sin autem viri tantum, juvenes scilicet ac senes, identidem poetæ majores tredecim, minoribus undecim admiscebant, utpote quorum de nomine chorus appellaretur. Quilibet autem ex his chorus in quatuor (ut aiunt) ζυγὰ dividebatur, quorum singula sex continerent saltatores. Comicus inquam hoc pacto chorus apparabatur. Nam sicut Æschylus canit, quinque tantum et decem in tragœdia constabat. Interdumque dimidiato numero (sicuti Pollux ait) semichorum induci facile admodum est videre. Idem attamen scribit in veteri tragœdia, chorum saltatores habuisse quinquaginta: verum quoniam Æschylus totidem Eumenidas induxisset, quæ totum præ multitudine theatrum consternassent, cohibente lege ad pauciores esse deventum. Arbitror etiam in comœdia cum Donato longe plures ab initio fuisse cantores, quoniam (ut Aristoteles in naturali quadam sentit quæstione) multi facilius servare numeros possunt. Quum igitur post fabulæ prologum esset orchestram ingressurus, si rusticis constaret, a dextro latere solebat emitti: sin autem urbanis, a sinistra parte prodibat, quadrataque forma consistens recedentes histriones observabat. Deinde conversus ad spectatores, quorsumcumque septies theatrum intuebatur, totidemque cantilenas moderato gestu pronunciabat: quod omne παράβασις ab Aristophane pluribus in locis nuncupatur. Prima igitur cantilena statim ab histrionum discessu prolata, κορωνὶς communi nomine dicitur. Nam quicquid persona quapiam recedente cantatur,

grammatici comicos exponentes κορωνίδα solent appellare. Ko
vero proprie dicitur, quatenus de choro amputata recisaque pa
videtur: id a quibusdam εἴσθεσις χοροῦ nominatur. Secunda, παρ
non secus ac tota saltatio dicitur: quoniam illinc, ubi constiter
rus, populum versus incedit: sive ἀνάπαιστος, eo quod frequent
juscemodi cantus anapæstos usurparet. Tertia πνῖγος, aut μακρὸ
tilena scilicet (ut Pollux ait) una spiritus contentione prolata, qu
sejunguntur abinvicem, cum alterum alteri nullam habeat rat
Quæ vero sequuntur, inter se quadam sunt ratione conjuncta, vi
στροφὴ vel φδὴ, sive μέλος, ἐπίῤῥημα, ἀντίστροφος vel ἀντῳδὴ et ἀ
ῥημα, quod loco septimo cantabatur: στροφὴ enim sive ἀντίσ
membris et carminum genere quadrat. Rursus ἐπίῤῥημα undec
sibi conveniens ἀντεπίῤῥημα solet habere. Quoniam utrobique fer
per chorus ex iambis tetrametra sexdecim modularetur, totu
simul χορικὸν appellatur, quando comœdiæ partem volumus assi
quatuor enim sunt, videlicet πρόλογος, qui ad egressum usque
prorogatur: deinde χορικόν: et quod interponitur choris, ἐπει
postremo ἔξοδος, quæ scilicet a choro in calce comœdiæ pronun
ut Pollux in quarto scriptum reliquit. Ea igitur παράβασις, a
Demetrio Triclinio, quæ nullas harum partes omittit, perfecta
appellari: qualem Aristophanes in Equitibus fabula concinnavi
rum complures imperfecte pro arbitrio poetarum inseruntur: ic
idem in Nebulis fabula fecit: ubi solum ἐπῄῤῥημα, quod esset
carpendis accommodatum, induxit, ac in Ranis quatuor illa t
conjuncte reposuit. Sed illud est animadversione dignum, quo
ῥημα et στροφὴ sive μέλος, quando nullam ἀντεπιῤῥήματος, aut ἀντισ
reditionem exspectant, in fine semper habent παράγραφον, ut no
κατάσχισιν, id est, obnoxie posita videantur: quandoquidem hæc
transversa παράγραφος scilicet, tria illa, quæ diximus, inter se di
continuo claudit. Verum si futuram exspectant reditionem, c
tum hæc linea, cum non secus ac ἐπίῤῥημα, duabus aliis termi
quarum coeuntium angulus vergat introrsum: contra vero ἀντίσ
lineis clauditur binis, quarum extrorsum utrique anguli vergant
inde finale membrum, carmen scilicet ultimum amplectentes. V
ex iis duntaxat uno solet ἀντεπίῤῥημα concludi. Quæ plane signa
anguli sese habent, vel futuram, vel præteritam reditionem oster
Hoc Demetrius ille Triclinius scribens in Aristophanem excog
Veruntamen inter cantus, poetæ nonnunquam personas educere s
quarum dissertatio σύστημα κατὰ περικοπὴν appellatur: interdum
bus alternis contendentes aliquot proferunt histriones, vel ch
etiam respondentem: quod Hephæstion videtur ἀλλοιόστροφον a
lare. Verum has et alias consulto prætermittendas esse arbitror
stiones, quæ mira poetarum licentia gignuntur: constat enim illis
unquam non audendum. Quocirca nobis de choro certiora consec
pro materia satis abundeque dictum esse videatur, quomodo pr
tim in nova comœdia chorus nullum habeat, vel habere potuer
cum. Siquidem Athenis, quum omnia potentiores ad arbitrium
revocare cœpissent, nulli amplius creabantur ædiles: perindeque
tibus ad alendos juvenum choros institutis populus abuti prohil
tur: quod particulatim a Platonio legimus disputatum. Id i
animadvertentes poetæ, quemadmodum lata lege de non carpend
minatim, materia mutabatur, ita etiam cantilenis abstinere penitus

creverunt: quodque sapientes, quum tempori cedendum est, efficere solent, quæ erat necessitas, in virtutem egregiam transtulere. Nam actus fabulæ sic agebant colligatos, ut per intervalla, quæ quidem erant minima, saltem unus histrio relinqueretur, aut frequentius complures alternis inter se versiculis disserentes. Denique nihil vetusti chori proprium observabant: quemadmodum in Aristophanis Pluto fabula tute jampridem vidisti. Id Horatius ita cecinit,

lex est accepta: chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.

Miror autem quasi monstrum conspicatus, illum cujus scripta sub Acronis nomine circumferuntur, vel si est ipse Acro, dixisse id lege cautum sub Augusto. Poterat mediusfidius perspexisse (modo Plautum aut Terentium legerit) an ante Augustum actæ fabulæ quemquam momordissent. O quam egregie vetusta novis, Latinaque Græcis non hic modo, verum et alii fortuna similes confuderunt. Quippe hoc Athenis decretum patricii promulgavere vix anno urbis Romæ quadragesimo septimo supra ter centum, videlicet quum tribuni militares imperio consulari crearentur.

Comœdiam itaque tempus et materia, sicut diximus, in tria genera dividunt, antiquum scilicet, et novum, et medium. Stilus vero, numeri, et apparatus duplici tantum sectione partiuntur: diversa tamen ratione: quoniam stilus et numeri vetustiora duo simul componunt, quæ ad Alexandrum usque pervenere: sed apparatus medium illud annectit recentiori. Nam in utroque (si grammaticis credendum est) nulla chori modulamenta reperiuntur.

Non autem esse arbitror alienum in præsentia quædam particulariter considerare, quæ profecto multa non erunt: quoniam facile videtur ex hactenus dictis fere omnes tum Græcas, tum Latinas metiri comœdias, si temporum præsertim ullam habere volueris rationem; quando scilicet in scena floruerit unusquisque fabularum poeta. Primam igitur Romæ fabulam dare Lucius Livius occepit decimo supra quingentesimum urbis anno: qui quidem, Gellio teste, quinquagesimus secundus ab obitu Menandri numerabatur: vigesimo fere postea quam Romani primum Carthaginiensibus bellum indixissent: tunc enim pace composita, quæ populo tanto opere expetebatur, id genus oblectamenti relaxandi animi gratia receptum est. Deinde spatio novem annorum interjecto, C. Nævius data fabula spectandi copiam fecit. Post eum Plautus, anno fere decimo quinto: subinde seriatim Q. Ennius, Cæcilius, et Terentius floruere: postea non multo Pacuvius, qui jam senex Accio cessit. Postremo Lucilius fuit, qui medium illud argumentum, lacerandi scilicet aliorum poemata, sectabatur. Hunc enim Gellius in Accium, et Pacuvium magna laude stilum exercuisse testatur. Fabulas igitur isti de Græco petitas argumento, Latinis salibus condire statuerunt: quemadmodum in Terentii, vel Plauti, quæ circumferuntur, fabulis est videre: novamque penitus comœdiam sunt imitati, nullam chori modulantes cantilenam: sed actus (ut ait Porphyrio) tibiarum concentu dirimentes. Ubi operæ pretium est animadvertere tibias chori proprietatem æmulari. Nam (ut auctor est Donatus) quæ fabulæ graves haberentur et severæ, tibiis dextris agi consueverunt: quæ vero jocis et urbane dictis undique scaterent, continuo sinistris. Pollux enim auctor est quinque olim in scena januas extitisse; quarum media illius omnino domicilium esset, qui primas in fabula partes ha-

beret: altera, dextra scilicet, huic proxima, illius esse consue
partes darentur secundæ: tertia, sinistra, vel maxime tenuis, a
lius erat personæ, vel desolatum aliquod simulabat sacellum. A
quarum dextra eos emittere solebat, qui non ab urbe, sed aliun
ficiscerentur: sinistra vero contra, quotquot venirent, urbanos
cebat. Ab hac (ut arbitror) ejus fabulæ chorus prodire con
quæ salibus jocisque referta esse videretur. Quippe, quod fac
citur, solemus urbanum appellare. Verum ab altera, si rusticos
contineret, quadam severa, gravique simplicitate chorus emitt
Etenim eos potissimum rusticos vocamus, qui semper obducto
cilio facetias aversantur. Unde Palamedes apud Philostrati
Achille dicitur ἀγριώτερος, quoniam ut erat undique severus, in
etiam nihil haberet.

Cæterum, licet multa sint genera tibiarum, tamen duo s
potissimum frequentabant, videlicet Phrygiæ: quarum nonnullæ
dextræ, modo sinistræ ponebantur. Dextræ, quæ foramen u
haberent: sinistræ, quæ duobus essent foraminibus distinctæ. C
Servius Varronem secutus, duas impares cavernas hujuscemod
fuisse testatur, ac foramina totidem. Unde Virgilius earum b
cantum appellat, propterea quod graves et acutas emitterei
tibicinis arbitrio voculationes. Alteræ sunt Serranæ, sic (ar
appellatæ, quoniam iis saltatores et proferre et referre pedem co
juberentur, non secus atque sectores, qui serra adacta partiri
conantur. Siquidem Pompeius ait serram id prælium dici q
quenter acies et accedere et recedere soleret. Hæ semper
sinistræ, paresque, id est, æquales cavernis: proindeque paren
centum, acutum scilicet emittebant, quemadmodum Servius hau
plexe scriptum reliquit. Veruntamen Diomedes tibias pares
pares videtur numero definire: quod equidem non video cur
admitti: nam par et impar qualitate fere semper accipitur a I
Exemplo sit hoc Ovidianum,

Par erat inferior versus.

Et illud Virgilianum

Formosum paribus nodis.

Ac illud

Impar congressus Achilli.

Sed quo tandem sum incuriose digressus? Egone ut magna n
sugillarem? Minime, si meum mihi vitæ institutum permanebit.
circa ne nobis aliquid Eupolidis infortunio simile contingat, pe
jam operi paragraphum stilus obducat.

DE FABULARUM, LUDORUM, THEATRORUM, SCENA
AC SCENICORUM ANTIQUA CONSUETUDINE, LIBELL

EX OPTIMIS AUCTORIBUS COLLECTUS, AD COMICOS FACILIUS INTELLIGI
PRÆCIPUE CONSCRIPTUS IN GRATIAM STUDIOSÆ JUVENTUTIS.

NUNQUAM existimandum est cuiquam posthac familiarem Pl
aut Terentium futurum; eorumque intimum artificium, orationi
racterem, atque venustatem, aliaque id genus plura quemquam

assequuturum, nisi comicam omnem dignitatem, morem, et agendi consuetudinem, quæ ab antiquis in fabulis ac ludis observari solebant, exacte teneat. Ita fiet, ut postea nihil præter metrorum rationem, ac versuum mensuras desiderare possit: quas nimirum ex Terentiano, omnium Latinorum grammaticorum cultissimo, et in hac re plurimum exercitato, desumere licebit. Hic itaque libet adolescentulis bonarum literarum studiosis breviter proponere: primum, unde nata sit comœdia, quoque pacto ante comœdiarum usum antiqui poetæ luserint: deinde vero, quomodo comœdiæ agi ac pronunciari solitæ fuerint, ut quid *ludi* sint, quid *theatra*, *scenæ*, *actus*, *personæ*, et id genus cætera, facile intelligantur. Quod opus dum aggredimur, facilem atque attentum lectorem esse cupimus, ut tandem intelligat, quid sit fabula, tragœdia, comœdia vetus, satyra, et nova comœdia.

Quid fabula, tragœdia, satyra,
Comœdia vetus et nova.

Fabulæ generale nomen est, tragœdiam, satyram, et comœdiam in se complectens. Estque fabula narratio quædam conficta, et demissiore plerumque stilo ac versibus conscripta ad oblectationem auditorum. Unde etiam *poemata* inter fabulas a nonnullis connumerantur: quapropter quibusdam visus est Homerus Iliadem instar tragœdiæ, Odysseam ad imaginem comœdiæ conscripsisse.

Tragœdia autem fabula est, qua antiqui reprehendebant, quod in rebus non solum privatis ac civilibus, sed maxime arduis et ad principes attinentibus minus rectum videbatur. In ea scenici amurca, et olei fæcibus (quas Græci τρύγας vocant) perlinebant ora, ante usum personarum; unde tragœdiæ nomen. Ejus grave argumentum fuit, petitum sæpe ab historica fide: dictio severa, sublimis, sæpe tumida: tranquilla prima, exitus funesti.

Post tragœdiam inventa *comœdia*, quæ *vetus* dicta est: in qua (ut in tragœdia quoque) simplex carmen fuit: quod carmen chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat: eratque primo una persona cantoribus substituta, quæ respondens alternis choro, locupletabat variabatque rem musicam. Chorus autem in tragœdia, aut *comœdia vetere*, dicebatur multitudo coævorum juvenum, aut minorum in sacris, vel scena, cantantium atque saltantium.

Fuit *vetus comœdia* Græcis *Archæa* dicta, quia esset de nobis parum cognitis vitiis; item etiam *Eteonymos*, quia inesset in ea velut historica fides veræ narrationis, et nominatio omnium, de quibus scribebatur. Sed cum poetæ in comœdiis abuti licentius stilo, et passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, lege lata, ne quisquam in alterum infame carmen scriberet, tacuerunt.

Satyra exinde sumsit exordium. Estque genus fabulæ, quæ ex Satyris, quos illotos et petulantes Deos esse scimus, nomen sumsit. Fuit autem ejusmodi, ut in ea, quamvis duro et agresti joco, tamen vitia hominum, sine ullo proprii nominis titulo, carperentur, atque per scirpos, et ænigmata, magnæ res describerentur. Id vero genus fabulæ multis obfuit poetis, quum in suspicionem potentibus civibus venissent, quod illorum facta descripsissent in pejus, ac deformassent fabulæ genus stilo carminis.

Post exoletam satyram inventum est a poetis aliud fabulæ genus, quæ *comœdia nova* dicta est. Ea erat fabula, continens imaginem civilium ac privatarum rerum: qua discebatur, quid esset in vita

utile, quid evitandum. Unde ait Cicero, comœdiam esse imitatio vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.

Nomen habet *comœdia*, vel a Como, deo comessationis, vel a quod primum Athenienses per vicos adhuc dispersi ex omnibus læti alacresque conveniebant: ibique rudibus et incultis ver potentiorum, aliorumque item hominum vitia nominatim perstri bant. Nomen autem compositum ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν. summa, comœdia est poema sub imitatione vitæ ac similitudine positum, in gestu et pronunciatione consistens. In ea mediocres tunæ hominum, parvi impetus, pericula quotidiana, turbulenta pr pia, lætique fuerunt exitus, et ficta argumenta. Caruit quoque c nova comœdia, contra quam vetus, paulatimque personarum nu in quinque actus processit: quod tunc quum ad cantores ab acto transibat fabula, consurgeret et abiret populus. In ea etiam pers rum ornatus alius inventus est, pallia, socci, et id genus cætera.

Post novam comœdiam Latini multa fabularum genera protule quæ tamen comœdiæ dicebantur. *Togatas* vocabant a scenicis i mentis, quæ Romanam togam præ se ferebant, et ab argum Latinis; *Prætextatas* a dignitate et vestitu personarum, et L historia: *Atellanas* ab Atella Oscorum civitate, ubi inventæ dicu eæ salibus conspersæ erant, ac jocis compositæ, in se non hab nisi venustam elegantiam: quales sunt Plautinæ: *Rhyntonicæ* co diæ dictæ ab auctoris nomine: *Tabernariæ*, ab humilitate argu et stili; *Palliatæ* ab habitu et argumento Græco. *Mimi*, ab inverec imitatione vilium rerum, et levium personarum. *Planipedia* quoqu mœdia dicta, ob humilitatem argumenti, ac vilitatem actorum, non cothurno aut socco utebantur in scena aut pulpito, sed p pede: vel ideo, quod non ea negotia contineat, quæ personaru turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano et humili

Omnium autem comœdiarum scripta, quæ dramata Græci voca ex quatuor rebus omnino sumuntur: nomine, loco, facto, ev Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut An Leucadia, Brundusina. Facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi. Ev ut Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Dividitur comœdia in quatuor partes: *prologum*, *protasin*, *epitasin*, *catastro*

Prologus est veluti præfatio quædam fabulæ, in qua vel p excusatur, vel fabula commendatur.

Protasis est primus actus fabulæ, in quo pars argumenti explic pars reticetur, ad populi exspectationem tenendam.

Epitasis incrementum est, processusque turbarum, et invo argumenti, cujus elegantia connectitur.

Catastrophe est explicatio fabulæ, per quam eventus ejus explic atque approbatur.

DE LUDORUM ANTIQUORUM GENERIBUS.

Verum ut omnis comœdiarum ratio facilius intelligatur, atque ea, quæ omnem comœdiarum actionem spectant: attendendum primum, quando fierent, quo loco, et qua forma. Hoc autem demum lector intelliget, cum pernoverit, quid fuerint apud anti ludi, theatra, actus, scenæ, et hujusmodi cætera.

Vetus itaque comœdia, item etiam tragœdia primum agi solebat a Græcis, in vicis et pratis mollibus, adscriptis et propositis præmiis, quibus ad scribendum poetarum provocarentur ingenia: actoribus quoque munera offerebantur, caperque dono dabatur, ut libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinum commentationes populum allicerent.

Agebantur comœdiæ et tragœdiæ apud vetustissimos in honorem Liberi patris. In Italia primum actæ sunt Compitalitiis ludicris, admisto pronunciationis modulo, quo, dum actus commutabantur, populus detineretur. *Compitalitii* autem ludi dicti, qui per compita fiebant; scenæque ductiles in plostris ob id antiquis excogitatæ. Postea vero factum, ut ludis publicis, et in theatro agerentur novæ comœdiæ apud Romanos.

Ludos vocabant publica spectacula, quæ tum in gratiam populi fieri solerent a senatu, et a principibus instituti, vel ad favorem populi conciliandum (ut nonnullos Cæsares fecisse legimus), vel ad animorum relaxationem et oblectationem. Multo magis ad religionem instituti sunt ludi. Nam diis post sacrificia etiam ludos publicos consecrabant.

Ludi igitur, et *ludicra*, quæ etiam *certamina* vocarunt Latini, Græci *agonas*, multorum generum fuerunt: neque vero uno tantum spectaculo in publicis ludis detinebatur populus. Erant autem ludi *gymnici* et *athletici*: *ludi circenses*: *ludi gladiatorii*: et *ludi scenici*, de quibus nunc singulatim est paucis disserendum, partim ex Budæo, nostræ Galliæ lumine, partim ex Vitruvio, Luciano, et aliis antiquis auctoribus.

Gymnici et *athletici* ludi in palæstris in gymnasiis fiebant apud Græcos, quæ loca fuerunt exercendis et corporis et animi viribus accommodata. Nam etiam in iis pulæstris aut gymnasiis exedræ fuerunt, in quibus philosophi Græci sedentes disputabant. Sed et *palæstræ* appellatio omnem athleticam artem et exercitationem complectitur, decentiamque: qua status, motus, flexusque corporis, ac omnes omnino habitus venustatem quandam leporemque præ se ferunt: quam qui non didicerant, ii *apalæstri* ab antiquis dicti sunt. Eam vero artem qui exercebant, aut qui in palæstra exercebantur, vel decertabant præmiis, *palæstritæ* vel *palæstrici* dicti sunt: *gymnicos* Græci etiam vocarunt, quod nudi athletæ exercerentur. Cæterum in palæstra *gymnasii* (inquit Plautus) cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, saliendo se exercebant athletæ. Hujusmodi ludi in campo Martio apud Romanos fieri solebant.

Qui currebant in ludis gymnicis, hoc est, cursu corpora exercebant, vel eo decertabant, Græcis *dromi* appellantur, hoc est, cursores. Quorum alii *stadiodromi* dicebantur, qui stadium percurrebant: alii *diaulodromi*, a circumactu curriculi, id est, duplo curriculo, quod *diaulon* vocabant: nam ii cursores quum ad metam pervenerant, flectentes, eo rursus recurrebant, unde cursum inierant. Erant et *dolichodromi*, qui sexies stadium curriculo obibant: nam *dolichos* longissimus cursus dicebatur.

Lucta, Græcis *pale*, vel in cœno, vel arena, vel pulvere fiebat: unde luctatores in ludis gymnicis, aut *palæstra*, Græcis *palæstæ* appellati. Ii luctaturi, *ceromate*, id est, oleo cerato perfundebantur: unde qui eos ungebant, *ceromatistæ* dicti. *Pulvere* quoque post unctionem inspergebantur, ut corpora ceromate et sudore lubrica mutuas luctantium prehensiones admitterent: unde natum proverbium, *citra pulveris tactum*,

de iis, qui facile aliquid assecuti sunt, et citra sudorem, quod et *pulverem* dici potest. Eum pulverem Græci *aphen* dicebant. luctatores quidam summis inter se manibus depugnabant, nullo plexu hærentes: eos *acrochiristas* vocabant Græci. Alii vic feriebant arrectaria concertatione, hoc est, arrecti, et pulvere c alter alterum impetebant procursu calcitratuque: calcibus cubitis, unguibus, non modo pugnis utebantur, omnique impe prehendendique modo: *pancratiastæ* vocati, et *pancration* hujus certaminis genus, ex eo quod advocatis omnibus corporis vi omniumque nervorum contentione transigeretur.

Qui disco se exercebant athletæ, *discoboli* Græcis appellaba hoc est, discum in sublime jaculantes. Erant autem discus rotundus ac pertusus, inquit Ammonius.

Pugilatus quem Græci *pygmen* appellabant, cæstibus exercel quales a Virgilio lib. v. describuntur: in eo qui exercebantur, p Latinis, Græcis *pyctæ* dicti sunt: quod nomen ad gallinaceos p ces translatum est.

Saltationum in ludis gymnicis multa genera fuerunt, quemadm docet Lucianus. Erat enim saltatio *Pyrrhicha*, a Pyrrho inve qua *Pyrrhicharii* et *Pyrrhichistæ* dicti: quæ eadem saltatio *en* id est, armata dicebatur: quod armati saltarent. Erat saltatio *dax* obscœna, et comica: et alia saltatio satyrica, quæ *sicinnis* batur. Fuit item *emmelia* saltatio, pacata et honesta. Qui vero s pernicitate contendebant in gymnasiis, *haltici* a Græcis dicebantu autem *halmate*, id est, saltu certabant, apud antiquos utebantur *teribus*: sic enim vocabant plumbeas pilas, massulasve, quibus ut manu se librabant, ut certius assilirent. *Chironomia* quoque erat tatio gesticulatrix, qualis est, quam Mauricam vocamus: unde *nomi* hujusmodi gesticulatores dicti.

Circenses ludi certamina erant curulia, quæ in circo fiebant: locus erat ovata specie constructus, undecunque spectaculis orn e quibus innoxie patres equitesque Romani prospectare solel cujusmodi quemdam Flaminius Romæ construxit: unde circum F nium legimus, et circum Maximum, a Cæsare dictatore exstruc cujus vestigia adhuc hodie visuntur Romæ, juxta ædem D. Sebas sacram. Fuit autem longitudine stadiorum trium, latitudine u cum ædificiis jugerum quaternum ad sedem ducentorum sexa millium hominum. Erant in eo *metæ* depositæ, duarum aut t pyramidum formam referentes. In ejus summitate carceres era quibus equi curribus juncti, ad cursum emittebantur, et quu summum devenissent, revolvebantur, donec ad priorem metam p nirent. A curribus, hoc est, bigis, trigis, et quadrigis, curules dicti. Unde etiam dictos puto *ædiles curules* quod iis administr essent præfecti: erant enim omnium præstantissimi ludi. Nam se exercebat, et magnis præmiis contendebat nobilissima Roman juventus, aptiorque ad bellum reddebatur. Fiebant primum antiquos inter enses et flumina, ut ab utraque parte esset ign præsens periculum.

Agitatores dicti sunt aurigæ in curuli certamine et ludis circens quorum factiones erant a tunicarum coloribus: ut alii dicerentur sati, Albati, Prasini, Veneti; atque ita insistentes curribus juv velocitate equorum, aut agitatorum arte trahebantur.

Erant et *desultores*, qui duos equos absque ephippiis agitantes, ex altero in alterum subinde mira pernicitate desiliebant: *amphippos* Græci vocant. Hinc *desultoria levitas* in proverbium abiit: et equi desultorii dicti, ad id certamen accommodati.

Celetes et *celetizontes*, equites erant in certamine curuli non bigis aut quadrigis utentes, sed equo uno insidentes: cujusmodi certamen hodie quoque nonnullis in locis celebratur.

Ludi gladiatorii plerumque post scenicos fiebant. In iis decertabant gladiis, populumque celeri agitatione gladiorum oblectabant. Gladiatorum autem genera, Retiarii, Secutores, Mirmillones, Hoptomachi, Thraces: quorum exempla apud auctores crebra sunt. Horum institutores ac magistri *lanistæ* vocabantur. Non enim ignari gladiatoriæ artis prodibant in publicum spectaculum, ad præmia consequenda. Itaque apud lanistas prius exercebantur in *umbratilibus pugnis*, quas *sciamachias* Græci vocarunt: quod hujusmodi pugnæ simulacra sub tecto fieri solita erant, non ut vera pugna, in sole et pulvere. Hujusmodi lanistæ sunt apud nos, qui gladiandi artem privatim profitentur; qui docent omnes numeros impetendi cedendique, vulnera inferendi vitandique, aut ubi punctim cæsimve feriendum. *Ludi* vero *scenici*, qui et *agones musici* et *Dionysiaci* dicebantur, quasi Libero patri dicati, ad comœdiarum, tragœdiarum, aut satyrarum recitationem pertinebant: item ad cantus et poemata: scena ob id in theatro composita atque extructa ea ratione, quam mox describemus. Qui se in his ludis exercebant, *scenici* etiam dicebantur, et Dionysiaci artifices. *Ludorum*, aut certaminum *diis* consecratorum, quatuor erant apud Græcos genera. Erant enim Nemea, Isthmia, Pythia, et Olympia: quæ omnium erant maxima spectacula. In his ludis proponebantur victoribus magna præmia, quæ qui custodiebant, ludisque præerant, βραβευταὶ Græcis, Latinis *designatores* appellabantur, quorum officium erat, multitudinem retinere, obambulare, et spectatores moderari virgarum terriculo. Unde *mastigonomi*, et *rhabduchi* etiam dicti, quod virgas gestarent, ut in officio continerent spectatores. Musicis quoque agonibus erant *critæ*, id est, judices, a quibus *critici*, id est, poematum judices dicti sunt. *Ludorum*, qui diis consecrabantur, apud Romanos quatuor erant species. Eos ludos ædiles curules munere publico quotannis curabant. *Megalenses*, sive magni ludi dicti, quod magnis diis consecrati essent: quibus ludis quatuor actæ sunt Terentii comœdiæ: Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Hecyra. *Funebres*, aut funerales ludi, ad retinendum populum instituti sunt, dum pompa funeris, decreta in honorem patricii viri, plene ac publice instruebatur. His ludis acta est comœdia Terentii Adelphi. *Plebeii*, sive Romani ludi pro salute plebis edebantur: quibus ludis acta est Phormio. *Apollinares* ludi Apollini consecrati, aut in honorem Apollinis instituti.

De Theatris et Amphitheatris antiquis.

Quo melius et commodius spectarentur comœdiæ, tragœdiæ, aut ludi, sive ii gladiatorii, sive etiam scenici, vel alterius generis essent, instituta sunt ab antiquis, quæ *theatra* vocabantur, a commode videndo ac prospiciendo sic appellata. Nam ante theatrorum usum, scenæ super *plaustris* ductilibus exstruebantur, ac per compita ductæ, populo

præbebant oblectationem. Theatra autem erant ædificia, vel
ratus in populi gratiam instructi, ad hemicycli speciem, ad specti
ludos: *spectacula* Latine possumus dicere. Cum forum instit
fuerit, (inquit Vitruvius,) tum deorum immortalium diebus
ludorum spectationibus, eligendus est locus theatro quam salul
mus. Fuerunt autem theatra duorum generum: alia lignea et plu
tabellationibus extructa, qualia ludis publicis quotannis fiebant R
atque ea perennia non fuerunt: alia sumtuosa et nobilia, ex s
rebus, id est, ex structura cæmentorum, lapide aut marmore c
tuta, quale est quod construxit M. Scaurus in ædilitate sua,
etiam Pompeius, et alii permulti. Ita autem compositum fuit an
theatrum, ut eo conveniens, et commode sedens turba, e longi
facile spectare posset, concavo æqualique parietum circumject
vel leni sono dicta verba, ad alterum theatri caput facilius ferre
Postea vero excogitatum est theatrum in rotundam formam exstruc
alio multo excellentius atque capacius, magisque sumtuosum:
quia veluti ex duobus constaret theatris, rotundamque figuram
jam amplius hemicyclum referret, ob id *amphitheatrum* dictum
quale est, quod hodie Romæ videtur, aliquando ab Antonio
ædificatum, et a Gothis devastatum (*Collisæum* vulgus vocat)
potissimum ad alia spectacula vulgo proponenda factum atque ir
tum fuit: nam ad scenicos ludos prospiciendos, magis idoneum
theatrum: ob quos præcipue inventum fuisse credibile est.
facile conjecerim, Terentium, quo tempore primum proposuit
Hecyram, egisse in *amphitheatro*: scena per medium ipsius exstr
et ad unum tantum hemicyclum spectante: nam ab utroque an
theatri semicirculo spectari non poterant comœdiæ: quo factun
dum in aliud latus vacuum, alia spectacula confestim proponere
veluti pugiles, funambuli, et hujusmodi cætera: populus ante
lutam comœdiam illuc concurrerit, ad loca commodiora occup
quemadmodum ipse poeta conqueritur, neque propter strepitun
mulierum de loco pugnantium clamorem, absolvi potuerit. Quc
accideret in publicis ludis, existimo potissimum movisse C
Curionem, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, ut *theatra*
lignea, eaque amplissima excogitaret, in quibus etiam duæ e
scenæ, propter spectatorum commoditatem. Erant autem (
mirum fuit) cardinum singulorum versatili suspensa libramento, ir
Plinius, e quibus utriusque antemeridiano ludorum spectaculo
inter se aversis (ne invicem obstreperent scenæ) et repente circ
actis, ut contra starent; postremo jam die descendentibus tabuli
omnibus inter se coeuntibus, faciebat amphitheatrum, et gladiatc
spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populum Roma
circumferens. Itaque vides, quemadmodum scenici ludi dum
rentur, aversis theatris agebantur, ne turba fieret: dum autem
ponebantur, aut producebantur gladiatores, in amphitheatri red
bantur formam, et in unum duo theatra coibant. Sed et novissimc
(ait idem) divisis duabus per medium scenis, athletas edidit C
raptisque repente e contrario pulpitis, eodem die, victores e gla
toribus suis produxit. Vides quemadmodum *pulpitum* etiam auf
batur, dum gladiatores prodirent; nam ipsam aream occupabat:
autem factum fuit, fessis turbatisque volubilium theatrorum cardini
Nam ante non erat opus eximere pulpitum, cum contra starent sce

et locum præberent circumactis theatris in amphitheatri formam, post ludos scenicos absolutos.

Theatri conformatio; ejusque partes.

Sed quo tandem artificio, quave industria ædificatum fuerit apud antiquos theatrum prospiciendis scenicis ludis idoneum, paucis hic vobis proponere libet, ne quid earum rerum prætermisisse videamur, quæ ad hunc sermonem pertinere judicentur. Quod tamen non ita accipiendum erit, quasi ad unguem expressum, sed partim conjectura et ratione natum, partim ex iis descriptum, quæ tum in antiquis ruinis aliquando vidimus, tum etiam ex auctoribus, qui de hac re scripserunt, comprehendimus. Itaque primum intelligendum est (quemadmodum paulo ante docebamus) theatrum fuisse in semicirculi figuram compositum, atque ita conformatum, ut æque gestus prospicerent, ac voces audirent (sine tumultu tamen) qui ad latera et in summis sederent gradibus, atque ii, qui in imis juxta scenam. *Caveam* vocare videtur Plinius locum in theatro, gradibus ac sedibus constructum atque compositum, in quo sederet populus. Cavea ipsa (inquit de theatro Scauri) cepit hominum octoginta millia: cum Pompeii theatri (sic enim legendum est: nam nunquam Pompeius amphitheatrum edidit) toties multiplicata urbe, tantoque majore populo, sufficiat large quadraginta millia sedere. Nisi mavis caveam accipere pro tota theatri capacitate, ut etiam scenam ipsam comprehendas, quod tamen minus probaverim. *Gradus* autem dicebantur in ipsa leniter pendente theatri forma, sedes lapideæ, in hemicyclum etiam exstructæ, e quibus commode prospiciebat populus. Super his gradibus (quos non amplius quindecim esse conjecimus) sedebant spectatores, et ad eos undecumque commeabant, nullo inter conscendendum alteri noxam afferente. Illuc autem per cuneos accedebant, qui tum in ima theatri cavea, tum etiam supra ipsam, adeo ingeniose conformati erant, ut ab iis per alios scalares gradus ad quemlibet gradum spectatorium facilis pateret adscensus. *Cunei* spectaculorum (inquit Vitruvius) in theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum, qui currunt circum curvaturam circinationis, dirigant ascensus, scalasque inter cuneos ad primam præcinctionem. Supra autem alternis itineribus superiores cunei medii dirigantur. Cunei in imo dirigentes scalaria, erant numero septem. Gradus spectaculorum, uti subsellia composita, erant non minus alti palmo pede, non plus pede et digitis sex, latitudines eorum non plus pedes duos semis, non minus pedes duos constituebantur, ut per id spatium latius, seu per ambulacrum quoddam, nullo negotio, huc atque illuc, ad vacuas sedes deerraret populus, absque eorum incommodo, qui jam consedissent. Post tres quoque singulos gradus, qui quartus in ordinem succedebat, duplo latior erat cæteris, ad leviorem theatri proclivitatem, et ut singulis ordinibus singuli tres gradus relinquerentur. Ac ne petulanti aut insolenti populo proper sedes quantumvis accessu faciles, præberetur rixæ causa, cautum erat ne quilibet in quibuslibet sederent gradibus: sed in tribus primis, qui proximi essent scenæ pulpito, amplissimæ et extremæ dignitatis viri, in sequentibus consulares, in aliis patricii, ac deinceps plebeii in reliquis gradibus sederent. Itaque veteres architecti, naturæ vestigia persecuti, indagationibus vocis scandentes theatrorum perfecerunt gradationes, et quæsiverunt (inquit Vitruvius) per canonicam mathe-

maticorum, et musicam rationem, ut quæcunque vox in scena clarior et suavior ad spectatorum perveniret aures, ac ne vox diret, ita compositi erant gradus, ut linea quum ad imum g et ad summum extenta esset, omnia cacumina graduum angu tangeret. Atque ut vox actorum suavior et delicatior spectat videretur, antiqui Græcorum artifices, inter sedes theatri *cella* stituerunt ratione musica, in quibus *vasa ænea*, pro ratione ma dinis theatri facta collocabantur, quæ ita fabricata erant, ut tangerentur a voce, sonitum facerent inter se. Eoque artifici locata fuerunt, ut nullum parietem tangerent, circaque habere cum vacuum, et summo capite spatium, ponebanturque et su cernebantur ore declivi, ut in iis vox actorum ingressa, harm efficeret, et gratiam quandam afferret spectatoribus, utque int facilior esset. Tale quiddam audio adhuc hodie extare in quib templis antiquis, quæ nunc quoque supersunt integra, apud r tempestatis Græcos. In quorum fornice inferiore atque sup varia sunt foramina hinc inde conspersa, ac sibi veluti ex diame uno ad aliud latus correspondentia, in quibus vasa ænea impacta quorum os (quod angustius est, quam ipse venter) tantum ex patet, non etiam prominet. In ea vasa, vox in templo canentiu clusa, incredibilem efficit harmoniam, sonosque distinctissimos, modum gratos, atque auditu faciles. Sed in theatris vasa res suspendebantur. Tale quid autem Romæ factum fuisse suis ten bus negat Vitruvius, sed in Italiæ regionibus et in pluribus Græc civitatibus. Unde Lucius Mummius diruto Corinthiorum theatr ænea vasa Romam deportavit. Multi etiam architecti, qui in o non magnis theatra construxerunt, propter æris inopiam, *fictilib liis* ita sonantibus electis, hac ratiocinatione compositis, usi Quapropter Plinius ait, in theatris vocem optime currere in dolii nibus. In ligneis autem theatris (ait Vitruvius) quæ Romæ p fiebant, non erat vasis æneis opus, cum tabulationes haberent plures, quas sonare necesse erat. *Aditus* permulti et spatiosi dis erant circa theatrum, nec conjuncti superiores inferioribus, sed e nibus locis perpetui et directi, sine inversuris: uti quum popul mittebatur e spectaculis, non comprimeretur, sed haberet ex om locis exitus separatos sine impeditione. Reliquum theatri artif a gradu omnium superiore in altitudinem trium contignationun porrectum erat, etiam in hemicylum: atque ita exædificatum, ut ticus efficeret: undecunque patentes, et columnis hinc et inde tiores factas, in quas populus se reciperet, si quando propter im aut cœli tempestatem minus commodam, ludi interpellarentur. theatri partem *præcinctiones* videtur appellare Vitruvius: Plinius *rietem circumjectum*. Sed inferiores et imi theatri porticus dup erant, mediaque spatia sub divo inter porticus, viridibus adorna tur, quod (inquit Vitruvius) *hypæthræ ambulationes* haberent mag salubritatem. Replebantur quoque, auctore Plinio, flore croci sy tris, propter oculorum oblectationem, ut puto, magis quam ad od conciliandum. Quin etiam ne solis ardor aut etiam conspectus p lum ab officio deturbaret: utque salubribus spectatores conspic (nam porticus propter imbres tantum ædificatæ fuerunt) excogitata *vela* toto *theatro*, atque adeo ipsi theatri caveæ supertensa, quæ s tatoribus umbram facerent: quod primus omnium invenit Q. Cat

cum capitolium dedicaret. Carbasina deinde vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinther, Apollinaribus ludis: mox (ait Plinius) Cæsar dictator, totum forum Romanum intexit. Nero Cæsar velis, rudentibus superstratis et colore cœli stellati amphitheatrum contexit, ut solem defenderent. Ima theatri sedes vel potius id spatium quod ab ima sede theatri interjacebat pulpito, *orchestra* dicebatur, quasi saltatorum, quod illic apud Græcos et apud Latinos antiquiores, saltantes histriones populo oblectationem afferrent, interea dum actus commutarentur. In eam etiam thymelici, hoc est, citharistæ, citharœdi, tibicines suas præstabant actiones ipsis Græcis, atque id spatium comprehendebat apud antiquos, quod ceu centrum theatri ab imo gradu ad pulpitum usque scenæ vacuum relinquebatur. In theatrorum orchestris (inquit Plinius) scobe aut arena superjecta vox devoratur, et in rudi parietum circumjectu: quapropter existimo probe emundatum fuisse, si quando pugilum ludis arena conspersa videretur. Novissime autem apud Romanos orchestra senatoribus dicata fuit, in qua honorificentiorum erant loca designata, propter commoditatem: ut inde, non solum verba et gestus, sed etiam pedum motiones, et vel minima quæque conspicerent: proximus enim hic gradus erat pulpito scenæ, de cujus compositione mox dicendum est.

Positio et constructio Scenæ in Theatro.

Ante theatrum, ceu frons quædam ipsius, scena opposita fuit, pro re nata et agenda comœdia aut tragœdia exstructa: uno aut altero tantum die usui futura: nisi fortasse ligneus apparatus in aliquot dies proferretur. Nam de scenis sumtuosis, et præter consuetudinem supra modum luxuriantibus hic non intelligimus. In hunc autem modum disposita erat, quantum ego conjectura assequi possum. *Scena* binis pluribusque contignationibus aut contabulationibus, si mavis, exstructa fuit: circa quas singula ambulacra, aut porticus columnis pluribus distinctæ videbantur. Atque ea frons scenæ appellata fuit. In cujuslibet contignationis frontispicio, quod theatrum respiciebat, portæ ingeniosissime depictæ et exitus varii fuerunt, in quibus præsertim superiorum contignationum, mimi, mirmillones, et cæteri ludii varios gestus ac gesticulationes edebant, unde *scenici* proprie dicti. *Chorus* etiam, mea sententia, in iis superioribus contignationibus referebatur, dum agerentur tragœdiæ, nisi mavis, post scenam in loco destinato fuisse chorum et cantores ac tibicines, qui locus *odeum*, ut puto, ob id vocabatur a cantibus. Sed in iis quoque locis fiebant et nebularum icones, et deorum descensus, et cætera id genus, ad magnas et sumtuosas comœdias apta. Existimo tamen in humili comœdia non fuisse tantum apparatum. Ima scenæ contignatio prominentiores exerebat columnas, veluti porticus quasdam latiores, sub quibus casulæ et rustica domicilia in novis comœdiis, variis scenæ locis constructa erant, urbes quoque, et loca remotissima referebantur in tragœdiis: e quibus prodibant actores, et illuc quoque se referebant ad tempus. In eadem scenæ parte excitatum fuit, quod *podium* appellabant (etsi podium in columnis id significare soleat, quod vocant petaste) circa secundæ porticus medium prominebat, ne noceret actoribus. Breve quoque fuit, et paucorum capax, idque fere videbatur referre, quod in ædificiis nobilioribus circa secundam præcipue contignationem prominere videmus ad fenestras, *perronem* vulgus vocat,

post pulpitum exertum videbatur. Opertum erat tentorio qu insigni, et quod ipsum undecunque ambiret, ut in eo secret magis abdite spectarent principes, qui nonnunquam illuc se co bant. Nam e podio ludos ac comœdias spectasse Neronem Tranquillus. Dictum aiunt, quod in eo spectatores aut etiam tib pedibus innixi essent, non sederent: vel quod in eo nonnu pedibus gesticularentur histriones in actuum commutatione. *Pu* in scena, (Græci λόγιον vocabant,) locus erat, in quem proc actores e casulis aut domunculis suis scenicis, ad recitandum, vocant *eschaffault*. Fuit exactissime situm ante frontem scer loco ipsius medio, qui theatri centro responderet, semper ligneu atque exemtile, etiam si scena structili materia constructa fi Eximebaturque in athletarum et gladiatorum spectaculis, nihilominus integra manente. Paullo altius videbatur ima porticu, in qua actorum domos constitutas esse dicebamus idem leniter adscendebant actores pronunciaturi: haud æqu gum fuit atque ipsa scena, altum tantum erat pedes quinqu qui in orchestra sederent, facilius pedum motiones et sin agentium gestus perciperent. Id spatium quod utrinque a pito ad extremam scenam vacuum relinquebatur, Græci voc *proscenium*, ne quis existimet fuisse scenæ latera. *Periacta* runt Græci in scenis suis turres, aut machinas, trigonas h tes, vel triangulares, miro artificio constructas, in uno atque scenæ latere positas, variis coloribus secundum angulos disti versatiles: ut inter spectandum, dum animi ad histriones attentiores essent, paulatim revolverentur, et modo rubræ, virides, aut alterius coloris apparerent: quæ res non parvam tationem spectantibus afferebat. Hæ, quum fabularum muta erant futuræ, seu deorum adventus cum tonitribus repentinis, sabantur, mutabantque speciem ornationis in frontes. Ex iis pro tios ignes vibrabant, in iis fingebant tonitrua, pluvias, et quicqu tragœdia admiratione dignum fuit: sed hoc maxime in honorif sumtuoso comœdiarum aut tragœdiarum genere. Secundum περ nempe ad scenæ latera, itinera et *versuræ* procurrentes erant, qu una efficiebat, ut actores a foro, altera, ut peregre prodire, aut regredi viderentur. In media scena *valvæ regiæ* conformatæ circa quas utrimque fuerunt composita *hospitalia* quæ vocat Vitru e quibus actores prodiisse puto. Omnium scenarum, quas Roma theatro unquam construxerunt, longe nobilissima fuit ea, *M. Scaurus* in ædilitate sua construxit. Eam triplicem refert Plinius, altitudine CCCLX columnarum. *Ima* pars scenæ moreos habuit parietes, non facile dixerim sectos an solidis g politos. *Media* fuit e vitro, inaudito etiam postea genere lux Summæ tabulis inauratis columnæ, imæ duodequadragenum pe Signa cerea inter columnas fuerunt, tria millia numero. Sed et quus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, cæteroque cl gio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quæ superfluebant q diani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremaretu sestertium millies. *Scenarum* autem (ait Vitruvius) genera sunt unum quod dicitur *tragicum*, atque id omnium sumtuosissimum alterum *comicum*: tertium *satrgicum*. Horum autem ornatus inter se dissimiles, disparique ratione: *tragicæ* enim deformi

columnis, fastigiis et signis, reliquisque regalibus rebus. *Comicæ* autem ædificiorum privatorum et menianorum habent speciem, prospectusque fenestris dispositos, ad imitationem communium ædificiorum. *Satyricæ* vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis. Post scenam *porticus* erant constructæ, quo quum imbres repentini ludos interpellaverant, actores se recipiebant ex pulpito, aut in quibus vestium commutationes, et personarum indumenta adservabantur. Ipsam autem personarum repræsentationem in scena, atque adeo compositionem comœdiæ, Græci *drama* vocarunt. Sed et scenam vocant comici, quicquid duæ aut tres personæ sermonis integri et absoluti colloquuntur, illicque finit scena, ubi aut aliqua persona introgreditur, aut alia ad forum, aut alibi ad vicinam currit. *Actus* autem plures scenas comprehendebat. Estque in comœdia pars quodammodo absoluta et integra, nondum tamen rem omnem finiens: sed ita dimidiatam relinquens, ut respirent spectatores, et facilius commutetur, quicquid in reliquis comœdiæ partibus superest: id autem *actus commutare* dicebant. Interea mimi dicteria et diverbia referebant, recitabanturque nescio quæ jucunda, quæ populum alia oblectatione afficerent. In comœdia vero plures erant hujusmodi actus, secundum rei gravitatem, aut rationem. Comœdiarum autem recitatio in scena, *actio* dicebatur: unde etiam qui agebant et fabulas pronunciabant, *actores* dicti. Actio quoque ad orationis pronunciationem transfertur; ut etiam ipsa oratio rhetoris vel scripta vel pronunciata actio dicatur.

Scenicorum Actorum diversitas.

In scenam non solum comœdiarum aut tragœdiarum *actores* (qui tragœdi et comœdi dicebantur) prodibant in spectaculum, sed etiam mimi, pantomimi, archimimi, ethologi, ethopœi: omnes uno nomine *hypocritæ* (id est, alienæ personæ simulatores) dicti: et eorum actio, *hypocrisis*, id est, alienæ personæ simulatio, Latinis *histriones*, *ludiones*que, aut etiam *ludii* dicuntur. *Mimi* imitatores sunt gestuum, vocum, aut gressuum alicujus personæ inter alias: cujus ridicula sit vox, aut aliud quidpiam. *Pantomimi* omnium personarum imitatores sunt effictoresque: ut et mulieres, et senes, et juvenes, ac cujuscumque ætatis personas confingant; etiam ita ex gestibus describunt, ut id quod aiunt videre videare. Hujusmodi sunt quos Itali *buffones* vulgo vocant. *Archimimi* principes sunt histrionum, hoc est, inter histriones solertissimi et excellentissimi. *Ethologi* mimi, aut *ethopœi*, morum sunt effictores, affectuumque cujuscumque personæ quam sustinent, aut quam agunt et referunt in scena, unde *ethopœia*, morum alienorum imitatio: et *ethici* pictores ac statuarii dicti, qui suas imagines ita depingunt, aut cælant, ut sensibus expressis propemodum spirent. *Thymelici* inter scenicos actores sunt, hoc est, citharœdi, citharistæ, lyristæ, tibicines. *Citharœdi*, qui et fidicines dicuntur, citharæ accinebant. *Citharistæ*, citharam tantum pulsabant, non autem accinebant. Hujusmodi thymelici per orchestram præstabant actiones suas. *Ludii* sive *ludiones* (ut jam dictum est) ii erant qui comœdiam recitabant. In ea enim recitanda mirum fuit artificium. Nam cantica temperabantur modis, non a poeta, sed a perito artis musicæ factis: neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis: ut significant, qui tres numeros in comœdiis

ponunt, qui tres continent *modos* cantici illius. Qui hujusmodi
faciebant, nomen in principio fabulæ et scriptoris et actoris
ponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his a
multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi scenici
quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuncia
Agebatur autem *tibiis* paribus, aut imparibus; et dextris, aut sir
Dextræ autem tibiæ sua gravitate seriam comœdiæ dictionem pr
ciabant. *Sinistræ* et *serranæ* acuminis lenitate jocum in cor
ostendebant. Ubi autem dextra, et sinistra acta fabula inscribe
mistim joci et gravitates denunciabantur. *Mimi* aut ludii, dun
bant, assumebant capiti personas, hoc est, confictas variarum per
rum facies: vel reticulo denso facies obvelabant, ne agnoscer
Ita etiam instituti erant hujusmodi histriones, aut mimi, ut et co
motus decentes facerent: denique etiam cantus ac prolationes
dum modos edocti erant, quæ mirum in modum populum affici
Hi simul coacti in quoque genere, aut cantantes, aut saltantes ap
bantur *chorus*: divisi in duas partes, *semichoria*, in actione
comœdiæ, eorum aliqui primas partes, alii secundas tenere diceb
pro variis actuum rationibus: eorum enim alii prologum dicebai
in nuncios, exploratores, custodes, servos, heroas, deos, senes,
tores, meretrices dividebantur, personasque in orchestra assum
pro sua actione ac ludo.

Apparatus Scenæ in Vicis et Theatris.

Apparabatur scena apud antiquos Græcos in agris, verno ten
cum ædificiis et habitationibus triplicibus, instructis culminibus,
petasmatis, tapetibus, linteisque candidis. Additæ postea sor
pelves, ignesque manibus excussi: cavernæ quoque subterran
putei confingebantur: figuris maris, tartari, fulminum, tonit
noctis, cœli, diei, regiarum, prætoriorum, ingentes aulæ, fornic
viarum similitudinem. Apud Romanos *aulæa* in scena primum s
bantur quum primum pictus ille ornatus ex Attalica regia R
perlatus fuit, velabaturque ipsa scena *siparii*, quæ posterior æt
auleis sumsit, ut etiam siparia humi sterneret. Erat præterea
minutum quod populo obsistebat in scena, dum actus commutab
In vicis si fiebat scena, arboribus in se cubantibus ac reflexis
ponebatur: quasi concamerata quædam densatio, ut subterp
tegere posset, unde ab inumbratione dicta. *In theatro* autem (u
dictum est) fiebat scena, camerato contextu, binis pluribusque
tignationibus exstructa. Picta erat undique, suas domunculas h
in quas pro ratione actuum alternatim se conferebant actores.
aras utriusque habebat: dextram Liberi patris; sinistram ejus
cujus honorem ludi fiebant. Unde illud: *Ex ara hinc sume verl*
Atque is demum erat scenæ apparatus in theatro.

De Histrionibus et Mimis scenicis.

Omnis tragœdiarum ac comœdiarum gratia, et scenæ dec
histrionibus consistebat. *Histriones* enim et *mimi* in scena com
recensebant secundum suos modos et cantica. Nam cantica, ut
ante docebamus, temperabantur modis, non a poeta, sed a perito
musicæ factis, mutabanturque modi in uno cantico. Fiebant h
modi carmina ad tibias: ut his auditis multi ex populo ante disc

quam fabulam acturi essent scenici. Unde illud est Ciceronis: *Non intelligo* (inquit) *quid metuat, quum tam bonos septenarios fundat ad tibiam. Tibicines* appellabantur qui hujusmodi cantica ad tibiam fundebant, antequam ageretur comœdia, vel inter ipsos actus. Unde illud Plauti: *Tibicen vos interea hic delectabit.* Ludiones autem et histriones ad tibicinis modos saltabant, et nonnihil etiam diverbiorum pronunciabant. Unde Livius: *Ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, aut indecoros motus more Thusco dabant.* Proprium enim ludiorum ac morionum erat motus decoros, ac gestus omnino decentes ostendere. Tibicinum autem erat decorum, modos, hoc est, mensuras in cantu observare, remissosque aut acutos, aut etiam graves facere pro arbitrio. In *tragœdia* et *satyra sexdecim* numero interveniebant *moriones* et *histriones;* in *comœdia* etiam *quatuor* et *viginti.* Qui simul coacti in quolibet horum genere, unamque rem agentes, ut jam dictum est, *chorus* vocabantur: divisi in duas partes, *semichoria:* ubi autem gestus et cantus absolverant suos, tum in partes plures dividebantur: ut alii essent qui senes, alii qui amatores, mulierculas, servos luderent, personisque ac vestium varietate induerentur, quemadmodum res exhibebat, ac moris erat apud eos.

Amictus et Personæ Histrionum scenicorum.

Personati *histriones* agebant comœdiam, neque agnoscebantur. Sed ita compositæ ac conflatæ erant personæ, ut referrent id ipsum quod a mimo agebatur; liceretque sub ipsis vocem ejus audire liberam. Nam quod nonnulli dicunt, histriones tantum gestibus comœdiam egisse, non etiam viva prolatione, id minus mihi probandum esse videtur. Vestiebantur quoque histriones pro ratione eorum, quos referebant, hoc est, vel servorum, vel senum, vel alterius personæ diversis modis. *Senibus* comicis candidus *vestitus* dabatur, qui etiam antiquissimus fuisse memoratur. *Adolescentes* discolori veste contegebantur. *Servi* comici amictu vestiebantur exiguo, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditius agerent. *Parasiti* cum intortis palliis prodibant. *Milites* chlamyde purpurea utebantur. *Puellæ* habitus erat peregrinus. *Leno* pallio varii coloris vestiebatur. *Meretricibus* dabantur *syrmata,* hoc est, vestes expansæ, et quæ longius trahebantur: erant quoque plerumque lutei coloris, ob avaritiam. Syrmata etiam, seu pulla gestabant luctuosa funeralibus, quæ incuriam sui per negligentiam significabant. Sed si quando variandum in comœdiis erat, vestitusque commutandus pro affectibus, quos ex comœdiæ actibus significabant, lætis vestitus dabatur candidus: ærumnosis obsoletus: diviti quoque purpureus: pauperi phœnicius. Tragici aut tragœdi actores calceamentorum genere a comœdis variabant, eoque discernebantur. Utebantur enim tragici in theatro *cothurnis,* quod tale genus erat calceamenti, ut dextro lævoque pedi conveniret: cæterum altum et prominens, actoresque proceriores efficiens ac referens: varii coloris, et honestum atque elegans: usque ad suram plerumque devinctum, more Punico. Comici actores, aut comœdi in scenis soccis utebantur: quod calceamenti genus optime sub pallio conveniebat. Quemadmodum enim pauperum ac rusticorum vestimentum fuit pallium, ita etiam *soccus* altum fuit calceamentum rusticis proprium, propter imbres et lutum, atque hybernas pruinas. Eo calceamenti genere utebantur tam viri quam mulieres. Quinctilianus: *comœdia in cothurnos*

non assurgit: nec contra tragœdia socco ingreditur. Tragœdia quum grave et magnum argumentum, magnasque et ingentes pe præ se ferret, cothurnis uti debuit. Comœdiam autem, quum humilis, et rusticos proponeret in scena, palliis et soccis comm erat ornari. Quod præterea de his rebus dici posse quispiam cabit, id in aliud tempus exspectet necesse est: non enim hic simul discutere nobis licuit, tum propter rei difficultatem, tun quia per negotia minus fuit commodum.

DE METRIS TERENTIANIS

ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ.

Ἄρσις, Θέσις, et Διποδία.

Iambicus versus senorum pedum Latinis veteribus *senarius* vocal a pedum et ictuum numero. Horatius, Art. Poet. 251.

> Syllaba longa brevi subjecta vocatur *iambus*,
> Pes citus: unde etiam trimetris accrescere jussit
> Nomen iambeis, cum *senos redderet ictus*,
> Primus ad extremum similis sibi.

Sex, inquit, habet ictus versus senarius; et tamen trimetrus siv *narius* Græcis vocatur; quasi tres tantum ictus redderet, ob pedi leritatem, præsertim cum totus iambis puris decurrit. Latini i per *μονοποδίαν*, *singulos pedes*, hos versus dividebant; Græci per *δίαν*, seu *geminatos*. Inde qui Græcis est *tetrametrus*, Varroni a p numero est *octonarius*. Juba rex apud Rufinum de Metris, p. *Quod autem binis pedibus, et non singulis, scandatur iambicus, vetu stitutum est.* Et mox, *Unde apparet heroicum singulis pedibus s etiam apud veteres solitum, iambum autem binis.* Marius Victor p. 2497. *Per monopodiam sola dactylica scanduntur; per dipodiam cætera.* Nescivit hic bacchiacos et creticos, quos etiam mono dimetitur. Diomedes, p. 503. *Feritur senarius iambicus combinati dibus ter.* Terentianus Maurus, p. 2432.

> Iambus ipse *sex* enim locis manet,
> Et inde nomen inditum est *senario*:
> Sed *ter* feritur, hinc *trimetrus* dicitur;
> Scandendo binos quod pedes conjungimus.

Ictus, *percussio* dicitur; quia tibicen, dum rythmum et tempus m rabatur, ter in trimetro, quater in tetrametro, solum pede ferie *ἄρσις* autem sive *elevatio* appellatur; quod in iisdem syllabis, qu tibicen *pedem* accommodabat, actor *vocem* acuebat ac tollebat. In autem sunt cæteræ syllabæ, quæ ictu destitutæ minus idcirco aud tur. Hos ictus sive *ἄρσεις*, magno discentium commodo, nos prin nostra editione per accentus acutos expressimus, tres in trime quatuor in tetrametris:

> Poéta cum primum ánimum ad scribendum áppulit,
> Id síbi negoti crédidit solúm dari.
> Enimvéro, Dave, núl loci est segnítiæ neque socórdiæ,
> Quantum íntellexi módo senis sententiam de núptiis.

Etsi revera, quod Romani voluerunt, seni in quoque trimetro sint ictus; qui sic exprimi possint,

Poéta cúm primum ánimum ad scríbendum ápplit,
Id sibi negóti crédidit solúm dari.

Verum quia in paribus locis, 2, 4, 6, minus plerumque elevantur et feriuntur, quam in imparibus, 1, 3, 5, idcirco eos more Græcorum hic placuit omittere. Horum autem accentuum ductu (si vox in illis syllabis acuatur, et par temporis mensura, quæ pedis ditrochæi vel ἐπιτρίτου δευτέρου spatio semper finitur, inter singulos accentus servetur) versus universos eodem modo lector efferet, quo olim ab actore in scena ad tibiam pronunciabantur. Hoc quoque commodi in his accentibus lector inveniet: quod statim et ictu oculi trochaicos ab iambicis, qui in eadem scena interdum locum habent, possit distinguere: si accentus scilicet in prima versus syllaba est, trochaici sunt; sin minus, iambici.

Cæsura.

Omne versuum genus suam habet *cæsuram* sive incisionem; qua verbum terminatur, et vox in decursu paulum interquiescit. Illa fere cæsura Romanis placuit, quæ in priore tertii pedis syllaba fit: ut in heroico:

Arma virumque cano | Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato | profugus Lavinaque venit
Litora, multum ille et | terris jactatus et alto
Vi superum, sævæ | memorem Junonis ob iram.

Varro quidem apud Gellium, xviii. 15. *scribit observasse se in versu hexametro, quod omnimodo quintus semipes* (id est, prior pedis tertii syllaba) *verbum finiret.* Mirum, quod *omnimodo* dixerit, cum Lucretius jam tum variaverit,

Reddenda in ratio | ne vocare, et semina rerum.

Et Catullus,

Omnia fanda nefan | da malo permissa furore.

Postea sæpius Virgilius,

Lyrnessi domus al | ta, solo Laurente sepulcrum.

Homerus autem olim sæpissime,

Οὐλομένην ἣ μύ | ρι' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν.

Non *omnimodo* igitur dictum oportuit; sed *plerumque.*

In Sapphico similiter Romani quinto fere semipede:

Pindarum quisquis | studet æmulari,
Iule, ceratis | ope Dædalea
Nititur pennis | vitreo daturus
Nomina ponto.

In Alcaico:

Doctrina sed vim | promovet insitam,
Rectique cultus | pectora roborant.

In Phalæcio:

Multis ille bonis | flebilis occidit:
Nulli flebilior | quam tibi, Virgili.

Sic et in iambo trimetro:

Jam jam efficaci | do manus scientiæ:
Supplex et oro | regna per Proserpinæ,

Per et Dianæ | non movenda numina,
Per atque libros | carminum valentium
Refixa cœlo | devocare sidera.

Hanc cæsuræ sedem plerumque in trimetris servant poetæ com ut noster;

Ne cuí sit vestrum | mírum, cur partés seni
Poéta dederit | quaé sunt adolescéntium:
Id prímum dicam | deínde quod veni éloquar.

Et itidem Græci:

Οι γάρ βλεποντες | τοίς τυφλοις ηγούμεθα,
Ουτός δ' ακολουθει | κάμε προσβιάζεται.

In iambicis trochaicisque tetrametris cæsura plerumque fit post di chæum secundum:

Demíssis humeris ésse vincto | péctore ut gracilaé sient.
Video sentum squálidum ægrum | pánnis annisque óbsitum.

Illud autem inprimis notandum; cum Græci magistri per διπο trimetros iambos scandere juberent, semper eos intellexisse διπο ἰαμβικήν; adeo ut sic divideretur ex eorum ratione versiculus:

Ne cuí sit ve | strum mírum, cur partés seni
Poéta dede | rit quaé sunt adolescéntium:
Id prímum di | cam, deínde quod veni éloquar.

Οἱ γάρ βλεπον | τες τόις τυφλοις ηγούμεθα,
Ουτός δ' ακολου | θει κάμε προσβιάζεται.

ubi vides primam dipodiam in mediis verborum syllabis desin totamque cæsuræ virtutem ac gratiam misere perire. Quare ego ab ipsa adolescentia in omnibus iambicis præter tetrametrum catale cum, de quo postea dicam, aliam mihi scansionis rationem institui, διποδίαν scilicet τροχαϊκήν, hoc modo,

Po | éta dederit | quaé sunt adolescéntium:

primo semipede quasi subducto et abciso, versu autem in dactyl vel creticum exeunte. Siquidem ista διποδία ex trochæis duobus, uno et spondeo sive epitrito secundo constans, *commodare*, *commod* et cum cæsuræ indole convenit; et verum iambei rythmum auri insinuat; et poetæ, dum versus hos fabricatur, præcipue ment occupat; et, quod maximum est, in omni fere comicorum metror genere principatum obtinet; veramque causam, cur in una comœ tot versuum species adhibeantur, sola demonstrat.

Varietas Metrorum. Iambici, Trochaici.

Quinctilianus Institut. Orat. x. 1. *In comœdia maxime claudican licet* Terentii *scripta ad Scipionem Africanum referantur: quæ tame hoc genere sunt elegantissima; et plus adhuc habitura gratiæ, si in versus trimetros stetissent.* Mirificum sane magni rhetoris judiciu Optabat scilicet, ut fabulæ Terentianæ, quæ in primo cujusque actu scena a trimetris inchoantur, eodem metro ac tenore per omnes ac scenasque decucurrissent. Crederes profecto hominem nunqu scenam vidisse, nunquam comœdum partes suas agentem spectavis Quid voluit? quod nec Menander nec ullus Græcorum fecit, Terent ut faceret? ut ira, metus, exsultatio, dolor, gaudium; et quietæ et turbatæ, eodem metro lente agerentur? ut tibicen paribus to perpetuoque cantico spectantium aures vel delassaret vel offender

Tantum abest, ut eo pacto *plus gratiæ habitura esset fabula*, ut quantumvis bene morata, quantumvis belle scripta, gratiam prorsus omnem perdidisset. Id primi artis repertores pulchre videbant; delectabant ergo varietate ipsa, diversaque ἤθη καὶ πάθη diverso carmine repræsentabant. Marius Victorinus, p. 2500. *Nam et Menander in comœdiis frequenter a continuatis iambicis versibus ad trochaicos transit, et rursum ad iambicos redit.* Non ita tamen agebant veteres, ut ab uno in aliud plane contrarium repente exilirent; ab iambicis in dactylicos; sed in propinquos trochaicos, ipso transitu pæne fallente. Quod ut clarius conspiciatur; omnem Terentianam copiam hic sistam, unoque et eodem pede ditrochæo universam fere emetiar.

Illud tamen prius admonendum; ut a trimetris suas fabulas, rebus sedatioribus, nostrum inchoasse; ita semper tetrametris finisse; quod fabulæ catastrophe, cum res turbulentæ paulatim et ægre consilescerent, hoc carminis genus postularet, magno spiritu effundendum. Præ omnibus tamen trochaici pleni firmum actoris latus requirebant; qui nunquam scilicet nisi in maximo affectuum tumore veniunt; efferendi, non ut quidam autumant, *tarde lenteque*, sed *clamore summo, cum labore maximo*.

Unde factum, ut cum alias in διποδίᾳ spondei vel anapæsti placuerint; in his trochæi vel dactyli studio quærantur,

Crédo equidem illum jam ádfuturum, ut íllam a me eripiát: sine veniat:
'Atqui si illam dígito attigerit, óculi illi illico éffodientur.

Qui versus, nisi toto pulmone exhausto, pronunciari apte non possunt: in trimetris vero clamosa hæc πάθη inarescerent prorsus et obmutescerent.

Ditrochæis igitur sic constituitur iambus trimetrus:

Id	síbi negoti	crédidit so	lúm dari.
Vi	cómmodavi	cómmodavi	cómmoda.

Iambicus tetrametrus plenus:

Dum	témpus ad eam	rém tulit sivi	ánimum ut exple	rét suum.
Vi	cómmodavi	cómmodavi	cómmodavi	cómmoda.

Trochaicus tetrametrus plenus, sive ἀκατάληκτος,

'Adeon' hominem esse	ínvenustum aut	ínfelicem	quémquam ut ego sum.
Cómmodavi	cómmodavi	cómmodavi	cómmodavi.

Trochaicus tetrametrus syllaba deficiens, sive καταληκτικός,

Quót modis con	témtus spretus?	fácta, transacta	ómnia: hem.
Cómmodavi	cómmodavi	cómmodavi	cómmoda.

Pentametrus καταληκτικός; qui semel iterumve adhibetur,

Sánus es? Domum	íre pergam: ibi	plúrimum est. Revo	cémus hominem.	Stasílico.
Cómmodavi	cómmodavi	cómmodavi	cómmodavi	cómmoda.

In his omnibus commodius est, meo judicio, διποδίαν τροχαϊκὴν cæsura accommodatam et congruam, quam ἰαμβικὴν ab ea deerrantem, in metiendo versu adsciscere.

Superest tamen unus iambici generis, tetrametrus καταληκτικός; in quo διποδία veterum magistrorum ἰαμβικὴ sine controversia tenenda est; ob ipsam, a qua in aliis discedit, cæsuræ concinnitatem:

Nam sí remit	tent quíppiam	Philúmenam	dolóres.
Ανδρίς φιλοι	και δήμοται	και τού ποιειν	εράσται.
Δημόσθενης	Δημόσθενους	Παιάνιευς	εγράψε.
Vi cómmoda	vi, cómmoda	vi, cómmoda	vi, cómmo.

Sed et in his δικωδία τροχαϊκή tempus quidem et spatium exacte ser in incisionibus tamen peccat. Cæterum utram velit rationem le sequatur: accentus in nostræ editionis textu ambabus æque con niunt: at in nupera quadam, universi hujus generis, quorum ing copia est, versus prava cæsuræ distinctione jugulantur;

Concurrunt læti mi obviam cup | pediarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, far | tores, piscatores.

Cum sic cæsura ponenda esset,

Concurrunt læti mi obviam | cuppediarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, | fartores, piscatores.

Illud quoque in hoc genere observandum, pedem illum ante cæsu *mi obviam* et *I coqui* semper, ut hic, creticum vel ei ἰσόχρονον me brevi esse oportere: nullum hic apud nostrum licentiæ locum es non magis quam in fine senarii. Hæc versuum horum indoles et gratia est: quam in nostra editione incolumem habent; in priori vero ante nos innumeris mendis strangulatam et sepultam.

Cretici, Bacchiaci, Choriambici.

Porro, super hos iambicos trochaicosque, etiam creticis, bacchia choriambicisque versibus, sed semel tantum singulis, utitur Terenti eisque in monodia duntaxat, nunquam in diverbio: hi, ringente l invidia, nobis se apud nostrum debent:

Creticus:

Tánta ve	córdia in	náta cuiquam	út siet.
Cástitas	cástitas	cástitas	cástitas.

Bacchiacus:

Adhúc Ar	chylís quæ ad	solént quæque	opórtet.
Honéstas	honéstas	honéstas	honéstas.

Choriambicus:

'Obstipuit	péctore con	sístere nil	cónsili quit.
Cóntremui	cóntremui	cóntremui	cóntremisco.

Hi tamen, more Græco, novissimum sibi versum alterius generis ad munt, ut pro rythmi ratione cum strepitu ac canore finiantur.

Clausulæ.

De *clausulis* sic Varro apud Rufinum, p. 2707. *Clausulas prim appellatas dicunt, quod clauderent sententiam: ut apud Accium;*

An hæc jam obliti sunt Phryges?

Nonnunquam ab his initium fit: ut apud Cæcilium,

Di boni, quid hoc?

Apud Terentium,

Discrucior animi.

Huic ultimæ adde aliam ex nostro:

Occidi.

Cæterum de *clausulis* hoc uno verbo dixisse sufficiat: *si ab eis initi fit*, liberæ sunt et nullius metri legibus adstrictæ: *sin sententiam cla*

dant, a præcedentibus legem accipiunt. Scilicet post iambicos tetrametros, vel trochaicos catalecticos, ab iambo incipiunt; ut illa Accii,

An haéc jam obliti súnt Phryges?

Et illæ nostri,

Præcísse me ante? nónne prius commúnicatum opórtuit?
Miserám me, quod verbum aúdio?
Múnus nostrum ornáto verbis, quód poteris; et istum aémulum
Quod póteris ab ea péllito.

Ita semper in cæteris: et ratio est, quod διπροδία τροχαϊκὴ quasi uno versu continuetur,

Commúnicatum opórtuit: miserám me quod verbum aúdio?

Unde in trochaico pleno, quo διπροδία consummata est, a trochæo incipit,

Próin tu sollicitúdinem istam fálsam, quæ te excrúciat, mittas.
Quicum loquitur fílius?
Et illud rus nulla ália causa tám male odi, nísi quia prope est:
Quód si abesset lóngius.

Hanc sibi legem fixerunt, sancientibus aure ac rythmo, primi artis inventores: sed in hac tamen ante nos editiones peccant. Illud porro notandum; in tetrametris solis apud nostrum, nunquam in trimetris, clausulis locum esse. Neque id omittendum, has et reliquas omnes apud nostrum clausulas in cretico terminari, *audio, pellito, filius, longius;* una tantum excepta, Hec. v. 1. quæ in spondeum exit,

Aut né quid faciam plús, quod post me minus fecisse sátius sit.
Adgrédiar. Bacchis, sálve.

Id tamen judicio, non casu, a poeta factum: quippe post hanc solam ex omnibus clausulam a tetrametris plenis in catalecticos scena transit, qui spondeo finiuntur;

Salvé, Lache. Edepol crédo te non níl mirari, Bácchis.

Licentia Terentiana, qua deflectit a Græcis Comicis.

De licentia veterum Romanorum, tragicorum comicorumque, paulo inclementius loquitur Horatius, Arte Poet. 255. Iambicus, inquit, versus,

Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens; non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter: hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni
In scenam missus cum magno pondere versus,
Aut operæ celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poemata judex:
Et data Romanis venia est indigna poetis.
Idcircone vager, scribamque licenter? ut omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniæ cautus? vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam, stulte mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Candide magis de iis judicat venustissimus in tenui materia scrip Terentianus Maurus, p. 2433.

Culpatur autem versus in *tragœdiis*,
Et rarus intrat ex iambis omnibus :
Ut ille contra, qui secundo et talibus
Spondeon aut quem comparem receperit.
Sed qui pedestres fabulas *socco* premunt,
Ut quæ loquuntur sumta de vita putes,
Vitiant iambon tractibus spondaicis,
Et in secundo et cæteris æque locis :
Fidemque fictis dum procurant fabulis,
In metra peccant, arte, non inscitia :
Ne sint sonora verba consuetudinis,
Paulumque rursus a solutis differant.
Magis illa nostri : nam fere Græcis tenax
Cura est iambi, vel novellis comicis,
Vel qui vetusta præcluent comœdia.

Cæterum quod in utrisque vituperat Flaccus, et in comicis excı Maurus, hoc est : quod in sedibus paribus, secunda et quarta (ner uterque per dipodiam iambicam dimetitur : in ratione nostra er prima et tertia, pedes scilicet ditrochæorum priores) non volub pedes iambum aut tribrachyn, ex rythmi lege ac Græcorum exemp sed tardos spondeos sive alios eis *ἰσοχρόνους* intulerint. Totum h uno exemplo, et sensu et memoria facile tenebis. Græci ad h formam in iambicis ;

Vi cómmodavi | cómmodavi, cómmoda.

Latini ad istam, non semper, sed quotiescunque vellent ;

Vi cómmendavi | cómmendavi | cómmoda.

Vides *menda* spondeum bis positum pro iambo *moda :* postrem sedem violare nunquam sunt ausi. Idem et in trochaicis obtinet :

Græci :	Commodavi	commodavi	commodavi	commoda.
Latini :	Commendavi	commendavi	commendavi	commoda.

In his pedibus, excepto ultimo, pro brevibus longæ syllabæ adsum tur : quod tamen, opinor, celeri pronunciatione juvabat et occulta actor, ne ipse a tibicine rythmum Græcum servante discreparet.

Quod ad crimen autem hoc attinet ; tragicis quidem veteri minor est excusatio, cur non ad artis regulas versus suos exegeri cum toto stilo et colore a communi sermone discreti, nova verba sesquipedalia pro lubito finxerint. Fugiebant scilicet limæ labore certi se in re ante inexperta et apud aures tum indoctas veniam im traturos. Melius vero ac mitius de comicis est sentiendum. P fecto Terentius noster, si quisquam alius, in artis leges arte peccav studio, non ignorantia ; necessitate vel saltem commoditate inductu et qualecunque illud delicti est, magnis virtutibus redemturus. Ser enim ea de causa propius apud nostrum ad consuetudinem acced quam apud Menandrum : oratio apud unum de medio sumta deq vita honestiorum civium ; versus minime cavi, sed verbis sensibusq spissi : apud alterum, dum metro servire coactus est, stilus pa elatior, et sententiæ dilutiores. Adde huc, consonantes in ling Latina pro vocalium numero frequentiores esse, quam in Attica : ad omnia apud Latinos vocabula, monosyllabis duntaxat exceptis, es Barytona ; de qua re mox plura dicam ; et facile pronuncies, mino

esse operæ atque artis, ad Menandri normam Græce scribere, quam Latine ad Terentii.

De Metris in Lingua nostra usitatis.

Enimvero par et æquum est, ut eandem veniam veteribus Latinis demus, quam hodiernis qui Anglice scribunt poetis concedimus: quorum nemo est, cui non indulgemus, ut syllabis interdum longis contra indolem rythmi loco brevium utatur. Nam ut Latini omnia metrorum genera de Græcis acceperunt; ita nostrates sua de Latinis. Quo magis est dolendum atque indignandum, jam a literis renatis pueros ingenuos ad dactylica, quod genus patria lingua non recipit, ediscenda, ferula scuticaque cogi: Terentiana vero metra, quæ domi tamen et in triviis inscientes ipsi cantitant, magistrorum culpa penitus ignorare. Trochaicus tetrametrus catalecticus, ut Terentio, ita nostratibus frequentissimus est:

Ego ille agrestis,	sævus, tristis,	párcus, truculen	tús, tenax.
Háppy is the	coúntry life blest	with content good	heált an' ease.

Qui trochaicus, unius syllabæ accessione, fiet iambicus tetrametrus plenus:

Thrice háppy is | the coúntry life | blest with content | good heálth an' ease.

Quin et iambicus ille *καταληκτικὸς*, Terentio multum et merito amatus, apud nostros quoque in magna gratia est:

Nam si remit	tent quíppiam	Philúmenam	dolóres.
He's décently	run through the lungs,	and thére's an end	o' Búlly.

Neque vero Bacchiacus Terentii nostris intactus est:

Adhúc Ar	chylis quæ ad	solént quæque	opórtet.
All jóy to	great Caésar	long life, love	and pleásure.

Creticum ejus quoque lingua nostra facillime admittit:

Tánta ve	córdia in	náta cui	quam út siet.
O the sweet	coúntry life	blést with health	peáce an' ease.

Denique et illud metrum, quod in epicis et heroicis jam diu apud nostrates regnum obtinet, ab iambico veterum senario profluxit; necessitate linguæ nostræ, quæ tota monosyllabis scatens cæsuram senarii raro admittit, quinarius factus:

Though deép, yet clear; | though géntle, yet not dúll.

Huic in fine sextum iambum appone; et extemplo habebis senarium Terentianum:

Though deép, yet clear though | géntle, yet not dully slow.

Rursus, si ab hoc Euripidis senario, qui primus omnium in Oresta venit,

Ηκὼ νεκρων κευθμώνα και σκοτού πυλας,

pedem novissimum auferas; quinarium jam habebis, perfectissimum hodierni nostri epici exemplar:

Ηκώ νεκρων	*κευθμώνα καὶ σκοτού.*
Though deep, yet cleár,	though gentle, yet not dull.

In Anglico tamen hoc notes velim, tres syllabas positione longas loco brevium poni. Eas tu postea, et quam *Denhamo* veniam concedis, Terentio neges. *Perfectissimum* autem *exemplar* ideo appello; ut poetis nostratibus, ingenii sane venæque felicibus, sed eruditionis interdum modicis, quid hodierni epici, quo numeris omnibus absolutus

fiat, rythmus geniusque sibi poscat, obiter ostendam: in ver nempe singulis tres syllabas breves. Hoc sane confitendum avorum tempore, scabros asperosque versus, magno longarum dere onustos, plerumque exiisse: hodiernos autem poetas long teretiores tornatioresque dare; sed aure fortassis magistra, non quæ tamen ars principio judicibus auribus dedebatur. Habent ita quod in longo sane opere frustra exspectandum, in epigrammat elegiola facile obtinendum, versus epici *exemplar;* quo et num brevium et sedes ostenduntur. Quamquam in nostris est et vari locus, ut in his:

Though deép, yet clear; though géntle, yet not dull;
Stróng without rage, withóut o'erflowing full.

Ictus in hoc posteriore, qui in secunda syllaba fieri solet, in prim et venuste quidem; modo raro fiat, ac brevis sequatur. Et n equidem, an in Terentio quoque, cum trimetrum aliquoties incho *hicíne, hocíne, sicíne, libéra,* non in primam retrahendus sit acc *líbera, etc.* etiam in iambico; ob τὸ ἰσόχρονον scilicet et ἰσόῤῥυ cum rythmus, Hephæstione teste, sit metro potentior. Tale Plauti Rudent. ii. 6. 29.

Piscibus in alto credo præbent pabulum.

ubi *píscibus* libentius efferrem, quam *piscíbus.*

Licentia Terentiana, qua deflectit a Latinis Epicis.

Sed ut redeam, unde digressus sum. Ut a Græcis comicis des runt Latini pro brevibus syllabis tardas infulciendo; ita vitio pr contrario peccarunt, corripiendo scilicet ejusmodi syllabas, qu Latino sermone erant longæ. Hujus autem licentiæ modum ac non cujusvis est reperisse; cum ex interpretibus, hi qui laxissi ultra terminos licentiam hanc expandunt, monstra nonnunquar portenta pro veris lectionibus tuentur; alii contra qui nimis arctis finibus claudunt, syllabasque omnes ad epicorum poetarum nor exigunt, singulos fere versus miseris modis, addendo, mutilando vertendo, contra codicum fidem, jugulant et trucidant. Illud in versum animadvertas velim, nullas eos syllabas, quæ natura et vo sono longæ sunt, corripuisse; sed eas tantum quæ per vocalem dem breves erant, positione tamen et consonantium concursu f sunt longæ. Hæ vero voces et numero paucæ sunt, monosyllabæ vel disyllabæ, vel cum præpositionibus compositæ; et ex ipsa situque commodo veniam merentur. Cum autem in ipso no editionis textu singula hæc in versibus singulis per accentuum i vallum sponte se ostendant; non opus est, ut singillatim hic en rentur. Illud tantum monebo, quod ante me opinor nemo; in p fere versuum pede, et parcius alias, licentiam hanc exercuisse trum: idque rectissimo judicio; cum actor, in fine prioris ve anima recepta, plenum rapidumque spiritum posset effundere:

Sed id grátum fuisse—
Sine invídia laudem.
Sine omní periclo.
Propter hóspitai.
Hic est ílle non te.
Studet pár referre.
Ob hanc ínimicitias.
Ob décem mnas ínquit.
Inde súmam uxori.
Soror dícta est, cupio.
Símul consílium cum re.
Color vérus, corpus.
Néque Antipho ália.
Sed hoc míhi molestum est.

Bonum ingénium narras. Adest óptime ipse.
Sed hic Pámphilus quid. Solent ésse id non fit.
Is hinc béllum fugiens. Quid huic híc negoti'st.
Nempe Phórmionem. Student fácere.
In hanc nóstram plateam. Sed ostium cóncrepuit.
Supelléctile opus est. Némini plúra acerba.
Sed ecca ípsa egreditur. Quid ignáve peniculo.
Ego excludor, ille. Sed estne ílle noster.
Négat quis! négo ait, aio. Tamen víx humane.
Enimvéro, Dave, nil loci est. Tacet cúr non ludo.
Habent déspicatu. Jubet fráter? ubi is est.
Dolet dictum imprudenti. Omnia ómnes ubi resciscunt.

Hoc, ut vides, Terentii judicium erat; ut in primo fere pede versus, ubi paratior venia est, licentia illa uteretur; idcirco excusatior, quod non ipse eam primus intulerit; sed a Plauto, Cæcilio, cæterisque tum in scena regnantibus acceptam retinuerit. Licentia certe erat; et *indigna* forte, cui Romuli nepotes indulgerent. Nam qui hodie non comicos veteres excusatum, sed defensum eunt; qui fontem rei causamque et originem deprendisse se gloriantur; popularem scilicet tunc temporis pronunciandi morem: ut necesse fuerit comicis, quæ verba communi civium sermone spretis consonantibus rapide efferebantur, ea verba in suis fabulis, quæ audiebantur scilicet, non legebantur, corripere: næ illi operoso conatu nihil dicunt, pollicentes magna nihil extricant. Quid enim? si usus tum civium communis,

Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi,

syllabas de quibus agitur raptim pronunciabat; jam non comicorum vel licentia vel crimen est, qui mori obtemperantes eas corripiebant; sed epicorum, qui usu improbante producebant. Mutantur tantum rei; crimen ipsum non eluitur: aut hi aut illi sunt culpæ damnandi. Quibus autem culpa hæreat, scitu facillimum est. Priorem in *ille* et *esse* constanter producebant epici; noster interdum corripit, sæpius producit: quod si recte et ex usu corripit; tanto sæpius, dum sæpius producit, peccat. *Propter* apud epicos semper priore longa est: noster semel corripit, And. ii. 6. 8.

Propter hóspitai hujusce consuetudinem.

Si hoc ex consuetudine vulgi; cur intra decimum versum, et ubique alias, producit?

Nil própter hanc: sed est quod succenset tibi.

Eadem reliquorum ratio est: quibus venia quidem, præsertim hodie, lingua jamdudum emortua, facile conceditur: nisi culpam quis defendendo fecerit majorem.

Cæterum *abi*, *domi*, *redi*, *dari*, *roga*, *jube*, *tace*, *vide*, et siqua id genus alia quæ ultimam brevem habent, vix est ut licenter dicas, sed legitime corripi; cum veteres epici idem jus usurpaverint.

Similiter de crasi censeas; qua duæ vocales, quarum una brevis, in unam contrahuntur: ut *diu*, *deum*, *deorum*, *meum*, *tuum*, *suum*, *meorum*, *etc. fuit*, *fuisse*: hæc et siqua hujusmodi, jure quoties vellent contrahebant comici; quia idem epicis jus erat. Durius quidem nostratibus sonant *hujus*, *cujus*, *ejus*, *novo*, *levi* in unam syllabam contracta: verum id eo evenit, quod nos hodie male pronunciemus. Notum enim est eruditis, consonantes *i* et *u* apud Latinos eodem fuisse sono et potestate, quo hodie *y* et *w*. Pronuncies igitur *cuyus*, *nowo*, *lewi*, et

mollior fiet crasis. Ita noster *tva, swa, grandyuscula, stellyor* plane et Virgilius *stellyo, abyete, etc.* Eadem ratione, cum *jam* e rent, ut nos hodie *yam;* in duas syllabas pro lubitu dissolvel *nunc ïam.* Cæterum in hac editione ubi *ïam* disyllabon est, no diæresis; et *cuius, huius, eius,* ubi monosyllaba sunt, super *i* ha accentum; ubi disyllaba, super *u* et *e, cújus, húju*s, *éjus.*

Eii, reii, speii, priore per ectasin producta, non indigent venia; Lucretius aliique olim epici idem fecerint. In nostra editione, producuntur, duplice *i* scribuntur.

Neque illud inter licentias numeres, cum comici *s* finale in syl brevi, sequente tamen consonante, nonnunquam abjiciunt, ut *tr famelicu'*: siquidem idem facit passim Lucretius. Cæterum quod quidam docent, et in syllaba longa hoc solere fieri, et sequente vo et totam etiam syllabam cum *s* sæpe resecari, falluntur et fallunt. *consimili'st,* a priore nihil, sed ab *est* vocalis resecatur; ut in *pala necessum'st. Multimodis* apud nostrum non divisim effertur *n modis;* sed vox una est ut *omnimodis:* et Lucretius utraque utitu

Quin et ubi synalœphæ vis cessat, et vel vocalis quæpiam v finales non eliduntur, altera vocali eas excipiente; ne hoc quide licentiis ponas: qualia ista et plura apud nostrum: *omnes qui an mé et ætate, né ubi acceperim, quaé erat mortua, una ire cúm an dúm id efficias, quicum uno rém habebam.* Quippe et epici, Lucre Virgilius, Horatius eodem modo in hexametris: *sed dúm abest avemus, credimus an qui amant, si mé amas inquit, cocto núm honor idem.* In his autem aliisque similibus tria sunt observar nunquam hoc fieri nisi in verbo monosyllabo; quod verbum s vocalem exit, oportet syllabam esse longam; ictum denique habe prima syllaba anapæsti. Harum vero conditionum ignorantia nuper peperit errores? dum et in polysyllabis verbis, et in syll brevibus, et in aliena sede, posse fieri hoc existimabant.

Atque hactenus de licentia Terentiana, deque ejus limitibus, dicis sane illis neque incommodis: qualem hodie in poetis nostrat patriaque lingua patienter ferimus. Quin et ausim polliceri spon que fore, quemvis adolescentem, vulgaris modo prosodiæ et syllaba quantitatis callentem, lecta una alteraque editionis nostræ scena, Marte ac sine magistro totum hoc quod quæritur percepturum. magis mirum, quosdam cætera doctissimos, sed in his rebus p *ὀψιμαθεστέρους*, tam immodica verborum pompa se et operam suam ferre: quasi tantæ molis esset Romanam nunc licentiam, quantæ erat gentem, condidisse. Neque tamen, si ipsi audiendi sunt, im rito gloriantur: cum ex eorum sententia nihil non veteribus con et licuerit et libuerit: ut tam vagæ licentiæ limites ullos posui perinde sit ac Sarmatas et Gelonos intra campos suos coercui Nimirum hi non ipsos poetas, non artem et rythmi genium, sed libra sibi duces sumunt; et tot fere licentiarum species sibi fingunt, quo toto Plauto Terentioque vitiosæ lectiones nunc restant; unique l qui emendandus erat, ex altero æque mendoso patrocinium quær Quid mirum igitur; si quo major iis tam falsæ metricæ notitia crevit, eo in dies, ut queruntur, magis decreverit emendationum s rum numerus? Illud, si dubitas, exemplo sit; ubi Plauti auctori pedes creticos in trimetris adsciscunt. Locus elegantissimus Trinummo i. 2. in *urbanos* quos vocat *scurras,*

Qui omnia se simulant scíre, nec quicquám sciunt:
Quod quísque in animo hábet aut habitúrú'st, sciunt:
Sciúnt, quod in aurem réx reginæ dixerit:
Sciúnt, quod Juno fábulata'st cúm Jove:
Quæ neque fu | *tura neque* | *facta sunt* | tamen illi sciunt.

Duos illic creticos agnoscunt et accipiunt, dactylorum scilicet vicarios: neque hoc contenti, *innumera* hujusmodi portenta Plauto suo assignant, *pauca* etiam Terentio. Nos pauca illa jam ejuravimus; de innumeris olim fortasse curabitur. Interea, quid hic Plauti locus sibi postulet, videamus;

Quæ néque fu*tura nec facta sunt*, tamen illi sciunt.

Hic duæ longæ corripiuntur; duo cretici veniunt, quo ne dactylis quidem, si aurem habemus, venire fas est. Hosne *numeros ut laudaverint* Pisonum proavi? quis comœdus actor, ne ipse quidem *Pellio*, vel pretio voluerit emere; vel blaterare hæc ad tibiam in scena ausus fuerit? non suas potius sibi res poetam talem habere jusserit? Si licentiarii nostri de emendatione desperarunt; humanius tamen erat, de mendo potius confiteri, quam poetam ipsum proscribere. Vide tamen, quam facilis ea ne quærentibus quidem se offerat. Tolle illud *facta*; et trimetrum, quales hic cæteri sunt, rotundissimum habes:

Quæ néque futura, néque sunt, tamen illi sciunt.

Quin et hoc sensus ipse, non metrum solum, efflagitat: nam *quæ futura*, et *quæ sunt*, in eodem genere sunt opposita: non *futura* et *facta*. Si illud *facta sunt* a poeta esset; dixisset utique, quæ neque *fient* neque *facta sunt*; atque insuper de duobus peccatis unum lucratus esset.

Ars Terentiana.

Restat jam, ut de arte Terentiana, quæ tantopere olim celebrata est, pauca delibemus. Horatius Epist. ii. 1. 55.

Ambigitur quotiens uter utro sit prior: aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti:
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro:
Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi:
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.

Ubi dubium est, artemne metricam velit, an comicam. Utramque opinor; nam in utraque laude noster, tam versuum concinnitatis, quam lucidæ rerum dispositionis, primas tenebat.

Illud sane in lingua Latina notabile, ne unum quidem verbum præter monosyllaba tonum in ultima habuisse. *Déum* igitur, *vírum*, *méum*, *túum* priore licet brevi pronunciabant, nunquam nisi in versu *deúm*, *virúm*, *meúm*, *tuúm*. Quinctilianus Instit. i. 5. *Est autem in omni voce utique acuta syllaba, nec ultima unquam: ideoque in disyllabis prior.* Priscianus, p. 1287. *Acutus accentus apud Latinos duo loca habet, penultimum et antepenultimum: apud Græcos autem et ultimum.* Et paulo post: *Apud Latinos in ultima syllaba, nisi discretionis causa, poni non solet accentus.* Donatus, p. 1740. *Tonus acutus, cum in Græcis dictionibus tria loca teneat, ultimum, penultimum, et antepenultimum; tenet apud Latinos penultimum et antepenultimum; ultimum nunquam.* Maximus Victorinus, p. 1942. *Acutus, cum apud Græcos tria loca teneat, apud nos duobus tantum poni potest; aut in penultima, ut* prælegistis, *aut ea quæ a fine est tertia, ut* prælegimus. Olympiodorus in

Aristotelis Meteora, p. 29. Τότε μὲν Γραικοὶ ἐκλήθησαν, νῦν δὲ Ἕλλ τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα οἱ μὲν Ῥωμαῖοι παροξύνουσι, Γραῖκοι λέγοντες. ἡ δὲ διάλεκτος ὀξύνει. Καθόλου δὲ οἱ Ῥωμαῖοι πᾶν ὄνομα παροξύνουσι διὰ τὸν κόμ ὅθεν Ὑπερηνορέοντες ἐκλήθησαν ὑπὸ τῶν ποιητῶν. Hoc est, *Qui olim* Γρ *dicti, nunc appellantur* Ἕλληνες. *Illius autem verbi penultimam Ro acuunt, dicentes* Γραῖκοι; *sed communis sermo acuit ultimam* Γραικοί. *universim Romani in quacumque voce penultimam vel antepenulti acuunt, propter fastum et grandiloquentiam: unde a poetis dicu* Ὑπερηνορέοντες, *feroces et superbi.* Cæterum quod hic fastui tribui dialecto Æolicæ, unde lingua Latina partem maximam profl rectius imputatur. Æolenses enim, ut notum est, Βαρύτονοι erant θέος, ἄνηρ pronunciabant, cum alii θεός, ἀνήρ.

Jam vero id Latinis comicis, qui fabulas suas populo placere c rent, magnopere cavendum erat, ne contra linguæ genium ictus accentus in quoque versu syllabas verborum ultimas occuparent. in omni metro, quoad licuit, observabatur; ut in his,

> 'Arma virúmque cáno, Trójæ qui prímus ab óris
> Itáliam fáto prófugus Lavínaque vénit
> Lítora; múltum ílle et térris jactátus et álto
> Vi súperum, saévæ mémorem Junónis ob íram.

Qui perite et modulate hos versus leget, sic eos, ut hic accent notantur, pronunciabit; non, ut pueri in scholis, ad singulorum pe initia,

> 'Italiám fató profugús Lavínaque vénit,

sed ad rythmum totius versus. Ubi nulla vox, ut vides, accentu ultima habet, præter unicam illam *virúm:* idque recte ob seq encliticon *que:* quod hic semel dictum, in Terentio passim fieri madvertes. Idem efficiunt ME, TE, SE: *Miserám me, quod ver audio?* quippe hæc Latinis, ut etiam *rem*, enclitica sunt, ut Gr ΜΕ, ΣΕ. Eadem est et interrogationis vis; sive cum *ne* enclitico, absque *ne*. In hac igitur concinnitatis laude palmam omnibus p ripuit Terentius; eamque ut consequi posset, ut et vetitos ictus e geret, et vocabula tamen significantiora semper sub ictu poneret; minore studio judicioque verba disposuit, et a prosæ orationis or decenter invertit, quam mirificus in hac materie artifex ipse Virgil

Priscianus de versibus comicis narrat, *Fuisse quosdam qui abnega ulla esse in Terentii comœdiis metra; vel ea, quasi arcana quæda ab omnibus doctis semota, sibi solis esse cognita confirmarent.* Ibi ait, *Omnes quidem comicos, crebris synalœphis et episynalœphis et lisionibus et abjectionibus* s *literæ, fuisse usos scandendo versus s* TERENTIUM AUTEM PLUS OMNIBUS. Verum profecto hoc est; et ca unica, cur magistelli isti vel negarent metra esse apud nostrum, ve arcana quædam venditarent. Quod vero hic queritur et crimin magnus grammaticus, non vitium est, sed virtus Terentii prima: synalœphas illas data opera consectatus est; quo syllabæ ulti liquescerent coalescerentque cum sequentibus; eoque vetiti ac vi in ultimis ictus artificiose effugerentur. Hæ vero synalœphæ, tenebras olim magistris offuderunt, jam in nostra editione, percus num intervallis distincta, ne pueris quidem negotium facessent.

Totum autem hoc, quod de ictu in ultimis syllabis cautum fu diximus, de secunda tantum trimetri διποδίᾳ capiendum; nam

prima et tertia semper licuit; siquidem ista sine venia conclamatum actumque erat de comœdia tragœdiaque Latina. Cum igitur hunc versum similesque apud nostrum videris,

Malúm quod isti di deæque omnés duint:

cave vitio id poetæ verteris; etsi *malúm* illud et *omnés* si in communi quis sermone sic acuisset, deridiculo fuisset. Nimirum aures vel invitæ patienter id ferebant, sine quo ne una quidem in fabula scena poterat edolari. Quin et Græcos ipsos eadem tenuit necessitas, eadem passa est indulgentia. Cum Aristophanes dixit,

Δουλὸν γενεσθαι πάραφρονουντος δέσποτου.

Cum Euripides,

Ηκὼ νεκρων κευθμώνα και σκοτού πυλας,

idem admiserunt in *δουλὸν* et *ηκὼ*, quod noster in *malúm* et *omnés*: ipsi enim alibi priorem acuunt, *δούλον* et *ἥκω*.

In secunda igitur trimetri *διποδίᾳ* hoc de quo agimus non licebat. Gellius xviii. 15. *In senariis versibus animadverterunt metrici duos primos pedes, item extremos duos, habere posse singulos integras partes orationis, medios haud unquam posse: sed constare eos semper ex verbis aut divisis aut mixtis atque confusis.* Quotus quisque hoc vel intelligat? nedum ut senarios per singulos pedes scandendo tempus in hac observatione conterat? At in nostra editione vel aliud agentibus in oculos incurrit; simulque ratio, quam metrici isti tacent, plane apparet. Hoc illi voluerunt; in his et similibus senariis,

Venit Chremes postridie ad me clamitans.
Mansuetique animi officia, quid *multis moror*.

duos primos duosque postremos pedes singulis verbis claudi, et recte: at pedem tertium quartumve non posse recte. Cur hoc? quia tum necesse est, ut ictus in ultimas syllabas cadant; quod, ut dixi, in prima ultimaque *διποδίᾳ* solet fieri; in media nec solet et vix unquam licet. Rarissime igitur, semel atque iterum, sed magno sententiæ lucro, admisit hoc in trimetris Terentius:

Persuásit nox, *amór*, vinum, adolescentia.
Scelésta ovém *lupó* commisi: dispudet.

Nam illud,

Nosse ómnia hæc *salús* est adolescentibus,

in hac editione *saluti* est. Notandum quoque in *amór* et *lupó* priorem brevem esse, et ex musicæ rationibus ita oportere; ut apud Horatium,

Jam jam efficaci do *manús* scientiæ.
Ad pervicacis heu *pedés* Achilleï.

Et similiter in verbo trisyllabo duos ictus recipiente, si id *διποδίαν* trochaicam inchoat, media erit ex arte brevis,

Nísi pol filiúm multimodis éxpeto, ut redeát domum.

Ita recte hic editum, non *expecto*; ut et alia plurima, quæ ante nos vitiosa ferebantur, in omni versuum genere hic corriguntur.

COMPENDIA SCRIPTURÆ, QUIBUS HIC SUMUS U

B. Bentleius.
C. Calpurnius.
D. Donatus.
E. Eugraphius.
L. Lindenbrogius.
W. Westerhovius.
Z. Zeunius.

9 N.

TERENTII AFRI

COMŒDIÆ N̄. VI.

ANDRIA. EUNUCHUS.

HEAUTONTIMORUMENOS.

ADELPHŒ. HECYRA.

PHORMIO.

FELICITER CALLIOPIO

. . . . . .

Ita in MS. Regio.

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT. ANDRIAM.

Sororem falso creditam meretriculæ,
Genere Andriæ, Glycerium vitiat Pamphilus:
Gravidaque facta, dat fidem, uxorem sibi
Fore hanc; nam aliam pater ei desponderat,
Gnatam Chremetis: atque ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias, cupiens suus
Quid haberet animi filius cognoscere.
Davi suasu non repugnat Pamphilus.
Sed ex Glycerio natum ut vidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat.
Mox filiam Glycerium insperato agnitam,
Dat Pamphilo hanc, aliam Charino conjugem.

ÆLII DONATI, V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ, PRÆFATIO IN ANDRIAM TERENTII.

Comœdia Andria, cum Palliata sit, de loco nomen accepit, et a Menandro priu et nunc ab ipso Terentio: qui, cum de Chryside loqueretur, sic ait: *Hei vereor, quid Andria apportet mali;* et hoc commune vocabulum est et in Græca et in Latii lingua. Hæc majori ex parte motoria est, continetque actus amatorum adolescentiu et patrum piorum. Sunt ibi callidi servi, astutæ ancillæ, severi senes, adolescentul liberales. In hac primæ partes senis Simonis sunt, secundæ Davi, tertiæ Chremeti et deinceps reliquorum. Prologus in hac acer inducitur, et in adversarios non med ocriter exasperatus; sed tamen id subtiliter, ut omnia lacessitus facere videatur dicere. Hic protasis subtilis, epitasis tumultuosa, catastrophe pene tragica: et tame repente ex his turbis in tranquillum pervenit. Hæc prima acta est ludis Megalens bus, M. Fulvio et M. Glabrione ædilibus Curulibus. Egerunt L. Attilius Prænest nus et L. Ambivius Turpio. Modos fecit Flaccus, Claudii filius, tibiis paribus, dex tris et sinistris: et est tota Græca, edita M. Marcello et Cn. Sulpitio Coss. pronu ciataque est Andria Terentii, ob incognitum adhuc nomen poetæ, et minoris apu populum auctoritatis ac meriti. Diverbiis authenticis lepide distincta est: et success spectata prospero, hortamento poetæ fuit ad alias conscribendas. Initium autei *προτατικὸν πρόσωπον*, id est, adventitiam personam recepit Sosiæ, propter evolver dam argumenti obscuritatem. Persona autem protatica intelligitur, quæ semel in ducta in principio fabulæ, in nullis deinceps fabulæ partibus adhibetur. Adnotar dum sane, puellarum liberalium nullam orationem in proscenio induci, in comœdi Palliata, præter invocationem Junonis Lucinæ: quæ et ipsa quoque post scenam fiei solet. (At vero loquitur in Heautont. Antiphila, puella liberalis, in Plauti Curc Planesium, et aliæ alibi. Westerh.)

ARGUMENTUM.

Chremes Atticus, pater Pasibulæ et Philumenæ, cum ex his duabus se Pasibulam perdidisse falso crederet, relictam Athenis, nec visam postea multo tempore, tanquam unicam sibi putabat Philumenam, quam Charinus adolescens Atheniensis adamabat unice, et sibi petebat uxorem. Sed pater eam Pamphilo cuidam, Simonis filio, ultro desponderat: qui Pamphilus contra sororem Chrysidis, ac peregrinam tum creditam, Pasibulam supra dictam, alteram Chremetis filiam, sub nomine Glycerii, latenter sic amavit, ut ex ea filium suscepisset inscio patre. Qua re intellecta, commotus Simo pater Pamphili, dum per falsas nuptias tentat animum Pamphili, multis modis a Davo ipse deluditur servo; periculoque Charini et Pamphili motus error in fabula, usque ad eum finem ductus est, dum Athenas veniens Andrius quidam Crito rem aperiat, et nodum fabulæ solvat: per quem agnita Pasibula recipitur a parentibus, et traditur Pamphilo amanti: Philumena vero Charino despondetur, et traditur exoptanti. Perspecto argumento scire debemus hanc esse virtutem poeticam, ut a novissimis argumenti rebus incipiens, initium fabulæ et originem narrative reddat spectatoribus, auctoremque præsentem sibi exhibeat, ubi finis est fabulæ. Hunc enim orbem et circulum poeticæ virtutis non modo secuti sunt tragici comicique auctores, sed Homerus etiam et Virgilius tenuerunt. Divisionem actuum in Latinis fabulis internoscere difficile est: causam jamdudum demonstravimus. Unde autem, aut quomodo, quamvis ægre, tamen intelligi distinguique possint, est operæ pretium dicere. Principio dicendum est, nullam personam egressam quinquies, ultra exire posse. Sed illa re plerumque decipimur, quod personam, cum tacuerit, egressam falso putamus: quæ nihilominus in proscenio tacens loquendi tempus exspectat. Est igitur attente animadvertendum, ubi et quando scena vacua sit ab omnibus personis, ut in ea chorus, vel tibicen audiri possit: quod quum viderimus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere. Confundit sæpe lectorem id, quod persona in superiori scena desinens, et in proxima incipiens loqui, non intelligitur ingressa: quod ipsum experientes statim dijudicant de rerum ac temporum quantitate: potest enim fieri, ut et sit ingressa ac egressa, quam prave credimus de proscenio non recessisse. Posse autem quinto egredi personam, non et necesse esse dicimus, ut appareat ultra exire non posse: in Tragœdia et parcius exire, et solere pariter et licere. Primus actus in Andria narrationem Simonis apud Sosiam continet argumenti: quod populus hac occasione perdiscit mox querelam apud se Davi de domino, et ejusdem cum domino verba: et rursus ejusdem servi deliberationem quid rerum gerat. Secundi actus hæc sunt: Charini verba primo cum Byrrhia servo, et post cum ipso Pamphilo de nuptiis Philumenæ: Davi interventus, et cum eo disputatio de nuptiis Pamphili: Pamphili sermo cum patre, dolo consentientis in nuptias: Byrrhiæ verba: Davi callida oratio adversum senem. Tertio actui hæc attribuuntur: Mysidis cum obstetrice colloquium, Davo ac Simone audientibus: partus Glycerii suspectus seni, et Davi apud eum fraudulenta sermocinatio: Simonis verba cum Chremete de nuptiis: Davi perturbatio ac Pamphili. Quartum actum per hæc intelligimus: prima Charini verba sunt indignantis, velut fidem sibi non servatam a Pamphilo: tum Mysidis verba apud Pamphilum, ejusdemque questus: Davi administratio doli adversus Chremetem. In quinto actu: Simonis et Chremetis prope jurgium disputatio: tum detectio fallaciarum Davi: tum indignatio patris adversus filium: tum Critonis interventus: et per eum cognitis rebus in tranquillum res acta, ducentibus uxores, quas concupiverant, Pamphilo et Charino. Illud non commovere nos debet, quod in horum actuum distinctione videntur de proscenio non discessisse personæ quædam; sed tenere debemus, ideo Terentium vicinitatis mentionem fecisse in principio, ut modico receptu et adesse et abesse personam intelligamus. Nihil ergo secus factum est ab antiquis, qui ad hunc modum Terentianas fabulas diviserunt.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

Byrrhia *servus.*	Davus *servus.*	Mysis *ancilla.*
Charinus *adolescens.*	Dromo *lorarius.*	Pamphilus *adolescens*
Chremes *senex.*	Glycerium *meretrix.*	Simo *senex.*
Crito *hospes.*	Lesbia *obstetrix.*	Sosia *libertus.*

IDIOMATA PERSONARUM PRÆCIPUARUM.

Simo, *pius in filium, sed natura vehementior.* Pamphilus, *pius in patrem, sed fideli amans, et cordatus ut adolescens.* Davus, *vafer, ac spei pertinacis.* Charinus, *simpl ac nullius consilii.* Byrrhia, *Davo dissimillimus, desperandi auctor.* Crito, *pauper, ob probitatem impatiens contumeliæ.* Chremes, *pius in filiam, alioqui Simonis dissimil mus, ingenio sedato et placido, componens omnia.* Mysis, *callida, et heræ amans.*

RATIO NOMINUM.

Simo *dictus est a specie. Simi enim fere sunt iracundi.* Chremes, *παρὰ τὸ χρέ πτεσθαι, quod senes tussi expurgent pectus.* Pamphilus *a fideli amore.* Charinus *a benev lentia animi.* Sosias, *quod servatus in bello.* Davus *a patria, opinor et* Byrrhia, *sic et* Mysis; *nam Mysi, quemadmodum Phryges, servile genus erat.* Glycerium *a volu tate.* Lesbia *a patria.* Crito, *quod controversiam dirimat.* Dromo *a cursu.*

J N. 29, 1852

PUBLII TERENTII

CARTHAGINIENSIS AFRI

ANDRIA.

ACTA LUDIS MEGALENSIB. M. FULVIO ET M. GLABRIONE ÆDILIB. CURULIB. EGERUNT L. AMBIVIUS TURPIO, L. ATTILIUS PRÆNESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII FILIUS, TIBIIS PARIBUS DEXTRIS ET SINISTRIS. ET EST TOTA GRÆCA. EDITA M. MARCELLO, CN. SULPITIO COSS.

Pub. Terentii Carthaginiensis] Asserere hunc titulum Terentio volui, quem in nonnullis exemplaribus ita conceptum reperi. Itaque sic vocatur a Donato, et a quibuscunque aliis vitam illius descriptam habemus. Fuit alius Terentius Libo, de quo in prolegomenis: cujus fortean fragmenta sunt, apud Varr. de LL. lib. v. *Gaudia sua si omnes homines conferant unum in locum, tamen mea exsuperet lætitia:* et Gellium Noct. Attic. lib. xviii. c. 11. *Pallium face ut splendeat.* At vero verba illa apud Festum in Summussi: *Quod potes sile, cela, occulta, tege, tace, sussa, mane:* potius Cæcilii, quam Terentii esse puto. Ex Carthaginiensis vero hujus sex, quæ reliquæ sunt, fabulis, quum primum in scenam producta esset Andria, pronunciata fuit *Andria Terentii*, ut et *Adelphæ:* quemadmodum docet Donatus. At in reliquis omnibus nomen auctoris præpositum: quod scire nos, sufficerit. Nam ita nunc quoque edi debere, futilis ratio esset; nec puto quemquam adeo inepte religiosum, ut in hoc me errasse dicat. L.

Tibiis paribus dextris] In quibusdam vett. *Tibiis paribus*, ut Mar. Victor in Genesi cap. 1. *Noctem intercisæ parilem fecere tenebræ.* Quæ vero tibiis paribus vel imparibus acta dicatur, explicat Diomedes lib. iii. *Cujus rei indicia produnt nobis antiquæ comœdiæ, in quibus invenimus,* acta tibiis paribus *aut* imparibus, *aut* serranis. *Quando enim chorus canebat choricis tibiis, id est, choraulicis, artifex concinebat; in canticis autem pithaulicis responsabat. Sed quod paribus tibiis aut imparibus invenimus scriptum, hoc significat, quod, si quando monodio agebat, unam tibiam inflabat, si quando synodio, utramque.* Ex Donati sententia comœdiæ agebantur, tibiis aut paribus dextris et sinistris, aut imparibus videlicet dextris Lydiis, sinistris serranis. *Tibiæ pares* erant, quæ uno spiratu simul animabantur, ut clare nos docet Apuleius Floridor. 1. *Primus Hyagnis in canendo manus discapedinavit, primus duas tibias uno spiritu animavit, primus levis et dextris foraminibus, acuto finitu, gravi bombo, concentum musicum miscuit. Impares* Festus dicit, numero foraminum discretas. De dexteris et sinistris Varro lib. i. cap. 2. de Re Rust. *Dextera tibia alia quam sinistra, ita ut tamen sit quodammodo conjuncta, quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva.* Et paulo post: *est inferior, ut tibia sinistra a dextræ foraminibus.* At de Lydiis et Serranis variat Servius a Donato. Ejus hæc verba Æneid. lib. ix. *Biforem dat tibia cantum. Tibiæ aut serranæ dicuntur, quæ sunt pares, et æquales habent cavernas: aut Phrygiæ, quæ et impares sunt, et inæquales habent cavernas. Ergo* Biforem, *dissonum dissimilemque. Non sunt pari modulatione compositæ ut cum ait Varro: Tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo: quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem.* Quod si Servii sententia vera est, corrigenda, quæ scribit Donatus

in prolegomenis et argumentis ad Adelphos et Phormion. At si hujus præponderat, illius vero inclinat, tum emendanda inscriptio Adelph. et pro *serranis* legendum *imparibus Lydiis;* quamvis exemplaria omnia Terentii, quotquot vidi, repugnent. Lydiarum tibiarum plurimi veterum meminere: etiam Solinus, qui easdem quoque *Turarias* vocat cap. 5. Atque ut hæ comœdiis adhibitæ fuere, sic Ioniæ tragœdiis. Athenæus Dipnos. lib. xiv. p. 629, *διόπερ οὐδὲ τὸ τῆς Ἰαστὶ γένος ἁρμονίας, οὔτε ἀνθηρὸν, οὔτε ἁπαρόν ἐστι, ἀλλὰ αὐστηρὸν καὶ σκληρόν. ὄγκον δὲ ἔσχον οὐκ ἀγενῆ, διόπερ καὶ τῇ τραγῳδίᾳ προσφιλὴς ἡ ἁρμονία. Egerunt L. Ambivius*] De Æsopo Comœdo Cicero lib. vii. Epist. 101. ad Famil. De Roscio idem lib. ix. ad Famil. Ep. 173. et pro Ar Diomedes Grammat. lib. iii. De utr Quinctilian. Institut. lib. xi. c. 3. *Ro citatior, Æsopus gravior fuit: quod ill mœdias, hic tragœdias egit.* Horat. E 1. lib. ii. *clamant periisse pudorem C pene patres, ea cum reprehendere c Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Ro egit.* Symmach. lib. i. Epist. 25. *I mœdiis summatem quidem gloriam scripi tulerunt. Roscio tamen, atque Amb cæterisque actoribus fama non defuit.* I lib. x. Epist. 2. *Non idem honos in nunciandis fabulis P. Pollioni, qui Amb fuit: neque par Æsopo et Roscio fama cessit. Tota Græca*] Palliata scilicet. In enim, etiamsi Latinæ sint, Græca om servantur. Ascon. Pædian. in Divinat

---

PROLOGUS.

Poeta quum primum animum ad scribendum appulit, Id sibi negoti credidit solum dari,

Cum omnes poetæ virtutem oratoriam semper versibus exsequantur, tum magis duo viri apud Latinos, Virgilius et Terentius. Ex quibus, ut suspitio nostra est, magis Terentii virtus ad rationem rhetoricæ artis accedit: cujus potentiam per singulas comœdias, ut possumus, explicabimus. Ac prima nobis ea sit, quæ et pueris semper est tradita. Andria igitur prologum habet. *Poeta quum primum animum ad scribendum appulit*] Omnis prologus triplici inducitur causa, vel ut argumentum fabulæ possit exhibere, vel poetam populo commendare, vel ut a populo audientiam postulet. Sed his omnibus causis Terentius non ita usus est. Habuit enim adversarium, veterem poetam, Luscium Lavinium, cujus comœdiæ cum non placerent, semper maledictis adversus comœdias Terentii pugnabat. Propter hunc igitur Terentius prologum semper inducit, ut ejus maledictis respondeat. Quod si ita est, omnis prologus Terentii habet controversiam. Andria igitur controversiam tenet. Mos est uti ex Græco in Latinum sermonem aliquid transferri liceat. Terentius comœdiam Græcam Andriam cum transferret, adjunxit et Perinthiam, quæ altera Græca est comœdia. Fit ergo reus, quia non debuerat alteram comœdiam contingere, in comœdiæ alterius translatione. Isthæc controversiæ qualitas, an juste fecerit: cujus argumenta sic persequitur, ut per absolutam qualitatem habitus semper sit in disputati tractatus. Is omnino, ut dixi, duplex Si feci, juste feci: et feci, quia licuit exemplum. Sed prius exordium sumit quod propositum ita est, ut poetam pulo commendet; aliter enim benevol tiam auditorum non potest compara nisi personæ suæ pudorem honestatem declaret. Est igitur ad comparandam nevolentiam sumtum principium. *Po quum primum animum*] Benevolentia rl torica certe captatur ex nostra perso Hoc supra positis verbis expositum e cum docuit sibi pudorem propositum, certam gloriam captaturum. Unde persona adversarii, cum ejus impuden declaratur, hoc subjunxit: *Verum mu aliter evenire intelligit. Nam in prolo scribundis operam abutitur: non qui arg mentum narret, sed qui malevoli veteris etæ maledictis respondeat.* Huc usq principium est habitum a nostra persor et ab adversariorum. Sequitur proposi quæstionis: sed primo permissio. *Nu quam rem vitio vortant*] Hæc dicit quæs onem præmittens; proponit autem ita, cum argumento quæstionem solvat. Qu stionem proponere videtur, *Menander fe Andriam et Perinthiam, qui utramvis, e* quæstionem illam supra diximus ess quia non debuerit ex duabus comœdi Græcis unam Latinam scribere. Et hu respondit ita, quod liceat: ac primu unam dicit; quamvis duæ sint, quæ int

Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.
Verum aliter evenire multo intelligit.
Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui malevoli

se quoque quadam cognatione conveniant. Hoc enim dixit. *Menander fecit Andriam et Perinthiam; qui utramvis recte norit, ambas noverit. Non ita dissimili sunt argumento, et tamen dissimili oratione sunt factæ ac stilo.* Licet duæ sint numero, in unam tamen rationem conveniunt. Quod ita est: quæ ex Perinthia in Andriam convenerunt, ad Andriam jure translata sunt; unde non videtur aliter fecisse, quam liceat. Nam cum liceat ex una comœdia Græca unam Latinam scribere, hic quodammodo ex Andria Græca Andriam fecit Latinam; et quidem ex Perinthia tulit, quæ in Andriam convenirent. Igitur adversarii id vituperare audent? Adjicit argumentum absolutæ qualitatis, uti supra diximus, quia quæ fecit, per exemplum fecit. *Qui quum hunc accusant, Nævium, Plautum, etc.* Et quoniam semper exemplis laborandum est, nec tamen sumamus: quæ aliquando reprehensa sunt, adjecit: *quorum exoptat æmulari negligentiam potius, quam istorum obscuram diligentiam.* Subjungit postea Epilogorum virtutem, ut liberatus a culpa terrere incipiat adversarios: et honeste ostendit, adversarios multa peccare, sed illa se nolle maledicere. Concludit a precibus, ut benevolentiam ab audientia populi petat: *Favete:* simul pollicens quasi quiddam præmium de comœdiis futuris, si fuerit libenter auditus. Hactenus controversia tractata est. E.

1. *Poeta quum primum animum ad scribendum appulit*] Principium factum est a commendatione personæ, quod prudens, quod honestus Terentius. Et honore majore poetam potius, quam Terentium dixit: ut illum hoc ipso, de quo laborat, nomine ornaret. *Poeta quum primum.* Omnis hujus prologi intentio hoc agit, ut novo poetæ veniam paret, et veteri odium: et ut, quam maxime modestum, minimeque errantem Terentium probet. *Poeta quum primum animum ad scribendum appulit.* Sensus hic est: Proposuerat quidem poeta noster, ut in prologis argumenta narraret: sed hoc imputat Lucio Lavinio adversario, qui eum facere non permisit, quod proposuerat, maledictis suis ad respondendum eundem provocans. *Appulit. Appellere* proprie dicitur, cum ex pelago aut freto quis ad litus accesserit. Virgil. Æn. iii. 715. *Hinc me digressum vestris deus appulit oris. Appulit.* In secunda lectione *attulit* fuit: sed *appulit* magis. Nam postea sic, *Animum ad uxorem appulit.* D.—*Poeta quum primum animum*] Sensus hic est: cum primo poeta comœdiam scribere voluit, hoc tantummodo arbitratus est negotii sibi dari, ut placerent populo comœdiæ, quas fecisset. Ergo quod sequitur, *Verum aliter evenire multo*, ille sensus est, ut hoc solum sibi crederet propositum, ut comœdiæ suæ placerent. Et illud, ut adversario debeat respondere. Ergo *In prologis scribendis operam abutitur*, hoc est, valde utitur opera prologorum. Non ut argumentum narret, quod prologorum est semper officium; sed ut semper malevoli poetæ maledictis respondeat. Adjecit *veteris poetæ*, quo facilius hominem, ex vetustate notare posset, qui cum vetustate commendatus non sit, et notus per maledicta, invidere videatur. E.

2. *Negoti*] Modo pro molestia et cura, non labore. D.

3. *Populo ut placerent*] *Ut* ne non significat: nec est modo conjunctio. *Fabulas.* Ad *fecisset* retulit *fabulas*, non ad *placerent*: et est figura syllepsis. *Fecisset.* Bene *fecisset*, non *scripsisset.* Unde et poetæ ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, id est, a faciendo dicti sunt. Sic Virgil. Ecl. iii. 86. *Pollio et ipse facit nova carmina.* D.

4. *Verum aliter multo intelligit*] Sic Virgil. Æn. vii. 44. *Major rerum mihi nascitur ordo.* Et, *Majus opus moveo.* Non enim hoc se elegisse dicit, sed quasi ex ordine ipso natum sibi esse. *Intelligit.* Quod credimus, plerumque falsum: quod intelligimus, certum est. *Aliter* autem contra significat. Virgil. Æn. ii. 428. *Dis aliter visum. Verum aliter multo intelligit.* Adeo nec præparaverat, nec intenderat quenquam lædere, ut spe falsus, lacessitusque hoc faciat. D.

5. *Operam abutitur*] *Utimur* fructibus rei, quæ ab amantibus salvo usu nobis subministratur: *abutimur*, quando deperdimus et rem et fructum. Nam usui est ager, domus: abusui vinum, oleum, et cætera hujusmodi. Cicero, *Non debet*, inquit, *ea mulier, cui vir bonorum suorum usum fructum legavit, cellis vinariis et olearis plenis relictis, putare id ad se pertinere: usus enim, non abusus legatus est; ea inter se sunt contraria.* Hæc in Topicis, c. 3. D.

6. *Argumentum narret*] Quod vere prologi est officium. *Qui*, pro *ut*: ergo non est modo pronomen. *Sed qui malevoli veteris poetæ.* Primum a natura, *malevoli*; deinde a tempore, vel ab invidia,

Veteris poetæ maledictis respondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quæso, animum advortite.
Menander fecit Andriam et Perinthiam.
Qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Non ita dissimili sunt argumento, sed tamen
Dissimili oratione sunt factæ ac stilo.
Quæ convenere in Andriam, ex Perinthia
Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.
Id isti vituperant factum; atque in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.

veteris: a signo æmulationis, *poetæ. Vetus* plerumque refertur ad laudem: interdum ad vituperationem, ut hic, et alibi, *vetus, veternosus, senex.* D.

7. *Veteris*] Pro cariosi et quasi rancidi posuit, atque ideo malevoli: non criminibus, sed maledictis. Quid autem inter *maledictum* et *crimen* interuit, docet Cicero in Tusculanis. *Veteris.* Ratio invidiæ. *Poetæ.* Causa insectationis. *Maledictis.* Criminatio adversarii. *Veteris poetæ.* Quia senex Lucius edebat fabulas, adolescentulo tunc Terentio. Et eleganter, *malevoli veteris maledictis:* commendatio poetæ a persona adversarii. *Respondeat.* Excusatio respondentis, quod non obsistat, sed respondeat. D.

8. *Nunc, quam rem vitio dent*] Nunc animadvertite: an nunc vitio dent. Et oratorie quasi multos facit, cum unum supra dixerit; ut Virgil. Æn. xii. 60. *Desiste manum committere Teucris. Nunc, quam rem vitio.* Propositio est. *Quam,* qualem. *Vitio dent.* Vituperent, culpent. *Vituperare,* est male vitio dare etiam bona. *Advertite.* Legitur et *attendite;* unde manifestum est, et *advertite* et *attendite* non esse plenum, nisi addideris *animum.* D. —*Quam rem vitio dent*] Hoc est, quam rem culpent et accusent. E.

9. *Menander fecit Andriam*] Narratio est; et proprie *fecit;* scribit enim Terentius, qui verba adhibet tantum: facit Menander, qui etiam argumentum componit. Sed sæpe ad laudem Terentii, *fecit,* pro eo quod est transtulit. D.

10. *Utramvis*] Prima scena Perinthiæ pene iisdem verbis, quibus Andria, scripta est; cætera dissimilia sunt, exceptis duobus locis, altero ad versus 11, altero ad versus 20, qui in utraque fabula positi sunt. *Qui norit unam, ambas noverit.* Omnem rem uno versu noverit. *Utramvis.* Deest *harum.* D.

11. *Non ita dissimili sunt*] Ordo, Ita non sunt. Ergo *ita* subdistinguendum. *Non ita dissimili sunt oratione. Ita* pro valde et caute: potuit enim dici, Quomodo ergo sunt duæ dissimili oratione? *Ita.* Ne Menandrum culpare videatur adjunxit, quod laudis est. *Sed ta* Discretio est a superioribus, et est *κάλλοθεν.* Non enim supra posuit *qua* D.—*Non ita dissimili sunt*] Vult si esse argumentum duarum comœdia non tamen plurimum dissimile. E Menandrum accusare videatur, qui ex uno argumento duas comœdias fec adjunxit, quod ad ejus laudem ma pertinebat, *dissimili oratione ac stilo.* —Pro *sed* requirit metrum elegantia *et.* B.

12. *Oratione ac stilo*] *Oratio* in s est: *stilus* in verbis. *Oratio* ad res re tur: *stilus* ad verba. *Stilus* non es tempore, sed prolata oratione. *Or* autem est et in cogitatione, et in prol Orationem in sententiis dicunt esse, lum in verbis, argumentum in rebus. I in poemate oratio est. D.

13. *Quæ convenere in Andriam*] Ap ret non de industria, sed casu esse tra lata ea, quæ ex Perinthia in Andr eodem sensu, iisdemque verbis perscr fuerunt. *Quæ convenere in Andriam.* U ergo, non duas transtulit. *Quæ conve in Andriam.* Quæ apta et commoda runt in Andriam Latinam, non Græc fatetur transtulisse. Sed quare se on Terentius, cum posit videri de una tra tulisse? Sic solvitur: Quia conscius est, primam scenam de Perinthia translatam, ubi senex ita cum uxore quitur, ut apud Terentium cum libe at in Andria Menandri, solus senex D.—*Quæ convenere in Andriam*] M enim conveniunt. Hæc igitur Teren in Andriam transtulit. E.—Post Perin pone *hic,* ne Menander, sed Teren ipse intelligatur. B.

15. *Id isti vituperant factum*] *Isti* reprehensionem sumitur personæ: in dum rei reprehensionem significat: Virgilius, *Quid petis istis? Vituper* Vitium rei parant. *Disputant.* Immor tur, calumniantur, argumentantur. D.

16. *Contaminari*] Proprie *contamin* est, manibus luto plenis aliquid attinge

Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.
Qui quum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium
Accusant: quos hic noster auctores habet:
Quorum æmulari exoptat negligentiam
Potius, quam istorum obscuram diligentiam.
Dehinc ut quiescant, porro moneo, et desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.
Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite,
Ut pernoscatis, et quid spei sit relliquum,
Posthac quas faciet de integro comœdias,
Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

et *contaminare*, attingere est, et polluere. Virgilius, *Linquere pollutum hospitium*, id est, contaminatum. *Contaminari.* Tangi et relinqui polluta manu, ac per hoc velut fœdari aut maculari: ut ipse ait: *Ne hoc gaudium contaminet vitam ægritudine aliqua. Contaminari non decere.* Id est, ex multis unam non decere fœcere. D.—*Contaminari non decere*] Exemplar Bibliothecæ Regis Galliar. *non debere.* L.

17. *Faciunt ne*] Ne quidam corripiunt, et cum interrogatione pronunciant, quidam producunt: quorum alii *ne* pro *nec* accipiunt, id est, non; alii *ne* pro valde, ut, *Ne ego homo sum infelix;* et Cicero, *Ne illi vehementer errant.* Et hoc melius: nam statim infert, *Qui quum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium accusant.* In singulis magna emphasis auctoritatis: sed ordo non est servatus. Ennius namque ante Plautum fuit: sed quod est summæ auctoritatis, Ennium ultimum dixit. *Ne.* Nimis, multum, plurimum. D.—*Faciunt ne intelligendo*] Hoc est, quasi plurimum intelligendo. E.—*Faciunt ne intelligendo*] Hieronym. Stridon. Epist. de optimo gen. interp. *Faciunt ne intelligendo, ut nihil intelligant: et dum alienam imperitiam volunt arguere, suam produnt.* Cæl. Sedul. ad Macedon. de opere Pasc. *Si qui tamen istud objiciant, faciunt nec intelligendo ut nihil intelligant.* Vid. Charis. Sosip. lib. ii. Diomed. lib. i. cap. 4. L.—*Næ* h. e. certe, profecto, cum repugnet sermoni ac sensui, mutandum est in *ne*, et cum interrogatione proferendum. B.

18. *Qui quum hunc*] Terentium, inquit, specialiter accusantes, nesciunt se bonis omnibus maledicere, quos ille imitatur: et argumentum est ab exemplo et auctoritate. D.

22. *Dehinc ut quiescant*] Recte: nam *quiescere* ille dicitur, qui est insolens et inquietus. *Porro.* Porro in futurum dixit. *Moneo.* Terribiliter dixit. Cicero, *Moneo, prædico, ante denuncio.* Liberatus culpa etiam terret, alibi etiam criminaturus adversarios. D.—*Ut quiescant porro*] Hieronym. de vita cleric. *Obsecro ut quiescant et desinant maledicere: non enim ut adversariis, sed ut amicis scripsimus. Ut pernoscatis*] MS. Reg. *Ut pernoscatis, quid sp.* V. C. *Ut et is pernoscat quid, etc.* L.

24. *Favete*] Jam ad auditores convertitur, a quibus favorem captat. *Favete.* Quasi dicat, Hoc adversarii faciunt. Vos autem, quod in vobis est, favete. Vos ergo favorem facite. Et *adeste*, non ut absentibus dicit, quippe qui corporibus præsto erant: sed, intenti estote, favete, silete. Sic et pontifices dicunt, *Favete linguis*, favete verbis. Unde Virgilius, *Ore favete omnes. Adeste.* Animis scilicet auxilium præbete: ut advocatus reo dicitur adesse. *Æquo animo.* Ab honesto. *Et rem cognoscite.* A justo. *Cognoscite.* Pernoscite. Sic dixit, *Cognoscite ut pernoscatis*, quemadmodum in Hecyra, *Orator ad vos venio ornatu prologi, Sinite exorator sim. Ut pernoscatis*] Ab utili. D.

25. *Relliquum*] Sunt qui pro *relliquorum* accipiant: ut sit sensus: De hac fabula sumite specimen, ut sciatis an cæteræ vobis spectandæ sint. Non postmodum dictum alio prologo, *Alias cognostis ejus, quæso, hanc noscite. Reliquum.* Quasi diceret, postremum: ergo adverbium est, id est, τὸ λοιπόν. Sed sive hoc *relliquum* dicit, sive *relliquum* pro *relliquorum*, geminato *u* scribitur. D.—Est casca scriptura *et quid* pro *ecquid*: ita tamen ut *etquid* pro uno verbo veniat, et *quid* sit encliticum. Semel monuisse sat erit. B.

26. *De integro*] Utrum denuo, an ex integris Græcis? *Quas faciet comœdias.* Syllepsis, ut supra; ad verbum enim *faciet* declinavit, non ad *spectandæ sint.* D. —*Quas faciet de integro*] Hoc est, de integro cum unam Græcam in unam Latinam transtulerit. Nunc enim transtulit quasi duas; atque ex hoc videtur illud Terentius declarasse, quod fecerit, jure fecisse, et per exempla. Verumtamen jam non esse facturum, ut de duabus comœdiis unam comœdiam faciat. E.

27. *Spectandæ*] Proprie, ut fabulæ, id

ACTUS PRIMI SCENA PRIMA.

SIMO. SOSIA.

Vos isthæc intro auferte: abite. Sosia,
Adesdum: paucis te volo. So. Dictum puta:

est, probandæ. *Exigendæ.* Excludendæ. D.—*Spectandæ*] Hoc est probandæ. *Exigendæ.* Foras mittendæ. E.—*Spectandæ an exigendæ*] Græco more hoc dictum videri potest; quippe Athenis certi censores fuere, qui de comicis et comœdiis judicarunt. Notat hoc Zenobius ex Epicharmo in Adagio; ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται. Ubi sic scribit. εἴρηται δὲ ἡ παροιμία παρόσον πέντε κριταὶ τοὺς κωμικοὺς ἔκρινον. Idem Suidas. Vid. Scholiast. Aristoph. in Aves. Et Hesych. in πέντε κριταί. Inde apud Johan. Chrysost. orat. de Episcop. πρὸς τέρψιν ἀκούειν εἰηθίσθησαν οἱ πολλοί, καθάπερ τραγωδῶν, ἢ κιθαρωδῶν καθήμενοι δικασταί. L.

1. In hac scena hæc virtus est, ut argumenti narratione actio scenica videatur, ut sine fastidio longus sermo sit, ac senilis oratio. *Vos isthæc.* Hæc scena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulæ jaciuntur: ut virtute poetæ, sine officio prologi, vel θεῶν ἀπὸ μηχανῆς, et periocham comœdiæ populus teneat, et res agi magis, quam narrari videatur. *Vos isthæc intro auferte: abite.* Molliter retenturus, et experturus Sosiam, imperat ut remaneat. Addit etiam causam aliis abeundi, dicendo *Isthæc intro auferte:* ne suspicionem injiciat, Sosiam communicandi secreti causa remansisse. Et bene, *auferte: auferimus* enim ea, quæ cum fastidio cernimus: *ferimus* ea, quæ cum honore tractamus. Deinde quasi respicientes increpat, dicendo *abite. Abite,* concitatius legendum est: quia et respectantes properant, et discernit a Sosia. Sosiæ persona protatica est; non enim usque ad finem perseverat: ut est Davi in Phormione, in Hecyra Philotidis et Syræ. D.—Prima scena hujus comœdiæ causam continet quasi deliberativam, ubi certum consilium exploratumque mandat servo dominus. Ne tamen hoc injustum consilium sit, quod ex deliberatione videtur inventum, ex narrationis partibus colligitur quod justum. Habet quidem finem hæc scena, imperium atque mandatum, quod servo detur. Sed ne imperii atque mandati injustitia sit, causæ est consilium sumtum; ubi similiter qualitas est, an injustum consilium sit. Sed jam ut ad speciem veniamus: mandat servo dominus, bene ut assimulet nuptias.[6] Consilium autem id est, et nunc id operam do, per fallas nuptias vera objurgandi causa sit deneget. Consilii ratio quærenda quæ supponitur sic. Filium credo am meretricem. Hæc ratio per conjectur tractatur, an filius amet meretrice Omnis igitur scena in hoc consumitur, argumentis conjecturalibus colligatur lium amare. Quare conjectura consili suum probat, ut filium debeat objurga si amat. Quo consilio probat et justi declarat imperium, quo est servo impe turus, ut bene assimulet nuptias. H per singulorum capita versuum plen aperientur. Primum ne quid turpe minus adversus filium servo mandare deatur. Siquidem ille filius, hic ser est. Non illa vulgaris abjecta pers servi est, neque in conditione vivit, que in turpi officio servitutis, sed cu animus et integritas fuerit per offi completa liberalis. Hoc igitur tangit Si cum laudat servum Sosiam: et dicit o esse non arte, sed his potius rebus, q in eo semper agnovit, fide et taciturnit Nam fides est, ut compleat quæ mand Taciturnitas autem necessaria videt ut caveat. Sed parva laus data servo detur, quem coegit dominus impos mandata servare. Sed quoniam apud s vum bonum duntaxat potuit esse c sideratio, quod dominus major sibi, nes quid, adversus minorem dominum i peraverat. Cujus si non esset, imperi adolescentis ætatemque timere debe quia illi post senis mortem erat domi futurus. Idcirco laborat senex. Pri in animum suum servi animos inclin dicit. Ergo ex illo tempore, quo e tus servus sit, se justa et clementia si duris laboribus imperasse. *Ego enim emi a parvulo,* inquit. Vere enim præst quia ei præstat qui meretur. Nam ci juvenem inofficiosum imperare forta imperantis est metus. Et cum dixit *parvulo,* utique beneficiorum suorum l gum tempus ostendit; deditque ei c tinuationem præstandi. Hinc illud Jugurthino 10: *Parvum ego te, Jugurt amisso patre, et sine spe et sine opibus, meum regnum excepi.* Adjecit autem cumulum beneficiorum, non quod tant bene servierit, cum ei dominus cleme tiora quæ fuerant, imperaret: sed quia servo fecerit liberum. E.

2. *Adesdum*] *Ades,* imperativum e

Nempe ut curentur recte hæc. Si. Imo aliud. So. Quid est,
Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?
Si. Nihil istac opus est arte ad hanc rem, quam paro:
Sed iis, quas semper in te intellexi sitas,
Fide et taciturnitate. So. Exspecto quid velis.
Si. Ego postquam te emi, a parvulo ut semper tibi
Apud me justa et clemens fuerit servitus,
Scis: feci, e servo ut esses libertus mihi,

dum παρέλκον: est enim productio, et adjectio syllabæ: ut, *Ehodum ad me. Paucis te volo*] Deest *colloqui verbis*: et est figura ellipsis. *Dictum puta*] Ad hoc respondet, ut agi res videatur, quemadmodum supra diximus. D.

3. *Nempe ut curentur recte hæc*] Diligenter coquuntur. *Curatio*, proprie medicorum est, *cura*, reliquorum: sed coquina medicinæ famulatrix (Ms. H. *adulatrix*) est. *Hæc*] δεικτικῶς. *Nempe ut curentur*] Deest *vis*: ut sit, *nempe vis. Imo aliud*] Bene ἀντέθηκεν τὸ *imo*: et deest *vis*. D.

4. *Mea ars*] *Ars* ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicta est per syncopam; ἀρετὴ autem virtus est. Virtutis vero quatuor generales sunt partes; Prudentia, Justitia, Fortitudo, et Temperantia. (Ms. Hulst. pro *temperantia* legit *patientia*.) Sed Prudentia in multis rebus descendit. *Efficere*] *Facere*, est in opere esse: sed *efficere*, perfectionem designat. D.

5. *Nihil istac opus est arte*] Mire ait, *arte opus* non est, sed *opus est artibus*. D.

6. *Sed iis, quas semper in te intellexi sitas*] Ipse hic signatissime ostendit, multas variasque artes esse, id est, ἀρετὰς, quæ virtutes (Ms. Hulst. *virtutes vitæ*) intelliguntur. *Sed iis*] Zeugma a superiore, quod subauditur, artibus. *Sitas*] constitutas, positas. D.

7. *Fide et taciturnitate*] *Fides*, est commendatorum fida executio, vel observantia: *Taciturnitas* vero, observantiæ genus, in silentio constituta, et in celando secreta. Quærit autem taciturnitatem, ne prodat Pamphilo secretum, quod ei commendaturus est. Fidem, ad complenda: taciturnitatem, ad celanda mandata. *Exspecto*] *Exspecto*, desidero: ut Virgilius, Æn. ii. 283. *Exspectate venis. Quid velis*] Deest, *scire*: (lege *dicere*, vel, *scire me*:) nam si dixisset, *quod velis*, nihil desideraret. D.

8. *Ego postquam*] Commendatio personæ potius, quam servi: ne contra filium levi servo aliquid committi indecore videatur. *Te emi a parvulo*] Tale est, *Parvulam ego te, Jugurtha*, apud Sallust. B. Jug. x. *A parvulo*] Non enim a parvo, sed a parvulo. D.

9. *Justa et clemens*] Ita dixit *justa*: ut alibi, *Non necesse habeo omnia pro meo jure agere*. Quid enim non justum domino in servum? *Justa*] In qua nihil iniquum jubetur: *clemens*, in qua etiam de justo multum remittitur. *Apud me justa*] Id est, moderata, æqualis; cui contrarium ait Virgil. Georg. i. 164. *Et iniquo pondere rastri*. Et, Georg. iii. 347. *Injusto sub fasce viam cum carpit*. Nam qui *justam*, debitam nunc dici putant, nihil afferunt ad juvandam sententiam. *Clemens fuerit servitus*] Libertatem imputaturus, clementem intulit servitutem. *Servitus*] Mire *servitutem* pro dominatu posuit. Sic Sallustius, *Dein servili imperio patres plebem*. (Ms. Hulst. *Patres* C.) D.

10. *Scis*] Hoc est, a parvulo scis. *Semper*] Continuationem significat *semper*. *Feci e servo ut esses libertus mihi*] Dulcem libertatem fecit operatione et tractatione verborum, dicendo ex servo libertum: non enim tantam haberet gratiam, si dixisset, *feci, libertus ut esses*, quam si dicat, *feci e servo ut esses libertus*: ac si quis dicat, *feci ut esses sanus*; non tantam haberet gratiam, quam si dicat, *feci ut ex ægro sanus esses*. Et *mihi*, emphasin habet: quod mihi libertus factus sis, non filio. Aut ideo *mihi* additum est, quia libertus ad aliquid dicitur. (Verba inde ab *Aut ideo* a Ms. Hulst. absunt. Lindenbr. tuetur *ad aliquid*. Malim, *ad aliquem*. Sensus enim esse videtur, libertum dici cum relatione ad patronum: ut si dicas, Tiro libertus Ciceronis.) Et bene *mihi*, non *filio*: id est, ne pertimesceret filium, cui nec liberti munus debeat. *E servo*] Mire addit *e servo*: ut vim beneficii exprimeret. *Scis, feci e servo ut esses libertus mihi*] Hinc Virgil. Æn. xii. 142. *Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro, Scis, ut te cunctis unam, quæcunque Latinæ Magnanimi Jovis ingratum ascendere cubile, Prætulerim, cœlique libens in parte locarim.* D.—*Feci, ex servo ut esses libertus mihi*] Summum etenim pretium servientibus videtur esse libertas. Et quoniam omnis libertus patrono debet servitutem, ideo adjecit *mihi*, non Pamphilo, hoc est, non filio. Ut ille non crederet, licet libertum, se debere filio servitutem. E.

Propterea quod serviebas liberaliter.
Quod habui summum pretium, persolvi tibi.
So. In memoria habeo. Sr. Haud muto factum. So. Gaud
Si tibi quid feci, aut facio, quod placet, Simo:
Et id gratum fuisse advorsum te, habeo gratiam.

11. *Liberaliter*] Bene: quia omne bonum libero aptum est, malum servo. Idem alibi, *Factum a vobis duriter, immisericorditerque: atque etiam si est, pater, dicendum magis aperte, illiberaliter.* Et bene admonuit, cur dederit beneficium, eadem et nunc officia quæsiturus. Nunc enim dicit artificiose, quia supra ait, *Nihil isthac opus est arte. Serviebas*] Bene imperfecto tempore, non perfecto, usus est: ut ostendat, eum potuisse sibi etiam atque etiam servire: quale est illud Virg. Æn. vi. 113. *Atque omnes pelagique minas cœlique ferebat Invalidus.*—Ut ostendat eum, quamvis invalidus esset, tamen adhuc potuisse laborem exercitiumque ferre. D. — *Quod serviebas liberaliter*] Pulchre hoc videtur adjunctum, ut non propter alias causas dominus dedisse videatur. Sed quia hanc semper habuerit in servitutis conditione voluntatem, liberaliter omnia, quæ jussa fuerant, implere. E.—*Serviebas liberaliter*] V. C. *servibas.* L.—Scribe *servibas*, ut metro consulatur. Nec a veterum scriptura et pronunciatione abhorret. B.

12. *Summum pretium*] Libertatem dicit. *Persolvi tibi*] Quia *pretium* dixerat, *persolvi* dixit proprie. *Persolvi tibi.* Modeste pretium redditum dixit, non beneficium erogatum. (Linden. invenit, *Beneficiis prorogatum.* Ms. Hulst. *beneficium perrogatum.* Ed. Veneta 1490. *beneficium prærogatum.*) D.—*Summum pretium persolvi tibi*] *Summum pretium* dixit libertatem. Et ita debitorem jam servum ad domini officia fecit, sicut in servo dominus quod habebat exsolvit. E.—*Summum pretium*] Dio Prusæus περὶ δουλείας. φασὶ τὴν ἐλευθερίαν μέγιστον τῶν ἀγαθῶν. Arrian. Epict. lib. iii. cap. 26. ἀγαθῶν σοι δοκεῖ ἡ ἐλευθερία τὸ μέγιστον. Ulpian. lib. i. ff. de bon. libert. *Grande beneficium, quod in libertos confertur, cum ex servitute ad civitatem Romanam perducuntur.* Justinian. Imp. Instit. Qui et quibus ex caus. *Inæstimabilis libertas.* L. 106. ff. de reg. jur. *Libertas pecunia lui non potest, nec reparari potest.* lib. ix. 2. §. ff. De statu liber. L.

13. *In memoria habeo*] Hoc est, non sum ingratus. *In memoria habeo.* Plus dixit, *in memoria habeo*, quam si dixisset, *scio.* Nam quæ scimus, possumus oblivisci: quæ vero memoriæ commendamus, nunquam amittimus. *Haud muto factum*] Vetuste: non me pœnitet. Nam si q pœniteret, *infectum velle* dicebant. secundum jus, quod adversus libertos gratos est, ut in servitutem revocent sed hoc non convenit senem dicere. gitur et *multo:* hoc est, damno, re hendo; quod si est, sic intelligeretur, nollem factum. Nemo enim potest tum infectum reddere. Sed admirabil (*adverbialiter* ex Ms. et Excerpt. F citat Lindenbr. Alii, *admirabiliter*, sæpe loquitur Donatus. Utraque vox detur corrupta) dixit: ut dicimus, *no factum*, nollem hunc exitum. Ergo *h muto factum*, non pœnitet me facti. D *In memoria habeo*] Recte servatum a vo, ut in memoria habere diceret; ne enim domino referre gratias potest, sola officiorum restitutio in memoria severaret. *Haud muto*] Mihi videtur j rationem respicere. Ingratus enim bertus a patrono revocari in servitu potest. *Gaudeo, si tibi quid feci*] Ve menter servus se gaudere dixit, si ex tis suis domini reddiderit voluntatem simul duo tempora conjunxit, ut non lum fecisse, sed et facturum esse de raret. E.—Cum Palmerio sic distingu dum esse censeo: *Haud muto.* (h. e. non pœnitet.) So. *Factum gaudeo.* B.

14. *Si tibi quid feci, aut facio*] Et cisse se, et adhuc facere ostendit, qua vis eum manumisisset. (Lego: *quam jam manumissus esset.*) *Gaudeo, si tibi q feci, aut facio, quod placeat*] Felicitatis ut ea quæ facta, et facienda sunt, gr sint. *Quid* pro aliquid. D.

15. *Advorsum te*] Apud te, et penes *Adversum* sine dubio præpositio est. *versus* participium potest esse, ab eo q est *adverto*, sicut alibi. Ergo *adversum* dixit, pro apud te. D.—*Adversum te*] pud te intelligendum. Quidam en quoniam supra dixerat *quod serviebas beraliter*, hoc intelligunt, ut libere quo diceret quæ sentiebat. Has propte voces ex libertate prolatas, in convici aut injuriam secundum rationem verit proferret. Quod si ita est, dicta sun servo contra dominum: idcirco inte gunt *adversum te*, contra te. Sed mel est interpretatio superior. Est vero usque figura συναθροισμὸς, quod est c gregatio criminum vel beneficiorum commovendos animos. E.—*Adversum* Priscian. lib. xiv. Non. Marcell. L.

Sed mihi hoc molestum est: nam istæc commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris beneficii.
Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis.
Si. Ita faciam: hoc primum in hac re prædico tibi;
Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ.
So. Cur simulas igitur? Si. Rem omnem a principio audies;
Eo pacto et gnati vitam, et consilium meum
Cognosces, et quid facere in hac re te velim.
Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,

16. *Istæc commemoratio*] Demosth. Ctesip. τὸ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ἀναμιμνήσκειν μικροῦ δεῖν ὁμοιόν ἐστι τῷ ὀνειδίζειν. Cicero in Lælio: *Odiosum sane genus hominum officia exprobrantium, quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit.* Ausonius Symmacho: *Me et parentem, et amicum, et si quid utroque carius est, cariorem fuisse sensisti. Sed ebeamus ab his; ne isthæc commemoratio ad illam Sosiæ formidinem videatur accedere.* Conferendus cum hoc loco Terentii, consimilis alius apud Sallust. in Oratione Miciptæ, et Corn. Tacit. lib. iv. L.

17. *Exprobratio*] *Exprobratio* est commemoratio beneficii cum enumeratione factorum. *Quasi exprobratio*] Recte ostendit se in memoria habere. Sunt qui ad beneficium referunt *immemor:* ut, Virg. Æn. i. 4. *Memorem Junonis ob iram;* ut sit sensus: Isthæc commemoratio, quasi est exprobratio immemoris beneficii: id est, cujus nemo meminerit. D.—*Quasi exprobratio est*] Beneficiorum commemoratio cum ostenditur, ingrati exprobatio dicitur. E.—Lege *immemori beneficii.* Dativum enim leges linguæ postulant et contexti ratio. B.

18. *Quin tu uno verbo*] Uno verbo, uno ἀξιώματι, una sententia. Nam ἀξίωμα sententia est, vel enunciatio, uno verbo nexam continens et perfectam intelligentiam; ἀξίωμα enim constat ex nomine et verbo. Sed hic, quod est ἀξίωμα? hoc est, *Has bene ut assimules nuptias.* Ergo omnis virtus, assimulatio est. *Quin tu uno verbo.* Una sententia: ut in Adelphis:—*non meum illud verbum facio, quod tu, Mitio, Bene ac sapienter dixti dudum: vitium commune omnium est, Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus.* Nam male intelligit, qui putat *assimules* verbum significare. (Hæc manifeste loco mota sunt, subjungenda eis, quæ continuo sequuntur.) D.

19. *Ita faciam*] Hoc est, uno verbo dicam: et quod verbum promittit, ibi dicit, *Nunc tuum officium est, has bene ut assimules nuptias.* D.—*Primum in hac re prædico*] Antequam narrationem incipiat ponere, summam primo proponit, quæ talis est: *Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ.* Partitur hic senex, eaque partitio triplex est. *Eo pacto et gnati vitam, et consilium meum cognosces, et quid facere in hac re te velim.* Ergo secundum supra divisionem positam gnati vita cum exponitur, conjecturalia continet argumenta. Consilium cum exponitur, per qualitatem dicitur. *Quid facere in hac re te velim.* Similiter qualitatis ratione consistat. Utraque autem qualitas negotialis est. Incipit primo nati vitam. E.

20. *Quas credis esse has*] Syllepsis. D.

21. *Cur simulas igitur*] Virgil. Ecl. i. 27. *quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?* D.

22. *Eo pacto*] *Pacto*, modo: quoniam antecedit pactum, modus sequitur. Ergo ab eo quod præcedit, id quod sequitur, (Ms. Hulst. *Ab eo quod sequitur, id quod præcedit,*) dicit. *Et gnati vitam, et consilium meum cognosces, et quid facere in hac re*] Nam istæ divisiones sunt. *Gnati vitam:* quoniam dicturus est, *Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia. Consilium meum:* quia dicturus est, *Et nunc id operam do.* D.

23. *Et quid facere in hac re te velim*] Quia dicturus est, *Nunc tuum est officium. Et gnati vitam, et consilium meum cognosces, et quid facere in hac re te velim*] Tripartita distributio. *Et gnati vitam*] Vitam filii in duas partes dividit in narratione: in ante actam bonam, et præsentem malam. Et incipit mala ibi, *Interea mulier quædam.* Et bene actæ vitæ narratio ad eam rem valet, ut ostendat, quam justus dolor patri sit spe decepto. (Ms. Hulst. *quam juste doleat patri sic spe decepto.* Utrum præferatur, ciccum non interduim.) D.

24. *Nam is*] Necessario *is* positum pro nomine ἀναφορὰ ad illud, *gnati vitam:* nam si non posuisset hoc pronomen, Sosia erat intelligendus. *Nam is*] Pamphilus. *Postquam excessit ex ephebis*] Argumenta per conjecturas. *Ex ephebis*] *Ephebia* prima ætas adolescentiæ est: adolescentia est extrema pueritiæ. *Excessit ex.* Cum sufficeret unum. D.—

Liberius vivendi fuit potestas: nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum ætas, metus, magister, prohibebant? So. Ita est.
Si. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos:

Nam is postquam excessit ex ephebis] *Excessit ex ephebis:* tempus puerilis ætatis excessit. Hic argumenta conjecturalia diligenter debemus advertere, quod Pamphilus videtur amare meretricem. Argumentorum loci traduntur alii esse artificiales, alii inartificiales. Et inartificiales quidem ex auctoritate sumuntur, vel opinione: artificiales vero aut a personis, aut a negotiis. Cum autem omne argumentum rei dubiæ faciat fidem, his vel nostram, vel adversariorum causam confirmamus, vel infirmamus. Quorum loci sumuntur ante rem quidem unde agitur, a persona, a causa, a tempore, a loco, a materia, a modo, a ratione. In re unde agitur, a toto, a parte, a specie, a differentia, a proprio, a diffinitione, a nomine. Circa rem unde agitur, a simili, a dissimili, a pari, a contrario, a majore, a minore, a præcedente, ab eo quod est simul, a consequente. Post rem vero, ab eventu, a judicatis. Qui loci ideo communes dicuntur, quia in omni genere causarum ex his argumenta duci possunt. Nam a personis consideratur patria, nomen, genus, corporis habitudo, mores, vita, amicitia, ætas, incessus, vultus. Vel aliter a persona nomen, natura, victus, fortuna, habitus, affectio, studia, consilia, facta, casus et orationes. E.—*Excessit ex ephebis*] Gloss. *ἐφηβος pubis.* Xenoph. lib. α. *ἐξελθεῖν ἐξ ἐφήβων.* Plaut. Mercat. Prol. *Extemplo ex ephebis postquam excesserit.* Idem Pseudol. *Edico omnibus, pubi præsenti, in concione, omni populo.* Prudent. in Cassian.—*discenti semper ephebo.* L.

25. *Liberius*] *Liberius* non est comparativus gradus: non enim potuit libere ante vivere, dum ætas, metus, magister prohibebant. Ergo deest *aliquando:* ut sit, aliquando liberius. *Liberius vivendi*] deest ei. D.—Illud *liberius*, cum non minus sententiæ quam metro officiat, muta in *libera*, posito in versu antecedente post Sosia, *ac.* Cæterum reliqua senis oratio, inde a verbis *nam*, ad *cohibebant*, per parenthesin est intelligenda. B.

26. *Qui scire*] *Scimus* quod certum est: *Noscimus* quæ adhuc incerta desideramus. (forte *consideramus.*) Idem alibi, *Forma in tenebris nosci non quita est.* D.

27. *Metus, magister*] *Magister*, pædagogus. *Ita est*] Intercidit poeta, (I *Sosia,*) ne solus Simo loqueretur: cæte non erat respondendi locus necessa D.—Perspicuitatis ratio et numerus n postulant post *Dum* pronomen *eum.* que pro *prohibebant* usus loquendi Te tianus poscit *cohibebant.* B.

28. *Quod plerique omnes*] Hæc adje dicitur, in primo posita loco; adjectic vero, aut in prima parte orationis, au ultima adjiciuntur. Hic ergo *plerique* abundantia positum est: *omnes*, vero, cessario additum est. Et alibi, *cale plus satis.* In ultimo, sicut, *interea interibi.* Attendenda est sane locu *Quod plerique omnes.* Aut enim *quod quæ* vertendum est, ut sit, Quæ pleri omnes. Aut *quod* ad singula eorum diorum adjungendum erit, *Equos a canes ad venandum.* Aut certe erit fi rata locutio, ut est illud: *Si quisquam qui placere se studeat bonis Quampluri et minime multos lædere: In his poeta nomen profitetur suum.* Et alibi, *Ape actutum ostium. Plerique omnes faci ἀρχαϊσμὸς* est. Nam errant, qui *pleri παρέλκον* intelligunt: aut qui sub tinguunt *plerique*, et sic inserunt *om* hoc enim pro una parte orationis dix veteres. Eodem modo Græci *πάμπολ* et Latini *plus satis.* Nævius in bello nico, *Plerique omnes subiguntur sub s judicium.* Figurate Terentius, *παρέλ τῷ ἀρχαϊσμῷ. Quod plerique omnes faci* pro, quæ faciunt plerique adolescent *Adolescentuli*] Bene diminutive, ut pr ter ætatem facile ignoscatur. D.—*Pleri omnes*] Apud antiquos ista dictio pone tur, ut *omnes* supervacuum fieret, et su rior tantum sermo propriam signifi tionem contineret. E.—*Plerique om* Attica locutio: Priscian. lib. xviii. *πλείο δὴ πάντες τοῦτο λέγουσιν ἄνθρωποι.* Serv. Æneid. i. p. 181. A. Gell. N Att. lib. viii. cap. 12. L.

29. *Adjungant*] Alligent, aptent, aut commodent. D.

29, 30. *Aut equos Alere, aut canes ad nandum*] Si et equos ad venandum alu quomodo et canes? quod multi docti i probant: et dicunt separata esse: et *venandum* extra orationem (Ms. Hu *extra rationem*) pro ad venatum: Æn. iv. 117. *Venatum Æneas, una*

Horum ille nihil egregie præter cætera
Studebat: et tamen omnia hæc mediocriter.
Gaudebam. So. Non injuria: nam id arbitror
Apprime in vita esse utile, ut NE QUID NIMIS.

miserrima Dido. Ad philosophos] Ellipsis pulchra, et familiaris Terentio. Nam possumus subaudire, audiendos, sive sectandos. *Ad philosophos.* Vitium est: quia dixit, *ad aliquod studium.* Aut si ad philosophos; separanda locutio est, sic, ut animum adjungant ad philosophos. D. —*Ad philosophos*] Ad sapientiam atque doctrinam. E.—*Canes ad venandum*] Horat. de arte. *Imberbis juvenis tandem, custode remoto, Gaudet equis canibusque.* Ubi hunc Terentii locum laudat Acro. Et quidem instituto veterum Atheniensium inter alias artes hisce quoque ludicris sese exercebant nobiliores juvenes. Aristot. Politicor. viii. Aristoph. Pluto. Isocrates Areopag. τοὺς δὲ βίον ἱκανὸν κεκτημένους, περί τε ἱππικὴν, καὶ τὰ γυμνάσια, καὶ τὰ κυνηγέσια, καὶ τὴν φιλοσοφίαν ἠνάγκασαν διατρίβειν: ad venaturam autem ideo, uti ad belli munia redderentur aptiores. ὅτι ἀληθέστατη δοκεῖ αὕτη ἡ μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον εἶναι, Xenoph. lib. i. de instit. Cyri: et Athenæus dipnos. lib. i. pag. 24. καὶ ἐπὶ κυνηγεσία δὲ ἐξιᾶσιν οἱ νέοι πρὸς μελέτην τῶν πολεμικῶν κινδύνων, καὶ ἐπὶ θήρας παντοίας, ἀφ' ὧν ῥωμαλεώτεροι καὶ ὑγιεινότεροι διατέλουσιν. ὃς ὅτε πυργηδὸν σφᾶς αὐτοὺς ἀρτύνουσι, καὶ ἀντίον ἱστάμενοι ἀκοντίζουσι. Nam et venationem Martis quoddam simulacrum vocarunt veteres. Aristides oratione in Minervam, p. 69. Θῆραι τοίνυν καὶ κυνηγεσία ἐστὶ μὲν Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος παίδια, παίδωσιν δὲ εἰς τὸ προσήκειν τῇ θεῷ, δι' ἣν μέν, ὅτι τῆς πολεμικῆς μόριον τέχνης ἐστὶ, μᾶλλον δὲ εἰκών. et quæ sequuntur. L.

31. *Horum ille nihil egregie*] Est ergo figurativum: quod esset rectum, Quæ plerique omnes faciunt adolescentuli, horum ille nihil egregie præter cætera studebat. *Egregie*] *Egregium* dicitur, quod ex grege eligitur; sed hic *egregie*, valde, nimis: non est ergo ad laudem positum. Hæc, inquit, ut cætera similiter studebat. *Præter cætera*] (Hæc explicatione carent, quæ haud dubie excidit. Reliqua ita legenda: MEDIOCRITER, Ergo non, etc.) Mediocriter: ergo non extenuavit rem, sed ad laudem retulit. D.—*Nihil egregie præter cætera*] Hoc est, omnia æqualiter: nihil amplius ante omnia. E.—*Nihil egregie*] Priscian. lib. vi. L.

33. *Gaudebam*] Non dixit *laudabam*, sed *gaudebam. Laudat* enim etiam alienus: *gaudet* qui pater est. *Non injuria*] Intempestive Sosia respondet: sed prudentia tantæ sententiæ, compensavit importunitatem. D.—*Non injuria*] Non sine causa, id est, juste. Jus enim contrariam habet injuriam. E.—Metri causa legi debet, *nam id* ego *arbitror*. B.

34. *Apprime*] Adjectio est confirmationis. *Ut*] Admirabiliter dixit. *Ut ne quid nimis*] Sententia non incongrua servo, quia est pervulgata, et non refertur ad personam domini dicentis, et de quo dicitur: an magis quia Sosiæ convenit ejusmodi character in verbis? *Ne quid nimis*] Deest *agas*: ut sit, Ne quid nimis agas. D.—*Ut ne quid nimis*] Quidam arguunt Terentium, quod istam sententiam dixerit servus, quam Sapientum summus ex septem protulisse dicitur. Quæ quidem res non digna reprehensione. Nam primo omnium, in hominibus natura, id est sensus, æqualis est. Ita concipere et servus potest cum virtutibus ingenium, quod omnibus sit æquale naturaliter attributum. Deinde fieri potest, ut ista sententia jam a sapiente dicta percrebuerit, et omnium in ore versetur. Non enim Terentius, vel quilibet alius, hanc comprehendit. Unde et servus, non tamen ut callidus, auditam rem potuit in sermonibus collocare. E.—*Apprime in vita*] Glossar. ἐν πρώτοις *adprime, inprimis.* Priscian. lib. iii. et xv. *Ne quid nimis.* Aureum sane dictum, et ab optimis quibusque auctoribus frequentissime usurpatum: quod Aristoteles Rhetoric. 3. Bianti, nonnulli Pittaco, alii Thaleti, vel Soloni, aut etiam Pythagoræ, teste Diogen. Laertio, attribuunt. Alphæus Mitylenæus Anthologiæ, lib. i. c. 12. τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν ἄγαν με τέρπει. Euripides in Hippolyto: οὕτω τὸ λίαν γ' ἦσσον ἐπαίνου τοῦ μηδὲν ἄγαν. Pindarus apud Plutarchum: Σοφοὶ δὲ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος εἶπησαν περισσῶς. Menander: ἡ δὲ μεσότης ἐν πᾶσιν ἀσφαλέστερον. Idem: Τὸ μηδὲν εἰκῇ πανταχοῦ ἐστι χρήσιμον. Plutarch. in Camillo: ἡ δὲ εὐλάβεια, καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν, ἄριστον. Dionys. Halicarnas. lib. viii. p. 529. ἔοικέ τε ἀληθὲς εἶναι τὸ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων λέγομενον φιλοσόφων, ὅτι μεσότητες εἰσιν, ἀλλ' οὐκ ἀκρότητες αἱ τῶν ἠθῶν ἀρεταί. Terentii locum laudat Ausonius in vii. Sophorum ludo: Ἄριστον μέτρον, an sit optimus modus. *Dic. annuisti. gratiam habeo: persequar Per ordinem. Poeta dixe isthoc loco Aſer videtur vester, Ut ne quid nimis. Et noster quidam, μηδὲν ἄγαν.* Hieronymus Epistol. ad Demetriad. *Philosophorum quoque sententia est, μεσότητας ἀρετὰς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι: quod Latinus ita*

Sr. Sic vita erat: facile omneis perferre ac pati,
Cum quibus erat cunque una: iis sese dedere:
Eorum obsequi studiis: advorsus nemini:
Nunquam præponens se illis: ita facillime
Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.
So. Sapienter vitam instituit: namque hoc tempore
OBSEQUIUM AMICOS, veritas odium parit.

potest sermo resonare: Moderatas esse virtutes: excedentes modum atque mensuram, inter vitia deputari. Unde et unus de septem Sapientibus μηδὲν ἄγαν, id est, Ne quid nimis. Quod tam celebre factum est, ut comico quoque versu expressum sit. Idem Epitaph. ad Nepotian. Augustinus de vita beata: *Præclarum est et non immerito diffamatur, hoc primum in vita esse utile, ut ne quid nimis.* Alcuinus de arte Rhetorica; p. 379. KAR. *Intelligo comicum illud proverbium, non solum in moribus, sed etiam in verbis esse necessarium.* ALC. *Quodnam?* KAR. *Ne quid nimis.* ALC. *Est et vere, et in omni re necessarium: quia quicquid modum excedit, in vitio est; ideo virtutes in medio sunt positæ.* L.

35. *Facile omneis perferre*] Latens argumentatio est, qua filium ad meretricem commeasse errans pater, non ad corruptelam, sed ad obsequium amicorum crediderit. (Ms. H. *duxerit.* Vett. edd. *quia filium ad meretricem commeasse narrat pater, non ad corruptelam filii, sed ad obsequium amicorum.*) *Perferre ac pati*] *Ferre*, est cum certo tempore: *perferre*, finem exspectat effectus. Feruntur onera, et sustinentur supplicia. *Perferre* mediocriter stultos, odiososque. *Cum quibus erat cunque.* Figura τμῆσις. D.—*Sic vita erat: facile omnis*] Honeste pater narraturus vitam filii suspectam, docet præterito tempore integritate vivendi obscuram tenuisse in suis moribus disciplinam. Ex quo ostendit sibi curam semper fuisse, ut filii vitam cognosceret. E.—Sententia adjuvanda est distinctione hac: *facile omnes perferre ac pati:* (sc. ignotos etiam) *cum quibus erat cunque una, iis sese dedere;* (sodalibus.) B.

36. *Dedere*] Plus est *dedere*, quam *consentire:* quemadmodum in hostium potestatem hostes se dedunt. *Dedere* ergo, pertinacibus. *His sese dedere*] *Dedere* se et obsequi superioribus: non adversari paribus, non se præponere inferioribus. D.

37. *Eorum obsequi studiis*] Commodior scilicet. (Alii *commodiorum scilicet:* lege, *commodis eorum, scilicet.* Studia enim *commoda* interpretatur,) *eorum obsequi studiis.* Talem esse Pamphilum, adjuvat argumentum fabulæ, simul et Charinum. D.—Verba *advorsus—illis* sunt interpolata putanda, ob tautologiam, quam effic et constructionem, quam turbant. B.

38. *Ita*] Deest faciens, volens, ag *Ita facillime sine invidia*] Sallustius Jug. 6. *Et cum omnes gloria anteirent, nibus tamen carus esse.* D.

39. *Invenias*] Secunda persona pro tia: ut Æn. iv. 401. *Migrantes cernas —Sine invidia*] Priscian. lib. i. L.

40, 41. *Nam hoc tempore Obsequium cos, veritas odium parit*] Improbatur pientibus hæc sententia. Nam obsequ assentator debet, veritatem amicus: in theatro dicitur, non in schola. D.

41. *Obsequium amicos*] Hic versus improperium est. (Ita et R. Steph. ed sed nullo sensu. Lege: *perimproprius* Unde adeo *sententia παράδοξος* dic Sed idem legit ed. Argentinensis.) *Ve odium parit*] Falsum est autem quod cero dixit, *obsequium* primum dixisse rentium: (an id credidit Donatus p terea, quod Cicero de Amicit. cap. *obsequium* dixit *verbum Terentianum.* militer putasse videtur Quinctilian. stitut. viii. 3. *Cicero*, inquit, *putat, a rentio primum dictum esse obsequium.* H dubie vero Cicero *verbum Terentia* propterea vocat, quod idem verbum ex tentia Terentiana ter repetebat:) cu Plautus et Nævius ante dixerint: et sententia *παράδοξος*, et magis theatro ta quam officio, de qua Tullius m dixit. *Obsequium amicos.* Sententia babilis magis, quam necessaria et nesta. D. *Hoc tempore obsequium*] E hac sententia intelligi datur, servum num esse atque sapientem. Ita et in perioribus et sapientis est concessa tentia. *Hoc tempore* autem quod d mihi videtur ad omnia tempora spec dum. Nunquam enim non valet ista tentia. E. *Obsequium amicos*] Cicer Lælio: *Sed nescio quomodo verum est, in Andria familiaris meus Terentius d Obsequium, etc.* Tertullian. Apolog. 14. *Plane olim, id est, semper, veritas est.* Lactant. divin. instit. lib. v. c. 9. *et tam pertinacis odii, quam potiss causam esse dicamus? Utrumne veritas um parit, ut ait poeta, quasi divino spi instinctus.* Idem lib. v. cap. 21. *Ver ut est verissime dictum, odium parit.*

SI. Interea mulier quædam abhinc triennium
Ex Andro commigravit huc viciniæ,
Inopia et cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma, atque ætate integra.
SO. Hei vereor, ne quid Andria apportet mali.
SI. Primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quæritans.

pit. Severus de vita B. Martini lib. iii. *Quia scholasticus es, non immerito te versu Comici illius admonebo, Obsequium amicos, veritas odium parit.* Quinctilian. Instit. lib. viii. cap. 5. Hieron. advers. Pelagian. lib. i. In Epistol. ad Galat. lib. ii. cap. 4. Augustin. Epist. xviii. Cassiodor. de amicit. Joh. Saresber. Epist. clxxxvi. L.

42. *Interea*] *Interea* est, cum habet instantiam superiorum actorum. *Mulier quædam*] Sic dixit, non quasi ignoraret nomen ejus, paulo post Chrysidem nominaturus: sed ideo, ut gratam exspectationem faciat, simulque lectorem avidum nominis reddat. Ut Virgilius Æn. ii. 57. paulo post nominaturus ait, *Ecce manus juvenem interea post terga revinctum. Interea mulier*] Hic degressio est; nam proposuit quali vitam dicere. *Abhinc triennium*] Artificiose dixit *triennium*, cum posset plus minusve temporis ponere: ut sit verisimile, unum annum fuisse pudicæ parcæque vitæ: sequentem, conditionis acceptæ: tertium, mortis. Primo ergo anno ignorata est domus Chrysidis Pamphilo: secundo, Glycerio cognitus: tertio, nupsit Glycerium Pamphilo, et pariter invenit parentes. D. *Interea mulier quædam*] Et hæc interposita narratio demonstrandæ personæ causa dicitur, quæ ab oratoribus *digressio* nominatur: quoties a narrationis tenore in alia, narrandi necessitate, dilabimur. E.

43. *Huc viciniæ*] *Vicina* παρέλκον, huc loci, vel huc locorum. Legitur et *huic viciniæ*. D.—*Huc viciniæ*] In Regio exemplari *huic viciniæ*: quam lectionem veteres agnoscunt, Charisius, Priscianus, alii. Desumtus autem hic locus ex Antiphane videtur: ἐκ γειτόνων αὐτῇ κατοικούσης τινὸς ἰδὼν ἑταίρας εἰς ἔρωτ' ἀφίκετο ἑστῆς, ἁβρόν δ' ἐπιτρόπου καὶ συγγενῆν. ἦθος τι χρυσοῦν πρὸς ἀρετὴν κεκτιμένης, etc. L.—Nostri codd. omnes vitiose legunt *huic viciniæ*. B.

44. *Inopia, et cognatorum negligentia*] Laudatis Pamphili moribus qui mox ducet uxorem, superest ut futuræ quoque matronæ, id est, Glycerio, probitatem debitam pro persona reddat: quæ quia honesta nunquam esse poterit, si sic eam constet ante nuptias impudicam ductam esse, partim defendenda, partim laudanda est Chrysis, cum qua commorata est: quam quoniam necesse est meretricem fateri, in conditione turpissimi nominis multum sumitur excusatio voluntatis. *Et cognatorum*] Hic nos jam parat ad Critonis adventum. D.—*Inopia, et cognatorum*] Quorum debuerat ope auxilioque fulciri. E.

45. *Egregia*] Id est, eminenti præstantique. *Atque ætate integra*] Integra est ætas, quæ in flore consistit, cui neque addendum jam sit, neque quicquam adhuc sit imminutum; ut Virg. Æn. ix. 255, *integer ævi Ascanius*. Et contulit duo ad quæstum meretricium congrua. D.—*Egregia forma atque ætate*] Duo quæ necessaria ad voluptatem fuerant, complexus est: ut et vultus et ætas placere potuisset. E.

46. *Hei vereor, ne quid Andria apportet mali*] *Andria* mire: audivit enim excessisse ex ephebis Pamphilum, illatamque mentionem mulieris peregrinæ, adolescentulæ, pulchræ. *Ne quid Andria*] Eleganter, ex Andro. Andria nomen ostendit et mulieris et fabulæ. Et bene, *apportet*: quia *portare* ignotis est. D.—*Ei vereor, ne quid Andria*] Cautus servus cum adolescentem sciret, timuit mulierem, et vultu et ætate laudabilem. E.

47. *Primum hæc*] Defendit, ut diximus, vitam Chrysidis, ut potuerit apud eam recte morata esse Glycerium, quæ ex argumento matrona erit. *Primum hæc pudice*] Bene *hæc* quidem, id est, illa quæ coacta est. *Duriter*] Contra rationem regulæ: debuit enim dicere *dure*, ab eo quod est *durus*. Et tamen est differentia. Est enim *duriter*, sine sensu laboris: *dure* autem, crudeliter, illud, ad laborem: hoc, ad sævitiam relatum est. Sed *dure* in alterum: *duriter* in nos aliquid facimus. D. —*Parce ac duriter*] Servi. Æneid. vera. *exercet penso*. L.

48. *Lana ac tela*] Subdistingue *tela*: finis enim est laboris. *Victum quæritans*] ut Virgil. Æn. viii. 408.—*cum femina primum, Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva Impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes*. Deinde finem laboris intulit, non cibum, sed victum. *Cibus* enim est, qui etiam delicatis præbetur. *Victus*, in parvis aridisque alimoniis est constitutus.

Sed postquam amans accessit, pretium pollicens,
Unus et item alter, ITA ut ingenium est omnium
Hominum, a labore proclive ad libidinem,
Accepit conditionem, dein quæstum occipit.
Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc, secum ut una esset, meum.

Unde Virgilius. Æn. iii. 649. *Victum infelicem, baccas lapidosaque corna Dant rami.*—Et post tantum laborem, *victum*, non cibum dixit, ut Virgilius, Georg. ii. 472. *operum, parvoque, assueta juventus.* Et non *quærens*, sed *quæritans*, dixit. *Quærit* enim, qui ad plenum et perpetuum reponit: *quæritat*, qui vix quotidie inquirendo victum invenit. *Lana ac tela victum*] Artificiose, ut videatur pudice apud eam futura materfamilias educari posse, quam meretricem necessitas fecit. D.

49. *Sed postquam amans*] Amator fingere potest: amans vere amat. D.

50. *Unus et item alter*] Post unum duo, ex quibus alter, ut sint tres; inquit enim post, *Nam hi tres tum simul amabant:* ut, *Alter ab undecimo.* Virg. Ecl. viii. 39. Ergo *alter*, non est secundus, sed tertius. *Unus et item alter*] Id est, plures: quæstus jam meretricius factus est. *Ut ingenium est omnium hominum*] Alia defensio Chrysidis: ut quæ ante fecerat, ipsius sint: quæ postea peccaverit, naturæ hominum adscribantur. D.—*Unus et item alter*] Hic arguto intellectu tres accipiuntur. Nam *unus* utique numerum suum ostendit: *alter* vero de duobus post unum alter est. Ita si alter est, duo significat, et unus præcessit. Quo interventu solvitur, quod postea dictum est: *nam hi tres tum simul amabant.* Hoc et intelligi in Virg. Ecl. viii. 39, volunt. *Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus.* Undecim enim numerum suum habent. *Alter* vero, ut diximus, de duobus, hoc est, de duodecimo et tertio decimo. Ut ista copulatio, *Alter ab undecimo*, tertium decimum annum significet, qui vicinus est pubertati, quo verisimile fieret, illum Veneri potuisse servire. E.—*Ingenium est omnium*] Seneca in Epist. Juvenal. Sat. xiv. *dociles imitandis Turpibus et pravis omnes sumus.* Ubi a Scholiaste hic Terentii locus notatur. L.

51. *Proclive*] *Proclive* est porro inclinatum, vel pronum inclinatumque. D.

52. *Accepit conditionem*] Cum uno quæstus non est: cum altero non est: cum multis fit. *Conditionem*] *Conditio* est pactio, certam legem in se continens. D. —*Accepit conditionem*] Probavit scilicet quod offerebatur ab his. *Deinde quæstum occipit*] Deinde meretrix esse cœpit. Cauta narratio. Docet se in omnibus filii factis semper adhibuisse curam metum quam plurimum, ne in malos m res contubernio duceretur. Sumsisse officium pæne servorum, ut interroga servos contubernalium, et diu quære de filii moribus: nec prius requiescer quam disciplinam integram reperir Quibus jam rebus fidem facit ad futur quæstionem; ut verisimile videatur e quod motus est in filium juste, qui semp de moribus inquisitionem habuerit: n aliquando integra omnia reperiri potue iratus, eo quod Pamphilus amaret. P chre post interrogationem, nihil aliud servis videtur esse responsum, nisi aliis amatoribus. Ne tamen servoru respondentium calliditas Pamphilum c lare videretur, et ipse interrogabat, prudens servus interrogatus de Pamph nomine, facile actus ejus possit exponer Quamquam jam signum fuerat castitat inter amatores non (forte pro non lege dum *tantum*) fuisse cœnatum. E. *Qua tum occipit*] *Quæstus πόρος, πρόσοδ* Unde *Quæstuaria*, quæ rem corpore qu rit. Glossar. *Quæstuaria, πραυτική πόρ* Sic enim locus ille legendus, qui ab al neglectus. Ulpian. lib. xliii. §. 7. ff. de nupt. *Lenas eas dicimus, quæ mulie quæstuarias prostituunt;* et §. 9, *Corp quæstuaria;* ut lib. iv. §. 2. ff. De his q not. infam. *Quæstuaria mancipia.* B. l næus advers. hæres. cap. 5. *Hic Sele quandam, quam ipse a Tyro civitate Ph nices quæstuariam cum redemisset, sec circumducebat.* Tertul. de Spectac. *Fa aut quæstuariæ filius.* Tertullian. de cul femin. cap. xii. *Thamar illa, quia se pinxerat et ornaverat, idcirco Judæ sus cioni visa est quæstui sedere, adeo quia velamento latebat, habitus qualitate quæs ariam mentiente, et fecit ut quæstuaria, voluit, et compellavit, et pactus est.* Pl tus etiam *Quæstuosam* dixit, in Milit. *quæstuosa, quæ alat corpus corpore.* L.

54. *Perduxere*] Invitum isse Pampl lum his verbis significat. *Perducun* enim necessitate coacti. Hoc etiam v bum judices pronunciare solent. Et h est quod supra ait, *His sese dedere, eor obsequi studiis. Ut una esset, meum*] product elegitur *esset*, ut cibum caper et correpte, ut alibi, *Essem una quac cupiebam, Antipho. Una*] Simul, id e

Egomet continuo mecum, Certe captus est,
Habet. Observabam mane illorum servulos
Venienteis aut abeunteis: rogitabam, Heus puer,
Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? Nam Andriæ
Illi id erat nomen. So. Teneo. Si. Phædrum, aut Cliniam
Dicebant, aut Niceratum; nam hi tres tum simul
Amabant. Eho, quid Pamphilus? Quid? symbolam
Dedit, cœnavit: gaudebam. Item alio die
Quærebam: comperiebam nihil ad Pamphilum
Quidquam attinere. Enimvero spectatum satis
Putabam, et magnum exemplum continentiæ.
Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi,

una cibum caperet. *Perduxerunt illuc secum*] Secum duxere, ut secum esset. D.

55. *Egomet continuo mecum*] Bene *mecum*: ut appareat nihil temere constitutum, vel prolatum foras; hoc ipsum satis quæsitum esse, quod statuit de falsis nuptiis, et infensus esset filio. *Egomet continuo mecum*] Deest volvebam, cogitabam, versabam. *Captus est*] Tenetur et irretitur: ex translatione ferarum, atque venatus. *Certe*] Sine dubio: pro certo captus est: ἰδιωτισμός. D.—*Certe captus est*] Serv. Æneid. xii. 296. *Hoc habet, hæc melior.* L.

56. *Habet*] Id est, vulneratus est. *Habet* enim qui percussus est: et proprie de gladiatoribus dicitur: quia prius alii vident, quam ipsi sentiant, se percussos. *Habet*] Sic dicitur de eo, qui letaliter vulneratus est. Virgilius, Æn. xii. 296. *Hoc habet, hæc melior magnis data victima divis.* Ergo quid sequitur captum, nisi occidi? *Captus est*] Sallust. Jug. i. *Sin captus pravis cupidinibus. Observabam mane*] *Mane* adverbialiter. *Observabam*] Deest tamen: hoc est, quamvis captus erat, et hæc tamen observabam. D.

57. *Rogitabam*] Non *rogabam*, sed *rogitabam*: quia sedulo faciebat. D.

58. *Dic sodes*] *Dic*, imperativum est: ideo temperavit injuriam blandimento; *sodes*, est autem, si audes; ut *sis*, si vis: nam delirat qui σῶος ζῇς interpretatur *sodes. Dic sodes*] Exhortantis est vox, *amabo, rogo. Quis heri Chrysidem habuit? Nam Andriæ illi id erat nomen*] Opportune nomen intulit Chrysidis. Et bene *illi*; quasi dicat, quam tu Andriam nominasti. *Nam Andriæ illi id erat nomen.* Attico more, peregrinæ mulieri a patria nomen imposuit. Et simul celebrat nomen comœdiæ, dicendo, *Ex Andro commigravit*: et nunc, *Nam Andriæ illi id erat nomen.* D.

59. Ob metri rationem, et auctoritatem Cod. Regii lege, *Phædrum aut Cliniam aut Niceratum dicebant.* B.

61, 62. *Quid? symbolam dedit*] (Ms. Hulst. interserit; *Non*, QUID SYMBOLAM DEDIT? sed) Subdistingue *Quid?* ut sit vox quærentis, quid dicat de Pamphilo. *Symbolam dedit*] Mire; nulla pro Pamphilo negatio facti est posita: sed per puerilem simplicitatem omnia gesta narrata sunt, et quidem tacitum est, non celatum: sed ut non factum esse ita videatur. *Eho, quid Pamphilus?*] Primo sic egit, ut de Pamphilo quærere videretur: ad ultimum adjecit nomen; ne quid reliqui faceret. *Cœnavit*] Cætera in gestu sunt quærentis, quid dicat de Pamphilo, nec invenientis. D.—*Quid? symbolam*] Ita MS. quomodo et Plautus in Curcul. *Symbolarum collatores apud forum piscarium.* Eubulus: ὅστις δ' ἐπὶ δεῖπνον ἢ φίλον τιν' ἢ ξένον Καλέσας, ἔπειτα συμβολὰς ἐπράξατο, etc. *Attinere*] V. C. *Attingere.* L.

62. *Item alio die*] *Item*, similiter; et vide, diligenter tempus adjectum, quasi non sufficeret unus dies. D.—*Item alio die quærebam*] Et hic perseverat similiter senis diligentia, ne unius diei judicium circa disciplinam verum esse non possit. E.

63. *Comperiebam*] Vide si non verba patris sunt, et de rebus venereis circa filii mentionem agentis. *Nihil ad Pamphilum quidquam*] Παρέλκον: nam abundat *quidquam*; nam, *nemo quisquam*, non dicitur. D.

64. *Spectatum*] Ad Pamphilum, non ad exemplum refertur: et *spectatum*, probatum. D.

65. *Et magnum exemplum continentiæ*] Ὑπερβολὴ laudis, Pamphilus exemplum continentiæ. D.

66. *Nam qui cum*] *Qui*, animus scilicet, aut certe homo subaudiendum. D.—*Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi*] Confirmat per sententiam vitam filii, et

Neque commovetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere jam ipsum suæ vitæ modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, et laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes,
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.
Placuit; despondi. Hic nuptiis dictus est dies.
So. Quid obstat, cur non veræ fiant? Si. Audies.
Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,
Chrysis vicina hæc moritur. So. O factum bene!

integram disciplinam. Negat esse melius eo ingenio, quod cum inter vitia versatur, suam teneat firmitatem. E.

67. *Animus*] Deest *ejus. Cum ingeniis*] *Ingenia* pro hominibus posuit. *Conflictatur*] Id est, atteritur. *Conflictatio* est tactus corporum invicem, et colliſio. *Neque commovetur*] Utrum animus, an homo? ut subaudiamus *ejus. Neque animus commovetur*] Utrum deest *ejus?* An ordo est, qui animus cum ingeniis conflictatur ejusmodi, neque commovetur in ea re tamen: ἀνακόλουθον: eo quod non præmisso *licet*, vel *quanquam*, subjecit *tamen*. Sallustius, (Fragmentum incerti libri) *Atque edita undique, tribus tamen cum muris et magnis turribus.* D.

68. *Suæ vitæ modum*] Moderationem, regimen. D.—Lege ex cod. Academico, ut *jam* in ictu sit: *Scias posse jam habere.* B.

69. *Cum id mihi*] *Cum*, id est, præterquam quod. *Tum uno ore omnes*] *Omnes*, ne pater amore falli videretur; et ideo mox ait, *Bene dissimulatum amorem, et celatum indicat.* D.—*Cum id mihi placebat*] Probat filii vitam non judicio suo tantum, ne videatur hoc fecisse amore; sed et testimonio civium cæterorum. Quæ quidem res ad futuram quæstionem argumenta suggerit maxima. Nam similiter ejus filius judicio patris, et testimonio civium comprobatus est, quod nondum amare cœperit. E.

70. *Laudare fortunas meas*] Ἐμφατικώτερον *fortunas*, quam *fortunam*; et de more; ut, Æn. i. 610. *Qui te tanti talem genuere parentes.* Et, Æn. iii. 480. *Vade, ait, o felix nati pietate!* Et Plautus, Bacch. iii. 3, 61. *Fortunatus qui illum eduxit sibi.* D.—*Laudare fortunas meas*] Ubique fortunæ attribuit, quod boni filii sunt; ut et Sallustius. Catil. 25. *Præterea viro atque liberis satis fortunata.* E.

72. *Hac fama*] An vere laudatus sit, singula hæc pro argumentis sunt: et excusatio est, non esse stultitia falsum, s impulsum. *Impulsus*] Bene *impulsu* ultro enim venire impulsus est, qui dar contra officium soceri. D.—*Quid verbis pus*] De moribus filii sui cum pronunciatu civibus diceret, magnum testimonium Chremetis ponit, quod ultro venit, qu unicam natam, quod cum dote sumn filio promisit uxorem. Sequens enim v debatur, ut cum et ipse probatum filiu sciret, optimam conditionem matrimon non repudiaret. Ergo cum dicit, *placu* Chremeti conditionem optimam declar bat. E.

73. *Unicam gnatam suam*] Abund quidem *suam*: sed tamen asseverantius e *Unicam gnatam*] Quid si tædio multoru filiorum? at (lege *multarum filiarum ait,*) unicam. D.—*Chremes ultro ad m* Hunc locum Servius explicat Æneid. v vers. 32. L.

74. *Cum dote summa*] Quid si paup est? at cum dote summa. D.

75. *Placuit*] Cum pronunciatione, *pl cuit. Placuit*] Συντομία: adeo bona co ditio fuit, ut quamvis ultro objiceretu tamen statim placeret. *Despondi*] Ex v teri more, quo spondebat etiam petitor pater: unde *sponsus* et *sponsa* dicitu *Despondi*] proprie; nam de sponso dicitu quia *spondet* puellæ pater: *despondet*, ad lescentis. *Hic dictus est dies*] Utru constitutus? an dicatus? ut Æn. vi. 13 *Junoni infernæ dictus sacer.* D.

76. Omnes codd. nostri habent, *Qu igitur obstat.* Recte, ob metrum. Dein verbum *veræ*, ut plane ineptum, dele.

77. *Fere in diebus paucis*] Ita omn libb. tamen Charisius diversam lectione affert, lib. ii. in voce *Ferme.* L.

78. *Chrysis*] Commemorat nunc qu esset Chrysis. *Vicina hæc*] Supra eni ait, *Ex Andro commigravit huc vicini Vicina hæc*] Ἀνάμνησις. *O factum ben* Animadverte, ubique a poeta sic indu

Beasti; metui a Chryside. Si. Ibi tum filius
Cum illis, qui amabant Chrysidem, una aderat frequens;
Curabat una funus, tristis interim,
Nonnunquam conlacrumabat: placuit tum id mihi.
Sic cogitabam; Hic, parvæ consuetudinis
Causa, mortem hujus tam fert familiariter:
Quid, si ipse amasset? quid hic mihi faciet patri?
Hæc ego putabam esse omnia humani ingeni
Mansuetique animi officia. Quid multis moror?
Egomet quoque ejus causa in funus prodeo,

comicas mortes, ut cum ad necessitatem argumenti referantur, non sint tamen tragicæ. Nam aut meretrix sumitur, aut senex, aut de duabus simul uxoribus una uxor. Itaque hujusmodi obitus, aut mediocri tristitia excipitur, aut etiam gaudio. *O factum bene*] Quasi qui dixerit, *Vereor ne quid Andria apportet mali. Beasti*] Artificiose quidem *gaudium* subjecit, ne mors in comœdia, luctus in tragœdia personaret. D.

79. *Metui a Chryside*] *Metuo illum* dico, qui mihi ipse aliquid facturus est. *Timeo ab illo*, cujus causa possum aliquid mali pati, etiam si ipse nihil in me mali consulat. *Metui a Chryside*] Ἀρχαϊσμός. D. —*Beasti*] Beatum fecisti. E.—Tres codd. nostri habent, *Beasti; ei metui a Chryside.* Hanc lectionem comprobat Donati liber, auctoritas Prisciani, et sensus elegantia. B.

80. *Una aderat frequens*] Ut supra, *Cum quibus erat cumque una, his sese dedere. Aderat frequens*] Possumus enim adesse, et frequentes non esse, si præsentes non adhæremus his, quibus adsumus; et *frequens*, ut miles apud signa. D.

81. *Curabat una funus*] *Funus* est pompa exequiarum, dictum a funalibus. Etenim noctu efferebantur, propter sacrorum celebrationem diurnam. *Curabat una funus*] Ut non potuerit in exequiis videre patrem. *Interim*] Descriptio est hujus rei, quæ ad narrationem pertinet superiorem. D.

82. *Nonnunquam conlacrumabat*] Illis enim magis causa flendi fuerat, qui, quam amabant, amiserant: hic amore propter suam Glycerium conlacrumabat, qui alienis lacrymis suas commodabat. D.—*Nonnunquam conlacrumabat*] Has lacrymas fundebat Pamphilus propter eam familiaritatem, quam habebat ex conjunctione ejus mulieris, quæ Chrysidi carissima fuerat. Sed quoniam Chrysis mortua, salva autem illa quam diligebat, ideo nonnunquam conlacrumabat, id est, cum aliorum lacrymis suas quoque miscebat. E.

83. *Sic cogitabam*] Ac si diceret, hoc cogitabam; sensum tantum cogitationis dicere debuit: sed quia *sic cogitabam* dixit, ipsum gestum cogitantis exponit, et dicitur *μίμησις. Hic parvæ consuetudinis causa*] Hoc est, convivii tantum: et quia dixerat puer, hoc solum egisse Pamphilum, nihil aliud, *Symbolam dedit, cœnavit.* D.

84. *Tam fert familiariter*] Id est, graviter. Nam quæ nobis sunt familiaria, gravia sunt animo nostro. *Familiariter*] Quasi familiaris: an potius familiariter. D.—*Hujus mortem tam fert familiariter*] Hoc est, sic dolet ut familiaris. L.

85. *Quid hic mihi faciet patri?*] *Mihi*, circa me. Et postquam *mihi* dixit, pondus intulit nominis, dicendo *patri. Quid hic mihi*] Vide quam venuste repetierit *hic.* D.—*Quid hic mihi faciet patri?*] Cicero lib. ix. epist. 7. ad Famil. L.—Lego, *quid mihi hic.* B.

86. *Hæc ego putabam*] *Putare* est ejus, qui simplicitate pectoris aberravit. Cicero, pro Ligar. 10. *Non putavit, lapsus est. Hæc ego putabam*] Cum adhuc nihil peccationis ostenderit, tamen dolor in futura prorumpit: ut, Æn. ii. 344. *Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat. Humani ingeni*] Circa Chrysidem. D.—*Hæc ego putabam esse omnia humani ingeni*] Cum nondum argumentum aliquod officium malæ ostenderat disciplinæ, tamen dolor jam futura prorupit, cum esset admonitus falsa fuisse, quæ ante credebat pietatis indicia. E.

87. *Mansueti*] Circa amicos. *Egomet quoque*] Ut et ipse Pamphilus, aut etiam ego, quem minus crederes. D.

88. *Ejus causa*] Ejusdem mansuetudinis et humanitatis, et ejus Pamphili. *In funus prodeo*] *In funus*, in pompam exequiarum; quod a funalibus dictum est, id est, uncis vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes, et * in genu cerei fomites infiguntur; (lege, *Quod a funalibus dictum est aduncis, vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes, et ingentes cerei fomites infiguntur.* D.—*Egomet quoque ejus causa*]

Nihil suspicans etiam mali. So. Hem, quid est? Si. Scies
Effertur: imus. Interea inter mulieres,
Quæ ibi aderant, forte unam adspicio adolescentulam,
Forma, So. Bona fortasse. Si. Et vultu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra.
Quia tum mihi lamentari præter cæteras
Visa est; et quia erat forma præter cæteras
Honesta et liberali, accedo ad pedisequas;
Quæ sit, rogo. Sororem esse aiunt Chrysidis.
Percussit illico animum: at at! hoc illud est,

Ut, quoniam filium perspexeram præbere ei lacrymas, quam non diligebat, ego quoque officium obsequiumque præstarem. *In funus prodeo*] Hoc est, in obsequium funeris. E.

89. *Nihil suspicans etiam mali*] Bene suspendit auditorem. *Etiam*] Alia est suspensio audientis, et excusatio alia. *Etiam*] Adhuc. D.—*Nihil suspicans etiam mali*] Hic auditorem mali interpositione suspendit, qui mitiori narratione tenebatur. E.—Tres codd. legunt, *Hem, quid id est.* Recte, ut vitetur trochæus, qui hic minus placet. B.

90. *Effertur*] Ἐκφέρεται. Græcum est; quod vitans Virgilius, ne diceret *effertur*, inquit, Georg. iv. 255, *tum corpora luce carentum Exportant tectis, et tristia funera ducunt. Efferri* proprie dicuntur cadavera mortuorum: et *ire* proprie ad exequias. Virg. Æn. xi. 24. *Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere, etc.* D.

91. *Unam adspicio*] Ex consuetudine dicit *unam*, ut dicimus, *Unus est adolescens.* Tolle *unam*, et ita fiet, ut sensui nihil desit: sed consuetudo mirantis non erit expressa. *Unam* ergo τῷ ἰδιοτισμῷ dixit: vel *unam*, pro quadam. *Adolescentulam forma et vultu*] Et hic duo sunt, et ætas et forma, quibus additur pudor, quia meretrix non est. D.—*Adspicio adolescentulam forma*] Et hic similiter duo tetigit: ætatem, quod *adolescentulam* dicit; et vultum, quod *forma* posuit. E.

92. *Forma et vultu*] Forma immobilis est et naturalis: vultus, movetur et fingitur. *Et vultu, Sosia, adeo modesto*] Quia formæ laudatio cum meretrice commissa (forte *communis*) est, progreditur artifex poeta ad laudanda ea, quæ honestiora sunt, quam forma. *Et vultu, Sosia*] Quid hic deest, ut eam nurum dignetur Simo, nisi sola cognitio? et formam probat in puella Pamphili pater, et matronalem modestiam miratur in vultu, et venustatem stupet. Nonne ergo jam cernimus hoc præstruxisse Terentium, ut cum Chremetis filiam esse cognoverit Simo hanc potius eligat, quam Philumenam nurum? quanquam ex sororis pulchritudine, et amore Charini, et Davi laudatione, id ipsum quoque probe monstraverit nobis. *Vultu*] Hæc laus adjuvat post cognitionem futuram nurum. D.—*Et vultu, Sosia*] Quasi tertium, videtur adjecisse vultum. Namque forma naturalis facies: vultus vero animi motus, facie ad tempus aptatus. E.—*Bona* ad Simonis orationem referendum censeo propterea quod ratio non constat, cur Sosia, rei ignarus, de *bona* forma potius, quam de *me* diceri harioletur. Itaque *fortasse* absolutum positum, est consentientis quidem, sed dubitanter et tepide. B.

93. *Adeo modesto, adeo venusto*] *Modestus*, ad probitatem vultus et morum pertinet: *venustus*, ad naturam corporis. Atque adeo sibi vultum fingere multi possunt: formam nemo. *Ut nihil supra*] Ἑλλειψις Terentiana; nam non necesse est subjungere duos versus; (forte *duas voces. Quia tum mihi*] Excusatio necessaria. D.—*Adeo modesto*] Discrepant exemplaria Prisciani lib. xiv. *Adeo modesta, adeo venusta.* L.

94. *Præter cæteras*] Id est, plus quam cæteræ. D.—*Quia tum*] V. C. *Quæ tum* L.—Nostri codd. summo consensu et Edd. priscæ pro *Quia tum* legunt *Quæ tum* Vera lectio est *Quæ cum.* Nam *tum* quorsum pertineat, non video. B.

96. *Honesta et liberali*] *Honesta*, ad formam: *Liberali*, ad vultum retulit. D.

98. *Percussit*] Hoc est, suspicio, vel aliquid tale. *At at!*] Interjectio admirantis. *Hoc illud*] Δεικτικὸν ejus rei est quam in animo conceperamus. Virgilius *Hoc illud germana fuit.* D.—*Percussit illico animum*] Cum formam vidissem, cum lacrymas perspexissem, cum Chrysidis sororem hanc cognovissem, sum nescio quid, inquit, continuo suspicatus. *Hoc illud est, hinc illæ lacrumæ*] Hinc illa sunt argumenta conjecturalia, quæ supra diximus; verisimile esse filium amare mere-

Hinc illæ lacrumæ; hæc illa'st misericordia.
So. Quam timeo, quorsum evadas. SI. Funus interim
Procedit: sequimur: ad sepulchrum venimus:
In ignem posita'st: fletur. Interea hæc soror,
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius,
Satis cum periclo. Ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dissimulatum amorem et celatum indicat.
Accurrit: mediam mulierem complectitur:
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?

tricem, quod tam familiariter ad Chrysidem se applicarat, quod ejus tam familiariter fleret interitum. Hoc est enim quod dixit, *Hinc illæ lacrumæ*. Sed quoniam adhuc parva suspicio est, adjecit argumenta. E.—*Percussit illico*] Ita Donatus et vett. omnes. Vulg. *Perculsit*. L.

99. *Hinc illæ lacrumæ*] *Hinc*, ex hac causa. D.—Pro *hinc* lege *hæc*. Nam præterquam quod tres codd. ita legunt, aliter versus sustentari nequit, nisi amplectaris archaismum *hæc* pro *hæ*. B.

100. *Quam timeo*] Non videtur adhuc Sosiæ plenum amoris argumentum; adeo pendet ad ea quæ dicturus est Simo. *Exedas*] Id est, exeas, vel pervenias. *Funus procedit*] *Funus* a funalibus dictum est, ut supra notavimus; et est funus, pompa exequiarum. Et bene, *funus procedit, nos sequimur*, dixit, quasi post ipsam morituri: unde *exequiæ* dicuntur. *Funus interim procedit*] Ἀσύνδετον. D.

101. *Ad sepulchrum*] *Sepulchrum κατ' ἀντίφρασιν* dicimus, quod sine re pulchra sit: an quod ibi sine pulsu sint, id est, mortui? an quod illic animæ a vivis sepeliantur, id est, separentur? Et sepulchrum dixit futurum, non quod jam esset. *Sepulchrum* enim a sepeliendo dictum. Virgilius proprie, Æn. vi. 232. *At pius Æneas ingenti mole sepulchrum imposuit*.

102. *In ignem posita'st*] Ἔλλειψις: non enim est *quæ*. Et mire; cum funus supra dixerit. *Fletur*] Hic pæne impersonaliter, fletur ab omnibus. Extrema enim quæque mortuorum omnes commovent ad lacrymas. D.—*Hæc soror*] Id est, quam dixi esse sororem Chrysidis. D.—*Interea hæc soror, quam dixi*] Nullum majus potest argumentum reperiri, quam quod subjungit, Pamphilum necessitate compulsum amoris sui flammam non potuisse celare, quoniam in materia conjecturæ, accusantis hæc argumenta sunt semper, a voluntate, a summo ad imum. His enim tribus partibus nititur accusator. Hic autem voluntatis est quæstio. Ergo probationes a summo ad imum suscipientur, quæ continent dicta et facta; et quod a doctoribus adjungitur, pathos. Namque pathos est supra, quod flevit. Facta sunt ista quæ subjunguntur, quod accurrit, quod mediam mulierem complectitur. Deinde dicta sunt, quod dixit. E.—*In ignem posita*] Reg. cod. *imposita*. L.—*Imposita est*, codd. nostri plerique omnes habent. Recte et ex more poetæ, qui solet elidere ultimam syllabam, ut liquescat, et misceatur sequenti. B.

103. *Ad flammam*] Innuit affectum sororis, unde omnes vinceret: cæteri enim flent, hæc flammæ se ingerit. Virg. Ecl. v. 20. *Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim,—Atque deos, atque astra vocat crudelia mater*. D.

104. *Ibi tum exanimatus*] A voluntate, a facultate, a summo ad imum, ubi sunt dicta et facta, ibi est πάθος: et mire *ibi*. D.

105. *Bene dissimulatum*] *Bene*, multum; an quasi dolens, quod etiam negaturus sit Chremeti, dixit *bene? Indicat*] Omnia significanter; non ostendit, inquit, sed indicat: non accedit, sed accurrit: non vestem aut manus, sed mediam mulierem: non tenet, sed complectitur; et quia his tribus rebus inducitur in alicujus rei gestionem persona, affectu, facto, dicto. Affectus est quod ait, *Ibi tum exanimatus Pamphilus*. Factum, quod ait, *accurrit, mediam mulierem complectitur*. Dictum, quod ait, *Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum? Indicat*] *Indicium* proprie est oris et linguæ: factis ergo indicat; non enim dixit, *amo*. D.

106. *Accurrit*] Virgilius, Æn. iv. 645. *Interiora domus irrumpit limina, et altos Conscendit furibunda rogos*. D.

107. *Mea Glycerium*] *Mea*, quasi amator, *Glycerium*, quasi familiaris dixit. *Quid agis*] Quasi perturbatus. *Cur te is perditum*] Quasi consolaturus. D.—*Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?*] Ita omnia orator conjecturalia argumenta complexus est, quamquam accedit et illa pars, quod ipsa Glycerium *rejecit se in eum flens quam familiariter*. Sæpe etenim non solum nostris, sed nostrorum factis possumus accusari; ut cum de Verris animo quæreretur, an Cicero-

Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres,
Rejecit se in eum flens quam familiariter.
So. Quid ais? Si. Redeo inde iratus, atque ægre ferens.
Nec satis ad objurgandum causæ: diceret,
Quid feci? quid commerui, aut peccavi, pater?
Quæ sese in ignem injicere voluit, prohibui,
Servavi: honesta oratio est. So. Recte putas.
Nam si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit;
Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?
Si. Venit Chremes postridie ad me, clamitans,

nem nollet esse accusatorem, quod Hortensius tantum laborabat, ut Ciceroni non daretur. Accusat quoque palam sic, Verris hanc esse voluntatem, ne Cicero accusator existeret. Verum hæc de argumentis. Omnis autem conjectura proprium hoc habet. Nam argumenta cum cæteris videntur esse communia; hæc et præter argumenta habet a testibus probationem, hæc etiam hic sunt, quippe cum dicat, *Venit ad me Chremes postridie, clamitans se indignum facinus comperisse;* utique *comperisse:* etiam ab aliis ista res dicta est, ut ipse hoc compererit. Ut testimonium quasi quædam sit multitudo. E.

108. *Ut consuetum facile amorem cerneres*] Mire, non suspicaretur (*suspicareris*) dixit, sed *cerneres:* et est ordo, ut facile cerneres; sed *cerneres*, sicut supra, *Laudem invenias et amicos pares.* D.

109. *Rejecit se in eum*] Objicitur ei quod a Glycerio factum est: ut, Quis enim unquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quam ille atque illius amici, ut ne hæc mihi delatio detur. D.

110. *Iratus, atque ægre ferens*] *Iratus*, culpa; *ægre ferens*, quia præter spem. D. —*Redeo inde iratus, atque ægre ferens*] Bene indignationem totam argumentis excitatam sibi esse commemorat. Veruntamen dicit, se equidem credidisse, sed filium accusare non potuisse. Propterea derivatio causæ esse potuit. Namque duæ partes sunt, quæ reum sunt solitæ defendere. Derivatio causæ, quæ Græce *μεταθεσις αἰτίας* dicitur; quam rem tractat senex, cum dicit ex persona filii, *Quid feci? quid commerui aut peccavi, pater? quæ sese in ignem projicere voluit, prohibui, servavi.* E.

111. *Nec satis*] Mire expressit indulgentiam patris erga filium. Erat, inquit, causa: sed pro amaritudine objurgationis non erat satis, hoc est, non idonea videbatur. *Nec satis ad objurgandum*] Deest *habui*, vel *erat.* Virgilius, Æn. ii. 314. *Nec sat rationis in armis:* et hic, *erat*, vel *habui*, deest ad sententiam. *Diceret*] Deest *eni*
Quid feci] Mire fiduciam prætulit arg
mento, quod est in sequenti versu. D.

112. *Quid feci? quid commerui, aut pe*
cavi?] Ἀξίωσις a majoribus ad minora.
feci quasi facinus dixit. *Facere* enim qu
et homicidium dicitur. *Commerui*, min
ris culpæ est: *peccavi*, multo minoris, v
levioris. (Ms. Hulst. *Multo majoris*
gravioris. Et paulo ante, *a minoribus*
majora.) D.

113. *Quæ sese*] Illic, mea Glycerium
hic pronomen dixit. Mira dissimulati
tanquam illam præter periculum nesc
at. D.

114, 115. *Honesta oratio est. Nam si ille*
objurges, vitæ qui auxilium tulit] Purga
onem filii sui et ipse confirmat per se
tentiam, ut iste videatur nunc irasci, q
aliquando alias admiserit causas; et
locus argumenti, qui dicitur a contr
riis. E.

115. *Nam si illum*] Argumentum p
ratiocinationem a contrario; ut si dic
Viro forti præmium debetur, si deserte
pœna constituta est. Tulit] Pro attuli
sed multa significat: et alias pertul
Virgil. Æn. ii. 407. *Non tulit ha*
speciem furiata mente Chorœbus. Ali
sustulit: ut idem, Ecl. ix. 51. *Omn*
fert ætas, animum quoque, pro aufert. D

116. *Illi*] Pro illo. *Dederit damnu*
aut malum] *Damnum*, rei est; *malum*, i
sius hominis. D.—*Quid facias illi*] Τὶ
ποιήσοις ἐκείνῳ, ὃν ἆρα δεδωκὼς ἢ ζημία
ἢ κακόν. Priscian. lib. xviii. L.—Ne i
tus in ultima fiat, colloca ita, *dederit q*
damnum. B.

117. *Venit Chremes*] Argumentum
conjectura, de testibus. Et mire supr
Ultro venit ad me. Ergo hic causa ju
doloris ostenditur, quia dolet etiam Chr
mes: nam potuit, non daturus filiam, n
venire. *Postridie ad me, clamitans*] Ut s
ne dilatione sciri posset; et *clamitans*, i
dignantis est: ut, *Clamant omnes.* D.-
Venit Chremes postridie] Qui hoc facili
probatum omnibus doceat, continuo

Indignum facinus; comperisse, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam. Ego illud sedulo
Negare factum; ille instat factum: denique
Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
Neget daturum. So. Non tu ibi gnatum? Si. Ne hæc quidem
Satis vehemens causa ad objurgandum. So. Qui, cedo?
Si. Tute ipse his rebus finem præscripsisti, pater.
Prope adest, quum alieno more vivendum est mihi:
Sine nunc meo me vivere interea modo.
So. Quis igitur relictus est objurgandi locus?

Chremes venit: adjecit et *clamitans*, ut indignatione ostenderetur, verum esse compertum. E.

118. *Indignum facinus*] Distinguendum, ut per se intelligatur indignum facinus, et ipse doleat Pamphilum corrumpi. *Comperisse*] Ergo ab aliis: ut appareat verum (Ms. H. *eversum*) quod ait, *Tum uno ore omnes*; et, *Hac fama impulsus Chremes*. *Indignum facinus comperisse*] Deest *se*: incertaque distinctio. *Pamphilum*] Cum emphasi dixit, id est, pudentem et bene moratum. Et nec amicam, sed *pro uxore*. Mire ergo, quasi non hoc doleat quod amet, sed quod pro uxore habeat. Et simul excusatur filiam denegaturus socer. D.—*Indignum facinus! comperisse se*] Pulchre ex persona soceri indignum facinus dictum est, ut et ipse doleat Pamphilum esse corruptum, quippe cum ipse venerit prior, ut filiam polliceretur. E.

119. *Hanc peregrinam*] *Hanc*, cum contemtu dictum est; et *peregrinam*, ut alibi, *adeone est demens ex peregrina?* nam hoc nomine etiam meretrices nominabantur. *Ego illud sedulo*] Quanto affectu pater factum, quod viderat, negabat. *Sedulo*] Quomodo *sedulo*, si negabat? an *sedulo*, ut Sosiæ? id est, simpliciter. *Sedulo*] Quia non semel negavit, vel ille institit. D. —*Pro uxore habere hanc peregrinam*] Magna justitia soceri: si quidem non Pamphilum dolet amare alteram, sed dolet pro uxore habere hanc peregrinam. Considerat enim personam soceri, merito uxorem dolet alteram. E.

120. *Factum*] Impersonaliter. *Negare factum*] Officium patris, et simul per hoc expressio probationis. *Ille instat factum*] Plautus, Merc. ii. 1, 18. *Instare factum*; similis est (lege, *instare factum Simia. Est, etc.*) ἀρχαϊσμός. *Instare factum*] Vetuste, id est, instat dicere factum esse. *Denique*] Quid denique? ad summam properat, et ad finem dictorum *denique*; id est, postremo. D.—*Ego illud sedulo negare factum*] Ne leniter credidisse videatur, et negasse dixit. *Ille instat factum*] Ita comprobata res est, perseverante soceri testimonio. E.—*Instat factum*] Glossar. *Instat* ὀχλεῖ: et *instantia* ἔνστασις. Scævola lib. xxxiv. ff. de pig. act. *Instantia Gaii Sei creditoris*. L.

121. *Discedo*] Proprie: non enim abeo, unde *discessio*. D.—*Denique ita tum discedo ab illo*] Jam apud socerum probatam rem dixit, quod filius amet. Si quidem ipse qui promiserat, hoc cognito, socer filiam negavit. E.

121, 122. *Ut qui se neget*] Probavit, quod non volebat senex Sosiæ: adhuc superest ut ostendat, quod non sit irascendum, quin juste irascatur. (Ms. Hulst. *Quod non sit iracundus, qui juste irascitur.*) *Non tu ibi gnatum?*] Ἀποσιώπησις, vel ellipsis: deest invasisti, objurgasti, adortus es. D.—*Non tu ibi gnatum?*] Deest, arguere aut accusare debuisti: et est ἔλλειψις, quæ solet fieri aut nimia lætitia, aut nimia tristitia. Hoc quidem magna procuratione perfectum est, ut jam servus credidisse videatur, quod amat filius. At vero senex, ut justitiam suæ iracundiæ doceat, et hanc causam non idoneam docet, qua filius accusandus esse videatur: sed jungit rationem. E.

123. *Ad objurgandum*] Incusandum, inclamandum. D.

124. *Tute his rebus*] Modo non addidit *diceret*. D.—*Tute ipse his rebus finem præscripsisti, pater*] Potest enim filius dicere, uxorem nunc sum ducturus, tempus veniet cum aliena lege et alienis moribus vivam. Interim sine, dum tempus est, meo me more vivere. Unde servus et hac re dejectus, objurgandi interrogat causas. E.

125. *Prope adest*] Prope adsunt nuptiæ: in proximo sunt metæ libertatis: et ideo avidius voluptaria sub finem carpenda sunt. *Quum alieno*] *Quum* pro quo; hoc enim significat *quum*. D.—*Prope adest*] Priscian. lib. xiv. L.

126. *Meo me vivere interea modo*] *Meo modo*, mea voluntate, meo arbitrio. D.

127, 128. *Relictus est objurgandi locus?*] Mire *objurgandi*: tanquam incensus pater in filium videretur; nam supra commotus

SI. Si propter amorem uxorem nolit ducere,
Ea primum ab illo animadvertenda injuria est.
Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias
Vera objurgandi causa sit, si deneget:
Simul sceleratus Davus si quid consilii
Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli:
Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia
Facturum; magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obsequatur gnato. So. Quapropter? SI. Rogas?
Mala mens, malus animus: quem quidem ego si sensero.

plus per ἀποσιώπησιν significaverat. *Si propter*] Hoc erat secundum in divisione, *et consilium meum cognosces. Si propter amorem*] Initium consilii sui demonstrandi. D.—*Quis igitur relictus est objurgandi locus*] Et bene *objurgandi* dixit; nam de crimine jam constat, quod amat filius: sed objurgandi quæritur locus. E.—In nostris fere omnibus libris est, *Qui igitur*, quod est recipiendum. Cod. Vaticanus veterrimus, teste ad Phædrum Gudio, legebat *relicuus*, h. e. *reliquus*. Sed recepta lectio est retinenda. B.

128. *Nolit*] Legitur et *nollet*. D.—*Si propter amorem uxorem non vult ducere*] Hoc est illud, quod secundum proposuerat Simo: *et consilium meum cognosces*. Credit enim ad iracundiam hanc esse causam, non quod amet filius, nam id ætatis est et temporis, sed unde incipit causa peccati, si propter amorem nolit ducere uxorem. E.—Pro vulgari *nolit*, et Donati *nollet*, repone *nolet*. B.

129. *Ab illo animadvertenda injuria*] Nota participium a passivo. *Animadvertenda*, castiganda, vindicanda est. *Ab illo injuria*] Quam facit, non quam patitur. *Ea primum animadvertenda injuria*] Ut jam hoc sit peccatum, quod recusat nuptias, non quod peccat adolescens. Ideo ergo primum dixit, animadvertenda injuria est, vindicanda, exequenda est. Et bene *ea ab illo* dixit *injuria*; certissimam enim notat personam, quæ debeat pro injuriis pœnas solvere; quod si dixisset, *injuria ejus*, ἀμφιβολίαν fecisset, utrum quam passus est ab alio, an quam ipse aliis intulit. D.

130. *Et nunc id*] Hic reddit quod dixerat, *consilium meum cognosces. Id*] Id est, *propter id*. D.—*Et nunc id operam do, ut per falsas*] Hoc est consilium, ut falsæ nuptiæ fingantur, quo et animus victus adolescentis circa amorem possit agnosci; simulque et Davi servi, qui favet plurimum Pamphilo, consilia falsa nuptiarum vanitate frustrentur. E.

131. *Vera*] Ἀντίθετον: quia *falsa* (*falsas*) dixit, intulit *vera*. D.

133. Faernus contra codd. quos et ip et ego vidimus, mavult, tamen legi *sunt* pro conjunctivo. Nec, quid inters video. B.

134. *Manibus pedibusque*] Proverbia id est, omnibus membris (Ms. Pulst. *o nibus verbis*, forte leg. *omnibus nervi Obnixe*] Cum conatu, instanter cont conantem. D.—Sublato *que* post *pedib* vehementior et melior est oratio, ut in iv. 1, 53. B.

135. *Magis id*] *Id*, propter id. *Inco modet*] Noceat, incommodum afferat. *A hi ut incommodet*] Non enim, inquit, pu dest filio amare meretricem. (Leg *Non enim illi prodest, filium amare meret cem.*) D.—*Magis adeo mihi ut incommod* Ut mihi magis, inquit, noceat, quam fi prosit. E.—*Mihi ut incommodet*] N turale nimirum servis hoc, odisse c minos, ut est apud Querol. ac damno mactare; adeo ut dictum antiquitus erit, *quot servi, tot hostes*. Festus, S neca Epist. 47, et ex eo Macrob. Simp cius. Theophilus, Marcellinus in H mogenem, p. 135. πονηροὶ τὸν τρόπον servis loquitur) ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἀκόλαστοι. οὐχ ἥκιστα, ὅτι τοῖς δεσπότ ἀεὶ ἐχθρὸν καὶ πολέμιον, κἂν χρηστοῖς δ πόταις δουλεύωσιν. Hinc est quod scri Vegetius Veterin. lib. i. *Neque enim damno domini cogitant, quod eidem cont gere gratulantur*. Et eleganter Aristi Sicula i. p. 37. ὅλως δὲ τῇ δούλων φύ χρωμένους. ἢ καθάπερ τῷ προσρήματι τ δεσπόταις ἐνάντια, οὕτω κἂν τοῖς βουλή σιν. ἀντὶ γὰρ ὧν εὖ πάσχουσι, μισοῦσι, δίκην ἐθέλουσι λαμβάνειν, ὡς χάριν ἐκ νειν εἰκὸς ἦν. αὕτη δὲ ἐστὶν μὴ παντάπα ἔχειν εὐμενῶς τοῖς δεσπόταις. L.

136. *Quapropter*] Mire Sosia interrog quasi nulla causa sit fallendi dominum.

137. *Mala mens*] Voluntas est me etiam ratio. *Mala mens*] Argumentun natura, et an aliquis sine causa malus, ab impulsione. *Mala mens*] Quia di Magis ut lædat, quam ut prosit. *Q quidem ego si sensero*] Ἀποσιώπησις gravissimam pœnam ostendentis. D

Sed quid opus est verbis? Sin eveniat, quod volo,
In Pamphilo ut nihil sit moræ; restat Chremes,
Qui mihi exorandus est; et spero confore.
Nunc tuum est officium, has bene ut adsimules nuptias:
Perterrefacias Davum: observes filium,
Quid agat, quid cum illo consilii captet. So. Sat est:
Curabo; eamus jam nunc intro. Si. I præ; sequar.

ACTUS PRIMI SCENA II.

SIMO. DAVUS.

Non dubium est, quin uxorem nolit filius:
Ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audivit; sed ipse exit foras.

Mala mens, malus animus] Quia occultum servum videbat aliquid facere, ut alteri noceat, non ut prosit: idcirco hanc adjunxit causam, quod mala mens, malus animus, ista semper fecerit. E.

138. *Sin eveniat, quod volo*] Hic sensus est: quod volo veniet, illud scilicet, ut in Pamphilo nihil sit moræ. Hoc jam restat ut Chremes exorandus sit. E.

140, 141. *Exorandus*] Legitur et *expurgandus*. Si *expurgandus*; lege *cui*, non *qui*: quia *cui* per *q*. veteres scripsere. *Confore*] Ab eo quod est *confit*, id est, perficitur, futurum tempus infinitivi modi *confore* facit, id est, perfectum iri. Sic in Adelphis, *Verum quid ego dicam? hoc confit quod volo*. *Confieri*, id est, perfici; unde *confectum negotium* dicitur, vel *confecta res*, quæ ad plenum perficitur. Virgilius, Æn. iv. 115.—*nunc qua ratione quod instat Confieri possit, paucis, adverte, docebo. Nunc tuum est officium*] Hoc ad illud tertium respicit, quod dixit: Et quid facere in hac re te velim: Has bene ut assimules nuptias: perterrefacias Davum. Hoc erat tertium de his, quæ dicturum se promiserat. D.—*Spero confore*] Apud Priscianum lib. viii. *Et id spero confore.* L.

141. *Adsimules*] Hoc est unum verbum *assimules*: quod dixit, *Quin tu uno verbo dic, quid est quod me velis. Perterrefacias*] Venuste et poetice. D.—*Nunc tuum est officium*] Hoc est tertium quod in propositione posuerat: *Et quid facere in hac re te velim*; ut bene scilicet assimulet nuptias, Davum terreat, filium observet, vel quid agat, vel quid consilii habeat. E.

142. *Observes filium*] Observatio in duabus rebus est, in obsequio, et speculando. D.—*Observes filium*] Servius Georg. iv. ad illa verba, *Medus Hydaspes observant*. L.

144. *Curabo*] Ut coquus: et supra sic, *Nempe ut curentur recte hæc. I præ*] Figura ἀναστροφή, quod nos *præi* dicimus. D.—Meliores e nostris codd. habent *eamus nunc jam intro*, quod molliorem efficit versum. Sed vulgare *sequar* præfer lectioni cod. Victoriani, ubi est *sequor*. Etenim Simo in scena aliquamdiu subsistit. B.

1. Narratione jam habita, persona Sosiæ non erat necessaria: ergo subsistit senex, per quem agenda sunt reliqua. *Non dubium*] Ad hoc certus inducitur Simo, ut magis perturbetur inopinata consensione Pamphili ad ducendam uxorem, et præterea nihil agat cum Chremete de tradenda filia, confirmandisque nuptiis. D.—*Non dubium est, quin uxorem nolit filius*] Remansit senex, et hic secum loquens habet conjecturalem statum. Nam quæstio est, an uxorem nolit filius. Confirmat autem quod nolit uxorem; et hujus confirmationis argumentum hoc est quod dixit. E.—*Non dubium*] Priscian. lib. viii. L.

2. *Ita Davum modo timere sensi*] Non recessit de loco senex: *sensit* ergo ante, quam cum Sosia loqui cœpisset. *Ita modo*] Argumentum quod supra, ab eo quod nostri faciunt. *Modo*] Ante quam cum Sosia loqui cœpisset Simo. Et *Davus* non recte scribitur; *Davos* scribendum: quod nulla litera vocalis geminata unam syllabam facit. Sed quia ambiguitas vitanda est nominativi singularis, et accusativi pluralis; necessario pro hac regula, digamma utimur, et scribimus, *DaFus, serFus, corFus*. (R. Stephanus, *Datus, sertus, cortus*.) D.—*Ita Davum modo timere sensi*] Dixi enim supra, quod non solum de factis nostris, ad conjecturam argumenta colligi possunt, verum et nostrorum. E.

DAV. Mirabar, hoc si sic abiret: et heri semper lenitas
Verebar quorsum evaderet.
Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo,
Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id ægre tuli
SI. At nunc faciet: neque, ut opinor, sine tuo magno malo.
DAV. Id voluit, nos sic nec opinanteis duci falso gaudio,
Speranteis jam, amoto metu, inter oscitantes opprimi;
Ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.
Astute! SI. Carnifex, quæ loquitur? DAV. Herus es
neque provideram.
SI. Dave. DAV. Hem, quid est? SI. Ehodum ad me. DA
Quid hic volt? SI. Quid ais? DAV. Qua de re? SI. Roga

4. *Mirabar, hoc*] Hic locus est, in quo Davus insinuatur spectatoribus multa gesturus. *Si sic*] *Sic*, pro leviter et negligenter, quod Græci *οὕτως* dicunt, significat autem *οὕτως, sic:* et est de his, quæ adjuvanda gestu sunt: ut *tantillum puerum:* et, *hujus non faciam. Lenitas*] Clementia, facilitas; cui contraria, asperitas et difficultas. *Et heri semper lenitas*] An *semper lenitas?* ut sit *ὑφέν*. Lucretius i. 125. *Semper florentis Homeri. Semper lenitas*] Ac per hoc simulata usque nunc lenitas: nam nemo in diversis actibus semper lenis est; nisi forte fictus assimulator et callidus. *Semper lenitas*] Sine differentia est importuna lenitas. D. —*Mirabar, hoc si sic abiret*] Hæc scena mandatum tenet, quanquam mandati causa præcedit, quod amare dicitur, filius. Manet illa conjectura, quæ similiter habet et argumenta, et probationes suas: postea mandati actio est, ut quod observet Davus per mandata cognoscat. Egreditur namque non aspiciens dominum, cujus oratio talis fingitur, ut quædam temere dicta proferat: quod lenitatem domini latentem, suam et demonstrat calliditatem; quod miratus sit, verbum sibi a domino non esse factum, hoc est, secum non locutum, neque ægre dominum tulisse, quod audisset non dari uxorem. E.—*Si sic abiret*] Ut Seneca Epist. iii. *Hoc abierit. Heri semper lenitas*] Diomedes lib. i. cap. 4. *τὸ semper* non habet. L.

5. *Quorsum evaderet*] Ad quam partem erumperet. Et *evadere*, est per quamcunque difficultatem ad aliquid pervenire. D.

7. *Verbum fecit*] Non dixit litigium, aut rixam, sed *verbum*. Istæ exiguitates, asseverationes (Ms. Hulst. *Istæ exiguitatis asseverationes*) dicuntur; et cum pronunciatione, ut intelligatur: ne verbum quidem. *Neque id ægre tulit*] Hoc est *semper lenitas*. D.

8. *Faciet*] Subaudiendum *verbum;* et est *faciet* persona tertia, pro prima. *F ciet*] Id est, irascetur, denunciabit, loqu tur. *Sine tuo magno malo*] Id est, co minabitur tibi, et minas contemnes, ut pœnas pervenias. D.—*At nunc faci* Hoc est, at nunc tecum loquetur. E.

9. *Id voluit*] Aut absolute accipiendu *id:* aut *id*, quomodo *sic*, demonstratio e ut magis gestu quam sensu intelligat ut supra diximus. *Nec opinanteis*] *Τῷ Duci*] *Ducere* est exspectatione longi te poris malum prolatare: Vel induci, ut r ræ in retia. *Falso gaudio*] Velut ex i et vitæ senis iracundia. D.

10. *Amoto metu*] Ista singula sunt. *amoto metu*, sic dixit, quasi metus sit c pus brutum, quod cum molimine mov tur. *Oscitantes*] *Oscitatio* est animi otii et securitas, dictum ab *ore ciendo*, id e commovendo. *Oscitantes*, securi, id e nihil providentes. D.—Lege *inter* Nam *inter* repugnat melioribus codd., r cet metro, et turbat sensum propter quod præter Davum et Pamphilum n erant tum alii, qui oscitarent. B.

11. *Cogitandi ad disturbandas*] Miran locutio: ut si dicas, *Cogitat ad dic dum.*

12, 13. *Astute*] Hoc et gestu, et vu servili, et cum agitatione capitis dixit. —Ne Trochaicus inter Iambicos veni corrige, *Ut ne esset spatium.* Sic Eunu v. 4, 20. B.—*Carnifex*] Aut excarnifica dominum, aut ipse dignus carnifice, ut ca fiat, id est, lanietur. Lucilius, *Carcer, carcere dignus. Neque provideram*] P videntia duplex est: aut enim animo, a oculis providemus. *Hem*] Quasi corre totius corporis. D.—*Astute! Carnif quæ loquitur?*] Serv. Æneid. xi. 704. *los ingressus et astu.* L.—*Provideram*, h porro videram, habent et Faerni li omnes, et nostri, uno excepto, qui le *prævideram.* B.

13. *Ehodum*] Nutus est, intention

Meum gnatum rumor est amare. DAV. Id populus curat, scilicet!
SI. Hoccine agis, an non? DAV. Ego vero istuc. SI. Sed nunc ea me exquirere,
Iniqui patris est. Nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet:
Dum tempus ad eam rem tulit, sini, animum ut expleret suum.
Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat.
Dehinc postulo, sive æquum'st, te oro, Dave, ut redeat jam in viam.
DAV. Hoc quid sit? SI. Omnes, qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt.

animadversionemque deposcens ejus, cum quo vult loqui. *Ehodum*] *Dum*, παρέλκον est hoc loco. *Quid hic volt?*] More servili, et vernili gestu; sic enim vocati a dominis servi vultuose agunt (Lego *aiunt*.) *Qua de re?*] Negantis vim habet hæc interrogatio. Plus enim est *qua de re*, quam *nihil. Rogas?*] Hoc cum interrogatione indignantis. D.

14. *Meum gnatum rumor est amare*] Mire apud servum dissimulat id, quod jam probavit. *Meum gnatum rumor est amare*] Graviter constanterque senex nondum se fatetur credere, nec verum scire: ne amittat vim vindicaturi, si rescierit. *Id populus curat, scilicet*] Quia rumigeratio populi est; sed hoc aversus ab illo, contumaciter: sic Virgil. Æn. iv. 379. *Scilicet is superis labor est. Scilicet*, semper cum εἰρωνείᾳ ponitur. D.—*Meum gnatum rumor est amare*] Et hæc omnis probatio est, an amet filius: sed conjecturalis probatio a testibus. Unum testimonii genus est rumor: hunc autem rumorem ex relatione Chremetis Simo tenet: quippe cum supra dixerit, *Postridie venit clamitans, indignum facinus, se comperisse. Id populus curat, scilicet*] Hæc defensio est contra rumorem: verisimile non esse omnem populum de, nescio cujus adolescentis, amore cogitare. E.

15. *Hoccine agis*] *Agis*, id est, audis. Alibi sic, *Hoc age, amabo.* Plautus, Asin. Prol. 1. *Vos hoc agite.* Pronuncians simul demonstrative veluti aurem suam tangens. *Istuc*] Deest *ago*, vel *audio*. D. —*Hoccine agis, an non?*] Obscurus sensus, et tamen talis est: curæ tibi est quod populus loquatur? denique hoc intelligit servus, et respondit domino, sibi curæ esse, cum diceret, *Ego vero istuc. Sed nunc ea me*] Hanc defensionem, quam supra collocarat, et nunc memorat quod amare adolescentem criminis non sit, maxime ante nuptias, ideo adjecit: *Nam quod ante hæc fecit, nihil ad me attinet; dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret.* Deinde incipit mandata obliqua oratione proponere. E.

16. *Iniqui patris est*] Iniqui est, si nunc velim quærere actus liberos adolescentis. *Nam quæ antehac fecit*] Pro, *ante hæc*, consuetudine magis, quam ratione dicitur. *Nihil ad me*] Id agit, ut superius consilium se servare ostendat. D.

17. *Dum tempus ad eam rem tulit*] Deest *se*: ut sit, Dum tempus se præbuit: quia supra dixit, *Tute his rebus finem præscripsisti, pater. Ad eam rem tulit*] Absolute, et deest *sc. Sini, animum ut expleret suum*] Mira ratio cur siverit, ut et hoc quod permisit, ad bonam frugem perniserit, non ad luxuriam; *sini* autem distingue: est autem *sini* modo, permisi, cessavi. *Sini* antique. Aliter in Adelphis: *Non sivit egestas facere hoc nos.* D.—*Sini, animum*] Ita MSS. quæ lectio Diomedis auctoritate probari potest, lib. i. *Sino, sini, ut Publius de vita sua. Quod si me invitum abire sinisset. Item Scaurus: Prædium non sini fieri. Melius tamen dicitur sivi, sicut Varro complexionum* vi. *Ad mortem non sivi me producens*, et quæ sequuntur. L.

18. *Nunc hic dies aliam vitam affert*] Hoc est, recte, et severe, et inexorabiliter denunciat. *Aliam vitam*] Pro diversam et contrariam; sic et Virgil. Æn. ii. 428. *Dis aliter visum est. Te oro, Dave*] Gravius illud fecit, nomen appellando. D. —*Nunc hic dies*] Utitur hoc versu Cicero lib. xii. epist. 25. ad Famil. Non absimile proverbium apud Zenob. Ἄλλος βίος, ἄλλη θύρα. L.—In lectione, *hic dies*, nostri et Faerni consentiunt codd. Sed numerus postulat, ut pro vulgari *affert*, cum Cicerone, Epist. Fam. xii. 25, legatur *defert*. B.

19. *Ut redeat jam in viam*] *Jam* modo tarditatis est signum; et *in viam* dixit, quasi qui devius sit, et errarit a recta via. *Ut redeat jam in viam*] Proverbiale. *Sive æquum 'st*] Ἐπανόρθωσις. D.

20. *Hoc quid sit?*] Ἔκλειψις: deest enim *quæris*. (Si ita scripsit Donatus, videtur illa, *hoc quid sit?* Simoni tribuisse, æque ac Davo.) D.

DAV. Ita aiunt. SI. Tum si quis magistrum cepit ad ea rem improbum,
Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumqu applicat.
DAV. Non hercle intelligo. SI. Non? hem. DAV. Non Davus sum, non Œdipus.
SI. Nempe ergo aperte vis, quæ restant, me loqui? DAV. San quidem.
SI. Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis
Fallaciæ conari, quo fiant minus;
Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus:
Verberibus cæsum te, Dave, in pistrinum dedam usque a necem,
Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molar
Quid? hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem
DAV. Imo callide:

21. *Ita aiunt*] Hæc credunt et loquuntur universi; et est trepida confessio, (Ms. Hulst. Boend. et Lindenbr. *tepida consensio,*) et quasi inviti responsio; ut in Heautont. *Ita credo:* monente patre filium. *Tum si quis magistrum*] *Μεταφορικῶς*: an quia et pædagogus est magister? ut Geta in Phormione, *Me filiis relinquunt quasi magistrum. Ad eam rem*] Id est, super eam rem; hoc est, super amorem. D. —*Tum si quis, etc.*] *Magistrum* dicit monitorem. • (IMPROBUM) Hanc rem quia oblique dixerat, Davus non intellexerat, itaque plane scire cœpit. E.

22. *Animum ægrotum*] Pro *ægro.* Nam animus æger, corpus ægrotum. D.

23. *Hem*] Interjectio est irascentis. *Davus sum, non Œdipus*] Multiplex contumelia; potest enim senem quasi sphingem dixisse, id est, deformem monstrique similem; potest etiam inhumanum et ferum, ut sphinx. Potest etiam per Œdipum se ultorem promittere futurum, atque oppressorem sapientiæ senis. *Davus sum, non Œdipus*] Facete se negavit Œdipum, ut senem sphinga esse confirmet, non Œdipum. Imitationum duo sunt genera: quandam necessitas, quandam introducit voluntas. *Non Œdipus*] Si Latine pronuncies, genitivus *Œdipi* faciet: si Græce, *Œdipodis.* D.—*Non? hem*] In Ms. R. *τὸ hem* desideratur. L.

24. *Sane quidem*] *Sane*, valide: quia qui sanus, et validus est. *Si sensero*] Comminatio; et fit pronunciatio, (lege *sic pronunciatur. Sic* est in Ms. Hulst.) ut in singulis verbis ardeant minæ. D.

25. *Hodie*] Non ad tempus non plenum, sed ad comminationem refertur; ut Virgilius, Æn. ii. 670. *Nunquam omn hodie moriemur inulti.* Et (in utroq cod. diserte legitur *Sic*) *dies* pro nocte s cipitur: ut hoc ipsum. *Nunquam omn hodie moriemur inulti.* D.—*Si sensero h die quicquam in istis nuptiis*] Deinde cu minis mandat et verberibus. E.

26. *Quo fiant minus*] *Quo minus*, h est, quo impeditius. D.

27. Unus liber habet *ostendere*, cæt cum Faernianis recte legunt *ostendi.* B

28. *Verberibus cæsum te in pistrinu Dave*] Vult in pronomine et nomine e agitare comminatione servum, ne quid r linquat (uterque cod. hic interserit *in tum*) iracundiæ. *Dedam*] *Dare*, est qu repetas: *dedere*, est ad perpetuum. *D mus* et amicis: *dedimus*, tantum hostib D.—*Te cæsum, Dave, in pistrinum deda* Et omnis admonitio est quæ sequitur. —*Verberibus cæsum te in pistrinum*] L sias in Apolog. *περὶ τοῦ Ἐρατόσθ. φθόν* p. 93. *Μαστιγωθείσαν εἰς μύλωνα ἐμ σεῖν.* L.—Nomen *Dave* cum hic totum depressione latitet, numerosior efficit oratio, si post *pistrinum* collocetur. B.

29. *Ea lege atque omine*] *Lege*, ad l mines: *omine*, ad rem divinam referti id (lege *et*) est firmamentum, per huma et divina. *Omen* autem est, quicquid dicitur.. *Ea lege atque omine*] Bene *l* atque *omine*, quia leges auspiciis serva (Ms. Hulst. *servatitiis*, quod et Linde brog. invenit, quem vide) ferebant Ergo sic intellige, quasi dixerit, ea l et conditione. Et antiqui auspicato o nia faciebant, quæ rata esse vellent. I

30. *An nondum etiam*] Quartum *παρ κον*, quia abundat *etiam.* D.

Ita aperte ipsam rem modo locutus, nihil circuitione usus es.
Si. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier.
Dav. Bona verba quæso. Si. Irrides? nihil me fallis. Sed dico tibi,
Ne temere facias: neque tu haud dicas, tibi non prædictum: cave.

ACTUS PRIMI SCENA III.

DAVUS.

Enimvero, Dave, nihil loci 'st segnitiæ neque socordiæ,
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis:

31. *Ipsam rem*] Ipsam rem, id est, voluntatem suam, aut interminationem suam; hoc est, pistrinum et pœnas servilea. *Nihil circuitione*] *Nihil*, pro non. *Circuitione*, periphrasi. *Usus es*] Legitur et *usor es*. D.—*Circuitione usus es*] MS. *Circumitione*. L.—Lege *circum itione* ob fidem nonnullorum codd. qui habent *circumitione*, et inprimis ob usum loquendi apud Plautum et Nostrum, qui semper dicunt circumire. B.

32. *Ubivis facilius*] Admonitio. *Ubivis facilius*] Cicero, *Non est in hac causa peccandi locus ullus*. D.

33. *Bona verba quæso*] Hic in εἰρωνείᾳ est ἐφημισμός: quasi dicat, meliora loquere, rogo te; ergo cum admonitione, Bona verba, inquit, rogo. *Nihil me fallis*] Non te ignoro, non me decipis. Sic Menander: νῦν δὲ οὐδὲν λέληθάς με ὤν. *Nihil me fallis*] Figura est ἀλληγορισμός: a loco οὐδέν με λανθάνοις ὤν. *Fallis*] Lates, ut sit οὐδέν με λέληθας. *Nihil me fallis*] *Nihil*, pro etiam nunc. D.—Recte vett. nostri codd. *irridas* sine interrogatione ponunt. Illud autem *sed dico* cum in re tam gravi nimis sit tepidum, reponendum censeo *edico*, h. e. denuntio. B.

34. *Neque tu haud dicas, tibi non prædictum*] Duæ negativæ faciunt unam affirmativam: tres negativæ pro una negativa accipiuntur: ut hic, *Neque haud non*. Sallustius, *Haud impigre, neque inultus occiditur*. Vera ergo lectio est: *Neque tu haud dicas*; quod plurimi, non intelligentes, *hoc dicas* legunt. *Neque haud tu dicas*] Vera lectio, *Neque haud dicas*; est enim quintum παράλειον. Plautus in Bacchid. (hodie non comparent hæc. Forte exciderunt ex Act. iv. Sc. 9, ubi fit mentio sæpe oppidi jocularis.) *Neque haud subditivæ gloriæ oppidum arbitror*. D.—*Tu haud dicas*] Ms. R. et V. C. *hoc sic dices*. L.—Pro *dicas* recte cod. Vaticanus, et tres meliores e nostris legunt *dices*. Non enim edicit Simo, ne Davus *dicat* sibi non prædictum: ipse Davus jam præmonitus non hoc *dicet*, nec dicere audebit. Cæterum pro lectione Vaticani *hoc* lege *haud*, ita ut *neque haud* accipiatur negative. B.

1. *Enimvero, Dave*] Hic brevis et comica deliberatio est, magna exspectatione populum rerum imminentium commotura, (Ms. Boend. *magna exspectatione plurimarum rerum imminentium commotiva*. Illa autem, *plurimarum rerum*, etiam sunt in ed. Du. B.), metu et cura æstuantis Davi consideratione proposita. *Enimvero, Dave*] Omnis persona aut ab altero commendatur, aut se ipsam populo commendat, aut et ab altero (Ms. Hulst. addit *commendatur*) et a se ipsa; ut hic Davi, et per Simonem supra descripta est, ubi dicit, *Mala mens, malus animus*: et hic per se, dum hoc gestu ac sermone agit ac disputat secum. *Enimvero, Dave*] *Enimvero* significationem habet nimium permoti atque irritati animi. Cicero, Verr. i. 26. *Hic tum alius ex alia parte: Enimvero ferendum hoc non est: vocetur mulier. Segnitiæ*] Ad agendum. *Socordiæ*] Ad considerandum. D.—Hæc scena deliberativæ vim tenet. Nam terretur a domino seniore Davus; deliberat cui obtemperet; an adolescentis animo, an imperio senis satisfaciat. Habet igitur deliberativæ exordium, in qua exhortatio est: *Enimvero, Dave, nihil loci 'st segnitiæ*] *Segnitia* positum est, ut ea quæ inventa sunt, non prætereantur; *socordia* vero, ut ea quæ sunt necessaria, corde inveniantur; quæ ipsa exhortatio a periculis incitatur; illis scilicet, *Quæ si non astu providentur, me aut herum pessumdabunt*. *Herum* autem dixit Pamphilum. E.

2. *Quantum modo*] *Quantum*, pro in quantum. D.

Quæ si non astu providentur, me aut herum pessumdabunt
Nec, quid agam, certum 'st: Pamphilumne adjutem, an au
cultem seni.
Si illum relinquo, ejus vitæ timeo: sin opitulor, hujus mina
Cui verba dare difficile est. Primum jam de amore hoc comperi
Me infensus servat, ne quam faciam nuptiis fallaciam.
Si senserit, perii: aut si lubitum fuerit, causam ceperit:
Quo jure, quaque injuria præcipitem me in pistrinum dabit
Ad hæc mala hoc mihi accidit etiam: hæc Andria,

3. *Quæ si non astu*] Exhortatio a periculo. *Providentur*] Provisio rerum duas significationes habet. *Providemus* enim nobis tam bonum, quam malum. Malum, sicut si quis eminus veniens telum providerit atque sic caverit. Ergo hic *providentur*, caventur, vitantur. Et nuptias velut undam navigio imminentem fecit; quod si quis undam ex adverso venientem prora non exceperit, demersus undis in pessum abit (Lego *pessum abit*, sine *in*;) est ergo metaphora. *Me aut herum*] *Herum* hic, herilem filium. D.—*Herum pessumdabunt*] Glossar. Καταβυθίζω, *Demergo, Pessumdo. Terentius Andria: Me aut herum pessumdabunt.* L.

4, 5. *Pamphilumne adjutem, an auscultem seni*] Semper deliberativa verba habent quendam sonum, per quem exitus rei demonstratur: ut hic ostendit, se Pamphilum magis adjuturum, quam verbis senis obtemperaturum. D.—*Nec quid agam, certum 'st*] Hinc incipit deliberativa, cujus partes sunt duæ: *Pamphilumne adjutem, an auscultem seni.* Deinde partium tractatus: *Si illum relinquo, ejus vitæ timeo*] *Ejus vitæ*, hoc dicit ne periclitetur. Scit enim amorem Pamphili ex alia parte. *Sin opitulor, hujus minas*] Senis videlicet: et adjecit necessitatem. E.

5. *Si illum relinquo*] Partium tractatus, quæ supra sunt, Pamphilumne adjutem, an auscultem seni. *Vitæ ejus timeo*] Ut alibi, *Syre, tibi timui male. Sin opitulor*] Opem ferre dicitur in malis rebus, et iis qui de salute dubii sunt: ut, *Fer opem, serva me, obsecro. Opitulor* et *opitulatio* dicta ab opem tollendo, hoc est, ferendo. *Hujus minas*] Subauditur, *timeo.* D.

6, 7. *Cui verba dare*] *Verba dare*, fallacia est: et illud (Ms. Hulet. *ad illud*) spectat, *Nihil me fallis. Difficile est*] Non dicit, impossibile est. Ergo ostendit partem se sequi, quæ pro Pamphilo est. *Primum jam*] Primo, inquit, jam infensus est senex; deinde a Pamphilo gravida est Glycerium. *Primum jam*] Τὸ πρῶτον: est enim ἀναστροφή, pro jam primum. *De amore hoc*] *Hoc amore*, sic, quasi cum tædio et reprehensione ejus amoris loquatur. *Me infensus*] Scilicet de amore filii, senex me s
vat, et re vera timendus est. *Servat*]
λάττει. D.—*Cui verba dare difficile e*
Hic tractata est qualitas utriusque par
Sed incidit conjectura, an falli senex p
sit. Hinc argumenta colliguntur, qu
non potest: ideo, quia comperit jam
amore, quod infensus me servat, ne fal
ciam ad nuptias faciam. Deinde ad q
litatem; quoniam etsi nihil ipse fece
fraudis ac doli, dominus circa serv
magnam habeat potestatem, ut ex nu
causa inferat pœnas. Apposuit etiam n
jorem difficultatem, quod doceat, sen
falli jam non posse, quod gravida est
Pamphilo ista mulier: quod ita se in
cem diligunt, ut partus tollatur: qu
etiam jam ista fabula fingatur, ut ci
esse doceatur; quibus rebus jam am
ista ad nomen accedit uxoris. Quod
ita est, falli non potest senex. Atqui
deliberativa utriusque partis unum t
tummodo videtur invenisse Davus,
Pamphilo cuncta narraret. Hoc solum
non sine periculo suo facit, si indicav
patris filio voluptatem, ut conveniat Pa
philum, ne de hac re pater imprudent
opprimat. E.

7. *Ne quam faciam*] Hoc ad illud sp
tat, *Tum si quis magistrum cepit ad
rem improbum.* D.—*Faciam nuptiis*]
liber Regius; alii, *in nuptiis.* L.—Lec
faciam IN *nuptiis*, quæ in duobus nos
codd. et editionibus antiquis pleris
reperitur, placet, quod convenit loco 1
25, et tollit ingratum homoeoteleuton,
ciam, fallaciam. B.

8. Ut sensus constet, in verbo *cep*
est finis antecedentis intelligendus.
tur *perii* habet vim interjectionis; et
aut si repone *aut quam.* B.

9. *Quo jure, quaque injuria*] Prove
ale hoc est: qualia sunt, *fas et nefas, n
velis.* D.—Etsi omnes codd. et libri c
sentiunt in lectione vulgari; sensus
men postulat, ut *Quo* mutes in *Qua*,
quaque in *qua me*; et deleas *me* post p
cipitem. B.

10. *Ad hæc*] In ipsa re major est di
cultas, quia gravida est Glycerium. D

Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est.
Audireque eorum est operæ pretium audaciam:
Nam inceptio 'st amentium, haud amantium.
Quicquid peperisset, decreverunt tollere.
Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,
Civem Atticam esse hanc. Fuit olim quidam senex,
Mercator: navem is fregit apud Andrum insulam:
Is obiit mortem: ibi tum hanc ejectam Chrysidis
Patrem recepisse orbam, parvam: fabulæ!
Mihi quidem hercle non fit verisimile; atque ipsis commentum placet.
Sed Mysis ab ea egreditur: at ego hinc me ad forum, ut
Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

11. *Sive ista uxor*] Et hoc cum quodam tædio et indignatione stomachi interrumpit. D.—Ne syllaba in versu abundet, pro primo *Sive* lege *Si*; ut apud Plautum, Curc. i. 1. 4. B.

12. *Operæ pretium audaciam*] Dicitur de mirificis et laudabilibus. Nam et ea quæ magna sunt, etiam si mala, tamen miramur: quia libenter audiamus; et hoc pretium est operæ, id est, audiendi. *Et audaciam*] Proprie dixit: ut in Eunucho, *Audaciam meretricum specta.* D.

13. *Nam inceptio 'st amentium, haud amantium*] Amabant veteres de proximo similia dicere: ut Cicero, Verr. vi. 27. *Missus earum putavit fore de armario, quam quod de sacrario fuisset ablatum.* Et quidem si in verbis sunt, παρόμοιον dicitur: in nominibus, παρονομασία. D.—*Inceptio est amentium*] Jul. Rufin. Rhet. in Paronomasia. L.

14. *Quicquid peperisset*] Majorem reprehensionem sonat, quicquid peperisset. Paritur enim aut masculus, aut femina: et solet justior esse causa tollendi, si marem uxor peperit; sed nimii amoris est, non exspectare quid tollas. *Decreverunt*] *Decernere* est de magnis rebus certam proferre sententiam; unde etiam *Senatus decretum.* D.—*Decreverunt tollere*] Hoc ex ritu antiquo intelligendum, quo infans statim atque in lucem editus, humi deponebatur. Idque voluit Soranus Ephesius cap. 17. *Quare infans, dum tangit terram, vocem dat? eo quod insuetam tangit terram, et tenuis spiritus a luce concutitur.* Eo pertinet Statii illud Sylvar. i. 2. 109. *tellure cadentem Excepi gremioque fovi.* Et Sueton. de Nerone cap. 6. *Natus . . tantum quod exoriente sole, pæne ut radiis prius, quam terra contingeretur.* In quam rem multa ab aliis notata. L.

15. *Et fingunt*] Argumenti partem narrat: et non credit futura (verbum *futura* omisit Ms. Boend.) esse quæ dicit, ut supersit locus errori. Et *fallaciam* et *quandam*, ne verisimilis sit ipsa fallacia totius contemtionis et vilitatis. (Verba obscura et corrupta. Ed. Veneta 1490. *totius contentionis et vilitatis.* Nihilo melius. Veneta altera 1512, *contentionis et utilitatis*, tantundem expedit. Malim: *totius commentæ orationis vilitate.*) D.

16. *Fuit olim*] Modo totius summæ argumentum populo narratur: sed ut restet aliquid ad errorem, abrogatur fides. A διηγηματικῷ ad μιμητικὸν transit. D.—Post *olim* pone *hinc*, h. e. Athenis, ne ictus sit in syllaba posteriore, et ut sensui medearis. B.

18, 19. *Is obiit mortem*] Plene dixit, quod nos *obiit* tantum. Virgil. Æn. x. 641. *Morte obita quales fama est volitare figuras. Recepisse orbam, parvam*] *Parvam* propterea adjecit, ut fiat verisimile, non posse eam facile suos agnoscere. D.

19. *Fabulæ*] Redit ad narrationem. D.

20. *Atque ipsis*] *Atque* pro tamen; ut sit, tamen ipsis commentum placet; quod comminiscuntur, probant. D.—*Atque ipsis commentum*] Quidam libri scripti: *atqui ipsis*, sed editam lectionem retinet Donatus. L.—Tolle illud *hercle*, quod et versum et sententiam onerat. Atque pro *Mihi* repone *Mi*, et pro *atque* usus antecedentis particulæ *quidem* requirit *at.* B.

21. *Sed Mysis*] Παρασκευὴ alterius scenæ. *Mysis*] Semper autem nomina comicorum servorum aut a nationibus sunt indita, ut Mysis, Syrus; aut ex accidentibus, ut Lesbia velut ebriosa, a Lesbo insula, quæ est ferax suavissimi candidissimique vini; aut a moribus et vernilitate, ut Pseudolus; aut ex negotio, ut Chrysa-

ACTUS PRIMI SCENA IV.

MYSIS.

AUDIVI, Archillis, jamdudum; Lesbiam adduci jubes.
Sane pol illa temulenta est mulier et temeraria,
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem:
Tamen eam adducam. Importunitatem spectate aniculæ;
Quia compotrix ejus est. Di, date facultatem, obsecro,
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor quid sie
Opperiar, ut sciam, num quidnam hæc turba tristitiæ affera

lus; aut ex qualitate corporis, ut Thylacus (verba *aut Chylacus*, quæ in Ms. H. adduntur, non sunt ab auctore. Significat ventriosum et vinarium); aut ex specie formæ, ut Pinacium. *Ego hinc*] Nihil adhuc Davus invenit consilii, nisi ut quærat Pamphilum, moneatque. *Ego hinc me ad forum*] Vultuose hoc pronunciatur: ut desit, pergam, aut ducam me. D.

1. *Audivi, Archillis*] Hæc sunt inventionis poeticæ, ut ad *οἰκονομίαν* facetiæ aliquid addant. Nam *οἰκονομία* est, ut arcessatur obstetrix, et conveniatur Pamphilus; facetia scribentis in his verbis est, quod Archillis compotricem potissimum adduci jubet. *Audivi, Archillis*] Frequenter hoc modo Terentius compendium facit, ut egrediens loquatur persona de eo quod est gestura: et simul doceat, quid ab altera gestum sit. *Audivi, Archillis, jamdudum; Lesbiam adduci jubes*] Utrum *jamdudum audivi*, an *jamdudum jubes*, incerta distinctio est. Et sunt qui *jamdudum*, jam primum intelligant: ut, *jamdudum sumite pœnas*. Virg. Æn. ii. 103. D.—Hæc scena mandatum tenet. Mittitur namque ancilla Mysis, ut obstetricem arcessat. Paraturque habitus, ut Pamphilus terrentis patris orationem, qua adigere eum conatur ad nuptias, possit audire. E.—Etsi in omnibus codd. et Faernianis et nostris legitur *Archilis*: tamen ob analogiam Thestylis, Phidylis, Erotylis, hic quoque rescribe *Archylis*. Atque pro præterito sensus postulat *Audio*, ut infra Hec. iii. 2, 1. B.

2. *Sane pol*] *Sane*, multum; alias, pro valide. Namque validus est, qui multum rerum necessariarum habet ad salutem. *Temulenta*] Producit primam syllabam *te*. *Temulenta*] Vinolenta, hoc est, ebriosa, quia *temetum* vinum dicitur; unde *abstemius*, sobrius. Dictum autem *temetum* ab eo quia tentet mentem. (Sic vero tementum erat dicendum. Cæterum Ms. Boend. habet, *quia tenet mentem*.) *Temulenta*, vino: *temeraria*, natura. D.—*Temulenta*] Ebriosa. *Temetum* enim antiqui vin dicebant. *Temulenta et temeraria*] D posuit, unum ad vitium accedens, ali ad naturam. Nam temerarium natu malum est, cui accedit, quod vino sæp obruatur. E.

3. *Nec satis digna, cui committas*] Be in conclusione illa specialiter probavit, cendo non idoneam, cui committatur p mus partus mulieris. Sed mire signa que dixit *committas*. Etenim commit mus magna, et quæ salutem in dubio bent. *Nec satis digna*] Duas res, nec rientem, nec primo partu. Figura *δύο ἑνός*; ut Virgil. Æn. iii. 42. *Non me t Troia Externum tulit*. Et Æn. ix. 4 *Dum domus Æneæ Capitoli immobile sax Accolet*. D.

4. *Tamen eam adducam*] Redit ad ill quod coacta (Ms. Boend. *Reddit ad ill quia vi coacta est*.) *Importunitatem*] I portunitas neque loci, neque temporis bet commoditatem. *Aniculæ*] Archi scilicet. D.—Contextus jubet illud *ad cam* mutari in *adduci?* ut sit repeti antecedentis *Lesbiam adduci jubes*, c indignatione. B.

5. *Quia compotrix*] In vultu remar oratio. Deest enim per figuram ἔλλειψ ideo illam vult arcessiri. D.

6. *In aliis*] Utrum in aliis mulierib an in aliis rebus? D.

7. *Exanimatum*] *Exanimatus*, est pert batus. Virg. Æn. v. 805. *Exanimata quens impingeret agmina muris*. *Exani* mortuus. Idem, Æn. xi. 30. *Corpus exanimum positum Pallantis Acœtes* (hoc versu est in Ms. Boend. ille Virg. A i. 488. *Exanimumque auro corpus vende Achilles*.) *Vereor quid siet*] *Quid*, ob qu propter quid sit exanimatus. Aut alit *quid siet*, id est, quid sit negotii. quidam putant *quid* pro quare: ut, A i. 522. *Quid veniant*. Aut deest, *pote* ut sit, quid esse potest. D.

8. *Num quidnam*] Comicum est et

ACTUS PRIMI SCENA V.

PAMPHILUS. MYSIS.

Hoccine'st humanum factum aut inceptum? hoccine'st officium patris?
My. Quid illud est? Pam. Proh deum atque hominum fidem! quid est, si non hæc contumelia'st?
Uxorem decrerat dare sese mihi hodie: nonne oportuit
Præscisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?

rentianum *Num quidnam*: quum, exemtis *num* et *nam*, sufficere ad interrogationem potuisset *quid*. D.—Pro *nunc, quidnam* Donatus et unus cod. legit *num quidnam*, recte. Deinde cum nondum turbam Mysis vidisset ullam; cætera restitue ita, *hæc turbæ tristitia*. B.

1. *Hoccine'st*] Hic inducitur adolescentis animus circa nuptias: ut ex magnitudine ejus ingens gaudium comparetur in fine fabulæ, cognita Glycerio; et simul id agitur, ut magis magisque per Mysidem Pamphilus excitetur ad resistendum patri nuptias indicenti. *Hoccine est*] Ab iracundia et dolore cœpit. *Iracundia* descendit ex injuria: *dolor* ex miseria. *Hoccine est humanum factum*] Quasi deliberatio est: in qua duæ partes sunt: una patris, altera amicæ, pro suasore Mysis est. Principium ab invectione: in qua primo ut hominem accusat, deinde ut patrem. *Hoccine est*] Hoc est dilatare orationem, ne diceret quod fecit; et est perversa ἀθέτησις, a majoribus descendens ad minora, per amplificationem accusationis. *Factum aut inceptum*] In aliis, *factu aut inceptu*, fuit. *Hoccine est officium*] *Officium* ab efficiendo, ab eo quod quæritur, quid efficere in eo unumquemque conveniat, pro conditione personæ. D.—*Hoccine est humanum factum aut inceptum?*] Hæc scena deliberationem habet, quæ talis est. Adolescens amans, qui promisit se eam ducturum uxorem, a patre cogitur ut alteram ducat: deliberat quid faciat. Hic omnes deliberativæ partes sunt, et ab ipso, qui deliberat, percurruntur. Verum quoniam optima deliberatio est, cui alius persuasor accedit; idcirco Mysis ancilla præsens invenitur, ut ejus aspectu facile in unam partem memoria dominæ ejus, et sui amoris, possit incumbere: quippe cum hic ex una parte pater sit, cujus imperium filius debet implere; ex alia parte amor, qui vinculo sui animum adolescentis astringit. Sæpissime autem exordium ab indignatione incipit. *Hoccine humanum factum aut inceptum?*] Quam indignationem ita divisit, ut accusaret primo homines, deinde patrem. Postea jungit propositionem ipsam injuriæ. E.—Ob lectionem a Donato indicatam, et sensus elegantiam lege, *Hoccine est factu humanum aut inceptu?* B.

2. *Quid est, si non hoc*] Sic dicimus de his, quæ necessario hoc sunt, quod dicimus. *Si non hoc*] *Hoc* cum stomacho dictum, quasi aliquo contradicente, non esse contumeliam. Cicero, Verr. i. 10. *Quid est quæso, Metelle, judicium corrumpere, si hoc non est?* D.—Illud *atque hominum* a codice primariæ notæ abest, nec in codd. aliis certum habet locum. Dele igitur, præsertim cum ita in versu 11, oriatur incrementum. Porro *hoc* habet cod. Collegii Corporis Christi, et Donatus. Recte. B.

3. *Uxorem decrerat*] *Decernere*, est de magnis certam proferre sententiam. *Uxorem decrerat*] Propositio injuriæ. D.—*Uxorem decreverat se mihi dare hodie*] In hoc adolescens collocat injuriam, quod pater sibi nuptias repente mandaverit. Non quod nubere injuria sit, quamquam esse videatur; verum intelligit, si ante mandasset pater, consilium se facile adversum imperium patris invenire potuisse. Ideo adjecit: *Nonne oportuit præscisse me?*] Tangitur et illud, an patrum imperiis obsequi filii debeant. Constat enim circa nuptias esse filiis liberam voluntatem; ideo servata ratione pietatis, communicatum oportuit. Sed cum animadvertit patrem cogere, ut ipse ducat uxorem, credit et Chremetem mutasse sententiam. E.—*Decrerat*, auctore Faerno, habet liber Victorianus; alii fere omnes, et Donatus, *decreverat*; paucissimi iique recentissimi, *decrevit*. Duo tantum ex nostris *decrevit*; alii magno numero *decrerat*. B.

4. *Nonne oportuit præscisse me ante?*] *Oportuit*, scil. ad patrem refert. Nam nec sic consentirem ad nuptias; sed fac me velle, *Nonne oportuit præscisse me ante?*] Dolet autem se spatium non habuisse consilio. Et *ante* abundat, aut certe *præ*, cum sufficiat *scisse*. *Nonne prius consultum oportuit?*] Quam de stomacho repetitum

5 MY. Miseram me! quod verbum audio?
PAM. Quid Chremes? qui denegarat se commissurum mihi
Gnatam suam uxorem: id mutavit, quia me immutatum videt
Itane obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum abstrahat
Quod si fit, pereo funditus.
10 Adeon' hominem esse invenustum aut infelicem quenquam, u
ego sum?

est *oportuit!* Et de more, *præscisse me ante. Præscisse* proprie ad eum refertur, hoc est, Pamphilum. *Communicatum*] Quod neque hujus proprium est, neque illius. *Communicatum*] Quia nuptiarum non omnis potestas in patre est. D.

5. *Quod verbum*] *Verbum* pro ἄξιωμα more suo posuit, id est, uxorem dare quod ait. D.

6. *Quid Chremes?*] Transit a patre nunc, et ad socerum redit: τὸ *quid*, non ad Chremetem dicitur, sed ad illum transeuntis est, et non considerantis quid dicat. *Quid Chremes?*] Irascitur patri, quod cogat Chremetem, quod non neget uxorem. Nove dolet, non odio haberi, non repudiari. *Qui denegarat se commissurum*] Non latuerat Pamphilum, repudiasse (forte interserendum est *se*) Chremetem. Unde et Davus ait, *Qui postequam audierat, non datum iri filio uxorem suo. Commissurum*] Putaverat nuptias, et Chremetem mutare sententiam. (Edd. vett. *Paraverat nuptias.* R. Steph. primus, opinor, edidit *Putaverat, etc.* Forte Donatus scripsit: *Putaverat veras nuptias: sed, etc.*) D.

7. *Id mutavit*] Nove dixit *id*, τὸ *id* enim ad *denegarat. Id mutavit, quoniam me immutatum*] Παρόμοιον. Nam quoties verba sunt, παρόμοιον dicitur; quoties nomina, παρονομασία. D.—*Immutatum videt*] Id est, mutatum. Nam motus species sunt, commutatio et immutatio. Et est illud circa quantitatem, istud circa qualitatem; ut cum quis ex magno parvus fit, commutatus; si quis ex nigro albus, immutatus dicitur. E.—*Quia me immutatum*] Al. *quoniam.* L.—*Quia*, pro vulgari *quoniam*, comprobatur auctoritate codd. Malim *mutavit* accipi absolute, ut supra, i. 1. 13. et *id* mutari in *is*, ut oppositio venustior efficiatur. B.

8. *Itane obstinate*] *Obstinate facere* est aliquid in alterius malum cum conatu facere perseveranter, et in alterius perniciem nimis niti. *Abstrahat?*] Magna vi verbi et proprietate usus est; unde illud est, Æn. ii. 434. *Iphitus et Pelias mecum divellimur inde. Abstrahat?*] Magna indignatione usus est: tanquam Chremes non tam filiæ consultum velit, quam læsum Pamphilum. D.—*Obstinate*] Perseveranter, pertinaciter. *Ut me a Glycerio miserum*] Nominata ea quam diligebat, continuo in calamitatem præsentem dolore gemituque prosiluit; ut Virgil. Æn. iii. 311—*aut si lux alma recessit, Hector ubi est* Et, Æn. iii. 312.—*dixit, lacrymasque effudit.* Ita nominata jam Glycerio, quæ propositio rursus alterius partis effectus est. Cumque duos senes, patrem et socerum, supra ad imperium potestatemque posuisset; hic adversus tantam duorum propositionem, unum amicæ nomen reposuit. Deinde rursus revertitur ad querelas. Intellexit enim se amori non posse obsistere; ideo subjungit: *Adeon' hominem esse invenustum aut infelicem*] Ut iterum sit exclamatio, quod Chremetis affinitatem non possit evitare. Hic jam conjecturalis tractatus interponitur, cur Chremes veluti repudiatus sæpe, non discedat, et cum rursus promittat uxorem E.—Pro *Itane* rescribe Ita. Nam sublata interrogatione, sententia melius procedet. B.

10. *Adeon' hominem*] Alia exclamatio est adversum socerum. Neminem putat esse in genere humano ita infelicem sibi se: quod est commune omnium, qui in aliquo mœrore consistunt. Itaque non sua conditionem humanam dolet: et quod ritur natum (Lege *non natum.* Edd. vet. *irascitur non natum, etc.*) esse quenquam qui possit esse tam miser ut ipse est, ac per hoc se (Ms. Hulst. et edd. Venet. *ac per hoc adeo se esse hominem infelicem. Adeon' hominem*] Amatorie; amore normato exiluit in gemitus: sic Virgil. Æn. iii. 311. *aut si lux alma recessit, Hector ubi est? Invenustum aut infelicem*] *Invenustus* est sine venere, id est, sine gratia, quem omnes respuant, repudientque puchræ, et quem deformes appetant. *Invenustum aut infelicem*] *Invenustus*, cui displicens objicitur: *infelix*, cui placens negatur. *Aut infelicem quenquam, ut ego sum?* Adeo se miserum dicit, quod sibi repudiare non licet; ut propter se doleat humanum genus, in quo sit aliquis 'tam miser. Virgil. Ecl. ix. 17. *Heu! cadit in quem quam tantum scelus? Ut ego sum?*] Ἀνακόλουθον est *ut: quam* enim inferre debui non *ut.* D.

Proh deum atque hominum fidem!
Nullon' ego Chremetis pacto affinitatem effugere potero?
Quot modis contemtus, spretus? facta, transacta omnia: hem!
Repudiatus repetor: quamobrem? nisi si id est, quod suspicor:
Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me. MY. Oratio hæc me miseram exanimavit metu.
PAM. Nam quid ego nunc dicam de patre? ah
Tantamne rem tam negligenter agere? præteriens modo
Mihi apud forum, Uxor tibi ducenda est, Pamphile, hodie, inquit, para:

11. *Proh deum*] Quam ferveat indignatione, hinc aspice, quod frequenter exclamat. *Proh deum*] Alia exclamatio est adversus socerum. D.—Hic versus non post octavum est collocandus ob codd. novitios; antiqui sunt audiendi. B.

12. *Effugere*] In totum fugere. D.

13. *Quot modis contemtus, spretus?*] Si Chremes spretus, intelligemus Pamphilum dicere, quod operam dederit, ut se repudiaret Chremes: ut supra dixit, *Mutavit, quia me immutatum videt. Quot modis contemtus*] Chremes an Pamphilus? *Facta, transacta omnia*] Proverbiale est in id negotii, de quo nihil supersit ad agendum. *Facta* autem a Pamphilo: *transacta* etiam a Chremete. D.—*Quot modis contemtus, spretus?*] Melius de Pamphilo intelligimus, *contemtus* et *spretus*. Denique ipse adjungit; *Hem! repudiatus repetor*. Deinde continuo conjecturæ (addit) rationem, *Aliquid monstri alunt*] Hoc est, fortasse aliquid monstri inauditi nutriunt: quæ res rapit auditorem ad diversa. *Obtrudi*] Impingi, opponi. E.

14. *Repudiatus repetor*] Quasi et hæc injuria sit, repudiare et repetere. Et tale est in Eunucho, *Exclusit, revocat. Nisi si id est*] Conjecturale argumentum. D.

15. *Aliquid monstri alunt: ea*] Duplex contumelia, et *monstri et aliquid*. Minus enim esset, *aliquod monstrum*. Sic, *Quid hominis uxorem habes?* Et mutavit genus, dicendo *ea*; quoniam femina est. Sic in Eunucho, *Taces, monstrum hominis? non dicturus es? Aliquid monstri alunt: ea*] Dum *monstrum* dixerat, *ea* subjunxit, tanquam non verbis, sed sententiæ serviens. *Nemini obtrudi*] Mire obtrudi, quasi invito; et totum cum iracundia. *Obtrudi*, infringi, impingi. D.

16. *Itur ad me*] Dotem amator non cogitat: et ad vilitatem trahit, quod ultro venit, et quod se repetit Chremes. *Itur ad me*] Quasi ad hostem. Plautus Pseudolo, i. 6. 38. *Itur ad me*. Et Virg. Æn. ix. 423.—*simul ense relicto Ibat in Euryalum propere. Oratio hæc*] Etiam pauca verba veteres *orationem* dicebant. D.

17. *Nam quid ego*] Quasi dicat, Quid ego de patre dicam, qui alienum accusaverim Chremetem? *Nam quid ego*] Redit ad patrem, in quo nove hoc accusat, negligenter eum agere, quod nolit fieri. (Ms. Boend. et ed. Du B. *Quod voluit fieri.*) D.—*Nam quid ego dicam de patre?*] Rursus est officium de senibus mutuatus. Nam cum primo de patre, mox de socero dixisset, interposito Glycerii nomine, redit ad Chremetem; hinc de patre suggerit. Queritur autem de socero per conjecturam, quod filiam suam sæpe polliceri cupiat repudiatam: de patre autem, quod segniter et negligenter de filii nuptiis cogitare videatur. Ita quod de patre supra generaliter dixerat, *Nonne oportuit rescisse me ante*, nunc per speciem proponit. E.—Deleatur *nunc*, cum codd. fide, tum metri causa. Nam *quid* sub ictu stare debet. B.

18. *Tantamne rem*] Summam voti ac nuptiarum. *Præteriens modo*] Hic ostendit specialiter quid peccaverit. *Pater* (vett. edd. *pater* recte referunt ad Donati verba antecedentia) *præteriens modo mihi apud forum*] Undique conflatur accusatio: ex facto, quod præteriens: ex tempore, quod modo: ex loco, quia in foro: ex modo et ex verbis, Uxor tibi ducenda est. D.—*Præteriens modo mihi apud forum; Uxor tibi ducenda est, Pamphile. Quid facerem*] Modo autem tempus respirandi non habet • tunc (forte, habens tum) patris imperio et præsentia territus respondere non potuit. E.—*Præteriens modo*] Priscian. lib. xv. L.—Omitte *ne*, post tantam, cum cod. regio, ut versus gravius sonet. B.

19. *Ducenda*] Mire *ducenda*. Semper hoc genus declinationis necessitatem ostendit; ut Virgil. Æn. xi. 230. *Aut pacem Trojano ab rege petendam*. Sallust. *Agendum, atque obviam eundum est*. D.

Abi domum. Id mihi visus 'st dicere, abi cito, et suspende te
Obstipui: censen' me verbum potuisse ullum proloqui?
Aut ullam causam, ineptam saltem, falsam, iniquam? obmutu
Quod si ego rescissem id prius; quid facerem, si quis nun
me roget?
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem: sed nunc quid primu
exequar?
Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorse trahunt
Amor, misericordia hujus, nuptiarum sollicitatio:
Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usqu
adhuc,
Quæ meo cunque animo lubitum'st, facere: ein' ego ut ad
vorser? hei mihi!

20. *Abi cito, et suspende te*] Ad *hodie, cito* retulit; ad *Uxor tibi ducenda est, suspende te.* D.

21. *Obstipui*] Al. *obstupui.* L.—*Obstipui* habent, auctore Faerno, Vaticanus, Decurtatus, alibi Bembinus, et apud Virgilium antiquissimus liber Romanus. B.

22. *Ineptam saltem, falsam*] Duo comparantur in defensionem, aut vera, aut ad tempus accommodata. *Ineptum* est, quod a quovis reprehendi potest: *falsum*, quod etiam prudentem possit fallere. D.—Rotundiores fluunt numeri, fide cod. Petrensis, ubi *aut* annectis antecedenti versui, et *saltem* ponis ante *ineptam.* B.

23. *Quod si ego rescissem*] Si mecum communicasset prius. *Quid facerem?*] Ipse se reprehendit. *Quid facerem?*] Ὑποφορά. D.—*Quid facerem si aliquis me interroget?*] Huic responsio datur: *Aliquid facerem ut hoc ne facerem.* E.—Sic edidit Faernus, consentientibus codd. vetustis. At ne Arses et Theses se inconcinne habeant, repone, *Quod si ego scissem id prius, quid facerem, si quis nunc me interroget?* B.

24. *Ut ne hoc facerem*] Tacerem; et nota, *facerem*, pro tacerem. *Sed nunc*] Deliberatio, et partes ejus. D.—*Sed quid nunc primum exequar?*] Hic est propositio ipsius deliberativæ per duas sc. partes, an imperio obtemperet patris, an amori potius serviat. E.

25. *Tot me impediunt curæ*] Ab amoris parte hæc sunt argumenta: primum necessitas. Amor, inquit, deinde humanitas: misericordia a parte patris, an imperio patris obtemperet. E.

26, 27. *Amor, misericordia*] Hæc oratoria sunt, cum unum negotium in multas distrahimus partes. *Diverse trahunt*] Pro, in diversa trahunt. *Amor*] A necessario. *Misericordia*] Ἀπὸ τοῦ αἰσίου. (Ms. Lindenbr. ἀπὸ τοῦ ὁσίου. In Ms. Hulst. desideratur.) *Misericordia hujus*] Ἀμφιβολία. *Nuptiarum sollicitatio*] A perturbation Quibus colligit consulere se non poss *Sollicitudo* est, quæ inhæret mentibu *Sollicitatio*, quæ ab alio fit. D.—*Nupti rum*, inquit, *sollicitatio, tum patris pudo* Hoc est, quod erubesco ex patre; et a jecit non leves causas: primum quod p ter, deinde quod bonus pater, obtemp rare utique deberet. Bonum autem s confirmat. *Qui me tam leni passus e animo usque adhuc, quæ meo cunque anim lubitum est facere*] Hac parte inclinata sententiam declaravit: unde rursus or tio concluditur ob querelas. E.

27. *Tum patris pudor*] Ἀμφιβολία. *Q me tam*] Explanatio, in quo pudendum sibi apud patrem. Et ad illud spect *Tute his rebus finem præscripsisti pate Qui me tam leni passus est animo*] Atq accusabat eum. Sed amator est. *Ei ego*] Pronomen hoc vim qualitatis hab et est, An tali, tam bono? D.—*Leni pa sus est*] V. C. *liberali.* L.—Ne totum i lud *animo* in Thesi, plane contra arte lateat; transfer *est* post *animo.* B.

28. *Egone ut advorser*] Videtur incl nasse, ut secundum patris animum co sistat (uterque cod. *consisteret*): sed more ad incerta iterum devolvitur. D.- *Eine ergo adverser miser*] Sed non ja electio consilii est, ut hoc facere velle deatur, verum obsistente amore rursus incertam sententiam devolutus est. *certum est*, inquit, *quid agam*] Optimo lo Mysis sese interponit, ut in parte aliq adolescens vel præsentia Mysidis, commemoratione Glycerii possit inver Denique intercedit, et, ut utiliter tris eum interrogaret, exponit Glycerium gram esse, duabus de causis; ex dolo et sollicitudine. Hic dolor a partu po tur: hoc enim dixit, laborat ex dolo Maxima enim adolescenti efficitur conc tatio, si se propter amorem intelligat pa

Incertum'st, quid agam. My. Misera timeo, hoc incertum quorsum accidat.
Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa advorsum hunc loqui.
Dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc impellitur.
Pam. Quis hic loquitur? Mysis? salve. My. O salve, Pamphile. Pam. Quid agit? My. Rogas?
Laborat e dolore, atque ex hoc misera sollicita'st, diem
Quia olim in hunc sunt constitutæ nuptiæ: tum autem hoc timet,
Ne deseras se. Pam. Hem, egone istuc conari queam? [met,
Ego propter me illam decipi miseram sinam?

Deinde adjecit sollicitudinem, cujus causam ponit, quod olim constitutæ sunt nuptiæ, et vereatur, ne illam deserat Pamphilus. His rebus perfecta persuasio est, ut amori adolescens potius debeat obtemperare. Denique concitatus jam unam elegit partem et proponit: *Egone istuc conari queam?*] Hic rationes narrat, quibus non sit verisimile, quod amicam sit deserturus. Primum, ne illa misera decipiatur, quæ omnem vitam ei credidit, quam ille dilexerit, et pro uxore semper habuerit; hoc ab utili est. Sequitur ab honesto; quoniam pudice ejus doctum et eductum ingenium non debet necessitate immutari. Huic rei quæstio opponitur, an hoc facere possit adolescens, cum in patris sit positus potestate. E.

29. *Quorsum accidat*] Ad quam rem, quo versus. D.—Omnes mei et Faerni codd. habent *incertum hoc*; recte. Deinde *quorsum* muta in *quorsus*, metri gratia. B.

30. *Sed nunc peropus est*] Calliditati femineæ et astutiæ sententia hæc congruit. *Cum ipsa*] *Ipsa*, nunc domina mea. *Advorsum hunc*] Apud hunc: ut alibi, *Et id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam.* D.—*Lege peropu'st.* Nostri codd. omnes hoc ordine, *aut aliquid de illa me.* Tolle *aliquid*, quod et incertæ est sedis, et repugnat sensui. B.

31. *Dum in dubio est animus*] Translatio hæc est a mole alicujus ponderis, quæ ante quam in loco sederit, cum incerta pendet, facillime commovetur. D. —*Dum in dubio est*] V. C. *Cum in dubio.* L.

32. *Quis hic loquitur?*] Hoc secum. Deinde conversus, ut vidit, *Mysis, salve. Salve*] Difficile est aliud invenire verbum, quod sic declinetur, *Salve* et *salvete*; quippe hujus verbi per modos est rara declinatio. *Quis hic loquitur?*] Principium Terentianum in jungendis personis. *O salve*] O, interjectio optantis adventum, aut repente perculsi. *Quid agit?*] Amatorie, et familiariter non addit quæ. Virgilius, Æn. iv. 479. *Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem. Rogas?*] Lenta quædam et tristis est responsio, et dolore plena. D.

33. *Laborat e dolore*] Duplicem laborem Glycerii esse dicit, unum partitudinis, alterum curæ et sollicitudinis nuptiarum Pamphili. *Laborat e dolore*] Callide aggreditur juvenem; nam utraque (Ms. H. et Lindenbr. *utrumque*) propter illum perpetitur, et dolorem et sollicitudinem. *Atque ex hoc*] Mysis, quæ contra patrem suasura est, incertum inveniens Pamphilum, facile ad se convertit mentione dominæ suæ: et maxime quod addidit, cur illam ægram esse dicat. Quare statim perfectum est, quod volebat, ut dicat Pamphilus, *Egone istuc conari queam?* D.—*Ex hoc misera sollicita est die*, legit Westerhov. Z.

34. *Constitutæ*] Nec addit a patre: sed invidiose, quasi a Pamphilo sint constitutæ. An timet in negotio? *In hunc diem*] Idem enim dies est, quo placuerant destinatæ nuptiæ, quamvis Chremes renunciaverat; et supra, *Hic nuptiis dictus est dies. Tum autem*] *Tum*, præterea. *Sollicita est*] *Sollicitudo* rerum incertarum magis est. *Quod in hunc diem sunt constitutæ nuptiæ*] Hic certior metus est, et gravior. D.

35. *Egone istuc conari*] Ideo sic Pamphilus, quia illa invidiose non, Deserere cogaris, dixit; sed, deseras. *Egone istuc conari*] Non perficere, sed conari velle aliquid ad scelus, effectio est, etiam si non potest fieri. Hic enim voluntas, non factum damnatur; ut Virgilius, Æn. vi. 624. *Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti. Egone conari*] Levius est conari, quam facere. D.

36. *Egone propter me*] Magna vis est in pronominibus; et diversa sunt, et singula, et non præcipitantur, nec dicuntur

Quæ mihi suum animum, atque omnem vitam credidit?
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim,
Bene et pudice ejus doctum atque eductum, sinam,
Coactum egestate ingenium immutarier?
Non faciam. My. Haud vereor, si in te solo sit situm:
Sed vim ut queas ferre. Pam. Adeon' me ignavum putas?
Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum?
Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?
My. Unum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses su

uno spiritu: sicut in Eunucho, *Egone illam, quæ me, quæ illum? Quæ illum*, deest, amat: *quæ me*, deest, non amat. *Egone*] Suadenter; subauditur, *ut fieri sinam*. D. —*Ego propter me*] Ms. *Egone propter*. L. —Omnes nostri codd. *Egon' propter*. Recte; ut versu præcedente *egone*. B.

37. *Quæ mihi suum animum*] Ab ejus beneficiis. *Suum animum*] Quantum ad amorem pertinet. *Atque omnem vitam*] Hoc est, ut maritum speraret. *Quæ mihi suum animum, atque omnem vitam credidit*] Argumenta a consequenti. Si eam deserit, hæc subjiciuntur. D.

38. *Quam ego animo egregie caram*] *Egregie*, præter cæteras, id est, nimis. *Bene et pudice*] Hic illud solvitur, *lana et tela victum quæritans*: ut hoc præstruat, bene et pudice Glycerium esse educatam, *Lana et tela victum quæritans*. Et non pertinet ad argumentum, nisi post vitam Glycerii intelligas. D.

39. *Bene et pudice*] Ab honesto. *Bene et pudice ejus doctum*] Hanc sententiam quasi de exemplo probat. Nam bene educata est a Chryside, quæ primo pudice vitam parce et duriter agebat. D.

40. *Coactum egestate*] Propterea quod Chrysis, inopia et cognatorum negligentia coacta. *Coactum egestate*] Non paupertate, sed egestate; cui contrarium, *Inopia, et cognatorum negligentia*. D.

41. *Haud vereor*] Acuit animum adolescentis contra patrem, cujus etiam nomen grave est. D.—*Haud vereor*, inquit, *si in te solo sit situm*] Adversus istam propositionem argumentum rursus supponitur, an fieri possit, quod conjecturale est, quod tali animo Pamphilus sit, ut neque inhumanus, neque ferus sit, nec amet, neque sine pudore sit. Quibus rebus per se nota omnia argumenta sunt, ut facile possit nosci adolescentem, et contra imperium patris, in amore fidem posse servare. Suggerit illa, quo magis adolescentem incendat, meritam esse Glycerium, ut ejus Pamphilus memoriam contineret. E.—*Haud vereor*] Ms. R. *Haud verear*. L.—Plerique ex nostris *verear*, et duo, *in te sit solo*, quam lectionem et ordinem præfero. B.

42. *Sed vim ut queas*] Hic, *vereor* suauditur; *ut*, pro *ne non* posuit: ut si Sed vereor ne non queas vim patris ferre Et, ne non possis, non damnatio est, verum adolescentis provocatio in contemtum patris. *Adeon' me ignavum*] A verisimili *Ignavum*] Quod adversum necessitate proferendum fuit, id primum dixit, adesse sibi virtutem. Quæ sequuntur, ad fidem pertinent. Ita pro tempore contemtus patris pro fortitudine habet. *Ignavum Ignavus* est, qui vim non potest ferre, qui non est perseverans. D.—Numeri gratia repone, *Sed ut vim queas ferre. Adeon me ignavom putas?* B.

43. *Adeon' porro ingratum*] *Porro*, conjunctio est expletiva, alias adverbium temporis. *Ignavum et ingratum*] Αἴξησις est; inhumanum aut ferum post subjecit dixit. *Adeon' porro ingratum, aut inhumanum*] Mira omnis conversio. Non enim dixit, Adeon' me obsequentem patri existimas, adeo gratum, adeo pium, adeo mansuetum? Ita amatoris per omnia servi conditiones, ut oratorie hoc cogatur scelus esse, si pareret nunc patri. D.—Lege *Adeone porro ingratum, inhumanum, ferum* ne accentus in repetito *Adeon'* varietur et Asyndetorum celeritas a rei natura postulatur. B.

44. *Ut neque me consuetudo*] Non ordinem reddit; ferum enim reddit ad *consuetum*, quod etiam feræ mansuescunt. *Neque amor*] Ad illud, *inhumanum*. Amor namque vehementior est in homine Virgilius, Georg. iii. 258. *Quid invectum magnum cui versat in ossibus ignem Durus amor? Pudor*] Ad *ingratum* retulit. *neque me consuetudo, neque amor*] Ἀνάδασις ad superiora. *Consuetudo*, adversus fortitudinem. *Amor*, adversus inhumanitatem. *Pudor*, adversus ingratum animum. D.

45. *Commoveat neque commoneat*] Αἴξησις est ad majora. *Ut servem fidem*] Exquisite: non dixit, ut contemnam patrem.

46. *Unum hoc scio*] In eodem hæret excitet juvenem: neque audire se fi

PAM. Memor essem? o Mysis, Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio. Jam ferme moriens me vocat:
Accessi: vos semotæ; nos soli: incipit,
Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides;
Nec clam te est, quam illi nunc utræque inutiles,
Et ad pudicitiam, et ad rem tutandam sient.

quod dicit. *Unum hoc scio*] Vide quam callida sint, quæ a Mysde subjiciuntur, ad irritandam promissionem Pamphili. *Unum hoc scio*] Subjicit illa quæ ardentem incendant magis. Nam dixit ille omnia, quibus cogitur servare fidem: sed de merito ejus aut nihil dixit, aut parum. *Unum hoc scio*] Quasi hoc dicat, Quid tu facturus sis equidem nescio, sed unum scio, *Ut memor esses sui*] Invidiose, quasi oblito: adeo commovetur hoc dicto Pamphilus. *Ut memor esses sui*] Bene præterito: quoniam quæ præterita sunt, in recordatione magis lacrymabilia (Ms. Hulst. addit *et miserabilia*) sunt; ut Virgilius, Æn. ii. 673.—*Cui parvus Iulus, Cui pater, et conjux quondam tua dicta relinquor?* Idem alibi, Æn. ix. 300. *Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.* D.—*Unum hoc scio, meritam esse ut memor esses sui*] Adjecit rursus adolescens suæ memoriæ: siquidem dicit, in animo se hæc Chrysidis morientis et commemorantis Glycerium scripta verba pertinere. In qua re allocutionis sunt præcepta et potestates: hoc est, quibus verbis potuit, ut Chrysis moriens ei commendaret Glycerium. Sed quoniam hoc profecit ad affectum, ut exinde profiteatur adolescens, se Glycerium non deserturum, singula excutienda sunt. Nam primum, quo tempore locuta sit, non sine affectu est. *Moriens me*, inquit: quæ res habet maximam pietatem, cum postrema vox est: quod soli sumus, et quod semotis omnibus: plus enim fidei meæ dedit, quando testem adhibere neglexit. Deinde sequitur ipsa oratio, quæ magnum affectum tenet. E.—*Hanc meritam*] In regio cod. τὸ *hanc* desideratur. L.—*Hæc* abest a melioribus codd. nec ancillæ de domina loquenti convenit. Deinde *esse* pone ante *meritam*, qui ordo est in Donati Msto. Oxoniensi, ut meritam clare possit audiri. B.

47. *O Mysis, Mysis*] Primum vocandi, alterum increpandi est. D.

48. *Etiam nunc scripta*] Id argumentum est, quam vivæ memor sit, qui etiam mortuæ verborum meminerit Chrysidis de Glycerio. D. — Ut ambiguitas genitivi tollatur, *dicta* pone post *animo*. B.

49. 50. *Jam ferme*] *Ferme* adverbium est festinantis. *Moriens me vocat*] Ex tempore probavit locutam vera esse, non ficta et simulata. Nam qui sani sunt, ipsi (adde, *sibi spe*, Z.) longioris vitæ adulantur. Virg. Æn. x. 782. *Et dulces moriens reminiscitur Argos. Jam ferme moriens*] Affectus a tempore, quod postrema vox erat. *Accessi: vos semotæ; nos soli*] Figuræ propriæ Terentianæ, (lege *Terentio*,) ἀσύνδετον καὶ ἔλλειψις. *Vos semotæ*, deest *estis*: *nos soli*, deest *remansimus*; ut est illud, *Egone illam, quæ illum, quæ me? Vos semotæ; nos soli*] Habuit fidem, quod soli fuimus, quod nemo testis: an timuit, ne hoc pater ante firmatum amorem cognosceret? *Incipit*] Deest *dicere*. Præparatio, et quasi vestibulum orationis est. *Inceptio* dicitur orationis, quæ longa taciturnitate, meditate graviterque profertur; ut Virg. Æn. x. 100. *Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas, Infit.* D.

51. *Mi Pamphile*] Μίμησις per προσωποποιΐαν: et principium a blandimento. *Mi Pamphile*] Vide redditam voci morientis densis intervallis interruptam orationem, utpote lasso anhelitu interveniente. *Hujus formam atque ætatem*] Amat compendium lassitudo. *Formam* enim dicendo pulchritudinem significat: *ætatem*, quod parva. *Hujus formam atque ætatem*] Duplex causa commendationis, *forma* et *ætas*: ut supra, *Forte unam aspicio adolescentulam, Forma, etc.* D.—*Nam, mi Pamphile, inquit*] Primo quod familiariter allocuta est, dicendo *mi*; deinde ipsa commendatio, quæ duas ad misericordiam continet causas, formam atque ætatem: quam rem et Simo laudaverit dicendo supra, *Ibi aspicio unam adolescentulam, forma, etc.* Ex his enim rebus omnis causa pietatis est, et spes ad amorem. E.

52. *Utræque inutiles*] Legitur et *utiles*. *Et ad pudicitiam*] Propter formam dixit. *Et ad rem tutandam*] Propter ætatem; ἀνάθεσις. D.—*Illi nunc utræque inutiles*] Sic ex Ms. R. editum, quod Priscianus in parte agnoscit, apud quem legimus lib. xiv. *Quam illi nunc utræque res inutiles.* L.—Codex Regius hoc ordine ponit, *Nec clam te est, quam illi utræque res nunc inutiles.* Repone *utiles*, et versus est salvus: cf. infra iv. 5. 16. B.—*Res nunc utiles.* W.

53. *Ad pudicitiam, et ad rem tutandam*] Ad pudicitiam, forma; ad rem tutandam, ætas. Sed melius utrumque ad pudicitiam.

Quod ego te per hanc dextram oro, et ingenium tuum,
Per tuam fidem, perque hujus solitudinem
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras:
Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive te hæc solum semper fecit maximi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.

Nam neque forma, neque ætas pudicitiam poterit custodire: ad rem tutandam sola ætas sufficit. E.—Recte *rem* ante *tutandam* locum obtinet. B.

54. Quod te per] *Quod*, propter quod; ut, Æn. ii. 141. *Quod te per superos.* Et est ordo, propter quod te oro. *Per hanc dextram*] Tenet eum, ut apparet. *Per hanc dextram*] Fidei et fœderis membrum. Ad manum fit conventio. *Et ingenium*] Legitur et *genium*. D.—*Quod ego te*] Omnis allocutio has divisiones habet, quid velit et quid metuat: ita quod metuat supra positum est, *et ætate, et forma;* nunc quid velit. *Quod ego, inquit, nunc te per hanc dexteram oro.* Ipsum quod velit jungit cum precibus. Impetrabile enim fit, si quod volumus, in allocutione cum precibus collocemus. Ut, Virg. Æn. iv. 314. *Per has te lacrymas egomet dextramque tuam te; Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam Dulce meum*—Non potuit enim per partes impetrabile facere, quod rogabat. Hic autem vide, quod in jurejurando collocat primo dexteram, quam tenebat; quæ semper fidei testis est. Nam inde etiam Tullius, *Per dexteram tuam te oro, non tam in præliis et in bellis, quam in pace et fide firmiorem.* Et ingenium simul adjecit et fidem: tum etiam ut pietatem captet, solitudinem mulieris, et ipsum postremo desiderium. E.—*Et ingenium tuum*] Al. *et genium tuum.* L.—Lege, *Quod te ego per dextram hanc oro, et per genium tuum.* Duo codd. Palatini habent *Genium*, quod et sententia ipsa flagitat. Deinde *per* repetendum est ante Genium, ut æqualitas constet. B.

55. Per hujus solitudinem] Legitur et *sollicitudinem.* D.

56. Obtestor] *Obtestato* dicitur, quando eum adjuramus, quem rogamus. *Oramus* per eas res, propter quas rogamus. Virg. Æn. x. 45.—*per eversæ, genitor, fumantia Troiæ Excidia obtestor. Ne abs te hanc segreges, neu deseras*] Ad fidem, *ne segreges*, retulit; *ad solitudinem*, ne deseras: hoc est, ne aliam ducas, aut amare desinas, etiamsi aliam ducas. *Ne abs te hanc segreges*] Quasi ipsam manu tenens. *Hanc*, propter formam et ætatem. *Segreges*] Hoc verbum simplex fieri non potest. *Neu deseras*] Postremo. *Te obtestor*] Sextum παρέλκον: dixit enim jam, *Quod ego te per hanc dextram oro.* D.—*Ne abs te eam segreges, neu deseras.* Sunt autem duo, *ne abs te segreges*, ne non eam ducas uxorem: *neu deseras*, neve non periclitantem defendas. Scit enim esse peregrinam secundum suspicionem suam. Adjungit meritum suum dicendo, *Si te in germani fratris dilexi locum*] Quomodo Virg. Æn. iv. 317. *Si bene quid de te merui.* Jungit autem meritum puellæ: *Sive hæc te solum semper fecit maximi, seu tibi morigera fuit in rebus omnibus*] *Tibi fuit morigera*, id est tuis moribus inserviens. Et in meritum puellæ maximam vim declaravit, quod solum semper fecit maximi. Accepit a me beneficium, quod servata sit, quod vivat et tamen te solum maximi fecit. Potest etiam dici, quod solum amaverit in domo meretricis. Allocutionem efficaciter concludit per mandatum et monitum. *Te illi virum do*] Quod supra dictum, *abs te segreges. Amicum, tutorem, patrem*] Hæc supra dictum, *neu deseras.* Adjungit ab utili; *bona nostra hæc tibi committo.* Post hæc, quo major vis ad memoriam possit accrescere, ut mandatorum verba animo fixa remanerent, illud adjecit, *Hanc mihi in manum dat, mors continuo eam occupat*] *Continuo* inquit, tanquam usque mandati creditam sententiam vita suffecerit. Concludit deliberationis suæ partem per electionem: *Accepi*, inquit, *accepto servabo*] Consentit continuo et Mysis, ipse curam illius habendo, cum dixisset *perge ad obstetricem*, monetque ne aliquid dicat dominæ de nuptiis; quod pulchrum est collocatum. Nam nonnihil ex hac fidem dat amoris, cui et miseretur. urbane, ne ei quam diligit ex aliquo nuncio ægritudo cumuletur, hoc posuit: *Atqui audin'? verbum unum cave de nuptiis: ad morbum hoc etiam.* E.

57. Si te in germani] Sic tunc dicimus quando præstitimus aliquid, et tamen non lumus exprobare; ut Virg. Æn. ix. 44 *Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacaris Dona tulit.*—Et alibi, Æn. iv. 317. *bene quid de te merui.—In germani fratris* Non fratris solum, sed etiam germani. D.

58. Sive hæc te solum] Si aut te mi prætulit, aut nullum alium noverit amatorem in domo meretricis. D.—*Sive hæc te* lege ex codd. nonnullis. *Te* enim, cum in ictu non sit, non potest non elidi. I

59. Morigera] Hoc quasi amanti ut

Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.
Bona nostra hæc tibi permitto, et tuæ mando fidei.
Hanc mihi in manum dat: mors continuo ipsam occupat.
Accepi: acceptam servabo. MY. Ita spero quidem.
PAM. Sed cur tu abis ab illa? MY. Obstetricem arcesso. PAM.
Atque audin'? verbum unum cave de nuptiis, [Propera.
Ne ad morbum hoc etiam. MY. Teneo.

ACTUS SECUNDI SCENA PRIMA.

CHARINUS. BYRRHIA. PAMPHILUS.

QUID ais, Byrrhia? daturne illa Pamphilo hodie nuptum?
BY. Sic est.

fuit. Virg. Æn. iv. 317. *fuit aut tibi quicquam Dulce meum.* D.

60. *Te isti virum do*] Hæc, ut diximus, et singula sunt, et non præcipitantur, nec dicuntur uno spiritu. *Te isti virum do*] Apparet quod junctis dextris hæc dicebat; ideo et, *Per hanc dextram te oro. Amicum*] Potest enim et maritus esse, et non amicus. Sed affectu mariti retulit amicum. *Virum*] Ne segreges. *Amicum*] Ne deseras. *Tutorem*] Quasi orbæ. *Patrem*] Quasi parvæ. *Patrem*] Ad illud quod ait, *Et ad pudicitiam.* D.

61. *Bona nostra tibi hæc permitto, et tuæ mando fidei*] Conclusio per mandatum et obtestationem efficax satis. *Bona nostra*] Hæc verba quasi supellectilem suam ostendentis sunt. *Bona nostra*] Hoc est, Ad rem tutandam; (lege: ad hoc, *et* ad rem tutandam.) D.—*Tibi permitto*] Al. *committo.* L.

62. *Hanc mihi in manum dat*] Confirmatæ sunt legitime nuptiæ per in manum conventionem. Et mire *hanc*: non, *hujus manum. Mors continuo ipsam occupat*] Quo magis memorem esse oportet eorum, post quæ illa nihil locuta est. D.

63. *Accepi*] Proprie, quasi uxorem. *Acceptam servabo*] Conclusit partem deliberationis suæ per electionem. D.

64. *Sed cur tu*] Corripit, quod abeat ab illa. *Cur*, non interrogantis, sed corripientis est et increpantis, quod Glycerium deserat. *Obstetricem*] Quæ opem tulerit parienti, *obstetrix* dicitur: unde et parturientes, *Fer opem*, clamant. *Propera, atque audin'?*] Et interrogatio quo eat, et revocatio, ad argumentum magni amoris accedit. D.—*Sed cur tu ab illa?* Sic edidit Sandby. Z.

65. *Verbum unum cave de nuptiis*] Deest *dicas*: figura ἔλλειψις. *De nuptiis*] Non quod hodie futuras nescierit Glycerium, sed quod illas hodie indixerit pater filio: cum supra et Pamphilo et Glycerio disturbatæ viderentur, quia sunt constitutæ in hunc diem. *Cave*] Annotant quidam *cave* hic corripiendum esse. D.—Verba *Atque audin'?* debent versum antecedentem claudere. B.

66. *Ne ad morbum hoc etiam*] Iterum ἔλλειψις, deest enim, *accedat.* D.

1. In hoc colloquio altera pars ostenditur fabulæ. Siquidem Andria ex duorum adolescentium pavoribus (Mss. Hulst. et Dan. et Boend. *periculis*) gaudiisque componitur, cum fere solam Hecyram Terentius ex unius comœdia adolescentis effecerit. Has personas Terentius addidit fabulæ. Nam non sunt apud Menandrum, ne τραγικώτερον (nec hoc, nec illud ἀνοθέατον: quod e Ms. laudat Lindenbrog. agnoscit Ms. Hulst.) fieret, Philumenam spretam relinquere sine sponso, Pamphilo aliam ducente. *Quid ais, Byrrhia? daturne illa*] Ex verbis Charini apparet Byrrhiam nunciasse nuptias futuras cum Pamphilo: nec adducitur tamen, ut statim credat, et accommodet animum. Sæpius ergo repetit interrogando. Et bene *illa*, velut amatorie de certa loqueretur persona. Sic Virgilius, Æn. iv. 421.—*solam nam perfidus ille Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus.* Ergo non Æneas, sed ille. Et item hic, non *Philumena*, sed *illa* dixit. *Quid ais, Byrrhia?*] Miratur magis, quam interrogat, vel potius indignatur. *Sic est*] Hoc cum indignatione stomachi dixit. D.—*Quid ais, Byrrhia? daturne illa hodie Pamphilo?*] Charinus indignatur, quod sibi nunciatum esset, Philumenam, quam diligebat, Pamphilo esse nupturam: vehementi dolore succensus, primo conqueritur, deinde deliberat, an Pam-

CH. Qui scis? BY. Apud forum modo de Davo audivi. CH. V
misero mihi!
Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fui
Ita, postquam ademta spes est, lassus, cura confectus, stupe
BY. Quæso ædepol, Charine, quoniam non potest fier
quod velis,

philum conveniat, ut eam non ducat uxorem. Deliberativæ formam in hac scena debemus animadvertere: ac primum, an verum sit, quærit. Ideo interrogat, quasi verum audierit. Est et familiare timentibus, nolle audire quod inimicum sit voluntati. Interrogat autem rem, *Quid ais, Byrrhia?* Deinde cum consensus est commodatus; sic et personam quærit, a quo audierit. E.—*Hodie nuptum*] In Ms. R. τὸ *hodie* deest. L.—Etsi in omnibus codd. hic ordo verborum reperitur, *daturne illa hodie Pamphilo nuptum?* metri tamen gratia Faernus recte ita correxit. B.

2. *Qui scis?*] Non vult enim verum esse. *Qui*, quatenus, unde hoc scis? *Apud forum modo de Davo audivi*] *Apud forum*, de loco. De tempore, *modo*. De persona, *de Davo;* (ita verba collocavimus e Ms. Hulst. quem ordinem sensus exigit. Z.) Plurima dixit ad confirmandum Byrrhia, quando interrogatus est, a loco, a tempore, a persona. *Væ misero*] Tandem aliquando pervictus (Ms. Boend. et ed. Du. B. *productus;* forte leg. *perductus*) est, ut crederet. *Væ*] interjectio in his rebus, quas execramur. D.—*Qui scis*] At vero nuncius compendium interrogationi faciens, et personam et locum dicit, ubi audierit. *Apud forum*, inquit, *modo de Davo audivi*] Quare confirmatus in quæstione, continuo prorupit adolescens, qui dixit; *Væ misero mihi*] Quod nunc certum periculum sit, ante incertus fuisset inventus (forte *eventus*): et ex diversis rebus fit argumentum a pari. Post Byrrhiæ adhibet consolationem. Quod genus orationis in materia oratoria raro versatur. Hic autem posita est, ut voluntas ab eo quod fieri non potest, consolatione suscepta, ad id quod fieri potest, convertatur: quod vocatur dissuasio. At vero adolescens cupidus amoris sui voluntatem perterritam continet. *Nihil*, inquit, *aliud volo nisi Philumenam.* Sed servus consolationem reddit, ut, si fieri possit, adolescens æstus contrarii amoris excludat; et ipsum amorem loquendi dolore suspendit. Huic respondit sententiæ naturaliter: quod omnes, cum valemus, aliis dare consilium possumus: at si in ægritudine ipsi simus, de eo, de quo consilium dedimus, necesse est aliter sentiamus. Viso Pamphilo deliberat Charinus an adeat, et roget, ut nuptiis aliquot proferat dies, est, protrahat; ut periculo jam certo sp aliqua dilatione pariatur. Ac deliberat onem indicat servo Byrrhiæ, quid si videatur. At ille dissuadet ab inhones et inutili, spem * est cadere Pamphilum, nihil impetraret, ille continuo sibi cred Charinum uxorem tollere. Hoc nam si nificavit. Quid ni? si nihil impetres: sit sensus, quod mihi videtur: *ut ille a bitretur paratum sibi mœchum, si tu nil impetres.* Alii distinguunt sic, ut sim dicant, non separatim, *Quid ni, nisi;* q vere nullus est sensus. Potest tamen di *Quid ni?* id est, certe. Et post, *si nil impetres*, sc. restat, ut arbitretur tanqua ab eo impetraturus; (in Mss. lacunæ si num nullum) * Ut defendat deliberativ utitur partibus, id semper impetratione esse docuimus, quæ habet principium benevolentiam conciliandam precibus. —Pro *modo de Davo* recepimus lectione Donati *modo e Davo*, quam ipsi Faer placere videmus. B.

3. *Usque ante hac*] Id est, ante qua tus verba audirem. Et duas præpositi nes posuit, ut dicitur: sed una est tantu velut adverbium, non jam præpositi *Usque antehac attentus fuit*] Nulla præp sitio præpositioni adjungi separatim po est. *Usque*, ejusmodi est, ut sine aliq præpositione raro inveniatur. *Attentus fui* Ut *attentus audire* dicitur. D.—*Spe atq timore*] Seneca Epistol. v. *Spem met sequitur: nec miror ista sic ire. Utrumq pendentis animi est, utrumque futuri exspe tatione solliciti.* Eleganter Achil. Tati lib. v. τὴν ψυχὴν εἶχον ἐπὶ τριστάσης ἐλπ δος καὶ φόβου. καὶ ἐφοβεῖτο μοῦ τὸ ἐλπ ζον, καὶ ἠλπιζον τὸ φοβούμενον. Virg Æn. i. *Spemque metumque inter dubii.*

4. *Lassus cura*] Ex præterita spe: nu *confectus*, id est, sic vulneratus, aut pe cussus, ut sanari non possit. *Lassu* Ademta attentione. *Cura confectus*] Co firmato timore. *Stupet*] Abjecta spe. I

5. Objurgantis est *quæso*, vel etia rogantis. *Quoniam non potest*] Consolat ad id, quod fieri non potest, suadens, *velis quod possit.* Proverbiale. D.—*Qu vis non potest, velis id*] Augustin. de Civ lib. xiv. cap. 15 et 25. *Vivat ut vu quoniam extorsit sibique imperavit non vel quod non potest, atque hoc velle quod potc*

Id velis, quod possit. CH. Nihil volo aliud, nisi Philumenam.
BY. Ah! quanto satius est, te id dare operam, qui istum amorem ex animo amoveas tuo,
Quam id loqui, quo magis lubido frustra incendatur tua.
CH. Facile omnes, quum valemus, recta consilia ægrotis damus!
Tu si hic sis, aliter sentias. BY. Age, age, ut lubet. CH. Sed Pamphilum
Video: omnia experiri certum'st, prius quam pereo. BY. Quid hic agit?
CH. Ipsum hunc orabo: huic supplicabo: amorem huic narrabo meum.
Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies;
Interea fiet aliquid, spero. BY. Id aliquid nihil est. CH. Byrrhia,

Sicut ait Terentius. Quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quod possis. Idem de vita beata: *Etenim et illa ejusdem Comici sententia non minus vera est: Quoniam non potest id fieri quod vis; id velis, etc.* L. —Pro *quoniam* Cod. Regius habet *quando*, sic laudat quoque locum Donatus ad Æn. v. 704. et sane melius convenit sensui, ut infra iv. 5. 10. Cætera Faernus emendavit ita, *non potest id fieri, quod vis.* Recte. B.

6. *Nihil aliud*] Hoc magis gemitu amatorio, quam ut responderet Byrrhiæ, dicit: quasi magis Philumenam velit, quam vitam et lucem. Idem alibi, *In eo me oblecto: solum est carum mihi.* Non enim dixit, Nullam volo aliam, quam Philumenam: sed nihil volo aliud: quod infinitum est. *Qui istum*] *Qui*, pro ut. D.—*Nisi Philumenam*] Augustinus de Civit. lib. xiv. cap. 8. *Apud Terentium flagitiosus adolescens insana flagrans cupidine, Nihil volo aliud, inquit, nisi Philumenam. Quam voluntatem fuisse libidinem, responsio, quæ ibi servi ejus senioris inducitur, satis indicat; ait namque domino suo: Quanto satius te id dare operam, quo istum amorem ex animo amoveas tuo, quam id loqui, quo magis libido frustra accendatur tua.* L.

7. *Ex animo dimoveas*] Legitur, *ex corde ejicias.* D.—*Tuo* omnino subdititium est. Pro *animo amoveas* Donatus monet etiam legi *corde ejicias.* Quæ lectio perplacet propterea, quod *ejicere* majus est quam *amovere*, et *corde* consuetudini auctoris magis convenit: vid. Eun. ii. 2. 16. Hec. iii. 2. 12. Denique, ut ex his duobus versibus unus tantum efficiatur trochaicus acatalecticus, cum Faerno primam syllabam, BY. *Ah*, in finem præcedentis rejiciendam puto. B.

9. *Facile omnes quum valemus*] Menander: *ῥᾴον παραινεῖν ἢ πάθοντα καρτερεῖν.* Philemo apud Stobæum Serm. cclxliv. *Τοὺς ἰατροὺς οἶδ' ἐγὼ ὑπὲρ ἐγκρατείας τοῖς νοσοῦσιν εὖ σφόδρα πάντας λαλοῦντας.* L. —Menander: *Τγιὴς νοσοῦντα ῥᾴστα τὰς τις νουθετεῖ.* W.

10. *Tu si hic sis*] Hoc gestu scenico melius commendatur. Nam hæc magis spectatoribus, quam lectoribus scripta sunt. *Hic* ergo se ipsum ostendens, dicit; et est hic pronomen. *Sed Pamphilum*] *Sed*, inceptivum, pro, atque eccum Pamphilum: ut Sallustius, (in Fragmentis,) *Sed Metellus in vulnere.* Hoc non discretivum: ut si dicas, sapiens, sed miser: hic enim discretivum erit. *Sed Pamphilum video*] Hæc per *ἀποστροφὴν* finguntur. *Age, age, ut lubet*] Adversus hæc non habuit, quid loqueretur; et est permissio reprobantis ea, quæ consentit. D.—*Hic* sign. meo loco. Pro *sentias* sensus postulat *censeas*: cf. Adelph. v. 8. 5. B.

11. Idem alibi, *Omnia prius experire, quam armis, sapientem decet.* Virgilius, Æn. iv. 415. hanc quoque posuit sententiam, *Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.* D.

12. *Ipsum hunc*] Bene *ipsum*, quasi auctorem et principem: refertur etiam ad dignitatem. *Orabo: huic supplicabo*] *Oramus* quæ bona sunt: *supplicamus* in adversis magis, vel cum lacrymis. *Hunc orabo, huic supplicabo*] Procœmia sunt petitionis, quibus ostendit poeta rationem, qua nova et improba res tamen petitur. *Amorem huic narrabo meum*] Non studium, aut voluntatem, sed amorem. Nec petam, sed *narrabo* dixit: totum magnifice. D.

13. *Ut aliquot saltem prodat dies*] *Saltem*, desperatis rebus solam petentes salutem, hoc verbo utimur. *Prodat* vero, proferat, prolatet, differat. Lucilius in quinto, *An porro prodenda dies sit?* D.

14. *Interea fiet aliquid*] Tale est hoc, quale illud, *Interea aliquid accidet boni.* Sed nihil illum dixisse poeta per servum

Quid tibi videtur? adeon' ad eum? By. Quidni? si nil impetres,
Ut te arbitretur sibi paratum mœchum, si illam duxerit?
Ch. Abin' hinc in malam rem cum suspicione istac, scelus!
Pam. Charinum video: salve. Ch. O salve, Pamphile,
Ad te advenio, spem, salutem, auxilium, consilium expetens
Pam. Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam.

ostendit, dicendo, *Id aliquid nihil est. Fiet aliquid*] Ut supra, *Impetrabo.* D.

15. *Adeon' ad eum?*] Consuetudine magis, quam ratione dicitur; unum enim *ad* abundat. *Quidni, si nihil impetres*] Aut, *Quid, nisi nihil impetres; ut te, etc.* In utroque idem sensus est: sed superior per *ἐλαφρολογίαν*, inferior per simplicem explanationem solvitur, et si *quidni* legitur, subaudiendum, adeas: ut sit, Quid ni adeas? ut si nihil impetres, te arbitretur paratum mœchum, si illam duxerit. *Si nihil impetres*] *Impetres* per *ὑστερολογίαν* dictum videtur, pro *petas*, quoniam petitionem sæpe impetratio sequitur. D.—Unus cod. e nostris habet *Quid nisi? ut nihil impetres;* duo, *Quid nisi? nihil ut impetres.* Emenda igitur *Quid ni? nihil ut impetres.* Igitur *ut* signif. *etsi, quamvis.* B.

17. *Abin'* recte legunt codd. præter quatuor nostros, ubi est *Abi.* In Vaticano et Victoriano *n* abrasum est. Nullus vero nostrum habet *crucem.* Retine *rem.* B.

18. *Charinum video*] Non imperite Pamphilum priorem loqui fecit, sed ut fiduciam det Charino loquendi: quod et Virgilius, Æn. i. 325. eleganter, *Heus, inquit, juvenes, monstrate, mearum Vidistis si quam hic errantem forte sororum.* Ad hoc prior incipit Pamphilus, ut ad confessionem Charino minus clausa præ pudore sit via. D.—Alia orationis vis et virtus erit, si post *O salve* majorem feceris interpunctionem. Nam elata voce pronunciandum est *Pamphile.* B.

19. *Salutem, auxilium, consilium expetens*] Ut in petitionibus fieri solet, beneficium petens, utitur partibus deliberativæ. *Consilium expetens*] Eleganter: quoniam demens et improbum est quod petit, novissimum posuit consilium: ut si non possit concedi, vel consilium expetat ad sanandam dementiam. Cicero, pro Lig. x. *Tu da salutem, qui spem dedisti.* D.—*Ad te venio spem, auxilium, salutem expetens*] Pamphilus propter amorem suum istud aliter accipit, et respodet, *Neque consilii locum habeo, neque ad auxilium copias.* Interrogat tamen ille: quoniam pudoris fuerat dicere, *Uxorem tuam diligo,* prius interrogat an duceret uxorem: respondet Pamphilus quod in opinione est, non in ejus voluntate. Adjungit Charinus ad impetrationem vitæ si periculum, *Si id facis, hodie postremum videbis;* sed interrogatus a Pamphilo c istud dixerit, pudore confunditur. All gat servum ut ipse dicat. Servus ve callidus, ne minus impetrabile, sed cer contumeliosum esset si diceret, amat u orem tuam, *sponsam,* inquit, *tuam ama* hoc enim est, quod adhuc tibi uxor n sit. Unde adulterii nulla suspicio e quod illa sponsa est, hic amat tantu Sed Pamphilus, memor consilii sui et v luntatis, quærit utrum Charino aliqua co suetudo sit cum ea. Sed Charinus n sciens consilium, cur hæc interrogave Pamphilus, simpliciter negat factum. V lebat autem Pamphilus causam simp citer reperire, cur eam non duceret ux rem, quam nolebat. Quod ut ille int lexit, se ad preces vertit, et petit ex mo postulantium, quo semper prima, q majora sunt, petimus; deinde ea quæ v lumus. Nam, uti supra dixit Charin nihil aliud a Pamphilo cupiens, nisi aliquot saltem nuptiis proferret dies. H igitur cum desiderio sit, aliquid ampli primo postulat, sicut diximus. Quia m ris est ut per partes primo, deinde qu volumus postulemus; ut si negatum erit, quod primo petitum sit, jam pud sit a quo petitur denegare. Primo pe ne ducat, secundo si id non potest, *tibi nuptiæ hæ sunt cordi,* saltem aliq proferat dies, dum proficiscatur aliq Hoc est quod fuerat petitum: similiter Juno ab Æolo postulavit, primum qu magnum est. Virgil. Æn. i. 73. *Inc vim ventis, submersasque obrue puppes.* secundo loco, quod volebat, petit: *A age diversos, et disjice corpora pon* Hoc namque desiderabat, Trojani ad I liam ne venirent, ac propterea disper rentur. Huic igitur petitioni respon Pamphilus patienter, ut amici more, n quia petiverit Charinus, sed quia ipse e nolit ducere uxorem. E.—*Auxilium* po post *consilium.* Nam ut spes minus salute, ita consilium auxilio. Dein commotius pronunciatur. Denique id ordo est in responsione versus sequentis.

20. *Neque pol consilii locum habeo, que auxilii copiam*] Apud amantem neq consilii facultas: apud inopem neque c

Sed istuc quidnam'st? CH. Hodie uxorem ducis? PAM. Aiunt.
CH. Pamphile,
Si id facis, hodie postremum me vides. PAM. Quid ita?
CH. Hei mihi!
Vereor dicere: huic dic quæso, Byrrhia. BY. Ego dicam.
PAM. Quid est?
BY. Sponsam hic tuam amat. PAM. Næ iste haud mecum sentit: ehodum dic mihi,
Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? CH. Ah, Pamphile,
Nihil. PAM. Quam vellem! CH. Nunc te per amicitiam, et per amorem obsecro,
Principio ut ne ducas. PAM. Dabo equidem operam.
CH. Sed si id non potes:
Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi. PAM. Cordi? CH. Saltem aliquot dies

pia auxilii. His duobus ostendit etiam sese amatorem. Neque pol consilii locum habeo, quia amo; neque auxilii, quia sum miser. D.—*Consilii locum neque auxilii*] Plautus in Trucul. *Magisque adeo ei consiliarius hic amicus est, quam auxiliarius.* L.—Pro *consilii* lege *consili*. Nam veteres omnes in substantivis, exeuntibus in *ius* vel *ium*, semper genitivos, ut vocativos, *i* simplici efferebant. Sub Augusti senescentis demum ætate mutatio genitivorum, qualis hodie est, facta est; cf. Gell. xiii. 24. Deinde codd. Petrensis et Regius habent *neque ad auxiliandum copiam*: at Eugraphius, *neque ad auxilium copias*. Ego legendum esse censeo, *neque ad auxilium copiam*. B.

21. *Sed istuc quidnam est?*] Hoc si non adderet, locus confitendi amoris Charino nullus fuisset. *Hodie uxorem ducis?*] Vide miram interrogationem ante confessionem. *Aiunt*] De ea re dicimus, quam volumus esse falsam. D.

22. *Si id facis*] Nihil prius, quam se moriturum dixit, pudenda dicturus. Inde datum est, (Lege, *inde natum*, aut, *inde factum est*,) ut ille instantius quæreret causam. *Hodie postremum*] Plus dixit, quam si dixisset, *Morior hodie*. *Hodie postremum*] A necessario: quia vivere non potest. Et *postremum*, adverbium est. D.

24. *Sponsam hic tuam*] Nulla cunctatione Byrrhia, sed facete, παῤῥησίᾳ servili paratissime narrat. *Sponsam hic tuam amat*] Callide et *sponsam*, et *amat*: hoc est, nec adhuc uxor tua est, neque aliquid admisit, quia amat tantum. *Næ iste haud*] *Næ*, valde: ut et Cicero, Catil. ii. 3. *Næ illi vehementer errant*. Sensus hic est, Non id amat quod amo, nec id odio habet quod odi. Hoc est, valde iste, inquit, non mecum sentit: id amat quod ego odi. *Næ iste haud mecum sentit*] *Næ*, valde: aut ut quidam volunt, *o quam*. Lucilius in x. *Næ in arce bovem discerpsi magnifice*, inquit. D.

25. *Num quidnam amplius tibi cum illa fuit?*] Artificiose personam expressit Terentius, nuptias recusantem: et simul τὸ πρέπον virgini servavit. D.

26. *Quam vellem*] Utique ut esset causa recusandæ. (Ms. Boend. et ed. Du B. *Utique vitiata, ut esset causa recusandæ*. Unde forte leg. *Utique vitiatam, ut esset causa recusandi*.) *Per amicitiam*] Suam et Pamphili. *Et per amorem*] Suum tantum circa virginem. D.—*Quam vellem*] V. C. *Quantum vellem*. L.

27. *Ut ne ducas*] Sufficeret dixisse, *ne ducas*. *Dabo equidem operam*] Plus illi promisit, quam ille poposcit. *Dabo equidem operam*] Pronunciatione levandum est. Plus enim dixit, *dabo operam*, quam si diceret, *non ducam*. *Non potest*] Deest *fieri*, et hoc ad patrem retulit. D.—Pro *potes*, quod non commodum efficit sensum, lege *potest*, h. e. possibile est. *Potest* habent quoque editt. quædam vett. et ipse Donatus cum *fieri* deesse dicat, videtur ita legisse. B.

28. *Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi*] Hoc ad Pamphilum pertinet; non enim unum et idem est. Nam si idem esset: *nuptiæ hæ sunt tibi cordi*, supervacuum esset additum, *Cordi*] Animo: acute. *Saltem aliquot dies profer*] Primo quæ majora sunt, petit: postremo quæ ex his videntur mi-

Profer, dum proficiscor aliquo, ne videam. PAM. Audi nunc jan
Ego, Charine, neutiquam officium liberi esse hominis puto,
Quum is nihil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.
Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier.
CH. Reddidisti animum. PAM. Nunc si quid potes aut tu, au
hic Byrrhia,
Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi:
Ego id agam, mihi qui ne detur. CH. Sat habeo, PAM. D
vum optume

nima: et hoc arte: ut, Virg. Æn. i. 69. *Incute vim ventis, submersasque obrue puppes.* Et ad postremum, *Aut age diversos, et dissice corpora ponto.* D.—Ut vitetur Homoeoteleuton, pro *hæ* lege *hæc*, ut alibi. B.

29. *Profer*] Prolata, produc, differ. *Aliquo, ne videam*] *Aliquo* dixit, ut exilium esset incertum. *Audi nunc jam*] Correptio impatientis, qui non sustineat audire de exilio. D.

30. *Ego, Charine*] Sententiæ, quæ ex pronominibus incipiunt, sera semper, sed vera promittunt. Virgilius, Æn. xii. 27. *Me natam nulli veterum sociare procorum Fas erat. Ego Charine, neuti quam officium,*] Sensus hic est: Non puto, inquit, hominem liberum, qui cum nihil præstet, haberi gratiam sibi poscat; ergo cum tibi nihil præstem, nolo mihi gratias agas. Non enim tui causa fugio, quod, prius quam me peteres, magis nolebam ducere, quam tu cupis. *Neutiquam*] Una pars est orationis, pro nequaquam. Aut alio modo dicitur, cum is nihil promereat, id est, præstet: ut Virg. Æn. vi. 664. *Quique sui memores alios fecere merendo:* et, Æn. iv. 334.—*nunquam, regina, negabo Promeritam.* E contrario lædit: *Quid commerui, aut peccavi, pater?* D.—*Ego, Charine, neutiquam officium liberi hominis esse puto, quum is nihil mereatur, etc.*] Hic sensus maximam intentionem desiderat. *Mereatur* primum hic est instat: merendo enim præstatur: unde Virgil. Æn. iv. 333.—*Ego te, quæ plurima fando Enumerare vales, nunquam, regina, negabo Promeritam.* Ergo hic erit sensus: Ego, Charine, non arbitror liberi hominis officium esse, unde nihil præstet, sibi hujus gratia debeatur. Ergo cum hoc tibi non præstem, nolo mihi debeas gratiam: quippe cum ego has nuptias velim fugere magis, quam tu adipisci. Quare ut cœperat Charinus gratias agit. Sed Pamphilus hortatur, ut et ipse Charinus et Byrrhia faciant, fingant aliquid, inveniant, efficiant, ut Charino detur: et ipse laborabit ut non ducat. Non enim sequebatur, ut, si Pamphilus eam non duceret, Charinus duceret. E.—*Liberi esse hominis*] Ita V. C. a τὸ *hominis* non habent. Vid. Ser Æneid. vi. 664. *Quique sui memor* L.—Homo liber non modo servo oppor tur, sed significat etiam eum, qui nobil tate et bona existimatione inter cives su censetur. Faernus apud B.

31. *Quum is nihil promereat*] *Mereri*, e aliquid mercedis pro labore sumere. Cu dicimus, *Nihil meretur*, hoc intelligitu nihil mercedis dignus est accipere. *Qu is nihil promereat*] Laboret, vel mereatu vel mercedis petere debeat; ut, *Quid m ret Machæra?* Plautus in Pseudolo, iv. 89. *Id gratiæ apponi sibi*] Addi in gratia suam, id est, sibi gratiam merere. D. Cum Iambicus hic inter tot Trochaic non satis belle incedat; lege, *cum is mereat.* Sic quoque legisse videtur Don tus. B.

32. *Nuptias effugere*] Interposita distin tione, vultuose hoc dicitur, hoc est, cu gestu. D.

33. *Reddidisti animum*] Plus dici non p tuit. *Aut tu, aut hic Byrrhia*] Hic δεικτικῶς quasi efficaciorem ostendit; ergo comparationem alterius refertur. D. *Reddidisti* male incipit a pede Cretico: c rige itaque *Reddixti*, præsertim cum c Petrensis habeat *Reddixti*, et usus loquer postulet. Nam *reddere animum* est in g tiam redire, quod alienum est ab hoc lo Deinde *tu* ne elidatur, emenda *tute.* B

34. *Facite, fingite, invenite, efficite*] *F* quod verum est. *Fingitur*, quod falsu est. *Invenitur*, ne temere fiat. *Inven* ergo, agite dicit post cogitationem. *E cite*] Id est, in effectum perducite. Sall tius Catil. i. *Nam et prius quam incipi consulto; et ubi consulueris, mature fa opus est. Facite, fingite, invenite*] Mire e pressit Pamphili animum nuptias metue tis (Ms. Boend. et ed. Du B. *recusantis*), quicquid dixerit, parum est. D.

35. *Ego id agam, mihi qui ne detu* Non dixit, *ego non instabo ut ducam;* quod est amplius. Et recte: utriusq opera opus. Non enim continuo du Charinus, si non duxerit Pamphilus. *detur*] *Qui* pro quemadmodum. *Ne mi*

Video, cujus consilio fretus sum. CH. At tu hercle haud quicquam mihi;
Nisi ea, quæ nihil opus sunt scire: fugin' hinc? BY. Ego vero, ac lubens.

ACTUS SECUNDI SCENA II.

DAVUS. CHARINUS. PAMPHILUS.

DI BONI, boni quid porto! sed ubi inveniam Pamphilum?
Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio.
CH. Lætus est, nescio quid. PAM. Nihil est: nondum hæc rescivit mala,
DAV. Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias,
CH. Audin' tu illum? DAV. Toto me oppido exanimatum quærere.

Veteres frequenter *ne* pro *non* dicebant. (Verba *Qui detur—dicebant*, absunt a Ms. Hulst. nec videntur esse Donati.) *Sat habeo*] Sic antiqui, pro sufficit, *sat habeo* dicebant: an vel abundat? D.—Ut *mihi* sub ictum veniat; pone, *qui mihi ne detur*. B.

36. *At tu hercle*] (adde *haud quicquam*. Ita est recte in Ms. Hulst.) Deest, affers, dicis, nuncias. D.

37. *Nisi ea quæ*] Hoc est,—*daturne illa hodie Pamphilo nuptum?* BY. *Sic est*. CH. *Qui scis?* BY. *Apud forum modo de Davo audivi*. Quod memor est Charinus, se non libenter audisse. *Fugin' hinc*] Comminantis est, et abigentis a se. *Ego vero, ac lubens*] Nemo lubenter fugit, nisi coactus necessitate. Hic etiam *lubens* dixit, quod est, lubenter. D.—Unus e nostris, *opus est*. Certe alterutrum legendum est, aut *opus est scire*, aut opus sunt *sciri*. Posterius placet. B.

1. Hæc scena consilium continet personarum, ad quas maxime pertinet argumentum. Et hic est locus, in quo, ut fieri solet, fortuna mixta rebus dispositis, magnas turbas dat. *Di boni, boni quid porto*] Non mirum quod insolentius Davus exultat, qui, ut Simo dicebat, timidus fuit, ut ipse Davus, etiam desperavit (lege, *tam timidus fuit et perturbatus, ut etiam desperaverit*) ex nuptiarum terrore, quas nunc falsas comperit. *Di boni, boni quid porto*] Ex proximo repetivit bis: sed tamen alterum nominativo plurali, alterum genitivo singulari dictum est. *Quid porto*] Non solum corpore, sed etiam animo portamus tam bona, quam mala. Sic alibi, *Ne quid Andria apportet mali*. D.—*Di boni, boni quid porto*] Hæc scena conjecturalem statum tenet. Præterea conqueritur, an Simo veras nuptias sit hodie facturus. Hujus rei argumenta Davus servus callida arte collegit, probaturus falsas esse nuptias. Hæc multis locis exprimemus. Ac primum generaliter gaudium suum protestatur, Pamphilum quærendo. *Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio*] Ordinem et rationem posuit. Prius enim id, quod malum est, debet excludi, ut id quod bonum est, melius faciliusque teneatur. E.

2. *Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio*] Ordine locutus est. Prius enim metum adimere, sic demum gaudio perfundere. Hic ordo etiam in laude servatur. D.—*Ut metum, in quo nunc*] Servius Æn. i. ad illum vers. *Abolere Sichæum*. L.—Ne *metum* in Thesi totum subsidat, sed melius exaudiatur, pro *in quo*, repone *quo in*. B.

3. *Nescio quid*] Deest *propter*: ut sit, propter nescio quid. *Quid*] adverbiale.—*Nihil est: nondum hæc rescivit mala*] Nondum Pamphilus sciebat Davum scire, quod sibi pararentur nuptiæ. E.

4. *Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias*] Hic intelligit Pamphilus Davum scire, quod nuptiæ præparantur. E.

5. *Exanimatum*] Perterritum, perturbatum. D.—*Toto me oppido exanimatum quærere. Dave perii*] Antequam aliquid

Sed ubi quæram? aut quo nunc primum intendam? C
Cessas alloqui?
DAV. Abeo. CH. Dave: ades; resiste. DAV. Quis homo'
qui me? o Pamphile,
Te ipsum quæro: euge, Charine; ambo opportune: vos vol
CH. Dave, perii. DAV. Quin tu hoc audi. CH. Inte
DAV. Quid timeas scio,
PAM. Mea quidem hercle certe in dubio vita'st. DAV.
quid tu, scio.
PAM. Nuptiæ mihi. DAV. Et si scio. PAM. Hodie. D
Obtundis, tametsi intelligo.
Id paves, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. CH. R
tenes.

audierit Pamphilus, indicat dolorem. Contra illi servus, qui scit quid argumentis collegerit, respondet. E.

6. *Sed ubi quæram?*] Nunc in omnes se partes versat, quærens quo dirigat cursum. D.—*Aut quo nunc*] Regius liber τὸ *aut* non habet. L.—Sex ex nostris melioribus codd. non habent illud *aut*. B.

7. *Habeo*] Videtur quasi constitisse, deinde quasi elegisse quo pergat. *Habeo* per *h* inveni: legitur et *abeo;* uti merito illi dicatur, *Resiste. Quis homo est qui me? o Pamphile*] Ante videt, quam compleat orationem. D.—Nostri codd. quamquam legunt *Abeo:* præfero tamen *Habeo*. B.

8. *Euge, Charine*] *Euge*, modo pro interjectione positum est. *Opportune*] Deest, *adestis:* non, opportune vos volo. D.—*Ambo opportune*] Servius Æn. xii. vers. *Sthenelumque dedit*. L.

9. *Dave, perii*] Proprium est dolentibus, præfestinare ad indicanda quæ dolent: ἀπολούμεθα! Habet nonnullum affectum, quod addidit, *Dave. Quin tu*] *Quin*, modo pro imo; alias, cur non? D.—*Hoc audi*] Illic ad calamitatis vocem redit servus: scire se ejus sollicitudinem dicit. *Quid timeas scio*] Quoniam videtur servum perseverare, Charinus adolescens ad pollicendam spem domino Pamphilo, continuo ipse suam calamitatem confitetur: *Mea quidem certe hercle in dubio vita est*. Sed hic servus repromittit, ac se dicit scire ipsius sollicitudinem. Pamphilus autem, tanquam nescio servo et adhuc ignoranti, ingerit causam calamitatis suæ, cum dicit *Nuptiæ mihi*. Sed ejus orationem impleri non sinit servus, et continuo procedit dicens, *Et istuc scio*. Ille perseverat dicens, *Hodie*. Cujus orationem intercepit servus, et utriusque sollicitudinem narrat, dicens, *Tu paves ne ducas illam*] Hoc utique Pamphilo; Charino autem, *Tu autem ut ducas*. E.—Etsi verba, *D perii - - interii*, Donatus adscribit Ch no: tamen ob consensum codd. et c texti rationem tribuenda sunt Pampl Nam absurdum est non modo priores in amore vel metu partes Charino d sed et Davum prius alienum quam h lem filium compellare. B.

10. *Mea quidem hercle*] Videtur C rinus plus dixisse, *Perii*, quam Pamp lus, *Mea quidem hercle certe in dubio vita*. Sed non est hoc; plus enim P philus dixit. Nam qui vivit, non po interiisse: is autem qui vivit, vitam est in dubio habere. Ideo et juravit cle: et affirmans jusjurandum, *certe* didit. Bene *certe:* quasi illud *interii*, sum sit. Ita Pamphilus plus fecit p turum se esse dicendo, quam Chari interiisse. *Et tu quid, scio*] Mira c pendia, quæ contrahit poeta longituc fabulæ: nec tamen perdit affectus pe narum. *Et tu quid*] Deest *timeas*. D *Certe* et *quid tu* Donatus habet, tres li quos vidit Faernus, et meliores ex nost Recte. B.

11. *Et id scio*] Ἐν ὑποκρίσει: tanqu dicat, nihil est. *Et id scio*] Legitur, *etsi scio. Hodie*] Tempus addidit, t quam rem sciens. *Obtundis*] Sæpe re tendo dicere, *obtundere* est; translati fabris, qui sæpe repetunt tundendo quid malleo, et idem obtundunt et he tant. *Obtundis tametsi*] Potest esse ἀ στροφή: sed sincerius est et melius s distinguere. D.—Plerique libri Fa habent *et si scio*, nostri partim *et id* partim *etsi scio*. Posteriorem lection requirit sententia. B.

12. *Id paves*] Deest *ob;* ut sit *ob* hoc autem Pamphilo dicit. *Tu autem ducas*] Pro, ne non, ut posuit. H Charino. D.—*Id paves*] Ms. R. *peaves*.

PAM. Istuc ipsum. DAV. Atque istuc ipsum nihil pericli est: me vide.
PAM. Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu.
DAV. Hem!
Libero: uxorem tibi non dat jam Chremes. PAM. Qui scis?
DAV. Scio.
Tuus pater modo me prehendit; ait, tibi uxorem dare sese
Hodie: item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi hæc.
Ubi te non invenio, ibi ascendo in quendam excelsum locum.
Circumspicio; nusquam: forte ibi hujus video Byrrhiam;

13. *Atque istuc ipsum*] Ἐν ὑποκρίσει. Ille enim hoc idem dixerat cum exclamatione: quod quasi vanum contemnit. *Me vide*] Utrum lætus sum? an, me specta fidei datorem? ut dici solet, *me habe, me respice.* D.—*Istuc ipsum nihil pericli est*] Irridentis est ita oratio; quia supra dixerat Pamphilus *Isthuc ipsum*, repetit tanquam vanum dictum. *Nihil pericli*] Rogat ut metu liberet dominum servus, et summam collocat. Primum hanc rem semper facere debet orator, uti ante partium, quæ longo genere narrandi explicabuntur, summa primitus collocetur: et hoc maxime in initio, ut facilius res comprehendi possit. Est igitur summa: *Uxorem non dat Chremes filiam suam Pamphilo:* ejus casu videatur ista argumenta collegisse; aut ex eventu narrat causam, quemadmodum ad indicia veritatis pervenerit. Tunc paret causæ, quemadmodum malum prædixit, et deinde quæ consequuntur. Quibus in versibus declarat sibi maximam sollicitudinem fuisse, posteaquam patrem cognoverit Pamphilo nuptias non parare. E.—*Atque istuc ipsum*] Priscian. lib. ii. *Atque hoc ipsum.* L.

14. *Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu*] Cum precibus et tempus admiscuit. Et bene *libera;* perfecta enim securitas, *liberatio* nominatur. *Hem*] Ecce: demonstratio est facti. D.

15. *Uxorem tibi non dat jam Chremes*] Oratorie a summa cœpit: cujus partes multis dicentur. *Jam non dat*] Bene *jam.* Quod si non dixisset, intelligeret Pamphilus, vel postea Chremetem filiam esse daturum. Sed addito *jam*, plena securitas est. *Jam* enim renunciatio est perpetuitatis. *Scio*] Præparatio est auditoris ad eam narrationem, quæ ostendit argumenta falsarum nuptiarum. D.—Unus cod. ex Regiis locat numerosius ita, *tibi uxorem non dat jam Chremes.* Deinde *scio* est inutile; non enim respondet interrogationi, quæ non est, *an sciret*, sed *quomodo sciret.* Præfero igitur lect. variam *scies*, quæ est in margine cod. Colleg. Corp. Chr. B.

16. *Me prehendit*] Pro *prendit.* Addita aspiratione geminavit syllabam. Et *prehendit* dixit, quasi vitantem ac fugientem. *Ait, tibi*] *Ait* proprie: quia contemnenda dicuntur. *Ait, tibi uxorem dare se*] Conjecturam facit ex malis, quæ præcesserunt. *Ait, tibi uxorem dare se*] Dicit cur primo crediderit veras, dicturus subinde cur falsas. D.—Duo codd. rotundius et melius ponunt *me* ante *modo.* Omnes Faerni codd. habent *dare sese;* unus ex nostris ponit *sese dare;* alter primariæ notæ *sese* non habet; quod cum in versu redundet, lege *dari*, ut supra, i. 2. 20. B.

17. *Item alia multa*] Bene distulit narrationem, ne, si audirent Charinus et Byrrhia, desinant dolos struere adversum vigilantissimum senem. *Item alia multa*] Commoda narratio a necessariis tantum. Minas autem senis prætermisit, ne corrumperet bona, quæ nunciabat. *Quæ nunc non est narrandi locus*] Non vult dicere, quam minaciter secum egerit senex, quamque instet nuptiis, ne Charinum Byrrhiamque de spe dejiciat, quos vult secum adniti, ne uxorem Pamphilus ducat. *Quæ nunc*] Argumentum est, quærere potuisse eum qui sit territus. Nam timor curam parit. *Narrandi locus*] Modo tempus, spatium. D.

18. *Properans percurro*] Vide quantum dixerit, *properans*, et *percurro*, ut continuationem cursus ostenderet. D.

19. *Ubi te non invenio*] *Ubi*, modo non est adverbium loci, sed temporis, pro *postquam. Ubi te non invenio, ibi*] A summo ad imum divisiones, quibus dicta et facta continentur: sub quorum genere sunt species nunc dictorum, nunc factorum, cum consideratione rerum personarumque. D.—*Ibi*, quod a duobus nostris abest, ego versus gratia repono post quendam. Atque *ascendo* muto in *escendo*, quod magis est e vet. consuetudine, et reperitur in cod. vetere Guyeto viso. B.

20. *Nusquam*] Deest, *vidi. Video Byrrhiam*] Deest *servum*, et recte; dixerat

Rogo: negat vidisse; mihi molestum: quid agam, cogito.
Redeunti interea ex ipsa re mihi incidit suspicio: hem,
Paululum obsoni: ipsus tristis: de improviso nuptiæ:
Non cohærent. PAM. Quorsum nam istuc? DAV. Ego m
continuo ad Chremem.
Quum illoc advenio, solitudo ante ostium: jam id gaudeo.
CH. Recte dicis. PAM. Perge. DAV. Maneo: interea introir
neminem
Video, exire neminem: matronam nullam; in ædibus
Nihil ornati, nihil tumulti: accessi; intro aspexi. PAM. Scic
Magnum signum. DAV. Num videntur convenire hæc nuptiis
PAM. Non, opinor, Dave. DAV. Opinor, narras? non rect
accipis.

enim, *Apud forum modo de Davo audivi.* D.—Post *nusquam* reponendum esse censeo *es.* Atque tres e nostris recte collocant *ibi forte.* B.

21. *Rogo: negat vidisse*] Mira brevitas, et imitanda. D.—*Quid agam, cogito*] Incipiunt igitur argumenta, nuptiæ ne sint, ex hoc versu: *Redeunti interea ex ipsa re incidit suspicio.* Omnis conjectura a summo ad imum divisiones habet, quæ divisio dicta et facta continet. Quanquam sæpe et ex hoc conjectura colligi possit, quod non dictum nec factum sit. Ergo hic utrumque complexus est. Nam non fiunt nuptiæ, quod paululum obsonatus est dominus, quod ipse est tristis. Deinde rursus factis soceri volens argumenta colligere, quæ diximus pertinere ad divisionem, quæ a summo ad imum est, colligit ab his quæ facta non sunt. *Cum enim illo,* inquit, *veni, solitudo ante ostium.* Utique frequentia esse debuit. Sed ne hoc parvi temporis sit, *Maneo,* inquit, *interea: nemo ingressus est.* Nulla matrona in ædibus fuit, nullus ornatus, tumultus nullus. Hæc ab his sunt, quæ facta non sunt, cum fieri denique debuerint. Quibus rebus certum est, nuptias non parari. E.

23. *Paululum obsoni*] Hinc est quod ait, *nimium parce facere sumtum. Ipsus tristis: de improviso nuptiæ*] Mire, et moraliter. Ex his enim, quæ facta non sunt, docet, quid fecisse deberet. Et, *de improviso nuptiæ,* pronunciandum. D.

24. *Ego me continuo*] Et bene *continuo* ad Chremem: ut si ab utroque hoc fieret, esset vera suspicio Davi. (Lege ope Ms. Hulst. *Et bene,* continuo; *ne, si ab utroque hoc fieret, esset vera suspicio.*) *Ego me continuo*] Deest, *duco.* Consuetudine dictum est, ἐλλειπτικῶς. *Egomet*] Una pars orationis est. *Chremem*] *Chremem* et *Chremetem,* ut *Darem* et *Daretem.* D.—*Ego me continuo*] Sic vett. omnes; tamen Priscian. lib. vi. p. 62. *Egomet continu ad Chremem.* L.

25. *Solitudo ante ostium*] Signa ab h quæ sunt, quæ non esse deceret (Ms. Huls *decerent.*) *Jam id gaudeo*] Quasi adve sum, et non consentientem Pamphilun excitat ad gaudium lætitia sua. *Jam gaudeo*] Sic Virgilius, Æn. i. 701. *Cu venit, aulæis jam se regina superbis.* D.- Pro *illoc,* quod est Donati, omnes cod quos vidit Faernus, et priscæ editt. legu *illo.* B.

26. *Recte dicis: perge*] Vultu enunc andum. Hoc dicit Pamphilus. *Mane* Ne, At parum temporis fuisti (Ms. H. ed. Venet. 1490. *Ne temporis fieret dilatio Interea*] Temporis longi significatio. *I troire neminem*] A non factis. D.

27. *Exire neminem*] Quid si intus eran ideo ait, *exire neminem.* D.—Omnes qu dem ita distinguunt, sed post *matrona nullam* interpunctionem tollendam censeo et comma rescribendum post *ædibus.* B.

28. *Nihil ornati*] Ἀρχαϊσμός. Sic Sa lustius (in Fragmentis incertorum libb. *Ergo senati decreto serviendum ne sit.* D.- *Nihil ornati*] Charisius lib. i. p. 15. L.

29. *Signum*] Proprie pro argument *Num videntur*] A consequentibus argu mentum. *Non opinor*] Ille opinionem a commodat tantum, hic multum tribu conjecturis. D.—*Scio, magnum signu* Proprie *magnum signum* dicitur in fact et dictis. Ad quæstionem argumentu collectum. E.—*Magnum signum*] V. *Magnum signum est hoc.* L.

30. *Non opinor*] Quoniam argumen sunt et conjecturæ, *opinor* dixit. Na contra opinionem, certa res est: quæ a tem opinamur, putamus; quæ putamu incerta sunt. *Opinor, narras?*] Bene prima ad secundam personam. D.—*N opinor, Dave*] Conjecturam perspicie *opinor* dixit, id Davus quasi jam collec sit veritas, indignatus negat dici debuis

Certa res est: etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
Olera et pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.
Ch. Liberatus sum hodie, Dave, tua opera. Dav. Ac nullus quidem.
Ch. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. Dav. Ridiculum caput!
Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere:
Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. Ch. Bene mones.
Ibo; etsi hercle sæpe jam me spes frustrata est. Vale.

opinor; adjecitque, *non recte accipis*, quia certa res. Alia argumenta atque ab ipsa divisione factorum atque dictorum, quod puerum invenerit Chremetis, *olera, pisciculos minutos ferentem ad cœnam seni*. Ne forte aliquis puer ferret in cœnam seni. Ita conjectura firmata est a factis, vel persona Simonis, vel persona Chremetis, quæ, sicut diximus, in divisione consistunt. E.

31. *Etiam puerum*] *Etiam* pro præterea. *Chremi*] Sic *Chremi*, ut *Ulysi* et *Achilli*. D.—*Conveni Chremis*] Probus in Catholicis, Priscian. lib. vi. p. 62. L.—Illud *conveni* alienum ab hoc loco est. Itaque repone *conspexi*. Deinde etsi Valerius Probus ait, apud Terentium Chremis et Chremetis in Genitivo dici: auctoritati tamen Donati parendum putamus, adeo ut legamus *Chremi*. B.

32. *Olera et pisciculos minutos*] Sufficeret diminutive *pisciculos* dixisse, quod sic, *minutos* dixit: et pretium, obolo esse emtos; quæ est ultima nummorum significatio. Sunt enim genera minutorum piscium, quæ magno veneant. Hic ergo etiam ex pretio viliissimos pisces significavit. Et, quid si minutos, sed omnibus? *Seni* dixit, ut obsonationis ostenderet causam. *Olera et pisciculos*] Quod supra generaliter, *paululum obsoni*, hic specialiter dixit. *In cœnam seni*] Mire *seni*, cujus est major cura domi. D.—*Ferre obolo in cœnam*] Id est, exiguo pretio: idque sic dictum, ut a Græcis ὀβόλου ἀγοράσαι. Antiphanes apud Athen. dipnos. lib. vii. p. 309. ἥκω πολυτελῶς ἀγοράσας εἰς τοὺς γάμους λιβανωτὸν ὀβόλου τοῖς θεοῖς. Sic Plautus in Epidico, p. 236. *nummo conducere*. Horat. Serm. 2. Sat. 5. *nummo addicere*. Scævola, *nummo transigere*. Cujus locum sic restituo ex scriptis membranis lib. iii. §. 2. ff. de transactionibus: *Debitor, cujus pignus creditor distraxit, cum Mævio, qui se legitimum creditoris heredem esse jactabat, nummo transegit*. Hanc emendationem confirmat Ecloga Basilicor. lib. ii. p. 134. ἐὰν ὁ λέγων ἑαυτὸν κληρονόμον, διαλυσάμενος λάβῃ χρήματα. L.—Ne, *obolo*, quod hic emphasin habere debet, totum in Thesi lateat; ordinem muta sic: *ferre in cœnam obolo seni*. B.—Athenæus ex Trophonio Menandri hæc refert: A. Ἑνόν τὸ δεῖπνόν ἐστιν ὑποδοχῆς τινός. B. Ποδαποῦ; διαφέρει τῷ μαγείρῳ τοῦτο γάρ. Οἷον τὰ νησιωτικὰ ταυτὶ ξενίδια Ἐν προσφάτοις ἰχθυδίοις τεθραμμένα, Καὶ παντοδαποῖς, τοῖς ἁλμίοις μὲν οὐ πάνυ Ἁλίσκετ', ἀλλ' οὗτος παρέργως ἥπτεται. Et mox eodem loco:—εἴ δέ τις τοὐναντίον Ἀρκαδικὸς ἔρχετ', ἢ τις ἀθέλασσος ξένος, Τοῖς ἐκ θαλάσσης λοπαδίοις ἁλίσκεται. Idem ex Menandri Ephesio:—ἐν' ἀρίστῳ μέν λαβὼν Ὀψάριον. W.

33. *Nullus*] Pro, *non*: ut alibi, *nullus dixeris*. D.—*Ac nullus quidem*] *Nullus*, pro non: ut sit sensus, non quidem liberatus es. Cui subjungitur: *Quid ita? nempe huic illam prorsus non dat: ridiculum caput*] Intellexit Davus stultitiam Charini, qui dixit, *nempe huic illam prorsus non dat*. Secundum quod supra diximus. Non enim necesse illum illam continuo ducere, si hanc non duxerit Pamphilus. Et a possibili dicere debuisse innotuit. E.—*Ac nullus quidem*] Priscian. lib. ii. L.—Omnes codd. Faerni habent recte, *hodie Dave*, non *Dave hodie*, uti tres e nostris: atque *ac*, non *at*, ut Putschius edidit; nec *ah*, uti quidam perperam lusit. B.

34. *Quid ita?*] Una pars orationis. *Ridiculum caput*] Pro toto homine; nemo enim ore contemto, ex aliis membris hominem velit significare: et est συνεκδοχὴ τρόπος. D.

35. *Quasi necesse sit, si huic non det, te illam uxorem ducere*] Ostendit ἐνθύμημα vitiosum hoc esse, in quo, altero sublato, non necessario alterum relinquatur. D.

36. *Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis*] Hoc laborat Davus, quemadmodum Philumenam Charinus propriis laboribus promereatur uxorem. *Nisi vides, nisi senis amicos oras*] Artificiose Davus Charinum excitat, ut, si fieri possit, adjuvetur negotium Pamphili, dum ille sibi providet. *Nisi vides*] Provides. *Ambis*] Magnarum rerum desiderium et appetitus, *ambitio* dicitur. Confirmata re a factis et a personis, deliberativa nascitur. D.

ACTUS SECUNDI SCENA III.

PAMPHILUS. DAVUS.

QUID igitur sibi volt pater? cur simulat? DAV. Ego dicam tibi.
Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes,
Ipsus sibi esse injurius videatur; neque id injuria;
Prius quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.
Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.
Tum illæ turbæ fient. PAM. Quid vis patiar? DAV. Patet est, Pamphile.
Difficile est: tum hæc sola'st mulier: dictum ac factum invenerit

1. Hæc scena deliberationem continet Davi et Pamphili. Et bene *igitur*. Si enim falsæ sunt nuptiæ, quid cogitat? stomachose etiam hoc dixit *sibi volt*. Virgilius, Æn. vi. 318. *Quid vult concursus ad amnem?* D.—*Quid igitur sibi vult pater? cur simulat?*] Nunc quæritur, cur falsæ nuptiæ fingantur a patre. Et hoc loco deliberatio est, in qua persuasio continetur. Deliberat namque an polliceatur patri Pamphilus, se uxorem esse ducturum. Persuasio, ut dixit, ex hoc colligitur: falsæ sunt nuptiæ, nullus metus est polliceri. Sed huic rei argumenta hinc suscipiuntur, quod causam pater irascendi filio invenire desiderat. Sed enim hanc suscipiat, si Chremes nolit dare filiam suam conjugem: si vero negaverit Pamphilus, illic culpæ origo nascetur: tum malum et seditio maxima inter patrem et filium poterit generari. E.— *Quid igitur*] In vett. codd. nulla hoc loco distinctio est a priori scena, ut neque in Reg. exemplari. L.

2. *Si id*] *Id*, ob id, propter id. D.—Complures Faerni libri habent *dat*: nostri omnes *det*, quod ad sententiam est rectius. B.

3. *Neque id injuria*] Id est, usque adeo injustus sibi videbitur, ut se injustitiæ ipse condemnet. D.—*Ipsus sibi injurius*] Gloss. *Injurius ἄδικος*. Priscian. lib. xiii. p. 154. L.

4. *Perspexerit*] *Perspicere* est ad plenum et perfectum videre. D.

5. *Ibi culpam in te*] V. C. *culpam omnem in te*. L.

6. *Tum illæ turbæ*] Τὸ *illæ* ad terrorem retulit. *Quid vis patiar?*] Hoc est, patiarne uxorem ducere? *Quid vis patiar?*] Sunt qui *quid vis*, pro, quicquid evenerit, intelligant: quia dixerat, *Adeon' me ignavum putas?* Alii pronunciant, ut sit sensus, Quid me vis facere? an ut hoc patiar uxorem mihi dari? *Pater est, Pamphile*] Hoc vultuose pronunciandum est, et mirer *pater* dixit: ut ipso nomine videatur habere auctoritatem, et veluti dormitantem et oblitum potestatis paternæ, his tribus excitat: Pater est Pamphile, difficile est hæc sola est mulier. *Pater est*] A necessario argumentum. D.—*Quid vis patiar?* Sensus hic est: Noli persuadere, quantum velit licet irascatur pater. Quæcunque per iracundiam fecerit, sustinebo hoc est, quodcunque patiar. Hic jam persuasio est, ut polliceatur, quæ efficitur a terroris parte. E.

7. *Difficile est*] Hoc est, resistere, contradicere, Pamphilo difficile, perniciosum Glycerio. *Difficile est*] Ἀποσιώπησις cum vultu. Deest *resistere*. *Sola*] Sine auxilio, ac per hoc deserta. *Sola* autem, sine defensoribus propriis; et *sola* et *mulier* dixit. *Dictum ac factum*] Proverbium celeritatis, id est, cito. *Invenerit*] Pro inveniet. Conjunctivo modo pro indicativo usus est: et est honesta locutio. D.—*Pater est*, inquit, *Pamphile*. An fieri possit, ut imperium sentiat, adjecit, *difficile est*. Deinde ab utili et honesto: *Tum hæc sola est mulier*] Quæ quidem res a omnia proficit. Nam quæ sola est, facilius injuriam pati potest. Denique hoc adjunxit: *Dictum ac factum*] Aliquam causam, ut supra diximus; quoniam actus hominis in his duobus consistit, vel dicto vel facto. Ideo complexio est: *Dictum ac factum, invenerit aliquam causam quam ob rem ejiciat oppido*] Tristis adolescens injuria, quod (*injuriæ, quæ*) fieri amicæ possit, continuo consilium quærit. E.

Aliquam causam, quamobrem ejiciat oppido. PAM. Ejiciat? DAV. Cito.
PAM. Cedo igitur, quid faciam, Dave? DAV. Dic te ducturum. PAM. Hem! DAV. Quid est?
PAM. Egone dicam? DAV. Cur non? PAM. Nunquam faciam. DAV. Ne nega.
PAM. Suadere noli. DAV. Ex ea re quid fiat, vide.
PAM. Ut ab illa excludar, huc concludar. DAV. Non ita est.
Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem:
Ducas volo hodie uxorem: tu, ducam, inquies.
Cedo, quid jurgabit tecum? hic reddes omnia,
Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient,
Sine omni periclo. Nam hocce haud dubium est, quin Chre-
Tibi non det gnatam: nec tu ea causa minueris [mes

8. *Quamobrem ejiciat oppido*] Callide ad ejus periculum se convertit, cui plus amator timet, quam sibi. Ideo vincitur statim. Apparet autem Davum male suadere: qui tum caveat Pamphilo, cum maxime formidat senem. *Oppido*] Ex civitate. *Ejiciat?*] Miratur et stupet. *Cito*] Illo admirante, hic etiam confirmavit: addidit et tempus celeritatis. D.—Metri causa interserendum est *eam*, et legendum *eam oppido ejiciat*. Dein usus loquendi ante *cito* postulat *ac*, quod a præcedente syllaba absorptum est. B.

9. *Cedo*] Singularis tantum numeri est: cætera pluralia, ut *Salve, salvete. Dic te ducturum*] Pronuncia, *dic*: quasi rem facilem, et nullius præjudicii. *Dic te ducturum*] Hoc est, quod ab initio nitebatur. D.—*Cedo igitur quid faciam, Dave?*] Ipsa propositio persuasionis. *Dic te ducturum*] Repugnat contra Pamphilus. Persuasio sequitur continuo. Quid fieri habeat, (lege, debeat,) si hoc fit, hoc est, si polliceatur se esse ducturum. E.

10. *Egone dicam?*] Τὸ *Ego* ἔμφασιν habet: hoc est, vel quem non oporteat dicere, vel quem non conveniat fallere atque mentiri. *Cur non?*] Non interrogat, sed facilitatem rei ostendit. *Nunquam*] Plus habet negationis, quam *non*. D.

11. *Ex ea re quid fiat vide*] Ἀπὸ τῆς ἐμβάσεως. D.

12. *Ut ab illa excludar, hac concludar*] Mire hanc cum pronomine significat, dicens *ab illa*. Illi nec sexum servavit, ne uxor esse videatur (lectionem corruptam sic restituo: *ab illa. Illinc. Huc. Nec sexum servavit, ne uxor esse videatur.*) Et ex ferarum translatione *concludar* dixit; ut alibi, *conclusam hic habeo uxorem sævam. Ut ab illa excludar*] Ἐν ὑπονοίᾳ ει: nam aliud infert, atque intelligit Davum dicere. D.—*Ab illa excludar, hac concludar*] Hic levi mutatione verbi fit figura paronomasia, ut a Glycerio excludatur, inquit, hic erit eventus: at ille contra, qui persuadebat, ostendit, quis eventus sit futurus, si polliceatur: et facile esse dicit. E.

13. *Nempe hoc sic esse*] Conjectura atque divinatio, an hoc, an illud venturum sit. *Nempe hoc sic esse opinor*] Ab imitatione, *μίμησις* enim dicitur, deducitur. *Nempe hoc*] A possibili. D.—*Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem: Ducas hodie volo uxorem; tu, ducam, inquies*] Ut ostendat rem in verbis esse, post nihil futurum sermonis, adjungit. E.

15. *Cedo*] *Cedo* singulariter tantum: cætera pluraliter. *Cedo quid jurgabit?*] Ab utili. *Hic reddes omnia*] *Hic* adverbium loci non est, sed adverbium temporis. Ut Virgilius, Æn. ix. 246. *Hic annis gravis atque animi maturus Alethes. Reddes*] Facies, restitues. D.—*Cedo quid jurgabit tecum?*] Ipsum deinde ponit dicentem: *Hic reddes omnia, quæ nunc certa sunt, consilia, incerta ut sient.* E.

16. *Incerta ut sient*] Hic est eventus. D.

17. *Sine omni periclo*] Hoc est, sine ducenda Philumena. D.—Ab utili subjungitur: *Sine omni periclo*] Sed hoc tum demum consilium bonum est polliceri patri, si Chremes filiam suam Pamphilo nolit tradere uxorem. Nam si velit tentare adolescentis animos senex, et continuo ad Chremetem pergere et petere filiam, periculosum est. Ideo adjungit; fortasse posse aliqua mutari, ut Chremes quidem nunc nolit, tamen tradat aliquando. Adversus istud igitur, *Ne consilium mutet Chremes*, nihil aliud consilii datur. E.—Nisi legas *periclo* pro *periculo*, et ex *omni* elidas *m*; versus est impeditus. Faernus apud B.

18. *Nec tu ea causa minueris*] Hoc est

Hæc quæ facis, ne is mutet suam sententiam.
Patri dic velle: ut, quum velit, tibi jure irasci non queat.
Nam quod tu speres, propulsabo facile: Uxorem his moribus
Dabit nemo; inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.
Sed si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris.
Alia otiosus quæret: interea aliquid acciderit boni.
PAM. Itan' credis? DAV. Haud dubium quidem'st. PAM. Vide quo me inducas. DAV. Quin taces?
PAM. Dicam: puerum autem ne resciscat mihi esse ex illa, cautio est;

quod supra, *Id mutavit, quoniam me immutatum videt. Nec tu ea causa*] Quia promiseris te esse ducturum. D.—*Nec tu ea causa minueris hæc quæ facis, is ne mutet suam sententiam*] Hoc quidem obscure dictum est, sed est sensus: Unde tu, sententiam suam ne mutet Chremes, hæc quæ facis, mutare noli, ut ad amicam vadas. Redit rursus ad consilium, *Patri dic velle:* et concludit eventum: *quum velit tibi jure irasci, non queat.* Hic quæstio. Sed aliam pater poterit quærere uxorem. Huic respondetur conjecturaliter. *Nam quod tu speres, propulsabo facile. His moribus dabit nemo*] *Speres*, id est, times, ἀκυρολογία: et *propulsabo*, id est, repellam: unde abjectio et depulsio criminis. Si perseveras in his moribus, nec Chremes nec alius dabit tibi filiam suam. Hic rursus incidit alia quæstio. Sed qualemcumque inveniet pater, ne det his moribus (*si* Z.) perseveres. E.

19. *Ne is*] Chremes scilicet. *Ne is mutet*] Ad consilium redit, et conjungit eventum. D.

20. *Patri dic velle: ut, quum velit*] Scilicet ne securus, quod non sit Chremes daturus filiam suam, parvi faciat iram patris, et neget uxorem ducere, utpote fretus, neminem alium sibi commissurum conjugem. D.—*Patri dic velle*] Ms. *velle te.* L.

21. *Nam quod tu speres*] Sunt qui pro *speres, timeas* habeant: ut sit, Nam quod tu timeas, scilicet, aliam daturum, *Propulsabo*] Hoc est, causam inanem esse monstrabo, id est, ostendam nihilominus, te esse ducturum aliam uxorem, etiamsi hanc non duxeris. *Propulsabo*] Eleganter, pro eo quod est *repellam. Uxorem his moribus dabit nemo*] Ne alteram quærat. *His moribus*] Deest aliquid; ut sit, his moribus agenti, aut his moribus prædito. D.—Pro vulgari *speres*, præter Donatum, liber Vaticanus, quem Faernus inspexit, et ex nostris veterrimus, habent *speres.* Recte. B.

22. *Inveniet inopem*] Τὴν φορὰ ἐφεκτικὸν (lege, ἐφεκτικῶς.) Sed nec inopem quærat. *Inveniet*] Sunt qui κατ' ἀνθυποφορὰν dici putent *inveniet inopem.* D.—*Inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat*] Hoc ergo proponit quasi ex adversa parte: et est collatio duorum malorum, quorum alterum eligitur. E.

23. *Negligentem feceris*] Hoc est, etiam in paratis nuptiis. D.

24. *Aliam otiosus*] Ex otio, hoc est, securus. *Interea aliquid boni acciderit*] Scilicet ne quærendo inveniat. *Interea aliquid*] Mortem patris adolescenti in delicto pro bono servus ostentat. *Acciderit*] Et ad causam refertur: et certe quia mortem patris bonum denunciat. *Acciderit*] Nota *acciderit* etiam pro bono, et ab hoc, et apud veteres frequentatum. D.—*Aliquid interea acciderit boni*] Quoniam in rebus asperioribus, quæ vitari non possunt, remedium est dilationis persuasio: talibus commotus adolescens unam sollicitudinem, non jam ex amore, sed ex pietate supponit, quod metuat, ne natum sibi filium pater possit agnoscere. E.—Etsi omnes codd. quos ego et Faernus inspeximus, habent *Alia:* melius tamen videtur *Aliam*, sc. cum dote, non inopem. B.—*Alia otiosus* habet Sandby. Z.

25. *Haud dubium*] Plus intulit, quam est interrogatus. *Inducas*] In eadem translatione permansit, quia supra dixit, *hac concludar.* Bona οἰκονομία, ut mox juste Davo succenseat Pamphilus. *Quin taces? dicam*] Cur non securus es? significat jam nunc *tacere*, securum esse, ut in Adelph. *Tace, egomet conveniam Pamphilum.* Et ideo ille, ut consentire dicenti *quin taces?* videretur, ait *dicam;* ut scias illum, non silentium, sed securitatem imperasse. *Quin taces?* Correptio est silentium præcipientis, de eo duntaxat, ne timeat de nuptiis; id est, esto securus. Nam tacere, securi est. D.—*Vide quo me inducas*] Est autem *inductio* oratio, quæ rebus non dubiis captat assensionem ejus, cum quo instituta est. E.—Bentl. cum West. tacite edidit *haud dubium id quidem 'st.* Z.

26. *Puerum autem*] Videtur hoc illi

Nam pollicitus sum suscepturum. DAV. O facinus audax!
PAM. Hanc fidem
Sibi, me obsecravit, qui se sciret non deserturum, ut darem.
DAV. Curabitur. Sed pater adest: cave, te esse tristem sentiat.

ACTUS SECUNDI SCENA IV.

SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

REVISO quid agant, aut quid captent consilii.
DAV. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde ex solo loco:
Orationem sperat invenisse se,
Qui differat te: proin' tu fac, apud te ut sies.

contrarium esse, quod dixit, *Quicquid peperisset decreverunt tollere.* Sic ergo solvitur: quod ibi servus cum stomacho dixit, hic tantum Pamphilum verecunde locutum accipimus. *Puerum autem ne resciscat*] Aut divinat, aut *puerum* pro quolibet sexu; sobolem, hoc est, fœtum: ut, *Quicquid peperisset, decreverunt tollere;* ut Græci pueros καλοὺς: Homerus, Il. α'. 255. Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες: et Horatius, Carm. 1. Od. 12. 25. *Dicam et Alcidem, puerosque Ledæ. Cautio est*] Cautione opus est, hoc est, cavendum est. D.—Vulgo legunt *ab illa.* Sed præferendum *ex illa*, quod Faernus in multis libris, præsertim antiquioribus, invenit, et ego in omnibus meis. B.

27. *Nam pollicitus sum*] *Promissio* et *pollicitatio* eandem vim habent: sed *pollicitatio* majoris asseverationis est. *Hanc fidem*] Ordo est, ut hanc fidem sibi darem, me obsecravit, qui se sciret non deserturum. D.—*Hanc fidem sibi*] Priscian. lib. xiii. L.

28. Pro *deserturum* recte legit vetus Mureti cod. *desertum iri.* B.

29. *Curabitur*] Non *curabo*, sed impersonaliter, cum difficultate: quod quasi arduum esset, et grave ostendit. D.—*Cave, te esse tristem sentiat*] Hoc verbum, id est, *cave*, significat *vide ne.* Et hoc interdum. E.—*Te esse tristem*] Serv. Georg. i. ad illum versum, *nequicquam spectat Olympo.* L.

1. *Reviso*] Hæc scena nodum injicit erroris fabulæ, et periculum comicum. Facit etiam executionem consiliorum. *Reviso quid agant, aut quid captent consilii*] *Quid agant*, auribus opus est; πρὸς τὸ (lege e Ms. Hulst. *Quid agant;* πρὸς τὸ *quid agant*, auribus opus est) *quid captent consilii*, prudentia et sagacitate: et quod supra dixit, non pœnituit idem repetere, *observes filium; quid agat, quid consilii cum illo captet.* Quod enim prudenter dictum fuerit, non piget repetere. Actio tamen ex his tribus consistit, cogitatione, dicendo, gerendo. *Reviso*] Redeo, ut videam. *Quid agant*] Quid respondeant, quid dicant. D.—*Reviso quid agant*] Hæc scena eventum supra positi consilii complectitur, ut temperet (*tetet.* Z.) filium pater, cui ex suasione Davi filius promittit. E.—Pro *aut quid* numerus postulat et Terentii consuetudo *quidve*; cf. Eun. ii. 3. 12. it. infra 4. 9. B.

2. *Hic nunc non dubitat*] Non dixit, senex, aut pater: sed *Hic*, cum odio, quoniam animo adverso loquitur. D.

3. *Venit meditatus alicunde*] Terror objurgaturi patris, hortatio est ad promittendum Pamphilo, quod jubetur. *Ex solo loco: orationem sperat invenisse se*] *Solo*, deserto, ubi meditari facilius possit. D.—*Meditatus alicunde ex solo loco*] *Meditatus ἐσκεμμένος.* Et bene *solo loco:* τῆς ψυχῆς γὰρ ἐρημούσης ἡ γνώμη τελειοῦται. In quam rem a Donato elegans Menandri versus laudatur. Vid. Serv. ad Virgil. Æneid. v. versu *At procul in sola*; et Æneid. xi. vers. *Solorum nemorum.* L.

4. Et *orationem* dixit, quod quasi ad plenum cogitari potuisset, quippe meditatus ex solo loco. Menander: εὑρετικὴν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν οἱ τὰς ὀφρῦς ἀίροντες. D.—*Orationem sperat invenisse se, qui differat*] Id est, increpet vel dissipet te. Admonet rursus adolescentem, quo facilius respondeat. E.

5. *Qua differat*] Disturbet, et in diversum ferat. Virg. Georg. iii. 197. *atque arida differt Nubila.* Et in Adelphis, *Miseram me! differor doloribus*, hoc est, in diversum rapit, dissipat (lege omnino, *in diversum rapior, dissipor*). *Apud te ut sies*] Non, ne timeat, cavet Davus; sed ne

PAM. Modo ut possim, Dave. DAV. Crede, inquam, ho
mihi, Pamphile,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum esse verbum, si te dices ducere.

ACTUS SECUNDI SCENA V.

BYRRHIA. SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

HERUS me, relictis rebus, jussit Pamphilum
Hodie observare, ut, quid ageret de nuptiis,
Scirem: id propterea nunc hunc venientem sequor.
Ipsum adeo præsto video cum Davo: hoc agam.
SI. Utrumque adesse video. DAV. Hem! serva. SI. Pamphile

amore a consilio suo alienetur Pamphilus. *Apud te ries*] Præparatus sis: cui contrarium est, *Non sum apud me.* D.—*Fac ut apud te sis*] Id est, consilium tibi traditum mente contineas; quo facto, apud te esse poteris. E.—*Qua differat*] Ms. *Qui differat.* L.—Libri Basilicanus et Decurtatus habent *Qui differat*, et ita quoque in Victoriano et Vaticano est emendatum, ait Faernus. Duo tantum e nostris *Qua*, cæteri *Qui*. B.

6. *Modo ut possim*] *Ut*, pro ne non. *Modo ut possim*] A possibili, Possim apud me esse. D.—*Crede mihi*] Quoniam Pamphilus veluti difficultatem posuerat dicendo, *ut possim*: respondit rursus ad eventum, quod pater verbum non commutaturus (alii, *commoturus*, male. Z.) sit, si se dixerit ducturum. E.—*Modo ut possim*] Ms. *Modo ut possim, Dave.* L.

7. *Nunquam hodie*] Ab utili eventu. *Nunquam*, plus asseverationis habet, quam *non*; ut Virgilius, Æn. ii. 670. *Nunquam omnes hodie moriemur inulti. Commutaturum patrem*] Jurgium habiturum; hoc est enim *verba mutare. Commutaturum verbum*] Altercaturum. Sic in Phormione, *Tria non commutabitis verba inter vos hodie*, hoc est, dabitis atque accipietis, id est, jurgabitis. Ego puto *commutare verba* hoc esse, pro bonis dictis mala ingerere: hoc est, iracundia in maledicta compelli. Verba, *Ego puto—compelli*, non videntur esse Donati, et repugnant antecedentibus.) D.

1. *Herus me, relictis rebus*] Vide quam mire, quum omnes consulto consilio sibi agere videantur, tamen omnes rerum exitu inopinato ludificantur, et Simo, et Davus, et Pamphilus, et Charinus, et ipse Byrrhia. *Herus me, relictis*] Ad hoc venit Byrrhia, ut in errorem conciliet Charinum. Et in hac scena quatuor personæ sine implicatione intellectus loquuntur. *Herus me, relictis rebus*] Imponitur manu rebus, cum perficitur id quod cœperis ut Virgilius, Æn. vii. 573. *Imponit regi manum.* Relinquuntur vero res, cum imperfectæ relinquuntur. Item Virgilius Georg. iii. 519. *Atque opere in medio defixa relinquit aratra. Relictis rebus*] Adeo præposuit hoc negotii rebus omnibus. I —*Herus me, relictis rebus*] Hæc scen fortunæ interponitur. Byrrhia servu Charini, qui Philumenam vult ducer uxorem, quam quidem Pamphilus no vult, dum pater filio offert, interveni quo error facilius possit increscere. Ap ponitur eo tempore, quo Pamphilus e suasione servi, falso quidem, non volun tate, promissurus est patri, se uxore esse ducturum. E.

2. *Hodie observare*] Observatio duple est, vel captionis, vel obsequii. D.

3. *Id propterea*] Necesse est aut alte rum esse supervacuum, aut *propterea* po accipiendum. D.—Pro *id* unus e nostr habet *huc*, rectius. Sed totus versus e spurius. Nam Pamphilum, qui, ex qu Byrrhia fugere jussus est, nusquam pe dem e scena movit, hic Byrrhia non di potest sequi huc, h. e. in scenam venien tem. Interpolatio vero orta est ex ante cedentibus, ubi vitiose omnibus in libr scriptum reperitur *observare, ut, quid, et* Emenda sic, *observarem, quid ageret, et* Ex *m* igitur natum est *ut*, quia *jussit* cu Infinitivo est usitatius. Sed cum Cor junct. apud nostrum quoque occurri Eun. iv. 4. 25. cf. And. i. 1. 142. B.

4. *Hoc agam*] In gestu est: nam e figura corporis, observantis quid agatur. I

5. *Utrumque*] Et Davum, et Pamph lum. D.

DAV. Quasi de improviso respice ad eum. PAM. Ehem, pater.
DAV. Probe. SI. Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
BY. Nunc nostræ timeo parti, quid hic respondeat.
PAM. Neque istic, neque alibi usquam tibi erit in me mora.
BY. Hem!
DAV. Obmutuit. BY. Quid dixit? SI. Facis ut te decet,
Quum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.
DAV. Sum verus? BY. Herus, quantum audio, uxore excidit.
SI. I nunc jam intro, ne in mora, cum opus sit, sies.
PAM. Eo. BY. Nullane in re esse homini cuiquam fidem!
Verum illud verbum'st, vulgo quod dici solet,
Omnes sibi malle melius esse, quam alteri.
Ego illam vidi: virginem forma bona

6. *Quasi de improviso respice*] Interest ejus qui repente aspexerit: nam videbitur nihil dolose locuturus: ut, Æn. xii. 671. *magnam respexit ad urbem. De improviso*] Scilicet, ne meditata intelligat eum habuisse consilia. D.

7. *Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo*] *Nolo et volo*, nimis imperiosa et superba dictio est; ut alibi, *pisces cæteros purga, Drome, Congrum istum maximum in aqua sinito ludere Paulisper; ubi ego venero, excæabitur: Prius nolo.* D.—*Hodie uxorem ducas*] Supra enim Pamphilus ipse dixit, *Præteriens modo mihi apud forum, uxor tibi hodie ducenda est, Pamphile.* Merito ergo nunc, ut dixi. E.

8. *Nunc nostræ timeo parti*] Hoc ex persona Byrrhiæ intelligendum, propter timorem domini, quem habet. E.—Ordo verborum, *nostræ timeo parti*, idem reperitur in omnibus codd. Faerni, et meis plerisque. B.

9. *Usquam erit in me mora*] Recusantis est magis, quam non volentis (Boeclero assentior, qui legit, *Non recusantis est magis quam volentis*), consensio, ea segnis ac tepida, si penitus consideres. *Hem*] Perculsus hoc dicto Byrrhia, interjectione magis, quam verbo exclamavit. D.—Omnes fere nostri rotundius et metro convenientius legunt, *tibi erit usquam.* B.

10. *Quid dixit?*] Nota hic Byrrhiæ personam quartam, sed non admixtam. D.

11. *Quum istuc, quod postulo, impetro*] Nimis consequenter (*obsequenter*) locutus est pater. Et *postulo*, pro jubeo: et *impetro*, pro extorqueo. *Postulo*, juste volo. Petimus enim precario, Poscimus imperiose, Postulamus jure. *Impetro*, pro cum impetrem. D.

12. *Sum verus?*] Id est, veridicus: ut *falsus*, pro falsidicus. *Uxore excidit*] *Cadere spe* dicuntur, qui levati animo, a summo ad inferiora labuntur. *Uxore*, hoc est, matrimonio ac nuptiis. *Uxore excidit*] Quod Græci dicunt ἐξέπεσεν καὶ ἀπέτυχεν. D.—*Sum verus*] Id est, vera dico. Davus hoc loquitur, quod secundum promissionem nullum verbum fecerit senex. E.

14. *Nullane in re esse homini cuiquam fidem?*] Non, in nullis terris, sed neque in terris, neque in persona; ut Virg. Æn. iv. 373. *Nusquam tuta fides;* cum in amore fracta esset ab eo, Æn. iv. 599. *Quem subiisse humeris confectum ætate parentem* audierat. Alibi Terentius, *Cujus tu fidem in pecunia perspexeris, Verere ei verba credere? ubi quid mihi lucri est?* D.—Veteres quædam Editt. *cuiquam hominum:* cod. Petrensis *cuique homini*, quod melius est, ne ictus in ultimam τοῦ *homini* perperam incidat. B.

15. *Illud verbum*] Id est, proverbium et sententia; et sic veteres *verbum* pro sententia. D.

16. *Omnes sibi malle*] Sic alibi, *Proximus sum egomet mihi.* D.—*Omnes sibi malle*] Salvian. Massil. ad Eccles. Cathol. lib. iii. *Etiam vulgo dictum est, omnes sibi melius velle, quam alteri. Novum hoc monstri genus est, cuilibet quemquam velle consulere, tantum ne sibi.* Hegias apud Suidam: ἑκάστῳ γὰρ εἶναι τὴν ἔφεσιν τοῦ ἀγαθοῦ πρὸς ἑαυτὸν μᾶλλον, ἢ πρὸς ἕτερον. Menander: φιλεῖ ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα. L.—Plerique libri cum Editt. priscis collocant versum: *Omnes sibi esse melius malle quam alteri.* Vaticanus et Basilicanus ita, *Omnes sibi malle melius esse, etc.* Ego repono sententiæ gratia, *Omnes sibi esse bene mavelle, quam alteri.* B.

17. *Ego illam vidi*] Hic corrigitur a poeta, quod per iracundiam dixit Pamphilus, *Aliquid monstri alunt. Forma bona*] Distinguitur. D.—Lege, *Ego, cum illam vidi, virginem forma bona Memini videre.* B.

Memini videre; quo æquior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.
Renunciabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

ACTUS SECUNDI SCENA VI.

DAVUS. SIMO.

Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, et ea me hic restitisse gratia.
Si. Quid Davus narrat? Dav. Æque quicquam nunc quidem
Si. Nihilne? hem! Dav. Nihil prorsus. Si. Atqui exspectabam quidem.

18. *Memini videre*] Aut memor sum vidisse; aut *memini videre*, hoc est, intelligo, scio; aut memini quod viderim. *Memini videre*, pro vidisse. Ennius, *Meminisne tum fieri pavum.* (Ms. Hulst. et ed. Venet. *meminisne me quam fieri pavidum;* it. Ms. Boend. et ed. Du B. Sed H. Junius Animad. iii. 11. tuetur *pavum;* cf. Pers. Sat. vi. et Donat. ad Phorm. i. 2. 24.) Alibi sic, *Memini videre*, non probare. (Ed. Venet. et uterque liber, alibi: *Sic meminisse videre, novi probare.*) *Quo æquior*] Hoc est, quare æquior Pamphilo, benevolentior, non iratus, vel minus iniquus. D.—*Memini videre*] Hoc est, scio et intelligo quid videam. *Quo æquior sum Pamphilo, si se illam in somnis*] Scio etenim videri quod sit pulchra. Cognosco et faveo Pamphilo, quod maluit illam se potius amplecti, quam alteram. E.—*Memini videre*] Serv. Georg. iv. ad vera. *vidisse senem.* L.

19. *In somnis*] Per noctem: ait Virgilius, Georg. i. 208. *Libra dies somnique pares ubi fecerit horas.* Plautus, Merc. ii. 1. 1. *Miris modis ludos faciunt hominibus, mirisque exemplis somnia in somnis.* Alii *insomnis*, vigilans: sed melius, per noctem. *Quam illum amplecti*] Dicit nunc quod vulgo dicitur, *cum illa manere, cum illa dormire.* D.

1. *Hic nunc me credit*] Hæc scena dolos continet utriusque personæ, quibus utraque capit, et capitur miro modo. *Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam*] Davus ita videtur loqui, ut nullus spectator audiat: sed hoc ait (lege, *hoc agit*, h. e. id operam dat. Nisi locus, qui interpolatus esse videtur, ita est legendus: *Davus ita loqui videtur, ut nolit audiri a sene*), ut velit audiri a sene. D.—*Hic nunc me credit*] Hæc scena dolos habet utriusque personæ, senis et Davi. Namque ille inquirit, an filius ægre ferat, quod faoturus est nuptias. Contra callide servus respondet, non omnino negans, n fidem perdat, sed esse apud Pamphilun sollicitudinem diem. Nam jam cognitur est, quod propterea * fuerat dimisse (Ms. alter: *Nam jam cognitionem qd pote rit; id tum fuerat dimisisse:* alter: *Na jam cognitionem qd præteritum fuerat dimi sisse.*) Et ut verisimile faciat, quanto sil decori esse putaverit, quod amore mere tricem dilexerit. Pamphilus cogitavit, e nimia temporis ratione compulsus, vu Glycerium uxorem. At Simo senex ami cogitatum metitur ex vultu, ut dicat pate filium ægre ferre, quod subtristis est vi sus. Hic fiunt quasi per conjecturam a gumenta. Ille enim dicit, tristem es propter nuptias: hic supponit aliam ca sam. Et quandoquidem repentinum es quod objecit senex, diu quærens Davu multa promit. Ad postremum derivati nem causæ hanc ponit, quod nimis parc pater faciat sumtum, cum filio tradat ux rem. Addit causas, quod neminem e amicis vocet ad cœnam. Adjicit et servu testimonium suum, quod vere parce sene præparet cœnam. E.

2. *Gratia*] *Gratia* veteres pro causa p nebant. D.

3. *Quid Davus narrat?*] Videtur il blandius locutus esse. *Æque quicqua nunc quidem*] Bene *nunc quidem:* similit *nunc nihil*, ut paulo ante, cum dixit, *populus curat scilicet. Æque quicquam nu quidem*] Hoc est, nihil. D.—Etsi omn codd. repugnant, legendum tamen put *Quid, Dave, narrat*, sc. Pamphilus, qui s periori scena cum Davo domum ib Igitur Davus, quem Simo cum filio nuptiis locutum aliquid putat, hic inte rogatur. B.

4. *Hem*] Interjectio est irati, adversu eum, qui neget se aliquid locutum es simul quid sit *Æque quicquam nunc qu*

DAV. Præter spem evenit: sentio: hoc male habet virum.
SI. Potin' es mihi verum dicere? DAV. Nihil facilius.
SI. Num illi molestæ quippiam hæ sunt nuptiæ,
Propter hujusce hospitæ consuetudinem?
DAV. Nihil hercle: aut, si adeo, bidui est, aut tridui
Hæc sollicitudo: nosti: deinde desinet.
Etenim ipsus secum eam rem reputavit via.
SI. Laudo. DAV. Dum licitum est ei, dumque ætas tulit,
Amavit: tum id clam: cavit, ne unquam infamiæ
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet:
Nunc uxore opus est: animum ad uxorem appulit.
SI. Subtristis visus est esse aliquantulum mihi.

dem, senex explicat, cum ait, *Nihil?* Et est *εὐφημισμὸς* antiquorum, pro nihil. *Nihil prorsus*] Id est, neque prorsus. *Nihil prorsus* dicitur, in quo nulla est ambiguitas; et est confirmatio negantis. *Atqui exspectabam quidem*] *Exspectamus* tam bona, quam mala: *speramus* bona. D.—Bentleius semper fere pro *nihil* et *mihi* edidit *nil*, *mi*. Semel monuisse sat erit. Z.

5. *Præter spem evenit*] *Præter*, pro contra: ut, *Præter ætatem tuam*. *Hoc male habet virum*] *Εἰρωνικῶς virum* dixit defessum senem; modo enim *virum* jocularitер dixit. *Virum*] Ad vituperationem cum ironia: ad laudem vero sine ironia. D.

6. *Potin' es verum*] Integrum, *potisne*, id est, potes. Ut Virgil. Æn. iii. 671. *Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo*. Et deest illi *es*. Est enim nomen *potis*: et facit, *potis*, *potior*, *potissimus*. D.—*Potin' es mihi verum dicere?*] Menander: *ἀεὶ κρατιστόν ἐστι τ' ἀληθῆ λέγειν*. L.—Concinnitatis gratia ante *nihil* pone *ego?* ut Eun. i. 2. 21. B.

7. *Num illi molestæ quippiam*] *Quippiam*, significationem minimæ rei habet. D.—Cod. unus e Regiis habet *hæc*. Vetuste et vere. B.

8. *Propter hospitæ hujusce consuetudinem*] Hæc omnia pronominibus bene mollita sunt: etenim atrocia sunt, si cum suis nominibus nuda ponantur. Et *hujusce hospitæ*, non meretricis: et *consuetudinem*, non amorem dixit; ita omnia extenuat, ut Davus audeat confiteri. D.—Etsi omnes codd. quos vidit Faernus, habent ordinem Donati, melior tamen est ordo, *Propter hospitæ hujusce*. Cæterum antiquius est *hospitaï*. B.

9. *Aut, si adeo, bidui est aut tridui*] Bene, *aut si adeo*: ne si omnino negaret, *cur igitur tristis est ille?* diceret. D.

10. *Sollicitudo*] Propter turbationem. *Nostin'?*] In significationem multorum, quæ compendio facimus (malim *compendi-facimus*), *Nostin'* dicimus. D.—Bentleius post *nosti* posuit signum interrogationis, quod non est opus. Z.

11. *Recta reputavit via*] *Reputavit*, retractavit: quia *putare*, purgare est; unde et *arbores*, et *vites putare* dicimus. *Via*] Consilio, ratione. D.—*Eam rem reputavit*] V. C. *eam secum ipse rem recta reputavit via*. L.—Sic versum legit in cod. Vaticano Faernus, cui consentit unus e nostris vetustissimus. Sed nos delemus *secum* tanquam alienum, et post *rem* reponimus *recta*, quod Faernus vidit in codd. et consuetudo Terentii et Plauti postulat. B.

12. *Laudo*] Senex inducitur, et credit. *Dum licitum est*] Deest, *per te*: hoc est, dum tu permisisti. Et mire hic utitur verbis senis. Ipse enim supra dixit, *Dum tempus ad eam rem tulit, sini, animum ut expleret suum*. *Dum licitum est illi*] Sic veteres et *placitum*, et *puditum* dicebant: quæ nos, *placuit*, *puduit*. *Dumque ætas tulit*] Dum esset ætas immatura nuptiis. *Tulit*, duo significat: attulit, et abstulit; passus est, et pertulit. D.—Bentleius metri causa scripsit *eii*. Z.

13. *Tum id clam*] Bene *clam*, quia nunc liquido apparet, Pamphilum voluntatem propositumque mutasse. *Cavit, ne unquam infamiæ ea res sibi esset*] Mire utitur senis verbis. Ipse enim dixerat, *Dum tempus ad eam rem tulit, sini, animum ut expleret suum*. (Verba *Mire utitur senis, etc.* inscite ex versu 12. hic sunt repetita.) D.

15. *Nunc uxore opus est*] Quasi denunciatio est quædam necessitatis seni impositæ. *Animum ad uxorem appulit*] Et bene *appulit*, quasi ab jactatione fluctuum, et marini æstus; has enim tempestates habet amor. Et sic dixit, *Ad uxorem animum appulit*, ut supra, *Animum ad scribendum appulit*. D.

16. *Subtristis visus est*] *Sub*, tempera-

DAV. Nihil propter hanc rem: sed est, quod succenset tibi.
SI. Quidnam'st? DAV. Puerile'st. SI. Quid est? DAV. Nihil.
SI. Quin dic, quid est?
DAV. Ait nimium parce facere sumtum. SI. Mene? DAV. Te.
Vix, inquit, drachmis est obsonatus decem.
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, ad cœnam vocabo meorum æqualium
Potissimum nunc? et, quod dicendum hic siet,
Tu quoque perparce nimium: non laudo. SI. Tace.
DAV. Commovi. SI. Ego istæc, recte ut fiant, videro.
Quidnam hoc rei est? quid hic volt veterator sibi?
Nam si hic mali est quicquam, hem illic est huic rei caput.

mentum est plenæ pronunciationis: ut, *subtristis, subridet*, non ad plenum tristis aut ridet: ut confessionem eliceret. *Subtristis visus est aliquantulum mihi*] Mire servatum est in adolescente libero τὸ πρέπον, et in amatore τὸ πιθανόν. Nam et honesto juveni non congruebat versipellis vultus: et in amatore absurdum fuerat, ingenium celare tristitiam. (Pro *ingenium* alii habent *ingenuum*. Lege vel *ingenuam*, vel *in amatore ingenuo absurdum fuerat, celare tristitiam.*) Itaque nec ad plenum tristis fuit, quia dixit *celanda res erat* (pro *celanda* Ms. Hulst. et ed. Venet. 1490. habet *occultanda*. Utrumque videtur e margine irrepsisse. Haud dubie Donatus scripsit: *quia dixit*, SUBTRISTIS): nec gaudium fuerat, quia ingenium et amoris necessitas in tristitiam retrahebat. D.—Pro *aliquantulum*, ut trochæus evitetur, lego *aliquantillum*. B.

17. *Sed est, quod tibi succenseat*] Quod ille a summo ad imum opposuit (lege *proposuit*), hic causæ derivationem opposuit. *Quod succenseat tibi*] *Succensere*, potioris est. (Verba, *succensere potioris est*, absunt a Ms. Hulst. Et sane videtur pro *succensere* hic aliud verbum reponendum esse. Etenim nec Pamphilus patre erat potior, nec semper potiores succensent. Nisi *potioris est* neutro genere dictum accipias pro *majoris est*, h. e. in re majore et potiore adhiberi solitum. Sic mox explicat ipse Donatus. Placet Wielingio *Censere potioris est*; vel, *Sic censere potioris* est. Posse tamen putat illa, *Succensere potioris est*, esse a Donato, illa, *Succensere, in re gravi et justa irasci*, ab altero grammatico profecta. Neutrum autem satis accurate.) *Succensere*, in re gravi et justa irasci. D.—Dele *rem*, ut *hanc* referatur ad hospitam, Glycerium. Antiquissimi libri habent *suscenset*. B.

18. *Puerile est*] Apparet Davum nunc quærere quid respondeat: et ad quam causam derivet aversa suspicione tristitiam Pamphili, quam animadvertit senex *Puerile est*] Utrum magis ideo suspendit ut senex audire desideret: an quia nec dum commentus est causam, contra rependendam propositioni senis? (Posteriorem rationem probabiliorem esse, et theatro magis consentaneam, ait Dacieria Z.) *Nihil est*] Videtur invenire non posse D.—Ante *nihil* repone *quid id est?* B.

19. *Ait nimium parce facere sumtum*] Mire (Ms. Hulst. recte, *mirum*), ipsum dicere veluti *fecit* et *nimium*, et *parce Nimium parce facere*] Pepercit, ne dicere sordide. *Mene?*] Perturbati indicium est quia se ipsum pronomine ostendit. D.

20. Duo codd. primarii legunt *est obsonatum*. Recte. Cf. Plaut. Bacc. i. 2. 35. B

22. *Meorum æqualium potissimum*] *Æqualium* ætate, *potissimum* dignitate: et enim *potis, potior, potissimus* facit. D.

23. *Et quod dicendum hic siet*] Ben *hic*, ubi non sit adolescens. D.

24. *Tu quoque perparce*] Bene *quoque* quasi dicat, cum ille peccet, quod pueri liter succenseat: tu quoque peccas, per parce nimium faciendo sumtum. *Tu quoque perparce nimium*] Et *perparce*, et *nimium*, cum sufficeret unum. Et *nimium* vituperatio est: ut, *Ne quid nimis. Non laudo*] Et quia *perparce*, et quia *nimium* Nam parce agere, laudis: nimium, pec cati. Et magna moderatione, *non laudo* dixit potius, quam *vitupero*. D.—*Tu quoque perparce*] Prisc. lib. xv. L.—Leg *per parce nimium*, h. e. pernimium parce Nam quod supra 19. *nimium parce* dixerat id nunc amplificat. B.

25. *Commovi*] Ideo *commovi*, quia argumenta dixit seni, quibus proditur non esse veras nuptias. *Commovi*] Supra *sol licitavi* dixit, modo *commovi*. Et *commo* dicit apud se, ut spectator audiat, non se nex. D.

26. *Quidnam hoc est rei?*] Verba sun

ACTUS TERTII SCENA PRIMA.

MYSIS. SIMO. DAVUS. LESBIA. GLYCERIUM.

Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia;
Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
Si. Ab Andria'st ancilla hæc: quid narras? Dav. Ista'st.

secum cogitantis senis, aut de his quæ nunc locutus est Davus, aut de adventu mulierum, quæ in scenam veniant. *Quidnam hoc est rei?*] Pulsatus est senex argumento falsarum nuptiarum, *paululum obsonii:* tanquam se illuderet Davus. *Quidnam hic volt veterator sibi?*] *Veterator* est vetus in astutia, et qui in omni re callidus est. Et hi duo versus ostendunt, pulsatum esse senem argumento falsarum nuptiarum: illo argumento, quod ait, *paululum obsonii:* tanquam se illuderet Davus. Sunt ergo verba, ut diximus, secum cogitantis senis, aut de his quæ nunc Davus locutus est, aut de adventu mulierum, quæ in scenam veniunt modo. D.—*Quidnam hoc est rei?*] Secum cogitat senex orationem Davi, et promissionem filii. Non vera omnia suspicatur ex moribus servi, quem *veteratorem* appellat, hoc est, callidum et astutia vetusta roboratum. Concludit ergo: *si in hac re aliquid mali est, illic est huic rei caput.* Et illis inter se loquentibus, Simo ut agnoscat filium illam peregrinam amare, quo amplius incendatur ad nuptias, ut ei error omni ratione cumuletur, vel ex locutione mulieris, vel ex vocibus parturientis, credit in sua præsentia cuncta simulari. E.—*Veterator*] Mancipiorum usualium duplex genus, novitiorum et veteranorum. Ac plerumque novitia mancipia intelliguntur, quæ annum nondum servierunt, et propterea rudia sunt ac simpliciora. Veterana autem, quæ anno continuo in urbe servierunt, et id propter astuta et callida. Marcianus lib. xvi. §. 3. ff. de Publicanis. Ulpianus lib. xxxvii. ff. de ædil. edict. Hinc itaque versuti, et multa arte exercitati, *veteratores* dicti sunt. Glossar. *Veterator.* *παλαιομέλωψ, παλίντριψ, τριβακὸς, ἀπατέων.* Vid. Festus in Veterator. L.—Lege, *Quid hoc est reii.* B.

27. *Nam si hic est mali quicquam*] Si promissa non compleverit Pamphilus. *Illic est huic rei caput*] *Caput* est origo et summa uniuscujusque rei, ut Virgil. Æn. xi. 361.) *O Latio caput horum et causa malorum.* D.—*Illic est huic rei caput*] Iterum Adelph. iv. 2. 29. *Sensit, quod ego, te esse huic rei caput.* Servius Æneid. xi. vers. *caput horum et causa malorum.* L.—Lege *mali'st*, ne *mali* totum in Thesi obscuretur. B.

1. *Ita pol quidem res est*] In hac scena novo modo cessante Davo, fallitur Simo per nimiam sagacitatem suam. Simul in hac scena id agit poeta, ut ad nuptias faciendas magis accendatur Simo. Et quædam industria, quædam velut casu eveniunt: ut nunc suspicio senis. In multis enim *οἰκονομία* comicorum poetarum ita se habet, ut casu putet spectator venisse, quod consilio scriptorum factum sit. *Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia*] Ex hoc sermone, quem habent ingredientes, scenæ apparet principium. Quod enim auditur, non quod incipitur, initium dicunt. *Ita pol quidem*] Productio est narrativa, ad explendum modo potius jusjurandum. *Ut dixti*] Et *dixti*, et *dixisti* legitur. D.—Duo tantum codd. habent *dixisti.* Quæ vera est lectio. Nam concinnius *res* in Arsi hic ponitur, quam illic in Thesi. B.

2. *Fidelem haud ferme*] *Fidelem* maluit, quam *fidum* dicere. *Fidum* enim honestius dixisset. *Ferme* pro facile posuit: et *ferme*, facilitatem significat, quia sunt adverbia extenuationis. *Invenias*] Secundam pro tertia persona posuit, pro *inveniat quis*, vel invenire possit; ut Virgil. Æn. iv. 401. *Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes.* D.

3. *Ab Andria est ancilla hæc*] Simpliciter dixit *ab Andria est*, pro Andriæ est: nam et usu sic dicere solemus. Ergo *ab Andria est*, hoc est, Andriæ favet, Andriæ est; ut cum dicimus, *Ab illo est*, hoc significamus, illi favet, illi accommodat suffragium. D.—*Ab Andria est?*] Ex proprietate linguæ agnovit illam. Secum igitur conjecturalibus argumentis cogitat, verisimile non esse suscipere velle liberos ex peregrina. Unde confirmat mulierum calliditate fieri, ut nuptiæ impediantur. E.—Verba ita distribuenda esse censeo, ut, *quid narras*, sint Davi non interrogantis, sed admirantis et quasi negantis, vel gravate concedentis, ut Phorm. v. 7. 42. sed *ita'st* sint Simonis, rem confirmantis. B.

MY. Sed hic Pamphilus, SI. Quid dicit? MY. Firmavi fidem. SI. Hem!
DAV. Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.
MY. Nam quod peperisset, jussit tolli. SI. O Jupiter!
Quid ego audio? actum'st, siquidem hæc vera prædicat.
LES. Bonum ingenium narras adolescentis. MY. Optumum.
Sed sequere me intro, ne in mora illi sis. LES. Sequor.
DAV. Quod remedium nunc huic malo inveniam? SI. Quid hoc
Adeone est demens? ex peregrina? jam scio, ah!
Vix tandem sensi stolidus. DAV. Quid hic sensisse ait?
SI. Hæc primum affertur jam mihi ab hoc fallacia:
Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.
GL. Juno Lucina, fer opem: serva me, obsecro.

4. *Sed hic*] Semper *sed* contrariæ sententiæ significatio est. Et bene *hic*, ut ostendat de illo fuisse sermonem. *Hem*] Interjectio est accipientis verba, et admirantis. D.

5. *Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit*] Comice et facete. *Aut hic surdus*, qui audire non possit: *aut hæc muta facta sit*, ne possit dicere. *Aut hic surdus, aut hæc muta facta sit*] Ἔλλειψις per genera. D.

6. *Jussit tolli*] Hæc est fides: suscipi filios legitimos faciunt parentes. (Pro *parentes* habet Ms. Hulst. et ed. Veneta utraque *partus*. Forte legendum: *Hæc est fides, suscipi filios legitimos, quod faciunt parentes.* Sed postquam intellexi, in Ms. Boend. et ed. Du B. pro *parentes* esse *partus*, conjicio legendum esse, *suscepti filii legitimos faciunt partus.*) Et sublatio matris est: patris, tollere. *Jupiter! quid ego audio?*] Bene rursum adducitur ad desperationem senex Mysidis verbia. D.

7. *Actum est*] In summa rerum desperatione ponitur, *Actum est, Ilicet, Periisti.* Hæc res secundum jus civile dicitur: in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat. Sic ipse in Phormione, *Actum, aiunt, ne agas.* D.

8. *Bonum ingenium*] *Ingenium*, naturam. D.

10. *Quid hoc?*] Secum senex ἀλλεσπτικῶς: deest enim, *rei est.* D.

11. *Adeone est demens? ex peregrina?*] Ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν, apta cogitanti; reliquum autem sic pronunciat, quasi reperto consilio. Et bene *adeo:* quia tam demens est, quod amat ex peregrina, id est, ex meretrice. (Corrupta lectio est jam inde ab ed. R. Steph. Vetustiores et Ms. Hulst. ita: *Et bene* ADEO, *quia* demens est quod amat. EX PEREGRINA, *id est, ex meretrice.* Lege: *Et bene* ADEO, *quia jam demens est, quod amat.* Cui quidem dementiæ accedit altera, scilicet quo EX PEREGRINA, *id est, ex meretrice*, sul velit tollere partum. Hæc conjectur confirmatur cod. Boend. ubi est hæc di visio: EX PEREGRINA. *Id est, ex mere trice* vid. Phorm. ii. 3. 68.) Muliere enim peregrinæ, inhonestæ ac meretrice habebantur. Sic ipse alibi, *Samia mil mater fuit, ea habitabat Rhodi.* Et servu *potest taceri hoc quidem*, hoc est, mere tricem habuisse te matrem, verisimil est. *Ex peregrina?*] Ἀποσιώπησις: deer enim, *ut filium suscipiat?* aut aliquid tal D.

12. *Vix tandem sensi stolidus*] Pulchr colore inducto, poeta ostendit non minu falli suspiciosum, quam qui stultus es Huic enim veritas fallacia videtur, du nimis est acutus ac perspicax. Et hc est, quod ab eventu fingit poeta. Nc enim in Davo est, sic errare nunc senen *Vix tandem sensi stolidus*] Quinque sur sensus, quorum duos, visum et auditun magis sensibiles habemus, quam pecor Unde Cicero, (Eadem verba ex incert libro laudat Nizolius, nec fragmentis le guntur inserta,) *Non solum videam, se etiam audiam, planeque sentiam*, quasi a tactum retulit, quo etiam pecora impel luntur ad sensum. Duabus ergo rebu scimus: aut ratiocinatione, aut sensu quibus maxime præstamus cæteris anima libus. Ergo senex se non sensu, non ra tiocinatione sensisse, sed veluti calcaribu et stimulis punctum. D.

13. *Hæc primum*] Satis se sagacem se nex ostendit, quando principia ipsa ir ceptioneque comprehendit. *Hæc pri mum*] Bene *primum:* quasi ex multi quas paraverat Davus contra Chreme tem. D.

14. *Quo*] Qua re. D.—*Hanc simulan parere*] Priscian. lib. x. p. 124. L.

15. *Juno Lucina, fer opem: serva me*

Si. Hui, tam cito? ridiculum: postquam ante ostium
Me audivit stare, approperat: non sat commode
Divisa sunt temporibus tibi, Dave, hæc. Dav. Mihin'?
Si. Num immemor-es discipuli? Dav. Ego, quid narres, nescio.
Si. Hiccine me si imparatum in veris nuptiis

Juno Lucina, Junonis filia, Græce εἰλείθυια (Hinc ἀνελείθυια dicitur ἄτοκος γυνή: cf. Lindenbr.) dicitur. Latine Juno a juvando dicta: Lucina ab eo quod in lucem producat. Et gemina vota sunt, ut et partus et pariens servetur. Nam *fer opem*, propter partum; *serva me*, propter parientem dicitur. *Juno Lucina fer opem: serva me obsecro*] Nota, hoc versu totidem verbis uti omnes puerperas in Comœdiis, nec alias induci loqui in proscenio: nam hæc vox post scenam tollitur. *Fer opem*] Propter quod Lucina est; inde *obstetrix*, quod opem tulerit. *Serva me obsecro*] Hoc extra etiam hanc potestatem Junoni attribuitur: quanquam illam Menander Dianam appellet, et hoc sentiat in Bucolicis Virgil. Ecl. iv. 10. D.—*Juno Lucina*] Duas potestates habet Juno: eadem namque pronuba est, hoc est, nubentibus præest. Ut est, Æn. iv. 59. *Juno ante omnes, cui vincla jugalia curæ.* Eadem et Lucina, quod præest parturientibus, et lucem nascentibus dat. Hanc quidam tamen potius Dianam esse dixerunt: nam ita Menander ipsam vocat, cum dicit Artemin. quanquam et Virgilius eandem Lucinam, Dianam voluit; unde est, Virg. Ecl. iv. 10. *Casta, fave, Lucina, tuus jam regnat Apollo.* E.—*Juno Lucina*] In Regio exempl. ut et in aliis Mss. sic erat: *Intus, Juno Lucina.* Sed τὸ *intus* ideo ab exscriptore additum est, ut intelligamus hæc post scenam fieri; ut in Adelph. Act. iii. Scen. 4. *Miseram me, differor doloribus.* Nam et hic quoque vet. cod. addit *intus*. Itaque huc pertinet versus Horatii in Arte.—*nec tamen intus Digna geri, promes in scenam.* Quod frequenter in comœdiis occurrit. Plautus in Asinaria,—*immo intus potius. Casina, quod futurum est intus, hic memorabimus.* Cistellar. *intus conficient negotium.* Persa, *I intro, amabo, ad cœnam.* Terent. Andria, *intus despondebitur, intus transigetur*; et alibi non raro. Vid. Serv. Æneid. vi. versu *Exin' bella viro*; et Jun. Philarg. Georg. iii. L.

16. *Hui, tam cito?*] *Tam cito*, ut facilitatem partus ostendat incredibilem. *Tam cito*, ad reprehensionem. *Ridiculum*] Ad irrisionem: et inspice, *ridiculum* adverbium sit, an nomen; ut sit, *vide hominem ridiculum*: sed adverbium est magis. D.

17. *Non sat commode divisa sunt*] Confusa sunt tibi omnia, inquit; nec unumquodque suo tempore geritur; qua re proderis. *Non sat*] Non satis. *Divisa sunt*, digesta et composita, et distributa. *Temporibus*] Id est, per tempora. D.—*Non sat commode divisa sunt*] Non bene, inquit, hæc divisistis, nec bene temporibus tradidistis. Quasi Davi consilio ista completa sunt, ut cum senex ante hostium staret, tunc continuo pareret puella. E.

18. *Mihin'?*] Adhuc Davus non percipit, et bene: quasi dicat, cum ille loquatur, illæ agant. D.

19. *Num immemores discipuli?*] Discipuli Mysia, Lesbia, et Pamphilus, omnes per quos agitur fallacia. Bene ergo discipulos imperitos ostendit, et magistrum Davum; quia supra dixit, *Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum. Num immemor es discipuli?*] Alii hic Pamphilum significari putant discipulum: quia Davus magister. Nam nomina ad aliquid (intelligit Relata et Correlata Logicorum) sunt, discipulus et magister. Et tunc *discipuli*, genitivus est singularis casus. Alii nominativi pluralis putant: ut discipulos dixeris, omnes per quos agitur fallacia, secundum illud, *Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum. Num immemor es discipuli?*] Deest, *nunc*. Et bene *discipuli*: quia ipsum magistrum supra fecit. *Ego, quid narres, nescio*] Quasi fabulam. *Ego, quid narres, nescio*] Semper ita respondet Davus seni, tanquam non intelligat, quid loquatur. D.—*Num immemor es discipuli?*] Supra enim dixerat, *Si quis magistrum coperit ad eam rem improbum.* Atque ita est sensus hic: Num quidnam tu es immemor discipuli tui, hoc est, Pamphili. Et est argumentum a majore ad minus. E.—Lego cum Donato *immemores*. Altera lectio, quam posuit Donatus et expressit Faernus, *immemor es discipuli*, sc. Pamphili, plane inepta est. B.—*Immemores* edidit Sandby. Z.

20. *Hiccine me si imparatum*] Redit ad illam sententiam, *Simul sceleratus Davus, si quid consilii habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli.* D.

Adortus esset, quos mihi ludos redderet?
Nunc hujus periclo fit: ego in portu navigo.

ACTUS TERTII SCENA II.

LESBIA. SIMO. DAVUS.

ADHUC, Archillis, quæ adsolent, quæque oportet
Signa esse ad salutem, omnia huic esse video.
Nunc primum fac, istæc ut lavet: post deinde,
Quod jussi ei dare bibere, et quantum imperavi,

21. *Adortus esset*] *Adortus* dicitur, qui ex insidiis repente invadit; dictum ab eo, quod corpora aggredientium exsurgant subito atque increscant. *Adortus*] Aggressus. Omnia hæc ex translatione (*tranquillitate*, Ms. Boend. et ed. Du B.) maris dicta sunt *μεταφορικῶς*. (Corrupta lectio et mutila. Excidit haud dubie nota Donati ad illa, *ego in portu navigo;* cujus notæ hæc est lacinia.) D.—*Adortus esset*] *Adorior*, id est, aliquam rem incipio, facit præteritum *adortus sum;* sin vero significat, loqui incipio, *adorsus sum*. Ponuntur tamen pro se invicem. E.—Lege, *quos* ME *ludos redderet?* ut Plautus sæpe *ludos me facitis*. Sed *mihi ludos reddere*, ne latine quidem dici existimo. B.

22. *In portu navigo*] Mea, inquit, consilia ita sunt, quemadmodum navis in portu. E.

1. *Adhuc, Archillis*] In hac scena specta, quam scite expressa sit consuetudo medici, vel medicæ egredientis ex ægri domo. Nam veniens, de negotiis ejus loquitur: abiens, de morbo; et hæc sunt præter *οἰκονομίαν*, quæ dicuntur *εὑρήματα*. *Adhuc, Archillis*] Sic veteres scribebant *adhuc*, quando incerti futurarum rerum, ex præsentibus firme nunciabant (Ms. Hulst. *firma istimabant*. Fortasse, *futura nunciabant*): quod est genus certissimæ promissionis et cautæ. *Adhuc, Archillis, quæ adsolent, quæque oportet*] Medicina aut in ratione, aut in consuetudine, aut in exemplis. *Adsolent* ergo, consuetudinis est: *oportet*, rationis. D.—*Adhuc, Archillis*] Hæc scena ad horrorem cumulandum videtur adjecta, ut Lesbia obstetrix domo egrederetur, et quæ essent intus facienda, de via mandaret. Et quoniam in primo partu gravis semper dolor est, dicit puellam non debere esse sollicitam: quippe omnia signa, quæ ad salutem esse possunt, integra permanere. E.—De orthographia *Archillis* v. supra i. 4. 1. B.

2. *Signa ad salutem esse*] Deest hærentia, aut pertinentia: sic in Heautontimorumeno, *Atque hæc sunt ad virtutem omni* Ergo absolute dixit, ut desit aliquid tale unde et nos dicimus, *Quid ad rem?* v *Quid ad me?* D.—*Signa esse ad salute* Donatus et omnes Faerni et mei habe libri. B.

3. *Nunc primum fac, istæc ut lavet*] In peritiæ notantes Menandrum aut Terer tium, ipsi ultro imperiti inveniuntu nam et ille *λοῦσαι αὐτὴν* dicens, a cor suetudine non recessit. Cum lavisse, a non lavisse dicimus, a parte totum sign ficantes. Et Terentius propius ad signi ficationem accessit, *istæc* dicendo, ne pu denda nominaret. Et sunt qui adhu Archillis correptionem esse nimium soll citæ nutricis putent: quod ego non prob *Fac, istæc ut lavet*] *Istæc* quæ ex puerperi sordebant. Quidam *istæc*, ipsam puerpe ram dicunt; sic enim et Menander λοι *σαι αὐτὴν* ΤΤΙΣΑ) *τάχιστα* legebat I Casaubonus. Alii *ἥδιστα*): sed imperiti accusantur, quod non continuo solent po puerperium lavare, sed diebus omissi D.—*Nunc primum fac, ista ut lavet*] E quæ peperit, medicinæ ratione ad lav crum compellitur, ut dolor desinat. Se melior sensus est, *Nunc primum fac, ista lavet*] Ut illa scilicet, quæ immunda su sanguine parturientis, laventur. Et pue rum enim et puerperam, post partum st tim aqua tepenti perfundi, placet physi cis: puerumque genitali alvo profusu si nimium frigus exceperit, vix ad vita evadere. Cujus rei exempla sunt vitre vasa, quæ temperata mutatione fornacu frigus assuescunt: si statim refrixerin franguntur. E.—Deleo *ut*, ut pes Creti cus servetur; aut si quis *ut* retinere mali legat cum veterrimo cod. *fac ista ut*. B.

4. *Quod jussi ei dare bibere, et quantu imperavi, date*] Consuetudine magis, qua ratione dixit, pro, *Date ei potionem*. Lu cilius in sexto: *Date bibere summo* (Lin denbr. mavult, *date bibere e summo*. Dou ad Lucil. v. 21. *date bibere ab summo* Nam duo verba activa, nullam habe

Date: mox ego huc revertar.
Per ecastor scitus puer natus est Pamphilo.
Deos quæso, ut sit superstes, quandoquidem ipse'st ingenio bono;
Quumque huic veritus est optumæ adolescenti facere injuriam.
SI. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum?
DAV. Quidnam id est?
SI. Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperæ:

significationem sine nomine, aut pronomine: ut si dicas, *Dic facere. Quod jussi ei dare bibere, at quantum imperavi, date*] Et qualitatem, et modum rei dixit. D.—*Quod jussi dari*] Utique hoc ad dolores continendos datur; et hic nescio quid medicinæ intelligitur. E.—*Dare bibere*] Rectius quod in Ms. *dari bibere*; ut G. Fannius apud Charis. lib. i. *Domina ejus ubi ad villam venerat, jubebat bibere dari.* L.—Lectio *dari bibere*, quam in Vaticano et Decurtato reperit Faernus, et ego in septem e nostris, haud dubie, ut Bacchiacorum modi et leges serventur, est præferenda. B.

5. *Mox ego huc*] Vide ut auctoritatem et jactantiam medicorum imitetur, dicendo, quod jussi: et non sufficiebat; sed etiam, *imperavi* dixit: simul hæc, quæ solent medici promittere frequenter, *Mox ego huc revertar.* D.—Donatus, nonnulli codd. Faerni, et ex nostris meliores recte legunt *revertor.* B.

6. *Per ecastor scitus puer natus est Pamphilo*] Per Castorem et Pollucem ornativa sunt jurandi, apta feminis. *Scitus*] Elegans, pulcher, quem Græci κόσμιον dicunt. Quod enim quis scit, hoc scitum et pulchrum. Et est διαλυσις. Nam ordo est, *Peracitus ecastor:* vt in Hecyra, *Per pol quam paucos reperias meretricibus fideles eosmire amatores;* ut sit, perquam paucos. Et, *natus est Pamphilo:* ut Virgilius, Æn. i. 617. *Quem Dardanio Anchisæ Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam. Scitus puer*] Satis obstetrici est adhuc incertum ævi, et, ut ita dicam, a matre sanguinolentum, non pulchrum, quod ipsum nimium videretur cito, dicere, sed scitum pronunciat. Ideo subblanditur, ut operæ pretium majus accipiat. D.—*Per ecastor*] Juratio est per Castorem. *Scitus puer*] Id est, elegans et admodum suavis: vel *persecitus*, id est, valde bonus. E.—*Per ecastor scitus*] Priscian. lib. xiv. L.—*Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo*, habent omnes fere codd. Terentii et aliqui Donati, quos consuluit Faernus: sed Vaticanus, et omnes præter unum nostri *Perecastor.* Lege, Per ecastor. Nam *per* pertinet ad *scitus*, h. e. valde scitus. B.

7. *Deos quæso ut sit superstes*] *Superstes* nunc salvus; alias *superstites* sunt senes et anus: quia ætate multis superstites, jam delirant. Unde et *superstitiosi*, qui deos timent nimis; quod signum est deliramenti. *Ut sit superstes*] *Superstes*, nunc salvus. *Quandoquidem ipse est*] *Quando* et *Cum* interdum sunt conjunctiones causales; et *quando* pro quoniam, et pro quia intelligimus. *Quandoquidem ipse*] Transit a puero ad ipsum Pamphilum. D.—*Quando quidem ille est ingenio bono*] Ut mereatur filius superstes esse. E.

8. Lege ex cod. Petrensi *Quumque huic est veritus*, metri causa. B.

9. *Vel hoc quis non credat?*] *Elpovela* est. *Vel*, modo est disjunctiva conjunctio, sed pro etiam posita; ut apud Virgil. Æn. xi. 259. *Vel Priamo miseranda manus.* Et, Ecl. viii. 69. *Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.* Et bene, *vel hoc*, subaudias, exceptis illis quæ reprehendit supra. *Abs te esse natum*] Et *ortum* legitur, ut sit, instructum, commentum, et compositum. D.—Nostri omnes et vett. edd. *Qui te norit.* Recte. B.

10. *Non imperabat coram*] *Coram*, ad certas personas refertur: *palam* ad omnes. *Quid opus facto esset puerperæ*] *Esset*, impersonative dicitur, *Opus facto esset*, (Lege, OPUS FACTO ESSET. *Impersonaliter dicitur.* MOX ἀπὸ κοινοῦ, PUERPERÆ. *Dativus casus est,*) *Puerperæ*] Dativus casus est, ut sit, ipsi puerperæ coram non imperabat, quid facto opus esset, scil. Sic enim dicimus, *Quid vis tibi faciam? Puerperæ*] Omnis quæ peperit, *puerpera: πρωτοτόκος*, quæ primum. Et non quod puerum, sed quod filium peperit, *puerpera* dicta est. Et apud veteres *puer puellus, puera puella.* D.—*Non imperabat*] Quod facto opus esset puerperæ. Argumentum est quo docest, ab Davo ista universa compleri. *Puerpera* autem dicitur, quæ recens est partu: et a muliebris sexus parte nomen impositum est. Nam utique et puellam et puerum pariens dicitur *puerpera*, quanquam et antiqui *puellam, pueram* sæpe dixerunt. E.

Sed postquam egressa'st, illis quæ sunt intus, clamat de via.
O Dave, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate: ut metui videar certe, si resciverim.
DAV. Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haud ego. SI Edixin' tibi?
Interminatus sum, ne faceres: num veritus? quid retulit?
Credon' tibi hoc, nunc peperisse hanc e Pamphilo?
DAV. Teneo, quid erret: et quid agam habeo. SI. Quid taces
DAV. Quid credas? quasi non tibi renunciata sint hæc, sic fore
SI. Mihine quisquam? DAV. Eho! an tute intellexti hoc assimulari? SI. Irrideor.
DAV. Renunciatum'st: nam qui istæc tibi incidit suspicio?

11. *Illis quæ sunt intus*] Argumentum ex eo quod non factum est, cum fieri potuerit: et ex eo quod factum est, cum fieri non oportuerit. *Clamat de via*] Mire *clamat*, quasi dicat, maluit clamare, quam sine labore intus imperare. D.

12. *Itane contemnor abs te?*] Hoc est, usque adeone contemnor? valde contemnor? *Temnor* autem, Græcum est, id est, *cador* et *rejicior*, τὸ τέμνομαι. Nam veteres *temno* dicebant sine propositione. *Itane tandem idoneus*] Indignatio est ad æstimationem revocantis ejus dicta vel facta, a quo contemnitur quis. *Idoneus*] Aptus et ei rei natus. D.

13. *Aperte fallere*] Δόλῳ δι' ἐνδὺς, et fallere, et aperte. D.—Ex consensu codd. lege. *Tibi videor esse:* alioqui non staret octonarius. B.

14. *Saltem accurate*] Mire *saltem:* quod ponitur in desperatione rerum; primo enim fuerat hortatus Davum, ut non conaretur fallere. *Saltem accurate*] Ζεύγμα a superiore, *fallere incipias:* aut certe σύλληψις *fallere incipias. Certe si resciverim*] Et utrum pro cum resciverim: an quia stultum me putas? D.—*Saltem accurate*] Ita me, inquit, dolis debes fallere, ut in omnibus actibus videar a te timeri. Et est figura antisagoge, proposita superius epimone. *Certe si resciverim*] Scilicet, puniam te: quod per iram dicere non potuerit. E.

15. *Certe hercle nunc hic se*] Hoc ita dicitur, ut audiat spectator, non ut Simo. *Edixin' tibi?*] Hic illud reddit, *Edico tibi ne temere facias.* D.—*Edixin' tibi?*] Abhinc est ἐντροχασμός. E.—Lege *ediri tibi*, sine interrogatione. B.

16. *Interminatus sum*] Pro minatus sum. Plautus in Aulularia, iii. 6. 22. *præterea tibicinam, quæ mihi interbibere sola, si vino scatcat, Corinthiensem fontem, et Pyrenæum potest. Num veritus?*] *Veretur* liber, *metuit* servus; et deest *es:* apta ellipsi irascenti. Alibi, *Non simultatem meam revereri? Quid retulit*] *Retulit*, profuit vel interfuit: et producit *re* syllabam; et est sensus: Sic contemsisti, quasi tibi non comminatus sim. D.—*Quid retulit* Hoc est, quid profuit me ante dixisse supra enim, *Neve tu dicas tibi non prædictum, cave.* E.—Lege *veritu's*, h. e. veritus es. B.

17. Interpunge post *nunc*. B.

18. *Teneo quid erret*] Hoc dixit, non ut Simo, sed ut spectator audiat; hoc deinque senex probat dicens Davo, *Quid taces? Et quid ego agam, habeo*] Et quid respondeam scio. D.—*Teneo quid erret* Intellexit Davus mulierum consilium hoc senem suspicari, quod illas ad terrendas nuptias videantur ista simulare. Idcirco vult commendare consensum, quo dominus error augeatur. E.—Aliorum *ego* ante *agam* est contra codd. B.

19. *Quid credas?*] Propter quid, aut propter quam rem, aut quo modo, aut propter quid. *Quid credas?*] Repetit verbum ejus quod ait, *Credon'?* quare adjuvandum pronunciatione est. *Quasi non tibi renunciata*] Nunciata: compositum pro simplici. D.—Lege *tibi siet renunciatum hæc sic fore*, ob sententiam et v. 21. B.

20. *Mihin' quisquam?*] Favet sibi sene in eo, quod se vult perspicaciorem videri *Eho an tute*] *Eho* modo interjectio est admirantis, alias ad se vocantis, *Ehodum ad me.* D.—Aptius erit, si reponas, *Mihi quisquam?* sc. renunciatum est? B.

21. *Nam qui*] *Qui*, unde. D.—*Incidit suspicio*] Ita Ma. et Priscian. lib. xv. a *suspectio.* L.—Ne recipe *suspectio* pro *suspicio*, contra omnes codd. Nam versus est salvus, dummodo pro *istæc tibi* repones *tibi istæc*. B.

SI. Qui? quia te noram. DAV. Quasi tu dicas, factum id consilio meo.

SI. Certe enim scio. DAV. Non satis me pernosti etiam, qualis sim, Simo.

SI. Egone te? DAV. Sed si quid narrare occepi, continuo dari tibi verba censes. SI. Falso. DAV. Itaque hercle nihil jam mutire audeo.

SI. Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic. DAV. Intellexti?

Sed nihilo secius mox deferent puerum huc ante ostium.

Id ego jam nunc tibi renuncio, here, futurum, ut sis sciens:

Ne tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio, aut dolis.

Prorsus a me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo.

22. *Quasi tu dicas*] *Dicas*, pro credas. Non enim dicimus, nisi quod credimus: ab eo quod sequitur, id quod præcedit: figura *περιλήψις*, a posterioribus ad priora. Idem alibi (Hæc frustra in Terentio quæsieris. Nec de comœdia deperdita fas est suspicari. An ante hæc verba excidêrunt nomen et sententia alterius auctoris? Neque id satis audacter dixerim. Quæ enim sequuntur, Terentiana sunt. Phorm. iii. 2. 8.), *audacter dicito*. Et alibi, *Fœneratum istud beneficium pulchre tibi dices*, id est, credes, scies, senties. D.

23. *Etiam qualis*] *Etiam* pro adhuc; ut Virgilius, *Æn.* vi. 485. *Idæumque, etiam currus, etiam arma tenentem.* D.—Rotundius et verius sic: *non satis pernosti me etiam.* B.

24. *Egone te?*] Duobus istis pronominibus ostendit se senex scire omnia. *Sed si quid narrare occepi*] *Occepi* melius, quam *incepi*; dicitur ab occipio: est enim *occepi*, quasi caput rei instituti. D.—Metri et sententiæ gratia lege *Ego non te?* Nam Davus dixerat: NON *satis pernosti me*. Cæterum plane inutile est *tibi*, quod nostri codd. habent ante *narrare*. B.

25. *Falso*] Potest et *ἐμφατικῶς falso* pronunciari: potest et, falso loqueris, dici; ut Sallustius, *Jug.* i. *Falso queritur de natura sua humanum genus.* Et vocalitatis causa sic dixit, ut *sedulo, optato, certo*: quasi sedule, optate, certe. *Nihil jam mutire audeo*] Ennius, *Nec dico, nec facio.* Unde et *mutos* dicimus; quod Græci *φθέγγεσθαι*. D.—Illud *falso* quanquam omnes libri tribuunt Simoni; cum tamen persona hominis sit indignum, ipsi Davo quoque adscribendum puto: cf. Heaut. ii. 2. 27. Hec. v. 2. 11. B.

26. *Neminem peperisse hic*] *Neminem* dicendo, majorem confirmationem fecit, non solum Glycerium non peperisse, sed etiam neminem. Et *hic* dicendo ostendit domum. Et est *neminem*, nullum hominem. Et nota in feminino genere etiam *neminem* positum. D.—*Hoc ego scio*] Priscian. lib. vi. L.—Bentleius *intellexti* sine interrogatione. Z.

27. *Mox deferent puerum*] Quasi dicat, *nobis*. D.—*Nihilo secius*] Pro, *nihilominus deferent huc puerum ante ostium*, quo facile et de præterito Davus admonuisse dominum declaret, et ut opinionem a se amoveat. E.—Ne *puerum* in Thesi absorbeatur, colloca *mox puerum huc deferent*. B.

28. *Id ego jam nunc tibi renuncio*] Fingit se prodere, quod ipse facturus est: ut non credat senex ab eo fieri, quod prædixerit fore. *Id ego jam nunc tibi renuncio, here, futurum*] *Re* syllaba, apud veteres interdum abundat: ut modo *renuncio*, pro nuncio; et Cicero, *renunciatur mihi. Renuncio*] Quasi secretum consilium: ut supra, *renunciatum est.* D.—Ordo codd. et vett. edd. melior est, *tibi, here; renuncio*, adde *esse*, ut iii. 5. 16. B.

29. *Davi factum consilio aut dolis*] Commodius, et magis cum invidia dixit, *Davi*, quam si *meo* dixisset: ut Virg. *Æn.* xii. 11. cum Turnus incusaretur, dixit, *Nulla mora in Turno.* D.—Tolle *mihi* versus gratia. B.

30. *Prorsus a me*] *Prorsus*, quasi porro versus: quod Græci *μακρὰν* dicunt. *Prorsus a me*] Quidam *prorsus*, pro quare positum putant. Ego pro eo quod est omnino. Sunt qui conjunctionem velint esse. *Opinionem hanc tuam*] *Hanc tuam*, cum tædio dixit, hoc est, nimis molestam, nimis suspicacem, nimis accusatricem. Sic dixit *hanc tuam*, ut ille de apibus, Virg. Georg. iv. 22. *Vere suo.* Et, *Æn.* vi. 641. *solemque suum, sua sidera norunt.* Et in Adelphis, *Jam vero omitte, Demea, tuam istam iracundiam.* D.

Si. Unde id scis? Dav. Audivi, et credo. Si. Multa con
currunt simul,
Qui conjecturam hanc nunc facio: jam primum hæc se
Pamphilo
Gravidam dixit esse; inventum'st falsum: nunc, postquan
videt
Nuptias domi apparari, missa'st ancilla illico
Obstetricem arcessitum ad eam, et puerum ut afferret simul
Dav. Hoc nisi fit, puerum ut tu videas, nihil moventu
nuptiæ.
Si. Quid ais? cum intellexeras
Id consilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?
Dav. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam omne
nos quidem
Scimus, quam misere hanc amarit; nunc sibi uxorem expetit
Postremo id mihi da negoti: tu tamen has nuptias

31. *Audivi, et credo*] Locus communis, an famæ credendum sit. Et bene subjunxit, *credo:* non enim audisse, statim credere est. *Multa concurrunt simul*] Restat enim, ut multis concurrentibus signis, una conjectura confletur. D.—*Audivi*, inquit, conscius non sum, qui auditu ista cognovi. Sed incipit quæstio per locum communem, an a me credendum sit: adjungit argumenta ex pluribus rebus, et *credo: multa*, inquit, *concurrunt*. Quia argumenta colligit ex factis præcedentibus, et dictis, quod gravidam se mulier esse dixerat. Colligit tamen easdem hoc esse facturas, ut puerum ante ostium ponant, siquidem obstetrix jam videtur esse arcessita. Objicitur rursus Davo, cur non hoc, cum expositionem argumentis collegisset, continuo non dixerit Pamphilo. Et hic similiter quasi reus efficitur negligentiæ. At hoc conjecturaliter refutatur, et utitur testimoniis, post fit argumentum a persona, quod ille est filius, ille servus, ut de redhibendo fidem filio nihil restare autumet, nisi ut Chremetem oret. E.—Bentleius, Dacieria, Sandby, et alii verba, *multa concurrunt—moventur nuptiæ*, tribuunt Davo. Recte. Nam quæ hic dicuntur, Simoni non conveniunt, et a contextu abhorrent. Z.

32. *Jam primum hæc se e Pamphilo gravidam dixit esse; inventum est falsum*] Secundum quod credit senex. Et a summo ad imum, et ex factis et ex dictis, et ex rebus atque personis sumit argumenta. D.—*Jam primum hæc*] Mss. *Jam prius hæc.* L.

33. *Postquam videt nuptias domi apparari.* Eleganter omisit, in cujus domo. *Missa est ancilla illico*] Quod Græci dicunt *αὐτόθεν ἐκέμφθη*. Nam loci significatio est, etiam brevitatem temporis notans. D.

36. *Nihil moventur nuptiæ*] Non pertur bantur nuptiæ. *Moventur*, differuntu D.—Lege *Hoc ni' fit, tu puerum ut vi deas.* B.

37. *Quid ais? cum intellexeras id con silii capere*] Quaqua se verteret Davu obvium infestumque invenit senem: tamen ita versute it obviam, ut etia comprehensus elabatur. D.—Ut sit Di meter Iambicus Acatalectus, lege, *Qui ais? ubi intellexeras.* B.

38. Cum Terentii ævo et diu post *con silii* dicerent: lego hic *consilium.* Si habent omnes nostri codd. præter u num. B.

39. *Quis igitur eum ab illa abstraxit i* Non frigide intulit, dixisse se: sed cu magna asseveratione; et *abstraxit* propri ut supra, *Me a Glycerio miserum abstrahai* et Virg. Æn. ii. 434. *Divellimur ind Iphitus et Pelias mecum. Quis igitur eum* Hoc sic audiendum est (Ms. Hulst. edd. vett. *Hoc subaudiendum est*), qua dicat, *Dixi.* D.

40. *Misere hanc*] *Misere*, valde, nimi *Nunc sibi uxorem expetit*] Oratorie, p eo quod est, non recusat, *expetit.* D.- Colloca verba ita: *Scimus, hanc qua misere amarit:* ut Heaut. i. 2. 16. Adelp iv. 5. 33. B.

41. *Id mihi da negotii*] De projectio pueri pro foribus. *Id mihi da negotii*] U caveatur ab appositione pueri ante ostiu *Tu tamen idem*] *Idem* abundat. Ap veteres, *tamen idem*, integrum fuit: unc

Perge facere ita, ut facis: et id spero adjuturos deos.
Si. Imo abi intro: ibi me opperire, et, quod parato opus est, para.
Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem.
Atque haud scio, an, quæ dixit, sint vera omnia:
Sed parvi pendo: illud mihi multo maximum'st,
Quod mihi pollicitus'st ipsus gnatus. Nunc Chremem
Conveniam: orabo gnato uxorem: si impetro,
Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?
Nam gnatus quod pollicitus'st, haud dubium'st mihi,
Si nolit, quin eum merito possim cogere.
Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam.

ACTUS TERTII SCENA III.

SIMO. CHREMES.

Jubeo Chremetem. Ch. O! te ipsum quærebam. Si. Et ego te. Ch. Optato advenis.

apud nos, *Tandem*, et *tamen* natum est; sic et *idem* et *eorundem* dictum. *Tu tamen idem*] *Tamen idem*, aut pro tamen positum est, aut pro tandem: ut sit, *Tu tandem has nuptias perge facere, ita ut facis.* D.—Lege, *postremo id da mihi negoti*; ut Prol. ver. 2. B.

42. Recentes Faerni codd. et unus tantum e nostris habent *adjutores*. Male. B.

43. *Quod parato opus est*] Diserte et Latine dixit, *quod parato opus est*. D.

44. *Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem*] *Non impulit*, non persuasit, non perfecit, ut crederem Glycerium peperisse. Et cum dicit *omnino*, ostendit quædam se credidisse, in quibusdam jam (*tamen* uterque liber) esse circumventum. Mire autem cautum capi inducit senem, ut crederet, quod Glycerium non peperisset. D.

45. *Quæ dixit, sint vera omnia*] Quæ postea dixit Davus. Et bene *omnia*: ut appareat senem multa credere vera esse, quæ Davus dixerit. D.

46. *Multo maximum*] *Multo* etiam comparativis (*superlativis* Z.) antiqui adjunxerunt. D.

47. *Quod mihi pollicitus est*] *Pollicitatio*, multarum rerum promissio. D.—Pro *ipsus*, edidit Bentl. *ipse*. Z.

48. *Gnato uxorem*] Subauditur, *ut det*. D.—Alia distinctio est in cod. vetusto: *Conveniam: orabo: gnato uxorem si impetro*. Placet tamen Prisciani lectio, ID *si impetro*. B.

49. (*Quid*) *alias*] *Quid* pro cur: *alias*, alio tempore. D.—*Quid alias malim?*] Charisius lib. ii. L.—*Quid alias*, h. e. cur alio tempore, repugnat sensui. Hoc enim non deliberandum est, sed optandum. Rectissime legit Horatii Schol. Acron ad Serm. i. 4. 63. *Quando alias, etc.* B.

52. *In ipso tempore*] In ipsa opportunitate, in ipso articulo. *Eccum ipsum obviam Chremetem*] (Recte Faernus, cui assentitur Bentleius, conjicit, a manu Donati esse *Chremem*. Nam alioqui sequentia sensum commodum non habent. Z.) Continuo mutavit declinationem: ut, *Jubeo Chremetem*. D.—Pro *obviam*, quod non modo ambiguum est, quia *ipsum* de Pamphilo accipi potest, sed et a sensu alienum, quia Simo adhuc in scena stabat, necdum Chremem conventum ierat, lege *Chremem*, quod nonnulli codd. adjiciunt. B.

1. *Jubeo Chremetem*] Hæc congressio duorum senum ad tale periculum adigit fabulam, ut id non videatur consilio, sed eventu posse vitari: qui eventus est Critonis præsentia. Nam nunc ex falsis fient veræ nuptiæ. *Jubeo Chremetem*] Firme aliquid jubere, velle est. *Jubeo* ergo, volo; et deest, *salvere*: quod exprimitur ab alterius personæ interventu; ut Virgil. Æn. v. 386. *reddique viro promissa jubebant*. Et μεταληπτικῶς: quia qui dicit salve, jubet. Volumus enim animo: jubemus, verbis. *O te ipsum quærebam*] Placabilis et lenis amicus per totam fabulam inducitur Chremes, ut cognitioni ad

Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viso, tun', an illi insaniant.
Si. Ausculta! paucis, et quid ego te velim, et tu quod quæris, scies.
Ch. Ausculto: loquere quid velis.
Si. Per te deos oro, et nostram amicitiam, Chreme,
Quæ incepta a parvis, cum ætate accrevit simul;
Perque unicam gnatam tuam, et gnatum meum,
Cujus tibi potestas summa servandi datur;
Ut me adjuves in hac re, atque ita, ut nuptiæ

ultimum interesse possit. *Optato advenis*] *Optato*, adverbium est; ut Virgil. Æn. x. 405. *Ac velut optato ventis.* D.—*Jubeo Chremetem*] Hæc scena petitionem habet: quippe Simo redit ad Chremetem, ut filiam suam det ejus filio. Hic utique qualitatis est et deliberativæ forma: *Jubeo*, inquit, *Chremetem*, id est, volo; ut Virgil. Æn. v. 386.—*reddique viro promissa jubebant.* Convenit et Chremes, certa ratione compulsus: oportuerat enim Chremetem de Pamphilo esse sollicitum, quippe qui prior venerat, ut ei polliceretur nuptias. Non ergo sine conjectura esse debuerat, qui operam, quid ad Pamphilum pertineret, vel argumentis vel rumore cognosceret. Sed etiam nunc, cum Simo nuptias præpararet, falsas quidem, veri rumor fuit; quo debuit Chremes compelli. Sed ipse prævenit. *Aliquot me*, inquit, *adierunt.* Unde pulcherrimum argumentum dedit, ut non jam rumor sit, sed pene veritas, quam ab ipso Simone auditam esse dicebat. *Hodie*, inquit, *filiam meam nubere tuo nato.* Et indignationis partes exequendo ait: *Viso, tun', an illi insaniant.* Sed Simo petit audientiam: et principium deliberativæ: *Ausculta*, inquit, *et quid egomet te velim, et tu quod quæris scies.* Deinde incipit ipsa petitio; primo a precibus, *Per ego te deos oro et nostram amicitiam, Chreme.* Deinde ad ipsam petitionem; *ut nuptiæ fuerant futuræ, fiant.* Et pulcherrime insinuatione usus est, quod in admirabili genere causæ turpitudo auditori persuasa fuerat. Hic responsio datur ab utili: *Si in rem est utrique, fiant, arcessi jube.* Quam quidem rem in quæstionis loco positam dissimulat, et fieri posse dicit: *Iræ sunt inter Glycerium.* Ut contulisse videatur, tametsi inutiles nuptiæ sint, tamen occasio est ut utiles esse possunt. E.

2. *Aliquot me adiere*] *Aliquot*, hoc est, nec multi, nec pauci. *Adiere*, non accesserunt: quia aditus arduus difficilisque est. Ergo *adiere*, quasi importune, et interpellantes adierunt. Sic alibi, *Byrrhia quid tibi videtur? adeon' ad eum? Ex te auditum*] Ut est, *De Davo modo audivi. Ex te auditum*] Ergo non rumor, sed veritas. *Id viso*] Ob id viso: deest *te*: ut *viso*, ad videndum venio. D.—*Adiere* edidit Faernus. Sed omnes, quos vidi, codd. et edd. habent *adierunt.* Recte; ut illud *steteruntque comæ.* B.

3. *Tune, an illi insaniant*] Tu insanis, si dixisti: illi insaniunt, si non audita referunt. D.

4. *Paucis*] Et *paucis*, et *pauca* legitur. *Et quid ego te velim*] A docilitate. D.—Ut Iambus quaternarius staret, veteres magistri *pauca* substituerunt pro *paucis.* Sed nostri codd. omnes habent *paucis.* Totus versus sic constituendus est: *Ausculta: paucis et quid te ego velim et quod tu quæris scies.* B.

6. *Per ego te deos oro*] Ordo est, te per deos oro; ut Virg. Æn. xii. 56. *Per ego te has lacrymas. Et nostram amicitiam, Chremes*] Legitur et *Chreme.* D.—*Per te deos oro*] Serv. Æn. xi. 537. L.—Quinque e nostris habent *Per* EGO *te deos*: repone *Per te ego deos.* B.

7. *Quæ incepta a parvis cum ætate accrevit simul*] Mire autem, *incepta a parvis, cum ætate*, ut ostendat non nuper coitam amicitiam, sed antiquam; ut, Æn. iii. 82. *Veterem Anchisen agnoscit amicum.* Idem alibi, Æn. xi. 537. *neque enim novus iste Dianæ Venit amor. Accrevit*] Ut supra, *accurate. Ad* præpositione utitur familiariter. *Accrevit*] Hinc Virgil. Ecl. x. 54. *Crescent illæ; crescetis, amores.* D.

8. *Et gnatum meum*] Ineptum est sic adjurare aliquem, *Per salutem filii mei, ut facias id quod te rogo.* Sed huic etiam subjungit: D.

9. *Cujus tibi potestas summa servandi datur*] In tua est, inquit, potestate, et tuus est. Hæc ergo *obtestatio* dicitur, cum per eas res adjuramus aliquem, de quibus agitur causa. Ut, Æn. ii. 431. *Iliaci cineres, et flamma extrema meorum.* Idem alibi Æn. x. 45.—*per eversæ, genitor, fumantis Trojæ Excidia, obtestor.* D.

10. *Ut me adjuves in hac re*] Atque (in Ms. Boend. et ed. Du B. *Atque* refertur

Fuerant futuræ, fiant. CH. Ah, ne me obsecra:
Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium esse censes nunc me, atque olim, quum dabam?
Si in rem est utrique, ut fiant, arcessi jube.
Sed si ex ea re plus mali'st quam commodi
Utrique, id oro te, in commune ut consulas:
Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.
SI. Imo ita volo, itaque postulo, ut fiat, Chreme:
Neque postulem abs te, nisi ipsa res moneat. CH. Quid est?
SI. Iræ sunt inter Glycerium et gnatum. CH. Audio.
SI. Ita magnæ, ut sperem posse avelli. CH. Fabulæ.
SI. Profecto sic est. CH. Sic hercle, ut dicam tibi:
Amantium iræ, amoris integratio'st.

ad textum) ipsam petitionem. D.—Lege cum cod. Regio, *atque ita uti*. B.

11. *Uti nuptiæ fuerant futuræ, fiant*] Breviter et Latine. Et hoc genus compositionis veteres non mutabant. *Ne me obsecra*] * τω ελληνιCμON Mh ΛΓΤΑΝΕΚ ΕΜΝΜΑCOR * (Pithœus et Lindenbr. legendum putant: τῷ ἑλληνισμῷ. μὴ λιτάνευε, μὴ μάχου) Pro, ne obsecrea. D.

12. *Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat*] Hæc plena vox est et caritatis et officii. Quod enim amicus ab amico petit, justum esse debet: nec pro eo quod non est justum, supplicare oportet. D.

13. *Alium esse censes nunc me atque olim, quum dabam?*] Non personæ, sed rei conditio est commutata. *Olim, quum dabam*] Nec dicimus, *quum darem*, Virg. Æn. iv. 597. *Tum decuit, quum sceptra dabas. En dextra fidesque.* Et nota *olim* pro nuper. D.

14. *Si in rem est utrique*] Τῷ δευτέρῳ συλλογισμῷ prave proposuit, ut recte replicaret. Hic syllogismus negativus dicitur. Nam in secundo λήμματι negat quod prius dixit: sed si ex ea re plus mali est, quam commodi. *Si in rem est utrique*] Ab utili argumentum. Uterque duobus constat. Bene *utrique*, mihi et tibi: non, alteri utile, alteri inutile. D.—Nonnulli libri cum Donato legunt *in re*. Sed placet lectio Eugraphii, *Si in rem est utrique, fiant, arcessi jube*. B.—Scribe *arcessi*, ab antiquo *arcio*: v. Cellarii Orthogr. Z.

15. *Sed si ex ea re*] Id est, nuptiarum: mutavit numerum, ex plurali singularem, *fiant*, et *ex ea re*. D.

16. *In commune consule*] Id est, ex æquali provide. D.—Ne lege cum plerisque codd. *id te oro*, ne suspendatur synalœpha. Donatus legit *in commune consule*, quod parum refert. B.

17. *Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater*] Nota suavissimam varietatem: non dicit, quasi tua sit, et ille meus D.—Cod. Academicus: *Pamphiloque*; nescio an verius. B.

18. *Imo ita volo*] Quia utile est, quia in rem est. *Itaque postulo*] *Itaque*, modo duæ partes orationis sunt: ut in Hecyra, *Itaque nos una inter nos ætatem agere liceat*. D.

19. *Neque postulem*] Quia postulo prætulit. D.—Ut medearis versui, lege cum codd. quibusdam NI *ipsa*. B.

20. *Iræ sunt inter Glycerium et gnatum*] Hoc læto vultu pronunciat Simo: et hoc a possibili est; loquitur enim apud eum, ex quo audiverat, Pamphilum pro uxore habere hanc peregrinam. *Audio*] Εἰρωνεία. *Mox, fabulæ*] Et hic paulo sapientior inducitur, et minus obnoxius dolis. D.—*Audio* hic ut sæpe alias est negantis et aspernantis, ut mox, *fabulæ*. B.

22. *Profecto sic est*] *Profecto*, confirmatio est. D.

23. *Amantium iræ amoris integratio est*] Sententia γνωμική, in qua a specie recedituur, et in omnes aliquid dicitur: παροιμία est autem sine auctore sententia. *Integratio*] Instauratio. D.—*Amantium iræ*] Hoc argumento usus ex amore refutat superiora, dicens: quod amantes per iram reconciliati, numquam se deserunt, si se ante perfecte amarunt. A consequenti quid fieri possit providens, procedere tentat, dicens: *dum tempus est*. Et per χαρακτηρισμόν, id est, informationem futurorum, quid consequens sit, dicit ab utili. *Chreme* autem vocativus Græcus est. E.—*Amantium iræ*] Plautus Amphitr. iii. 2. 60. *Iræ si quæ forte eveniunt hujusmodi, Inter eos rursum si reventum in gratiam est, Bis tanto amici sunt inter se quam prius*. L.—Servius et Acron habent *redintegratio*: Charisius, re-

SI. Hem! id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumque ejus libido occlusa'st contumelis:
Prius quam harum scelera, et lacrumæ confictæ dolis,
Reducunt animum ægrotum ad misericordiam,
Uxorem demus: spero consuetudine et
Conjugio liberali devinctum, Chreme,
Dein facile ex illis sese emersurum malis.
CH. Tibi ita hoc videtur: at ego non posse arbitror,
Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
SI. Qui scis ergo istuc, nisi periclum feceris?
CH. At istuc periclum in filia fieri, grave est.
SI. Nempe incommoditas denique huc omnis redit:
Si eveniat, quod Di prohibeant, discessio.
At si corrigitur, quot commoditates, vide.
Principio, amico filium restitueris:
Tibi generum firmum, et filiæ invenies virum.
CH. Quid istic? si ita istuc animum induxti esse utile,

integratio. Nostri codd. cum Donato, et antiquis Faerni libris *integratio.* Recte. Deinde venustius erit, si, deleto *est*, in fine versus ponas *hem*, quod vulgo principium sequentis occupat. B.

24. *Id te oro*] Deest *ob*, ut sit *ob id*; ut Virgil. Æn. ii. 141. *Quod te per superos oro.* D.

26. *Prius quam harum*] Invidiosus, *harum*, quum una sit; sic in Eunucho, *Non perpeti meretricum contumelias.* D.

27. *Animum ægrotum ad misericordiam*] Hoc ut supra, *Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem applicat.* D.—Alii *reducant*, sed nostri omnes, et quidam antiqui Faerni habent *reducunt.* Recte. B.

28. *Uxorem demus*] Ἠθικῶς: ut in Heautontim. *Quo modo nimio periculo id demus adolescentulo.* D.

29. *Devictum, Chreme*] Ms. R. *divinctum Chremes.* L.—Alii *devictum*, sed antiqua et melior lectio *devinctum.* B.

30. *Dein facile*] Al. *Dehinc.* L.—Alii *Dehinc*, sed aliquot libri Faerni, in his Vaticanus, et nostri, Riviique unus habent *Dein.* Recte. B.

32. *Neque illum hanc perpetuo*] Ἀμφιβολίαν de industria posuit, aut utrumque significat. D.

33. *Nisi periculum feceris?*] *Periculum*, tentamentum. Cicero, *Tute melius periculum feceris.* Idem Terentius, *Fac periculum in literis.* D.—*Qui scis ergo num periculum*] *Periculum* est tentamentum; ut Cicero, Cæc. viii. *Quando tu tui periculum fecisti.* Item ipse in Eunucho: *Fac periculum in literis.* Et est παλιλογία, quæ fit, quando nomen repetitum vehementius significat; ut, *At istuc periculum in filia.* Nam istud nomen per metonymiam adjectum est; quia in periculis multa tentamus. E.—Non procedat oratio, nisi pro *scis* reposueris *scias*, quod sæpe apud nostrum et Plautum est monosyllabon. B.

34. *At istuc periculum in filia fieri, grave est*] Memorabile dictum, et id quod merito in proverbium cesserit. D.

36. *Quod Di prohibeant*] Παρένθεσις per εὐφημισμόν. D.—*Si eveniat discessio*] Id est, si fiat divortium. Nam, *quod Di prohibeant*, parenthesis est. E.

37. *At si corrigatur*] Alter est syllogismus per contraria λήμματα, et ipse negativus. D.—*Quot commoditates*] His partibus utilitatis et honestatis compulsus Chremes, qui negaverat filiam Pamphilo traditurum, et amicitiæ ratione et conditione utilitatis impulsus, promittit filiam. E.—Sic vetustiores: alii *corrigatur*, vel *corrigetur.* Si conjunctivus placet, muta *At si* in *Sin.* B.

38. *Principio, amico filium*] *Principio*, nec intulit, secundo. *Restitueris, et filiæ invenies virum*] Ergo ἀνακόλουθον duplex. *Amico filium*] Ab honesto, *amico filium.* D.

39. Vetustiores nostri, *invenias.* Recte; ob antecedens *restitueris.* B.

40. *Quid istic?*] Concedentis, et veluti victi verbum: tanquam si diceret, *quid?* et abundat *istuc.* Vel potius, *quid istuc*, significat hominem de loco ac de sententia decedere; ut e contrario, *perstare* ac *resistere* dicitur, qui aliquid negat. *Si*

Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
Si. Merito te semper maximi feci, Chreme.
Ch. Sed quid ais? Si. Quid? Ch. Qui scis eos nunc discordare inter se?
Si. Ipsus mihi Davos, qui intimu'st eorum consiliis, dixit.
Et is mihi suadet, nuptias, quantum queam, ut maturem.
Num censes faceret, filium nisi sciret eadem hæc velle?
Tute adeo jam ejus verba audies: heus, evocate huc Davom.
Atque eccum: video ipsum foras exire.

ACTUS TERTII SCENA IV.

DAVUS. SIMO. CHREMES.

Ad te ibam. Si. Quidnam est?
Dav. Cur uxor non arcessitur? jam advesperascit. Si. Audin' tu illum?
Ego dudum nonnihil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem,

istuc animum induxti] Legitur et *animum induxisti;* sed illud plenum est: hoc per *μεταπλασμοῦ συνκοπὴν* diminuitur. D.—Faerni libri antiqui et nostri omnes recte habent *Quid istic?* pro *Quid istuc?* B.

41. *Pro in me claudier* sensus postulat *intercludier* cf. Eun. i. 2. 84. B.

42. *Semper maximi feci*] Hoc est, plurimum dilexi, et maximum habui. E.

43. *Discordare inter se?*] Hoc est, discordes esse. Hanc rem quum quæsisset, ut verosimile diceret, potius dixit hoc sese a Davo audisse, qui eorum intimus videtur esse a consiliis. Atque ut verum consilium Chremeti possit ostendere, et ipsum Davum evocat foras. E.

44. *Ipsus mihi Davos dixit*] Commendatio testis: ut, *in foro modo de Davo audivi.* Ergo *ipsus*, quasi qui maxime sciat. D.

47. *Tute adeo*] Παρέλκεται *adeo* modo, et abundat, ut Virg. Georg. i. 24. *Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum Concilia, incertum.* D.—Versus gratia Faernus cum Rob. Stephano, auctoritate unius cod. recte *verba* postposuit τῷ *audies:* nisi pro *evocate* malueris legere *vocate.* B.

48. *Atque eccum*] *Eccum*, quasi ecce eum. Veteres dixerunt, *eccum, eccujus, ellum;* quod apertius significat *ecce illum*, et obscurius *ellum.* D.—*Video ipsum*] Τὸ *ipsum* in Ms. R. non est. L.

1. *Ad te ibam*] *Davus* ut recte scribatur, *Davos* scribendum est: quia nulla litera vocalis geminata, unam facit syllabam. Sed quia ambiguitas vitanda est nominativi singularis et accusativi pluralis, necessario pro hac regula, digamma utimur, *DaFus, serFus, Fulgus corFus. Ad te ibam*] Locus est (edd. vett. *Hic est locus.* Cæterum male huic loco παρακμὴν τῆς ἐπιτάσεως tribui a Donato, recte observavit Boeclerus), in quo jam ad discrimen (*discretionem;* ed. Du B.) mali perducta comœdia, in meliorem partem jam incipit inclinare. D.—*Ad te ibam*] Hæc scena gratiarum actionem tenet, quod servus consilia domini non fallat. Hic tantummodo qualitatis status est in omnibus gratiarum actionibus. Tunc et consilium suum de nuptiis quid fuerit confitetur: *Non fuerant nuptiæ.* Nam antea dixerat, quo corrigeret illum: *Timui ne faceres quod vulgus servorum solet.* Siquidem *vulgus* dixit per multitudinem. *Ut me deluderes propterea quod amat filius.* Ubi pulcherrime αἰτιολογίαν expressit. *Egon' istuc?* qua gravitate pronunciationis, ut in εἰρωνείᾳ fieri solet, ille se absolvit: unde dominus ei jam credit. E.

2. Hic versus diu vexavit interpretes, jam ab Erasmi ætate. Sed tolle illud *tu illum*, et Iambicum Tetrametrum habebis, quales sex priores. Atque *audin'?* absolute positum est, ut supra i. 5. 66. B.—Westerh. *uxor* omisit. Z.

3. *Ego dudum nonnihil veritus sum, Dave, abs te.* Semper gravis inceptio orationis, quæ exordium sumit a pronomine *ego:* ut, Æn. iv. 333. *Ego te quæ plurima fando;* et, *Ego postquam te emi a parvulo. Ego dudum*] Adverbia temporis, aut certa sunt, ut hodie, cras; aut incerta, ut du-

Quod vulgus servorum solet, dolis ut me deluderes:
Propterea quod amat filius. DAV. Egon' istuc facerem? SI. Credidi:
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. DAV. Quid? SI. Scies:
Nam propemodum habeo tibi jam fidem. DAV. Tandem cognosti qui siem.
SI. Non fuerant nuptiæ futuræ. DAV. Quid? non? SI. Sed ea gratia
Simulavi, vos ut pertentarem. DAV. Quid ais? SI. Sic res est. DAV. Vide,
Nunquam istuc quivi ego intelligere: vah! consilium callidum.
SI. Hoc audi; ut hinc te introire jussi, opportune hic fit mihi obviam.
DAV. Hem! numnam periimus? SI. Narro huic, quæ tu dudum narrasti mihi.
DAV. Quidnam audio? SI. Gnatam ut det oro, vixque id exoro. DAV. Occidi.
SI. Hem! quid dixti? DAV. Optume inquam factum! SI. Nunc per hunc nulla'st mora.

dum, nuper. Itaque incertis certum additur tempus: ut jam dudum, nunc nuper. *Nonnihil veritus sum, Dave, abs te*] Breviter, pro, veritus ne quid abs te fieret; sicut supra, *Heu metui a Chryside*. Et Cicero, pro Mur. i. *Quod precatus sum a diis immortalibus*, pro eo quod est, quæ a diis petii, precatus eos. D.—*Ego dudum*] Priscian. lib. xv. p. 141. L.—Ne *Dave* in Thesi pene sit mutum, loca post *abs te*. B.

4. *Quod vulgus servorum solet*] Totum cum extenuatione protulit, tanquam qui satisfactum voluerit Davo, ob comprobatam fidem ejus. D.

7. *Nam propemodum habeo jam tibi fidem*] Ridicula dilatio ejus rei, quæ jam dudum nota est auditori (Ms. Boend. et ed. Du B. *Nota est audituro. Nam propemodum, i. admodum quandoque etiam significat; jam hoc est propemodum, cujus actus est admodum*). *Nam propemodum habeo jam*] Hoc est, *prope modum*, cujus accusativus est a *modus*. D.—Illud *tibi*, quod versum adeo deformat, non est cum Faerno e quibusdam codd. evocandum. Cæterum cum *tandem* habeat ictum in secunda, lege cum interrogatione, *tandem cognosti qui siem?* B.

8. *Sed ea gratia*] *Gratia*, pro causa posuit, nove. D.—*Sed ea gratia simulavi*] Alii *sic malui* (*dissimulavi*). Siquidem *simulamus* ignota, *dissimulamus* nota. Et exponit causam consilii sui; *vos ut pertentarem*. E.

9. *Sic est res*] Quod Græci dicunt, οὕτως ἔχει. D.

10. *Numnam*] *Nam παρέλκεται*, ut in *quisnam*. D.—*Vah*] Interjectio est ex affectu admirantis vel indignantis. E.—Ut ictus sit in *ego*, pone cum uno cod. *istuc ego quivi*. B.

12. *Numnam perimus?*] Tunc primum intelligit Davus se malum dedisse consilium Pamphilo, ut patri polliceretur se uxorem esse ducturum. E.—Versus gratia illud *Hem* priori versui appone. B.

13. *Quidnam audio?*] Legitur et *audiam*. Menander enim sic ait, τί δῆτ' ἀκούσω. D.—Lege *audiam* in futuro ob sensum. Nam Simo dixerat, *narra, etc* metuit igitur Davus, quid *auditurus sit* nempe exoratum esse Chremem: cf. Donatus, ad h. l. B.

14. *Occidi: optime*] Bene usus est παρομοίῳ, *occidi* et *optime*, ut similitudine falleret audientem. *Per hunc*] Chremetem scilicet. D.—*Optime inquam factum*] Quoniam audito consilio senis, servus dixerat *occidi*, interrogatus a sene rursus quid dixisset, *optime*, inquit, *factum*. Nam ab una litera utrumque incipit verbum. Nunciatis igitur veris nuptiis, subjungitur adhortatio, ut perseveret filium Davus corrigere, ne adhuc animus amore meretricis impeditus facile nuptias et patris

CH. Domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuncio.
SI. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mihi effecisti has nuptias.
DAV. Ego vero solus. SI. Corrigere mihi gnatum porro enitere.
DAV. Faciam hercle sedulo. SI. Potes nunc, dum animus irritatus est.
DAV. Quiescas. SI. Age igitur, ubi nunc est ipsus? DAV. Mirum, ni domi est.
SI. Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam itidem illi. DAV. Nullus sum.
Quid causæ est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via? Nihil est preci loci relictum; jam perturbavi omnia:

imperium contemnat. E.—*Hem, quid dixti*] Τὸ *hem*, in Ms. R. deest. L.—Lege *Quid dixisti*, uti unus cod. primariæ notæ habet; atque *Hem* priori versui appone. B.

15. *Ibo: atque hæc renuncio*] Varie, *ibo et renuncio*. D.—Illud *apparentur*, sc. *nuptiæ*, est ineptum, quia in domo Simonis, non Chremis erant parandæ nuptiæ. Repone igitur *apparetur*, impersonaliter, ut Eun. iii. 5. 35. et Adelph. v. 7. 2. B.

16. *Nunc te oro, Dave*] *Te*, id est, per quem stat summa negotii. Et modo magis vere rogat, quam tunc cum ait, *Dehinc postulo, sive æquum est, te oro, Dave*; ibi enim iracundia latet, cum dixit, *sive æquum est. Effecisti has nuptias*] Non *fecisti*: est enim *effecere*, perficere faciendo. Et bene *has*: quarum causa laboro. D.

17. *Ego vero solus*] ΔΙΑΝΟΙΑ. Et hoc ad increpationem dicit, non ad confirmationem. *Solus*] Id est, cui non assentiebat Pamphilus. *Porro*] In futurum, deinceps; futuri temporis adverbium: vel adhortantis, ut *Porro, Quirites. Enitere*] Labora: quasi difficile sit, et conatu sit opus. D.—*Ego vero solus*] Hæ interruptiones in Terentio sæpius positæ, ita sunt suspendendæ, ut series orationis tenorem suum usque ad ultimum servet, sicut hic. E.

18. *Hercle sedulo*] Productiones sunt Comici stili, ad fucum orationis positæ. *Potes nunc*] A possibili argumentum. *Dum animus irritatus est*] Quia dixerat, *Iræ sunt inter Glycerium et gnatum. Irritatus est*, commotus, ira provocatus: ut in Phormione, *irritor*. Ducitur autem verbum a canibus, qui restrictis dentibus hanc literam R imitantur (*iterant*, ed. Du R.) D.—*Irritatus*] Injuriis provocatus. E.

19. *Quiescas*] Id est, conquiesce: imperativi modi, ne injuriosum videretur. *Quiescas*] Pro quiesce, aut decet volo, aut facito. *Age igitur*] *Age*, dic: ut est, *Egi atque oravi tecum*: aut adverbium est hortandi. *Mirum ni domi est*] Existimationem intulit, incertum fugiens: et est compositum, quasi miror. *Mirum ni domi est*] Compositum est, quasi hoc est mirum, ni domi est. Caute servus callidam interrogationem senis paratus excepit. Memor simulatæ discordiæ cum amica, fingit non se alibi eum esse suspicari, quam domi. D.—*Mirum ni domi*] Ex hoc declarat non esse illum apud meretricem, ideo mirandum est, si non domi est. E.

20. *Dicam eadem illi*] In aliis *itidem* scriptum est: quod si est, pro item accipiamus. An ergo *idem* pro item? *Nullus sum*] Plus est *nullum esse*, quam *periisse*. Nam qui perit, vel corpus habet reliquum: qui vero nullus est, ita non est, ac si natus non sit. D.—*Dicam itidem*] Adsimiliter, et est adverbium qualitatis. Remansit servus cognito consilio domini, et secum loquitur, se jam esse periturum, quod eventus aliter ceciderit, quam ipse consilium non recta calliditate susceperit. Ita secum loquitur hæc: et est oblocutio habens quid metuat, et quid velit. Nam quid metuat hoc est: Nihil est preci loci relictum, jam perturbavi omnia: nihil ergo causæ est, quin in pistrinum recta proficiscar via. E.—*Dicam eadem illi*] Ms. R. *dicam idem illi*. L.—Ut *tibi* et *illi* sit in ictu, præferenda est lectio unius cod. *tibi, quæ dixi, dicam itidem illi*. B.

21. *Hinc*] Id est, ex hoc loco. *Recta proficiscar via?*] Bene *recta*, ut corporis impulsionem lucrifaciam; aut *recta*, ut non eam ad precatorem, aut ad Pamphilum. Et bene *proficiscar*. *Proficisci* enim in rem ægram ac difficilem dicimus. Et *recta via*, plana dixit, non tantum recta. D.

22. *Nihil est preci loci relictum*] Subjungit ergo causas cur proficiscatur in pistrinum. *Nihil est preci*] Quod præ-

Herum fefelli: in nuptias conjeci herilem filium:
Feci hodie ut fierent, insperante hoc, atque invito Pamphilo. Hem
Astutias! quod si quiessem, nihil evenisset mali.
Sed eccum video ipsum: occidi.
Utinam mihi esset aliquid hic, quo me nunc præcipitem darem.

ACTUS TERTII SCENA V.

PAMPHILUS. DAVUS.

UBI illic est scelus, qui me perdidit? DAV. Perii. PAM. Atque hoc confiteor,
Jure mihi obtigisse, quando quidem tam iners, tam nulli consilii
Sum: servon' fortunas meas me commisisse futili?

dixit senex. *Jam perturbavi omnia*] Allocutio, in qua quid metuat, quid velit, manifestum est. D.—*Preci*] Antiqui declinabant *prex precis*: unde remansit in usu accusativus et ablativus in singularitate.

23. *Herum fefelli*] Hæc enumeratio causarum est, qua magnifice (*mirifice* Ms. Boend. et ed. Du B.) exaggeravit errores suos. *Conjeci*] Nec immisi, sed *conjeci*: quod impetum et injuriam significat. *Herilem filium*] Τὸν τρόφιμον. D.

24. *Feci hodie*] Nec solum *feci*, verum etiam addidit tempus, *hodie*: ut ne diecula quidem ejus sit, quod fecerat, mali. *Insperante hoc, atque invito*] *Insperante* et *invito*, duplex offensio. D.

25. *Hem astutias!*] Bona ἐφυφεία. Pluraliter dixit *astutias*, quasi is, qui abundet astutiis, ut ei una non sufficeret. D.—*Hem astutias!*] Ms. R. *Hem astutia*. L.—*Astutia, scelus, malum*, et reliqua alia, interjectiones sunt dolentis aut irascentis, quando ita ponuntur. E.

27. *Utinam mihi esset aliquid*] Non dixit gladium, aut laqueum; ne esset tragicum. Ergo expressit bene, dicens, *quo me nunc precipitem darem*. D.

1. *Ubi illic est scelus*] Hæc scena, cujus perturbationis esse debeat, etiam supra poeta præstruxit, quum ad consentiendum Davi consilio tardum Pamphilum faceret. *Ubi illic est scelus*] Accusatio. *Ubi illic est scelus*] Nimium terribile est, sævire ante quam videas eum, contra quem irasceris. *Ubi illic est scelus, qui me perdidit?*] Ad intellectum, non ad verba redegit (adde *genus* Z.), et est figura σύλληψις per genera. Virg. Æn. i. 216. *Pars in frusta secant*. Sed hic figura est per numeros: nam quia scelus, scelestus intelligitur, modo *qui* subjunxit, non *quod*.

D.—*Ubi illic est scelus*] Hæc scena controversiam tenet talem: Davus arbitratus falsas nuptias, consilium dedit domino ut annueret patri. Unde ille exoravit socerum, qui se promisit filiam daturum. Fit reus Davus, quod decepit dominum. Hic status est qualitatis venialis, in qua etsi de præterito tempore videtur esse deceptus, docet nihilominus se ad futurum posse providere. Est igitur accusatio hæc: *Ubi illic est scelus, qui me perdidit?*] Quamquam conquestio in principio collocata auget crimen, quod dicit, jure sibi ista obtigisse, quod servi consilio usus in periculo sit, et non sua sibi sententia ingenioque subvenerit. E.—Multi codd. addunt *hodie*, quod postea librarii, ut metro consulerent, ejecerunt, et interpolarunt *perdidit*; quod si abest, fit aposiopesis, quæ iracundo convenit: ut illud, *Quos ego*. Deinde *perii* non est Davi, sed ipsius Pamphili. Denique illud *Jure* appone huic ipsi versui primo. Igitur lege, *Ubi illic est? scelus, qui me hodie: perii: atque hoc confiteor jure*. B.

2. *Tam iners*] Sine arte, id est, sine ἀρετῇ. *Tam nulli consilii*] Una pars orationis est, *nulli consilii*; nos, *nullius* et *solius*: recte autem veteres, *nullo' nulli, solo soli* (lege ex Ms. Hulst. *nullus nulli, solus soli*), declinabant. D.—*Tam nulli consilii*] Charisius, lib. xi. p. 127. Priscian. lib. xiii. p. 151. L.

3. *Me commisisse*] Non commendasse: sed, *commisisse*. *Committimus* enim quæ cum magno periculo volumus esse servata. Vid. ad Phorm. v. 1. 19. *Futili*] Levi. Nam a vase, quod *futile* dicitur, quod non deponunt ministri sacrorum, quod est acuto fundo, et patulo ore, eoque instabile est. Virg. Æn. xi. 339. *Consiliis*

Ergo pretium ob stultitiam fero: sed inultum nunquam id auferet.

DAV. Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si hoc devito malum.

PAM. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo
Qui sum pollicitus, ducere? qua fiducia id facere audeam?
Nec, quid me nunc faciam, scio. DAV. Nec quidem me: atque id ago sedulo.
Dicam aliquid jam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram.

PAM. Ohe. DAV. Visus sum. PAM. Ehodum, bone vir, quid ais? viden' me consiliis tuis

habitus non futilis auctor. D.—*Fortunas meas commisisse futili?*] Id est, levi et vano servo. E.

4. *Ergo pretium ob stultitiam fero*] Ergo pretium et præmium generaliter pro bene aut male facto redditur; sed discernitur ita. Nam pretium pro stultitia, est pœna: pretium (*præmium* Ms. Boend. et ed. Du B.) pro virtute, honor est et lucrum. *Pretium ob stultitiam*] Sic Plautus (Leguntur verba in Argumento Asinariæ. Creduntur autem Argumenta Fabularum Plauti esse a Prisciano. Igitur cum Donatus duobus fere seculis Prisciano sit antiquior, vel noster locus est interpolatus, quod vero mihi non est verisimile, tam scitum locum inscito interpolatori venisse in mentem, vel ætate Donati Plautum ipsum creditum esse Argumentorum auctorem) locutus est, *Pretium ob Asinos:* pro, asinorum pretium. Virg. Æn. ix. 282. *Rem magnam, pretiumque moræ fore.* Et alibi, Æn. xii. 351. *Illum Tydides alio pro talibus ausis Affecit pretio;* et est figura ἴλλειψις; ut apud Virg. Æn. xi. 269. *Invidisse deos patriis ut redditus oris.* D.—*Præmium ob stultitiam*] Hoc est, meritum atque pœnam. Virg. Æn. xi. 282.—*Rem magnam, pretiumque moræ.* Et Æn. xii. 351. *Illum Tydides alio pro talibus ausis Affecit pretio.* —*Inultum id nunquam*] Impune nunquam feret, id est, pœnam sustinebit. E.—*Pretium ob stultitiam*] Serv. Æneid. ix. vers. *Pretiumque moræ,* et Æneid. xii. vers. *Affecit pretio.* L.—Lege ex vett. edd. et uno cod. Regio, *sed inultum id nunquam a me auferet.* B.

5. *Posthac incolumem sat scio fore me*] Sic dicere solemus in magno periculo positi: nunquam nos periclitaturos, si illud periculum potuerimus evadere. *Posthac*] Audacter se incolumem in futurum promittit fore, cum vita hominis tam variis multisque sit periculis conferta. Sed hoc dicit: Sic, inquit, periclitor; si hoc evasero, scio me non postea periclitaturum. Menander sic ἂν Θεὸς ΦΕΥΓΕΙ ΟΥΚ ΑΝΑΠΟΛΤΜΠΗΣ * (Is. Casaub. ita restituit: Ἔνθεν ἀποφεύγων, οὐκ ἂν ἀπολοίμην ποτέ), et est sensus, Tam difficile est hinc evadere, ut qui hinc evaserit, videatur immortalis futurus. D.—*Posthac incolumem*] Facile me intelligo, inquit, incolumem esse futuro tempore, si hoc malum, quod præsens est, evitavero. E.

6. *Dicam patri?*] Bene *patri,* non Simoni: ut de auctoritate hujus nominis summus terror exsurgat. *Modo qui sum pollicitus*] *Modo,* mire; etenim majorem vim habent recentiora promissa. D.—*Quid ego nunc dicam?*] Pamphilus modo deliberationis quærit quid faciat, an neget id, quod jam promiserat. Sed est forma non plenæ deliberativæ, et propterea divisiones integras non habet. At postquam Davum conspexit, continuo proponit quæstionem et crimen intendit. E.

7. *Modo qui sum pollicitus*] Oratorie melius *pollicitus* sum dixit, quam si *promisi* diceret. *Qua fiducia*] *Qua fiducia,* ad personam suam retulit; et *fiducia* modo impudentiam significat. D.

8. *Nec quid me nunc faciam, scio*] Nos, *quid faciam,* veteres autem *me* addebant. Et nota *faciam,* cum ablativo casu. Ablativus casus, *me. Atque id ago sedulo*] Id quæro, hoc est, ut inveniam quid faciam. D.—*Quid me nunc*] Priscian. lib. xiii. p. 151. L.—Lege *nec quid me a. i.* Venustas a repetitione tota est. B.—*Nec de me equidem.* SANDBY.

9. *Aliquam producam moram*] *Productem* legitur et *producam.* Significat autem differam, protendam, prolatem. D.—*Dicam aliquid jam*] Ms. R. *Dicam, aliquid me invent.* L.—Pro *jam* habent *me* Vaticanus, Basilicanus, et duo e nostris veterrimi. Recte. B.

10. *Ehodum, bone vir*] Gravis interrogatio, et minantis cum iracundia. Et hoc

Miserum impeditum esse? DAV. At jam expediam. PAM
Expedies? DAV. Certe, Pamphile.
PAM. Nempe ut modo. DAV. Imo melius, spero. PAM. Oh
tibi ego ut credam, furcifer?
Tu rem impeditam et perditam restituas? hem! quo fretus siem
Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias.
An non dixi hoc esse futurum? DAV. Dixti. PAM. Qui
meritus? DAV. Crucem.
Sed sine paululum ad me redeam: jam aliquid dispiciam
PAM. Hei mihi!
Quum non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo
Namque hoc tempus, præcavere mihi me, haud te ulcisci, sini

εἰρωνείᾳ prosequitur, cum omne genus contumeliæ leve in eum dicimus (lege e Ms. Hulst. *ducimus*), in quem ferimur iracundia. *Viden' me?*] Hoc est, numquid negare potes? D.—*Eho, bone vir*] *Bene ἀντίφρασις* est. Et est hic accusatio tota. At contra ille nec defendit se, nec purgat; sed spem tantummodo pollicetur. E.—Pro *ohe* scribe *oh*, atque *agis*, quod duo codd. habent, pro *ais*, ut *quid agis?* sit ipsa ironia, sicut *bone vir*. B.

11. *Impeditum esse?*] *Impeditus* est proprie, qui ita pedes habet illigatos, ut progredi non possit. Sed hic ad negotium retulit. *At jam expediam*] Non se defendit, sed emendaturum promittit; et bene ad impeditum, *expediam* retulit: duo promisit simul, et tempus cum celeritate, et effectum. D.—*At jam expediam*] Ubi est paronomasia; scilicet impeditum solvam. E.

12. *Imo melius spero*] Bene *melius* comparativo est usus, quasi hoc bonum sit, illud melius. *Furcifer?*] *Furciferi* dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a dominis, ignominiæ magis, quam supplicii causa, circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, et prædicare peccatum suum, simulque summonere cæteros, ne quid simile admittant. Itaque et Cicero (pro Deiot. ix.) de servo, *Quid inde furcifer? quo progreditur?* D. —*Furcifer*] In servos istud sæpe convicium dicitur: quod cum addicuntur pœnæ, furcam ex materia qualibet factam, ligatam collo sustinent. Ut Cicero pro Deiot. ix. *Quid deinde furcifer, quo progreditur?* E.

13. *Tu impeditam et perditam restituas?*] Multum progressus est, *impeditam* dicere (lege *dicens*): modo *perditam* dixit. Sensus hic est, Integram perdidisti, et perditam restituas? *Tu*] Hoc est, qui integram expeditamque turbasti. *Quo fretus siem*] Est memor se ante dixisse, Davum video, cujus consilio fretus sum. D.— Versus exigit *sim* pro *siem*. B.

15. *Hoc esse futurum?*] Ut ab illa excludar, hac concludar; et, vide quo me ir ducas. *Crucem*] Plena satisfactio est cor fessio peccati sine recusatione pœnarun Nam mitiores eos reddimus, quibus vult (Lindenbr. recte *ultro*. Wielingius cor jicit, veram lectionem esse, *quibus ulti pœnam meritam pro delictis nostris offer mus,*) operæ pretium pro delictis nostri offerimus. Virg. Æn. xii. 931. *Equide merui, nec deprecor, inquit.* D.—*An no dixi hoc?*] Ubi ait, *ut ab illa excluda hac concludar. Quid meritus? crucem* Semper pietas commovetur iratis, si il qui in crimine constituti sunt, se pœnai meritos esse fateantur; idcirco adjec *servus, crucem.* Et ab Atheniensib hæc lex fuerat constituta, uti damnat pœnæ proponerentur, ut eligerent quai vellent: et si leviorem eligerent, gravio afficiebantur. E.—*Quid meritus?*] Ser Æneid. i. 519. L.—Scribendum est *ritu's*, ut *es* cum *meritus* coalescat. B.

16. *Ad me ut redeam*] *Redire ad se* dic tur, qui animum recipit, et sedem menti Virg. Georg. iv. 443. *Victus redit ad se* et hic de corpore dixit. Ad se autem r dit, qui amens esse desistit. *Dispiciam Dispicere* est disquirere consilium: *despi cere* deorsum aspicere. D.

17. *Cur non habeo spatium*] *Οἰκονομικῶς* D.—Unus e nostris recentior CUR *non habeo.* Retineri potest vulgare *Cum.* E

18. *Namque hoc tempus præcavere*] S Virgil. Æn. i. 139. *sed motos præsta componere fluctus;* et est *σύλληψις*: illu enim cogit, hoc sinit. D.—*Namque h tempus*] In periculis posito prior est cu prospiciendi, quam vindicandi. Und etiam Neptunus, cum mare cerneret ea turbatum, Æn. i. 139. — *sed motos præ stat componere fluctus: Post mihi non s mili pœna commissa luetis.* E.—*Sinit* cu

ACTUS QUARTI SCENA PRIMA.

CHARINUS. PAMPHILUS. DAVUS.

Hoccin' est credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua comparent ut commoda? ah!
Idne est verum? imo id est genus hominum pessimum,
In denegando modo quis pudor paululum adest:

turbet sensum, audacter repone *moset*. B.

1. *Hoccine credibile est?*] Elegans perturbatio, in qua inter se Simo, Pamphilus, Davus, Charinus, Byrrhia, Chremes, omnes omnibus redduntur offensi. *Hoccine credibile est?*] Et incredibile est, inquit, et nefandum. E contrario enim ab interrogatione quadam incipiunt, qui nimis irascuntur; ut et illud, *Hoccine humanum factum?* Et totum hoc in pronunciatione est; hoc enim genus interrogationis vim negandi exprimit. *Hoccine credibile est?*] A generalitate incipit, ut Cicero, Verr. ii. 22., *Quam facile serpat injuria et peccandi consuetudo, quam non facile reprimatur, videte, judices.* D.—*Hoccin' est credibile?*] Hæc scena accusationem tenet, quod Pamphilus non servaverit fidem: quippe qui dixerat, se non esse uxorem ducturum eam, quam amabat Charinus. Sed huic accusationi respondet Pamphilus, se potius esse deceptum, neque quod fecerit, hoc fecisse propria voluntate; ut venialis status sit. Accusatio igitur generaliter cœpit, quod multi homines mali de incommodis alterius gaudeant. Accusatoris semper est, generalitate proposita ad speciem crimen adjungere. Ut est illud: *Nihil enim est, vitæ res poscere eum, qui non possit suæ reddere.* Deinde subjungitur de Cæcilio: *Hic ego, Cæcili, de te non dicam.* Ita et hic subjungitur species de Pamphilo, quod ipse malo alterius videatur gaudere. Et est sensus: Numquid credi potest, quod sit alicui tanta malitia insita, ut non compatiatur alterius miseriis, sed potius gaudeat; et nunquam se felicem credat, nisi sit cui comparatus insultet (*nisi sibi comparavit, cui ins.* Z.) Et definit qui sit invidus. De quo Martialis i. 41. 2. *Omnibus invideas, invide, nemo tibi.* E.—*Hoccin' est credibile?*] Prisc. lib. xii. L.—Ut versus constet totus e Dactylis, legi debet *Hoccine credibile, aut memorabile*, quæ lectio reperitur in cod. Academico Prisciani 900 annorum. B.

2. *Cuiquam ut siet*] Singulari et plurali numero respondet. *Cuiquam ut siet, ut malis gaudeant*] Cum dixisset *cuiquam*, intulit numerum pluralem; ut alibi, *Si quisquam est, qui placere se studeat bonis Quamplurimis, et minime multos lædere: In his poeta hic nomen profitetur suum.* D.

3. *Ut malis gaudeant*] Legitur et *gaudeat*. D.—*Malis gaudeant*] Ms. R. *gaudeat*. *Ex incommodis alterius*] Cicero iii. De officiis, *Detrahere igitur alteri aliquid, et hominem hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra naturam, quam mors.* L.—Donatus, Vaticanus liber, Basilicanus, et unus e nostris habent recte *gaudeant, comparent.* Alii *gaudeat, comparet.* B.—Menander apud Stobæum: Ταῖς ἀτυχίαις μήποτ' ἐπίχαιρε τῶν πέλας. W.

4. *Atque ex incommodis alterius, sua comparent ut commoda?*] Hoc est, non intelligunt commoda sua, nisi ex alterius incommodis ea æstimaverint. *Ex incommodis alterius*] Et hic *gaudeant* subauditur. *Sua comparent*] Hoc est, acquirant, vel æstiment (*metiantur* adjectum habet ed. West. Z.) D.—*Sua comparent*] Ms. R. *ut comparet comm.* L.

5. *Idne est verum? imo id genus*] Alii sic, Verum est, hoc genus hominum e (pro *e*, West. edidit *hominem*. Non male. Z.) se probavit esse, cum malus sit: et (*sed* Z.) sic contra hoc, Imo non hominem, sed pessimum hominem se probavit. *Idne est verum? imo id genus*] Parum accusaverat, dicens, Idne est verum hominum genus? et ideo addidit, Imo id genus hominum est pessimum; ut hoc facere, non hominis modo sit, sed pessimi hominis. D.—*Pessimum hominum genus*] Sensus est: Hominum genus semper intelligitur pessimum, qui semper fraudibus vivunt. At ne quasi contra opinionem omnium istam sententiam videatur dixisse, quod dixerat, *verum hominum genus*, intelligens malos homines, adjecit deinde pessimum hominum genus. E.

6. *In denegando modo*] *Modo*, pro tantummodo. *Quis pudor paululum adest*] Adest pudor, ne denegent: non adest, ut

Post, ubi tempus est promissa jam perfici,
Tum coacti, necessario se aperiunt, et timent;
Et tamen res cogit denegare.
Ibi tum eorum impudentissima oratio est;
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?
Heus, proximus sum egomet mihi. Attamen, ubi fides?
Si roges, nihil pudet: hic, ubi opus est,
Non verentur; illic, ubi nihil opus est, ibi verentur.
Sed quid agam? adeamne ad eum, et cum eo injuriam hanc
expostulem?
Ingeram mala multa? atque aliquis dicat, Nihil promoveris.

et præstent. D.—Cod. Petrensis recte legit *paulum adest*, ut Creticus fiat. Atque *In* appone superiori versui. B.

7. *Post, ubi tempus*] Deest *est*: ut sit, *tempus est*. D.—Antiqui libri, cum quibus Donatus concordat, omittunt *est*. B.

8. *Necessario se aperiunt*] Mire ait *necessario*, quia natura sunt tales: necessitas autem in natura est constituta. *Aperiunt*] Mire, *aperiunt*: quoniam tunc, cum promittebant, mali erant; sed latebat malitia intra pectoris altitudinem (uterque cod. *in pectoris altitudine*). D.—Bentleius illud *et timent* sequenti præposuit versui. Z.

9. *Et timent, et tamen res cogit denegare*] Bis numero subauditur *denegare*. Et melius *timent*, quam si diceret, *pudet eos*. Nam timor est etiam malorum: pudor, tantum bonorum. *Res*] Malitia scilicet, tanquam mali sint ad rem, quam præstare non possunt. D.—*Res cogit*] Ms. R. *premit*: ut et in aliis vett. L.—Faernus in cod. Victoriano pro *cogit* invenit *premit*: quod recepit Bentleius, consentientibus suis. Z.

11. *Quis tu es? quis mihi es?*] *Quis tu es*, ad dignitatem refertur: *quis mihi es*, ad necessitudinem, id est, frater, aut cognatus? Et hæc verba mollia sunt dicta, sed animo aspera. *Cur meam tibi?*] Ἔκλειψις. D.—Post *tu* pone *homo*, et post *cur* desiderat versus *ego*. B.

12. *Heus, proximus sum*] *Heus* significatio est modo nominis, ad intentionem considerationemque revocandi. *Proximus sum egomet mihi*] Id est, carior mihimet ipsi sum, quam quisquam alienus. *Proximus*] Carus, benevolus; et hoc est quod ait supra, *Quo æquior sum Pamphilo, si se illam in somnis, quam illum amplecti maluit*. Inde *proximi* et *propinqui* dicuntur, qui nobis cari esse debent. D.—*Proximus sum egomet*] Hoc est, mihi potius debeo consulere, cum major utilitas nobis nostra est, quam aliena. *Ubi fides est*] Ac si interroges, ubi sunt quæ promissa sunt, hoc est, ubi fides maneat. E—*Heus* pertinet ad finem antecedentis. E

13. *Si roges*] Abundat, *si roges*: sed ἡθικῶς additum est. *Nihil pudet*] *Pudo* est mali facti: *verecundia* recti et honesti Ergo mire posuit. *Hic ubi opus est*] Salv pudore. *Hic*] Ubi promiserant. D.—*Ni hil pudet hic ubi opus, illuc ubi opus est, il non verentur*] *Hic ubi opus est*: hoc es cum jam debeant complere promissa (Ms. alter: *Complere promissa. Ubi eni opus quo ipsa promisio est.* Alter mult omittit). E.—*Nihil pudet hic*] Plaut. E pidico, ii. 1. 1. *Plerique homines, quos, cu nihil refert, pudet: ubi pudendum est, I eos deserit pudor, quum usus est ut pu deat.* L.—Scribe *pudent*, quod est ant quum. Constitue versum sic, *Si roges, n pudent hic, ubi opu'st: illic ubi.* B.

14. *Illic, ubi nihil opus est, ibi*] *Illic ibi*, aptum irascenti repetitionis genu *Illic*] Legitur et *illi*. *Ubi nihil opus es* Ubi nondum promiserunt, ibi verentu quod ait supra, *In denegando modo qu pudor est paulum*. D.—*Non verentur illi* In Ms. R. τὰ *non verentur*, non eran quæ neque in Eugraphio. L.—Illud *n verentur*, quod in perantiquo nostro, i Regio apud Lindenbrogium, et apud Eu graphium abest, dele, adeo ut versus eff ciatur hic: *Nil opu'st, ibi verentur*. B.

15. *Adeamne ad eum*] Hic locus delib rationis est: an adeat ad Pamphilum; unum *ad* abundat, et moraliter verba Ch rini sunt posita. *Injuriam*] Pro, de in juria. *Expostulem*] *Expostulatio* est adve sus eum, quem incusamus; nam *exposti lare*, est querelam apud eum ipsum dep nere (excidit, *et*. Z.) de eo ipso qui fec injuriam: *postulare* autem, querelam d cere de altero apud alterum. D.—*Et cu eo injuriam*] Cum eo conquerar de hu injuria: hoc enim significat *expostulati* cum injuria ei afficitur cum aliquo quæ tio * E.

16. *Ingeram mala multa?*] Quasi tel ita se dicit ingesturum mala. *Atque aliqu*

Multum: molestus certe ei fuero; atque animo morem gessero.

PAM. Charine, et me et te imprudens, nisi quid Di respiciunt, perdidi.

CH. Itane, imprudens? tandem inventa'st causa: solvisti fidem.

PAM. Quid tandem? CH. Etiam nunc me ducere istis dictis postulas.

PAM. Quid istuc est? CH. Postquam me amare dixi, complacita'st tibi.

Heu me miserum! qui tuum animum ex animo spectavi meo.

PAM. Falsus es. CH. Nonne tibi satis esse hoc visum solidum'st gaudium,

Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres?

dicat, nihil promoveris] Hoc dicit, Et si existat aliquis qui mihi dicat, Quid profeceris? respondebo, Multum. D.—*Nihil promoveris*] (Ms. alter: *Atque aliquis dicat: nihil promoveris*): Hæc quasi per interrogationem pronuntur. Cum sit enim hoc consilium Charini, ut accusationem ingerat in Pamphilum, proponit sibi in irritum accusationem eventuram. Itaque quasi aliquis dicat, frustra accusaturum esse Pamphilum. *Si quis ergo est qui dicat, nihil promoveris:* tanquam responsio subjungitur verbum illud quod sequitur, *Multum:* hoc est, multum promovero, dum meam compleam voluntatem. E.—*Ingerere mala multa*] Plaut. Pseudol. Act. i. 2. 125. *Ingere mala multa.* Ps. *Jam ego te differam dictis meis.* L.

17. *Multum*] Non subjunxit, quomodo multum? sed illud faciam. *Multum*] Subauditur, *promovero. Molestus certe ei fuero*] Transitum fecit dicendo, *Molestus certe ei fuero;* hoc est, si nihil aliud promovero, certe ei molestus fuero. *Atque animo morem gessero.*] Erit fructus iracundiæ ex vindicta. Et per iracundiam atque turbationem non invenit, quod sit multum: aliud ergo invenit, molestus certe ei fuero. D.—Ne temere Trochaicos duo Iambicus excipiat, mutetur *Multum* in *Nil;* ut Eun. iv. 2. 10. B.

18. *Charine, et me et te*] Mire et artificiose fecit Pamphilum priorem alloqui, ad perfringendam iracundiam Charini; alioquin si prior vociferari potuisset, tragica exclamatione usus fuisset. *Imprudens*] Defensio ab imprudentia; etenim nisi bonæ esset conscientiæ, nunquam diceret *te perdidi*, purgaturus. D.—*Charine, et me et te*] Hic incipit defensio, et simul status venialis per imprudentiam. At Charinus perseverat in accusatione, per palilogiam, repetendo *imprudentiam.* Cumque Pamphilus fidem apud amicum perdidisset, qui se et a dictis et a factis nimis insipienter egisse in antecedentibus reprehendit, adhibet testem Davum, cujus consilio ista fecit. E.—*Di respiciunt*] Ex formula in notis vett. DEUS RESPICE NOS. Plaut. Bacchidibus, iv. 3. 24. *Tace modo, Deus respiciet nos aliquis.* L.

19. *Itane, imprudens?*] *Imprudens,* distingue; et attende hoc illum repetere, quod indignatur magis, quasi audierit imprudens, et non audierit reliqua. *Itane, imprudens?*] Quia articulus omnis defensionis per concessivam qualitatem hoc dicto est constitutus: idcirco hoc ipsum Charinus per infirmationem repetit, hoc cupiens eripere Pamphilo, quo ille maxime nititur. D.

20. *Ducere istis dictis*] *Ducere* hic, ut Græcis ἄγειν. Lucian. in dialog. Jovis et Junon. καὶ ἄγει σὲ καὶ φέρει, τῆς ῥινὸς, φασὶν, ἕλκων. Idem in dialogo Hermotimi et Philopseust. Cui simile est illud Nicetæ: οὐχ ὥσπερ ἀπὸ ῥινὸς, ἀλλ' ἐκ τῶν ἔτων εἶλκε τὴν αἰτιοκράτορα. L.—Codd. recentes, auctore Faerno, habent *seducere;* antiqui vero, *ducere,* sc. *falsa spe,* quod placet. Cæterum versus gratia lego, *Quid ita tandem? etiam me dictis ducere istis postulas?* B.

22. *Qui tuum animum*] Legitur et *cum.* D.

23. *Falsus es*] Modo participium est, id est, falleris: si Pamphilum dicit (forte leg. *sic Pamphilus id dicit*). Si vero conjungitur, pro *fallax* accipitur (legerim, *Si vero* ES *jungitur, pro falsidicus accipitur*). *Hoc solidum*] *Solidum,* plenum, idoneum, integrum. D.—Ne sit versus impelitus et inconcinnus, sublata interrogatione, lege—*non satis tibi esse hoc solidum visum'st gaudium.* B.

24. *Nisi me lactasses*] Produxisses, oblectasses, induxisses; quæ significatio frustrationem ostendit. *Lactare,* est inducere in aliquam voluptatem, *a lactando,* unde et *oblectare* dicitur. D.

Habeas. PAM. Habeam? ah! nescis, quantis in malis verser miser,
Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines,
Meus carnifex. CH. Quid istuc tam mirum'st, de te si exemplum capit?
PAM. Haud istuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem meum.
CH. Scio: cum patre altercasti dudum; et is nunc propterea tibi
Succenset; nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
PAM. Imo etiam, quo tu minus scis ærumnas meas:
Hæ nuptiæ non apparabantur mihi,
Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.
CH. Scio: tu coactus tua voluntate es. PAM. Mane:
Nondum scis. CH. Scio equidem illam ducturum esse te.

25. *Habeas*] Permissio animi irati. *Habeam*] Ut supra, *Aut si tibi hæ nuptiæ sunt cordi.* P. *cordi! Quantis in malis verser miser, quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines*] Εἰρωνεία, ut supra, *cujus consilio fretus sum.* Et cum *verser* protulerit, *conficiat* debuit inferre; est ergo ἀνακόλουθον: aut (recte Ms. Hulst. omittit *aut.* Certe enim non diversum quid narrat, sed ἀνακολούθου exemplum laudat) ut illud, *Principio, amico filium restitues, tibi generum firmum, et filiæ invenies virum.* D.—*Habeas*] Σύγχυσις (τυγχόρησις Z.) est, quæ fit, quando concedimus mala importune desiderantibus: ut est etiam illud, *Habeat, valeat, vivat cum illa.* E.

26. *Confecit*] Legitur et *conflavit. Sollicitudines*] Perturbationes. D.—Libri omnes legunt *confecit.* B.

27. *Meus carnifex*] Id est, in me carnifex, qui me torserit; ut alibi, *Deo irato meo:* hoc est, in me irato deo. *Si de te exemplum capit?*] Utrum, si te imitatur; an, si de te exigit pœnas? ut ipse alibi, *Uterque exempla in te edent;* sed melius, te imitatur, accipimus. D.—*Quid istuc tam mirum*] Ista, inquit, stultitia, et malis moribus vivis, ut juste de te pœnas captet servus, hoc est, *exemplum capit:* ponitur enim hoc ex pœna atque supplicio: ut ipse Terentius alio loco dicit, *Uterque in te exemplum edent.* E.—Tolle *est*, quod idem Eugraphius nescit. B.

28. *Haud istuc dicas, si cognoris*] Nosti enim: sed *si cognoris*, non ita dicas. D.

29. *Cum patre altercasti*] Ab iis quæ facta sunt, ad ea quæ facta non sunt. *Cum patre altercasti*] Legitur et *altercatus es;* non enim *altercо* dicimus. D.—*Altercasti*] Contendisti, diutissime disputasti. E.—*Altercasti dudum*] Priscian. lib. viii. L

30. *Nec te quivit hodie cogere*] Hoc ar gumentum attulit ex iis, quæ non sun facta, cum fieri debuerint. D.—*Succenset* Irascitur. E.

31. *Imo etiam*] Propterea (lege *Præte rea*) et amplius. *Imo etiam*] Deest, *audi Quo tu minus scis ærumnas meas: Hæ nup tiæ non apparabantur mihi*] *Quo*, id est quod; et deest, *audi*, vel *accipe:* ut sit quod, vel quoniam minus scis. Vel *quo* id est, ex quo, aut qua re. Aut certe eri sensus, cum hujusmodi tamen subaudi tione, Imo etiam quo tu minus scis ærum nas meas, eo magis audi. Aut, Imo etian hæ nuptiæ non parabantur mihi, quo ips minus tu scis ærumnas meas: id est falsæ nuptiæ erant: quæ res te fallit ma gis, irascique mihi cogit merito (lege *im merito*). D.—*Ærumnas meas*] Miserias e labores. E.

32. *Hæ nuptiæ*] Legitur et *hæc nuptiæ* sic enim veteres dixerunt. *Non appara bantur*] *Apparari* cum dativo casu sem per cladem et perniciem significat; u Virgil. Æn. ii. 132. *Mihi sacra parari* D.—*Hæc* apud Donatum, recte, more ve terum. B.

34. *Coactus tua voluntate*] Hæc est ac cusatio: ille enim excusat per impruden tiam: hic arguit voluntatem; hoc erg dixit, Eo gravius, quo nullo cogente pec casti. D.—*Coactus tua voluntate*] Qui est necessitas naturalis, est etiam neces sitas cum voluntate, est et sine voluntate Sed postposita naturali, de duabus reli quis hic agitur. Ait enim, quia non pate te coegit, sed tu coactus tua voluntate. E

35. Cod. Palatinus s. Romanus apu G. Fabricium *Nondum etiam scis.* Recte Illud *illam* versus quoque respuit. B.

PAM. Cur me enicas? hoc audi: nunquam destitit
Instare, ut dicerem me esse ducturum patri;
Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.
CH. Quis homo istuc? PAM. Davos. CH. Davos? PAM. Interturbat. CH. Quamobrem? PAM. Nescio.
Nisi mihi deos satis scio fuisse iratos, qui ei auscultaverim.
CH. Factum hoc est, Dave? DAV. Factum. CH. Hem! quid ais, scelus?
At tibi Di dignum factis exitium duint.
Eho, dic mihi, si omnes hunc conjectum in nuptias
Inimici vellent, quod, nisi hoc, consilium darent?
DAV. Deceptus sum, at non defetigatus. CH. Scio.
DAV. Hac non successit, alia aggrediemur via.
Nisi id putas, quia primo processit parum,

36. *Cur me enecas?*] Excrucias. D.—*Cur me enecas?*] Cur his dictis crucias. E.

37. *Instare, suadere, orare*] Quia dixit, *instare, suadere, orare*, non plus dicere posset, quando nihil potest esse (Ms. Hulst. *quare nihil potest esse*. Unde suspicor legendum, *quartum nihil potest esse*. Dicit *quartum*, quia tria præcesserunt, *instare, suadere, orare*. Ed. Venet. 1490. legit *quarto;* similiter Ms. Boend. et ed. Du B. Wielingius tuetur *quando*, quod hic valeat, *quia*). D.—Cum versus hic justo sit longior, alii *me* ejiciunt, ego deleo *esse*. B.

38. *Donec perpulit*] Id est, persuasit. E.

39. *Davus?*] *Davus*, cum admiratione pronunciandum. *Interturbat*] Deerat et hic, ut Davus diceret: sed plus intulit, *interturbat*. Et *inter* modo non mediocriter significat (Ms. Hulst. *Et* INTER *modo non pro mediocri significatione est*. Varie autem hæc eduntur. Sed si verum est, quod Faernus existimat, τὸ *interturbat* ex annotatione irrepsisse, possit etiam hæc animadversio non esse a Donato, ita sibi parum constat): est enim adauctiva particula; ut *interfectus, interemtus*. Modo *post* ut, Virg. Æn. vii. 30.—*hunc inter fluvio Tyberinus amœno, Vorticibus rapidis, et multa flavus arena In mare prorumpit.*—*Nescio*] Quia irascitur Davo, dixit *Nescio:* alioquin scit. D.—Dele *interturbat* tanquam glossema. B.

40. *Nisi mihi deos satis scio fuisse iratos*] Deest, *quia:* ut sit, *nisi quia*. D.—*Satis scio*] Elegantius abest, et *ei* abundat. B.

41. *Factum est hoc*] Non, quod non credat, interrogat: sed quod increpet. D.—*Qui auscultaverim*] Qui consensum hujus persuasionibus commodaverim. E.—Libb. antiquiores omnes, *Factum est hoc*, et mox pro *factum*, Petreusis *factum est*. Utrumque recte. B.

42. *At tibi di*] *At*, principium increpationi aptum; ut, Virg. Æn. ii. 535. *At tibi pro scelere*. Et Horatius Epod. v. 1. *At o Deorum quisquis in cœlo regis Terras, et humanum genus*. D.—*At tibi*] Mss. *Ut tibi Di*. L.

43. *Eho, dic mihi*] *Eho* interjectio est, intentionem audientis exposcens. *Dic mihi*] Semper τὸ *dic mihi*, injuriosum est; ut Virgil. Ecl. iii. 1. *Dic mihi, Damœta, cujum pecus?* D.

44. *Quod, nisi hoc, consilium, darent?*] Cum odio *hoc* pronunciandum est; ideo *conjectum* dixit. D.—*Eho, dic mihi*] Stultum admodum, Dave, et contrarium domino dedisti consilium: namque si inimici Pamphilum vellent uxorem ducere, non aliud consilium darent, quam quod tu dedisti: uti cum videres eum alterius amore retineri, cogeres tamen ut promitteret patri uxorem esse ducturum. E.—*Inimici ejus vellent*] Ita ex Ms. editum; tamen in Reg. exempl. et aliis τὸ *ejus* non habetur. L.—Ne versus duriter incedat, pro *quod, nisi* lege *quidni*. B.

45. *Deceptus sum*] Concessio. *Scio*] Τὸ *scio*, non ad deceptionem, sed ad defatigationem reddit; ergo cum εἰρωνείᾳ sonandum. D.—*Defetigatus*] Mss. *delassatus*. L.—*Deceptus sum*] Cum non habeat purgationem servus, confitetur de peccato: tamen promittit aliquid spei, ut periculum possit evadere. E.

46. *Hac non successit*] Deest, *quod conabamur:* et proprie de bono sic dicitur. *Alia aggrediemur via*] Vel *adoriemur*, id est, enitemur. *Adoriri* proprie dicitur repente ex insidiis aliquem invadere. D.—Codd. superstites omnes, *aggrediemur*. B.—*Hac non successit*] *Succedere* dicitur, cum bene aliquid provenit. E.

47. Lege, *Nisi* SI *id putas*. B.—*Nisi id*

Non posse jam ad salutem converti hoc malum.
PAM. Imo etiam. Nam satis credo, si advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
DAV. Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesque et dies,
Capitis periclum adire, dum prosim tibi.
Tuum'st, siquid præter spem evenit, mihi ignoscere.
Parum succedit quod ago? at facio sedulo.
Vel melius tute reperi: me missum face.
PAM. Cupio: restitue, quem a me accepisti, locum.
DAV. Faciam. PAM. At jam hoc opus est. DAV. Hem! st, mane: concrepuit a Glycerio ostium.

putas] Nisi credis, inquit, exinde jam ne (forte, *me*) bonum consilium reperiri (*reperire*) non posse, quia primum contrarius decepit eventus. E.

48. Lege numerose magis, *Non jam ad salutem posse, etc.* B.—Menander in Conizomenis apud Stobæum: Ὥστε μηδεὶς πρὸς θεῶν πράττων κακῶς λίαν ἀθυμήσῃ ποτέ. Ἴσως γὰρ ἀγαθοῦ τοῦτο πρόφασις γίνεται. W.

49. *Credo, si advigilaveris*] Colligit Pamphilus consilia Davi ad hoc proficere posse, ut mala duplicata geminentur: et est σαρκασμός. E.

51. *Hoc tibi pro servitio debeo*] Metaleptice vel μετωνυμικῶς *servitium* pro servitute posuit: ut Virg. Æn. iii. 327. *Servitio enixe tulimus.* D.—*Pro servitio debeo*] Ut corpus quod in servitio est, debeat servientis officium: animus vero nunquam a servo quæri debeat: ita consilium quod dedi, parum si provenit, debes ignoscere. Hoc cum dominus audisset, petit ut sibi præterita fortuna restituatur. E.

52. *Conari manibus, pedibus, noctesque et dies*] Ad id intulit, quod ait supra, *Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia facturum.* Et accusativo casu sine intermissione significat, *noctes et dies. Manibus, pedibus,* ὑπερβολικῶς. D.

54. *Præter spem evenit*] *Evenit*, productum magis: quia hoc perpetuo non vult Pamphilo accidere. Ergo *evénit*, non autem *évenit* media correpta. D.—Metri ratio *évenit*, non *evénit*, efflagitat. B.—Menander in Δεισιδαίμονι, apud Stobæum: Οὐ δεῖ γὰρ ἀδικεῖν οἰκέτας· ἄλλως τε καὶ Ὅταν οὐ πονηρῶς, ἀλλὰ μετ' εὐνοίας τινὸς Πταίσωσιν· αἰσχρὸν τοῦτο γὰρ πέλεται πάνυ. W.

55. *Parum succedit quod ago?*] Si nostrum est, officia præbere: at nostrum non est, fortunam posse præstare. Et bene *succedit*, ut, quod agimus, ostendat successus esse fortunæ. *Parum succedit quod ago*] Utilis sententia pro sapiente contra fortunam. *Sedulo*] Id est, ex animo, et sine dolo. *Me missum face*] Id est, noli uti opera mea. D.—Victorianus et alii antiqui codd. *succedit*, recte, non *successit.* B.

56. Omnes Faerni et nostri, *tute*, recte; plerique etiam addunt *aliud*, male. B.

57. *Restitue, in quem me accepisti locum*] Sensus hic est, Omnia mihi integra et salva redde, qualia tibi tradidi consulturo (Ms. Hulst. *consulto.* Forte *consulturus;* ut notetur ipse Pamphilus), vel quum nihil promisissem patri. D.—*Restitue quem a me accepisti locum*] Quoniam servus dixerat, Si consilium meum bonum non est, *tute aliud reperi:* dominus dicit se utile sibi esse reperturum, si modo in eo loco sit, ubi fuit ante quam promisisset patri. Tunc enim tuta erant omnia, neque quadam necessitate tenebatur, ut uxorem duceret. Nunc autem, quia coactus a servo est, non poterit jam negare, quod pollicitus est. E.—Recentiores *in quem*, sed vetustiores recte omittunt *in.* B.

58. *Hem: sed mane*] Hoc quasi incipientis demonstrantisque, aliquid novi se invenisse. D.—*Crepuit a Glycerio ostium*] Cur totiens in antiquorum fabulis hæc verba legantur, *fores crepuere*, vel *pulsabo fores*, Plutarchus nos docet in Publicola: κόπτουσι καὶ ψοφοῦσι τὰς ἑαυτῶν θύρας ἔσωθεν, οἱ προΐέναι μέλλοντες, ὅπως αἴσθησις ἔξω γένοιτο τοῖς παρερχομένοις, ἢ προεστῶσι, καὶ μὴ καταλαμβάνοιντο προϊούσαις ταῖς κλειδίοις εἰς τὸν στενωπόν. Optime Helladius in excerptis apud Photium, Biblioth. p. 875. ὅτι, φησὶ, τούτου χάριν κόπτουσι παρὰ τοῖς κωμικοῖς οἱ ἐξιόντες τὰς θύρας, διότι οὐχ', ὡς παρ' ἡμῖν νυνὶ, τὸ παλαιὸν ἀνεῴγνυντο αἱ θύραι, ἀλλ' ἐναντίῳ τρόπῳ. ἔξοθεν γὰρ αὐτὰς ἀνατρέποντες, ἔνδοθεν ἐξήεσαν. πρότερον δὲ τῇ χειρὶ ψόφον ἐτίλουν κροίοντες, ἐπὶ τὸ γνῶ-

PAM. Nihil ad te. DAV. Quæro. PAM. Hem! nuncine demum? DAV. At jam hoc tibi inventum dabo.

ACTUS QUARTI SCENA II.

MYSIS. PAMPHILUS. CHARINUS. DAVUS.

JAM, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum
Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.
PAM. Mysis, quid est? MY. Hem, Pamphile, optume te mihi offers. PAM. Quid est?

τοὺς ἐπὶ τῶν θυρῶν, καὶ φυλάξασθαι μὴ πληγαὶς ἐντὸς λάθῃ, τῶν θυρῶν δέουμενῶν ἤδη. Videlicet domus ita ædificatæ fuere, in publicum ut aperirentur: sed publicæ tantum vel nobilium. Conjecturam sic facere licet ex Arist. cum de Hippia scribit οἰκονομικῶν lib. ii. cap. 2. Ἵππιας ὁ λάμπωνος τὰ ὑπερέχοντα τῶν ὑπερῴων εἰς τὰς ὁμοίας ὁδοὺς, καὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς, καὶ τὰ προφάγματα, καὶ τὰς θύρας τὰς ἀνοιγομένας ἔξω, ἐπέλησεν. Nam hic differitatis causa, τὰς ἔξω ἀνοιγομένας opponit ταῖς ἔσω. Plutarchus in commune de omnibus id scribit: τὰς δὲ ἁλληπικὰς (θύρας) πρότερον οὕτως ἔχειν ἐκάστας λέγουσιν, etc. sed comœdiis cum rem probare vult, comicum hoc plane testimonium: nisi quod lenonum sive meretricum ædes hoc modo legantur apertæ, quia et ipsæ quasi publicæ. Falluntur vero qui pulsandi fores, et strependi discrimen confundent; quod nobis dilucide explicat Scholiast. Aristophan. in Nubib. οὐχὶ κόπτω τὴν θύραν] Παρατηρητέον ὅτι ἐπὶ μὲν τῶν ἔξωθεν προσόντων, κόπτειν λέγουσιν· ἐπὶ δὲ τῶν ἔσω, ἐψόφησε τὴν θύραν ἔνδον. Ergo κόπτουσι sive pulsant januam intraturi, ψοφοῦσι sive strepunt qui exituri. Vid. Scholiast. Euripid. in Oreste, p. 129. Phot. in Biblioth. p. 875. Thom. Magistrum in κόπτει τὴν θύραν. L. —Omnes codd. *hem sed*. Igitur ne *sed* elegans pereat, et versui consulatur, sublatis *hem* et *mane*, substituimus *hinc*. Omnes fores, quæ in fabulis memorantur, intra scenam erant, et eam versus aperiebantur. Lege igitur, *sed concrepuit hinc*, etc. B.

59. *Nihil ad te*] Hæc enim ad cogitantem sibi pertinere oportuit. *Nuncine demum?*] Pro denique. *At jam hoc tibi inventum dabo*] Consilium scilicet, quo in pristinum locum restituaris. D.—*Nihil ad te*] Hic diu inquirentem servum, et vana sibi colligentem castigat adolescens. *Inventum dabo*] Hoc quod quæris jam inveniam, et consilio tibi eum locum restituam, quem antea tenebas. E.—Cod. insignis, *hem nuncne demum*. Recte. B.

1. *Jam, ubi ubi erit*] In scena hac, instauratio est adhortationis Pamphili per Mysidem. Opus est enim exhortari rursus adolescentem, ne sub patris oppressione frangatur. *Jam, ubi ubi erit*] Opportune rursus, æstuante Pamphilo, amicæ mentio objicitur per Mysidem, ne succumbat ad nuptias patri, quamvis promiserit patri se ducturum conjugem: adversus quam difficultatem, quia ipsius persona non sufficit, id agit, ut ad Glycerium modo adducat Pamphilum; cujus affectum excitat, non ex eo solum, quod eum puella vocat; sed etiam, quod desiderat eum videre. *Ubi ubi erit*] *Ubi ubi*, in prima parte vim suam tenet, in posteriore productionem: et est quemadmodum *ut ut, qua qua, unde unde;* pro ubicunque, utcunque, quacunque, undecunque. *Jam, ubi ubi erit, inventum tibi curabo.* Non solum se adducturam promisit, sed et tempus addidit. Et bene *tibi*, quasi amanti. D.—*Jam, ubi ubi*] Oportune in hac scena incerto adolescenti et anxio plane quod agat, interponitur Mysis ancilla, cujus aspectu et commemoratione facile animus in amorem inclinatus incubat (forte, *incumbat* Z.), quemadmodum et supra diximus. E.

2. *Anime mi*] Mollis oratio et feminea, multis implicata blandimentis. Ait enim, *Tu modo, anime mi. Mi*, pro (forte, παρὰ τό. Z.) *meus*. D.—*Anime mi*] Comicum nomen blandientis. E.—Colloca *modo tu*, et versus salvus erit. B.

3. Pone P. *Mysis*. M. QUIS *est? ehem, Pamphile*, OPPORTUNE *te mihi offers*. Deletis ultimis, *quid est?* Nam *quis* habet unus cod. cf. supra ii. 2. 7. *ehem* monosyllabon præfer τῷ *hem*, quod est indignantis vel conturbati: *opportune*, ut Adel. iii. 2. 24. quod sæpe permutatur cum *optume*, ob similitudinem, ὀπτυνε et *optume*. Denique *Quid est*, a correctoribus ortum est ad versum supplendum, postquam vitiose legerunt *optume*. B.

MY. Orare jussit, si se ames, hera, jam ut ad sese venias :
Videre ait te cupere. PAM. Vah! perii: hoc malum integrascit.
Siccine me, atque illam opera tua nunc miseros sollicitarier.
Nam idcirco arcessor, nuptias quod mihi apparari sensit.
CH. Quibus quidem quam facile potuerat quiesci, si hic quiesset?
DAV. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. MY. Atque edepol
Ea res est; proptereaque nunc misera in mœrore est. PAM. Mysis,
Per omnes tibi adjuro deos, nunquam eam me deserturum;
Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omnes homines.

4. *Orare jussit*] Παρέλλειψις: cum prætermittentes quædam nihilominus dicimus. Nam prætermisso nomine Glycerii ait, *orare jussit*, quia superfluum esset, si nominaret eam. E.—*Orare jussit*] Priscian. libb. ii. et vi. L.

5. *Hoc malum*] Amor meus, aut Glycerii sollicitudo, quam nescire oportuit nuptias. *Integrascit*] *Integratur*, quod ad integrum redit, quod repetitur, quod instauratur. Virgil. Georg. iv. 514. *ramoque sedens miserabile carmen Integrat.* D. —*Videre ait te cupere*] Hoc per affectus necessitatem. Hoc utique Mysis egit, uti adolescens amore rursus incitatus existeret. *Integrascit*] Renovatur. E.—*Hoc malum integrascit*] Aristophan. in Vespis, prope finem: τουτὶ καὶ δὴ χωρεῖ τὸ κακόν. L.

6. *Sollicitarier*] Perturbari. D.—Lege, ut versus postulat, *sollicitari*. B.

7. *Quod mihi apparari*] *Apparari*, ad horrorem et timorem refertur: et dativo casui subjunctum, cladem et perniciem significat; ut Virgilius, Æn. ii. 132. *Mihi sacra parari*. D.

8. *Potuerat quiesci*] Charini persona istud dicit, quam facile quiesci potuerat, in nuptiis, si Davus non tale domino tradidisset consilium, ut ducturum se promitteret? E.—Antiqui codd. pro *poterat* recte *potuerat*, versu ipso postulante. B.

9. *Age, si hic non insanit satis*] Hic excitus (Ms. Hulst. et R. Steph. habent ita. Sed edd. vett. *Hic exitus*. Ed. Paris. 1552. totam hanc notam omisit. Utraque vero lectio mendo laborat. Malim: HIC, *cerritus. Comprimit Charinum.* Certe quidem *cerritus* pro *insano* adhibetur. Nisi *excitus* sit iratus:) comprimit Charinum, ne fomenta iracundiæ Pamphilo præbeat. Aut, si pœnitet te, quantum hic sua sponte insanit. *Si hic non insanit satis*] Εἰρωνεία est, aut laus ad mitigandum (*irritandum* Ms. Boend. et ed. Du B.) Pamphilum. D.—*Age si hic non insanit*] Si dominus meus, inquit, sua sponte non irascitur, tu, Charine, impelle et coge. *Ædepol ea res*] Mysis respondet ad id, quod Pamphilus fuerat suspicatus; quod Glycerium idcirco se advocet, quod nuptias futuras esse audivit. *Ea*, inquit, *res est*. Hæc causa est miseræ ad dolorem (*quæ miseræ adfert dolorem*. Z.) E.—Translata esse videntur e Menandri Perinthia; in qua sunt hæc: Ὅστις παραλαβὼν δεσπότην ἀπράγμονα, Καὶ κουφὸν ἐξαπατᾷ θεράπων, οὐκ οἶδ' ὅτι Λίτρὸς μεγαλεῖος ἐστι διαπεπραγμένος, Ἀναβελτερόσας τὸν τὸ πρόσθ' ἀβέλτερον. W.

10. *Ea res est*] Id est, nuptias apparari sensit. *Mysis*] Asseveratio est, si a nomine ejus incipias, cum quo loqueris. D.

11. *Per omnes tibi adjuro deos*] *Ad* auctiva (*adauctiva* recte est in Ms. Boend. particula est: *ut, admirabiliter*, valde mirabiliter. *Adjuro*] Et hoc superest, amissa fide ut adjurandum sit. D.—*Per omnes tibi adjuro*] Sic semper hi, apud quos jam periit fides, cum argumenta deficiunt, per jusjurandum sibi in probationem succurrunt: ut est Sinon apud Trojanos, qui cum sibi ex captivitate parum credi intelligeret, jusjurandum adhibuit Virg. Æn. ii. 154. *Vos, æterni ignes, et non violabile vestrum Testor numen, ait.* E.—Dele *tibi*, ut redundans. B.

12. *Omnes homines*] Mira verecundia: *omnes homines* maluit dicere, ut in his quoque parentes significaret, quam aperte dicere patrem, cujus metu promisit nuptias: et est contra illud, *Sed vim ut queas ferre. Omnes homines*] Ita dixit de uno, hoc est, patre, *omnes homines*: ut idem alibi, *O cœlum, o terra, o maria Neptuni.* Nunquid et cœlum Neptuni est? non utique: sed omnia hæc maria voluit esse; ut Virg. Ecl. viii. 58. *Omnia vel medium fiant mare*

Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores: valeant,
Qui inter nos discidium volunt: hanc, nisi mors, mihi adimet nemo.
CH. Resipisco. PAM. Non Apollinis magis verum, atque hoc, responsum est.
Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,
Quo minus hæ fierent nuptiæ, volo: sed si id non poterit,
Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse ut credat.
Quis videor? CH. Miser æque atque ego. PAM. Consilium quæro. CH. Fortis.
PAM. Scio quid conere. DAV. Hoc ego tibi profecto effectum reddam.

D.—*Non si capiundos*] Hoc ex generalitate conclusit. E.

13. *Contigit*] Quod vix evenit, *contigisse* dicitur. *Conveniunt mores*] Recte: et id quod matrimonium firmat. *Valeant*] Hoc est, abeant, recedant: quia et discedentibus et mortuis, *vale* dicitur; ut Virg. Æn. xi. 97. *Salve æternum mihi, maxime Palla, Æternumque vale:* vel potius τῷ εὐφημισμῷ, cum male optaturus esset, considerato patre παραδόξως locutus est: et non dixit, quod intenderat, pereant. Et attende quam moderate pluraliter dixerit, cum significaret patrem. *Valeant*] Renunciationis et imprecationis est verbum. D.—*Valeant*] Ἀκυρολογία, id est, pereant. E.—*Valeant qui inter nos*] Serv. Æneid. xi. 97. L.

14. *Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo*] Etsi valeant, hanc, nisi mors, nemo adimet. Concessio hic est, hoc enim per concessionem dicitur. *Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo*] Perseverat, ne dicat, pater: pro, non adimet pater. D.—*Qui inter nos discidium*] Id est, divortium. E.—Recte Faernus pro *dissidium* ponit *discidium*, consentientibus nostris vetustis libris. Nam venit a *discindere*, ut *excidium* ab *excindere*. B.

15. *Resipisco*] Spiritum revocat sensus (lego: *spiritum revocat sensim.*) *Magis verum*] Aut *magis verum*, aut *verius* dicimus. D.—*Non Apollinis*] Παραβολή: siquidem est rerum genere dissimilium. E.—Pro *resipisco*, cod. C. C. *respiro*. Utrumque recte. Cæterum hoc verbum ipsi Mysidi tribue. B.

16. *Ut ne pater*] *Ut ne*, pro ne non. *Per me stetisse*] *Stetisse*, hoc est, factum esse; ut Virgil. Æn. viii. 191.—*desertaque montis Stat domus.* Aliter, plenum est; ut idem, Ecl. vii. 53. *Stant et juniperi, et castaneæ hirsutæ.* Aliter horret; ut Æn. vi. 300. *Stant lumina flamma.* Et Lucilius, *Stat sentibus fundus. Per me stetisse*] Hoc est, per me factum esse, ne fierent nuptiæ. D.

19. *Miser æque atque ego*] Bene, *atque ego:* quia hic amore vexatur. Et intulit παράδοξον (lege, ἀπροσδόκητον. Nihil enim minus παράδοξον, quam binos amatores pariter esse miseros. W. Inepte plane corrigitur hoc, quod idem valet. Z.). Nam volebat Pamphilus sibi dici, et fortis (τὸ *et* sensum turbat. Id vult Donatus, Pamphilum, ubi rogasset, *Quis videor?* exspectasse, ut Charinus diceret, *Fortis.* Mihi aliter videtur. Illa enim, *Quis videor?* dolentis potius sunt, quam laudari volentis. W. Pro *dici* leg. *videri.* Z.): quod illi tamen mox dicetur. Hic igitur aliter respondet, atque interrogat Pamphilus, ideo quod videat impossibile esse, palam resistere parenti. D.—*Quis videor? miser*] Quoniam secundum consilium, quod Pamphilus posuit, tale est, ut dixerit patrem se non timere, si intellexerit quod ipse fecit, ne nuptiæ fierent. Idcirco et quæsivit ipse qualis futurus esset ex hoc consilio, et responsum est ei, *miser æque atque ego.* E.—*Æque atque ego*] Postremæ duæ voces in Ms. non erant. L.—*Consilium quæro* dicit Davus: lege *forti's*; hæc Charinus non Pamphilo, sed Davo dicit: sequentia *Scio quid conere*, emenda *si quid conere*, et tribue ipsi Charino. Nam nondum potest iratus Pamphilus blande loqui cum Davo. B.

20. *Scio quid conere*] Sensus est, Scio quidem quid coneris: sed an efficere possis, nescio. *Scio quid conere*] Si Pamphili est persona, cum εἰρωνείᾳ dicitur; si Charini, simplex laudatio est: sed si Pamphili est, hoc significat quod supra, *Ex unis geminas mihi conficies nuptias.* Sed non esse personam Pamphili, ex subjectis ostenditur. (Atqui non esse personam Charini, ex responso Davi patet, *Hoc ego tibi profecto effectum reddam*, quod sane Pamphilo dictum, ut illa, *huic, non tibi*

PAM. Jam hoc opus est. DAV. Quin jam habeo. CH. Quid est? DAV. Huic, non tibi, habeo, ne erres.
CH. Sat habeo. PAM. Quid facies? cedo. DAV. Dies mihi hic ut sit satis vereor
Ad agendum; ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini: nam mihi impedimento estis.
PAM. Ego hanc visam. DAV. Quid tu? quo hinc te agis?
CH. Verum vis dicam? DAV. Imo etiam:
Narrationis incipit mihi initium. CH. Quid me fiet?

habeo, dicuntur Charino.) D.—*Hoc ego tibi*] Quia spem habere posse cognoscitur, quod ipsius opera futurum sit, nuptiæ ne fiant: ideo dixit, *consilium quæro*. E.

21. *Huic, non tibi habeo, ne erres*] Deterret etiam nunc Charinum, ut et ipse adjuvet Davum, ne Pamphilo nubat Philumena. Et eodem sensu utitur Davus adversum Charinum, quo supra: quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere. *Huic, non tibi habeo, ne erres*] Velut etiam pro se Charinus sentiat, hoc dicit (Lege et distingue: *Velut etiam pro se Charinus sentiat hoc dici*): vel ut solent servi contumaciores adversum amicum domini, quia nuper a Charino accusatus est: vel quia, et quid dicat non habet, et videt tacendum non esse. D.—*Non tibi habeo, ne erres*] In Ms. τὸ *habeo* deest. L.

22. *Sat habeo*] Quia dilatio facta est. *Ut sit satis*] *Ut* pro ne non. D.—*Dies hic mihi*] Davus servus cum consilium quæreret, ut proferat, ipse sibi reperit argumenta, ut dicat diem sibi vix posse sufficere, ut compleat de narratione consilium. *Vereor* autem est, timeo: et tali verbo junctum pro *ne* accipitur. E.—Colloca e libris Faerni *dies mi hic ut satis sit*. Metri causa. B.

23. *Ne vacuum esse me*] *Ne*, pro nedum: aut adverbium est prohibentis; ut sit *ne non*. Sallust. (in Fragm.) secundo libro, *Ne illa tauro paria sint*, pro nedum. D.

24. *Proinde hinc vos amolimini*] *Amoliri* dicuntur ea, quæ cum magna difficultate et molimine summoventur, et tolluntur e medio; sic dixit quasi odioso et molesto (lege, *odiosis et molestis*, uti mox, *impedientibus*). *Discedere* dicitur, qui facile abit e medio: *amolitur*, qui vix recedit. *Proinde hinc vos amolimini*] Molestum impedimentum ex rei magnitudine jacentis in medio, et ideo impedientibus se dixit, *amolimini hinc*, non abite. *Proinde hinc vos amolimini?*] Spe injecta, etiam domino imperat servus callidus. *Nam mihi impedimento estis*] Utrum hoc vere dicit, an fingit, qui adhuc consilium non invenit, quod narrare possit? D.—*Amolimini*] Discedite. Nam *molior* est conor vel excogito: unde *amolior* et *demolior*. *Molo* vero, est molam verto. E.

25. *Hanc*] Glycerium scilicet; et cum miseratione puellæ, *hanc*. *Quo hinc te agis?*] Ut tarditatem discedentis ostendat. *Agere se* enim et tardi et tristes dicuntur: sic Virgil. Æn. v. 271. *Amissis remis, atque ordine debilis uno, Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat*. Idem alibi Æn. vi. 337. *Ecce gubernator sese Palinurus agebat. Quo hinc te agis?*] Admonitio discedentis, ut solet. Nam a quo discedere desideramus, admonemus eum ubi vadat, vel quo eat. Id facere per interrogationem, admonet Davus Charinum, ut ipse abscedat Charinus, qui nunc ultimus remanet. *Verum vis dicam*] Pro initio sedulæ narrationis hoc sumimus. Ac sic respondet Charinus, tanquam qui intelligat, non dicere (sensus postulat vel *dici*, vel *scire*, vel *discere*. Ed. Du B. *dici*. Ms. Boend. *dici sibi;* quæ vera lectio videtur) velle Davum quo eat: sed id agere, ut abscedat. D.

26. *Narrationis incipit mihi initium*] Narrationis scilicet, quo eat; quia, *Verum vis dicam*, velut procemium narraturi est. *Quid me fiet?*] Quid igitur, inquit, quid de me fiet? ab eo hoc, quasi a jocante, pronunciandum est. Nam sic illi imprudens respondet, *Quid me fiet?* de Philumena ducenda. D.—*Narrationis incipit*] Davus volens (Ms. alter: *Davus servus domino discedente cum animadverteret Charinum etiamnunc stantem, volens eum depellere*. Mox lacunæ signum nullum. Alter, ut edidit Lindenbr. nisi quod omittit illa, *sed tantum impedimentum a. i. d.*) Charinum depellere, quo celerius quæ essent agenda compleret, astute interrogavit, cum omnes irent, *quid tu? quo hinc te agis?* non enim vere audire voluerat, sed tantum impedimentum ad interrogationem discederet * At ille, tanquam interrogari se credens, cœperat nescio quid narrare, cum dixit: *Verum vis dicam?* Unde iratus vehementer Davus, quod sibi nescio quid narrare vellet, cum hoc astute dictum fuerat, ut discederet. *Immo narrationis mihi incipit initium*. Cum jam enim disces-

DAV. Eho tu impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias? CH. Dave, attamen.
DAV. Quid ergo?
CH. Ut ducam. DAV. Ridiculum. CH. Huc face ad me ut venias, si quid poteris.
DAV. Quid veniam? nihil habeo. CH. Attamen, si quid.
DAV. Age, veniam. CH. Si quid,
Domi ero. DAV. Tu, Mysis, dum exeo, parumper opperire me hic.
MY. Quapropter? DAV. Ita facto est opus. MY. Matura.
DAV. Jam, inquam, hic adero.

ACTUS QUARTI SCENA III.

MYSIS. DAVUS.

NIHILNE esse proprium cuiquam? Di vostram fidem!

sionem tuam complere debueris, nescio quid narrare cœpisti. E.

27. *Eho tu impudens*] Proprie Charino dixit *impudens*, quasi insolita et multa poscenti: quippe qui et sponsam alienam petere ausus sit; et non satis habeat, per Davum sibi moram præstitam Pamphili nuptiarum. *Quod tibi dieculam addo*] *Dieculam*, horam; et est *ὑστερόφρασμα*. *Dieculam*, hoc est, tempusculum: et sumitur ab eo, quod est *hæc dies*. *Diecula*, mora, et quasi parva dies; et *dieculam*, in qua scilicet ambias, quantum poteris, ad ducendam Philumenam. Vult enim se Davus adjuvari per Charinum et Byrrhiam. D.—*Tu impudens non satis*] Scit Davus quid petierit Charinus a Pamphilo, et idcirco impudentem appellat, quod amplius petat quam ante desideraverit, *Saltim aliquot dies profer, dum proficiscar aliquo, ne videam*. Veruntamen stat Charinus consilium expetens, non tantum ut differat nuptias, sed ut ipse ducat uxorem. Hinc sequuntur interruptiones quam plurimæ. E.—*Non satis habes*] Priscian. lib. v. *Eho impudens, non sat habes. Dieculam addo*] Charisius libro i. *Quid si tibi addo dieculam*. L.

28. *Promoveo*] Differo. *Promoveo nuptias?*] Memoriter Davus; scit enim illum his verbis petisse, *Saltem aliquot dies profer, dum proficiscar aliquo, ne videam*. Cujus rei oblitus Charinus, etiam ut ducat uxorem, petit. D.

29. *Ridiculum*] Deest, *hominem*. D.—Duo e nostris vetustissimi, *ad me venias*, omisso *ut*: concinnius. B.

30. *Age, veniam*] Vix concedentis, vix consentientis est, *Age, veniam*. D.

31. *Dum exeo*] A Glycerio scilicet. D.—Deleto *me*, metri leges salvæ erunt. B.

1. *Nihilne esse proprium cuiquam?*] Hæc scena administrationem doli habet, quo fit ut deterreatur Chremes, filiam suam Pamphilo dare. Et vide non minimas partes in hac comœdia Mysidi attribui, hoc est, personæ femineæ: sive hæc personatis viris agitur, ut apud veteres; sive per mulierem, ut nunc videmus. *Nihil ne*] *Ne*, adverbium percunctantis. *Nihilne esse proprium cuiquam?*] Omne quod habemus, aut mutuum est, aut proprium. Ergo *proprium*, perpetuum; ut Virg. Æn. vi. 872. *propria hæc si dona fuissent*. Ergo nihil nobis proprium esse potest: quod enim non fuit, nec esse quidem potest; aut quod eripi potest, non est nostrum: nisi illa quæ eripi non possunt, ut sapientia, justitia, prudentia; quæ fortuna neque dare, neque eripere cuiquam potest. Et simul hoc ipsum et a re, et a persona hic ostendit. A re, *Nihilne esse proprium?* A persona, *Cuiquam*. *Proprium*] Perpetuum, non temporale ac (*aut*, Ms. Boend. et ed. Du B.) mutuum. *Di vostram fidem!*] Admirantis adverbium cum exclamatione. *Fidem* dixit opem et auxilium: ut, *Tyrrhenamve fidem*, Æn. x. 71. D.—*Nihilne esse*] Hæc scena compositionem doli habet, quem Davus domino futurum esse prædixerat: scilicet a mulieribus puerum ante ostium collocandum, quo viso Chremes Pamphilo filiam suam non daret. Ac primo conqueritur Mysis, quod Pamphilus, qui promiserat se ducturum Glycerium, jam in-

Summum bonum esse heræ putavi hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum in quovis loco
Paratum: verum ex eo nunc misera quem capit
Dolorem? facile hic plus mali est, quam illic boni.
Sed Davus exit: mi homo, quid istuc obsecro'st?
Quo portas puerum? DAV. Mysis, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem expromta memoria atque astutia.

certam habeat voluntatem. *Proprium* dixit perpetuum et fixum, ut Virgilius, Æn. iv. 126.—*propriamque dicabo.* Et Æn. iii. 85. — *da propriam, Tymbræe, domum.* E.—Quæ nunc una est scena, in vulgatis divisa erat: sed quicquid hujus factum, vett. codd. fide factum, quos hic secuti sumus auctores: quamvis Donatus priorem editionem agnoscere videatur. *Nihilne esse proprium*] Menander: Βέβαιον οὐδὲν ἐν βίῳ δοκεῖ πέλειν. Diphilus: Βέβαιον οὐδέν ἐστιν ἐν θνητῷ βίῳ. Quod imitatur Lucilius apud Nonium: *Nihil esse in vita proprium mortali datum.* L.

2. *Summum bonum esse*] Mire, pro pleno (corrige, *proprio.* Z.) Et neutro extulit, *summum bonum.* D.—*Summum bonum*] Hoc est, summum et bonum amicum et amatorem. E.—Quinque codd. cum edd. vett. *putabam.* Non male. Verum ne pes tertius uno verbo *heræ* constet, repone *deputabam,* ut Hec. iv. 1. 9. B.

3. *Amicum, amatorem, virum*] *Amicus,* animi est: *amator* vero, corporis; non enim continuo amor est, qui bene vult: ut, Dido amavit quidem Æneam; sed non et amica fuit, quæ ait, Æn. iv. 600. *Non potui avulsum divellere corpus, et undis Spargere.* Et item Catullus, lxx. 3. *Cogit amare magis, sed bene velle minus;* et est hic officium et blandimentum, *amatorem et virum,* et dixit ad discretionem, ut per ea quæ enumerat, maritum ostenderet. *In quovis loco paratum*] *Paratum* dixit ad omnes affectus, quicunque de proximo esse possunt, et maxime ad Homericam sententiam respexit, Il. ζ'. 429. Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοι ἐσσὶ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ, Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης. D.—*Virum in quovis loco*] Τὸ *virum* in Ms. deest. L.—Pro *amatorem,* quod et minus est quam *amicum,* et contra fabulæ argumentum, ne Glycerium meretrix videatur, lege *tutorem:* cf. supra i. 5. 6. B.

4. *Verum ex eo*] Id est, Pamphilo. *Nunc misera quem capit dolorem?*] Cum admiratione pronunciat *quem,* et cum exclamatione quadam. D.—*Ex eo nunc misera*] Ἀντονομασία est, quod dixit *hera* et *misera* ab animo et extrinsecus. Ubi est argumentum a minore ad majus: unde sequitur, *Facile hic plus mali est, quam illic boni,* scilicet in relinquendo, quam in amando. *Laborem* vero pro dolore; sicut *periculum* pro tentamento. E.—*Misera quem capit dolorem*] Al. *Laborem quem capit.* L.

5. *Dolorem?*] *Dolorem* (Westerh. hic ubique edidit *Laborem.* Z.) distinxit probe: et post intulit separatim quod sequitur, *Facile hic plus mali est,* in dolore et metu scilicet amittendi, quam in voluntate retinendi. *Facile hic plus mali est, quam illic boni*] *Facile,* adverbium confirmantis est, id est, liquido et manifesto. Veteres dicebant *facile,* pro certo. Ut Cicero, *illius civitatis facile princeps. Facile hic plus mali est*] *Plus mali,* in dolore et metu, ut diximus. *Quam illic boni*] In summo bono. Dicit enim, ex bonis quæ bona existimamus, plus nos mali capere, cum aut amissuros nos credimus, aut amittimus, quam boni, cum habemus. *Quam illic boni*] Id est, in amico, amatore, et viro. D.—Plures codd. Faerni et nostri iique antiqui pro *Dolorem* habent *Laborem:* cf. Eugraphius. B.

6. *Mi homo, quid istuc obsecro est?*] Ex Mysidis verbis, quid Davus faciat, demonstratur. *Quid istud obsecro est?* Involutum puerum portabat Davus: et ideo dicit mulier, *Quid istuc obsecro est?* Tum ille evolvit puerum, et profert; quem postquam expedivit, tum illa dixit, *Quo portas puerum?* D.

7. *Mysis, nunc opus est*] Hæc scena actuosa est; magis enim in gestu, quam in oratione est constituta. *Mysis, nunc opus est*] Properantis et impense agentis Davi verba monstrantur. D.

8. *Expromta*] In medium prolata. *Memoria atque astutia*] *Memoria,* ut præcepta Davi retineat. *Astutia,* ad agendum strenue quæ imperet. *Memoria*] Simpliciter magis, ut memor sit Davi præceptorum. Et *memoria,* modo pro intelligentia; ut Virg. Æn. ii. 244. *Instamus tamen immemores.* D.—*Expromta malitia*] Id est, manifesta calliditate opus est et astutia. E.—*Expromta memoria*] V. C. *malitia.* L.—Pro *memoria* Vaticanus liber, Basilicanus, et aliqui alii, quos inspexit Faernus, it. Eugraphius legunt *malitia,* recte, h. e. calliditas, vafrities. In quibusdam corrupte legitur *militia.* B.

MY. Quidnam incepturus? DAV. Accipe a me hunc ocius,
Atque ante nostram januam appone. MY. Obsecro,
Humine? DAV. Ex ara hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne. MY. Quamobrem id tute non facis?
DAV. Quia, si forte opus sit ad herum jurandum mihi
Non apposuisse, ut liquido possim. MY. Intelligo:
Nova nunc religio in te istæc incessit, cedo?
DAV. Move ocius te, ut, quid agam, porro intelligas.
Pro Jupiter! MY. Quid est? DAV. Sponsæ pater intervenit.
Repudio quod consilium primum intenderam.

11. *Ex ara hinc sume verbenas tibi*] *Ex ara*, scilicet Apollinis (vid. infra Lindenbr. Cæterum pro δήλιον Ms. Boend. et ed. Du B. legit *Cassion.*), quem δήλιον Menander vocat, aut quod Apollini comœdia dicata est: in cujus honorem aram constituebant, comœdiam celebrantes. Apollini ergo comœdia, Libero patri tragœdia. *Sume verbenas tibi*] *Verbenæ* quasi *herbenæ*, redimicula sunt ararum. *Tibi*] Τὸ *tibi*, quasi gestum quendam et motum stomachantis habet: ut alibi, *Quid vis tibi?* Et, *tibi sume*, dixit; non, *tibi substerne. Ex ara sume verbenas*] *Verbenæ* sunt omnes herbæ frondesque festæ ad aras coronandas: vel omnes herbæ frondesque ex aliquo loco puro decerptæ. *Verbenæ* autem dictæ, quasi *herbenæ*; sic Menander * ΚΟΔΕΞΙΑC CΤΜΥΡΡΙΝΑC ΧΧΗCΑΙCΤΡΙΝΡ * (Io. Clericus restituere locum corruptum ita est conatus: σκολιόφυσα σὺ μυρρίνας τῇδε ἔκτεινε, h. e. *evulsos myrteos ramos hac extende.* Propius ad vestigia vetera, opinor, ἀπὸ δ' ἑστίας σύ μυρρίνας, ἐὰν ἔχῃς, διατεῖνε. Phileleuterus Lipsiensis postquam Clericum exagitavit, ita locum restituere Menandri tentavit: ἀπὸ δεξιᾶς σοι μυρρίνης κλάδους λάβε. Philargyrius Cantabrigiensis Clerici agens causam hæc reponit: ἀπὸ δ' ἑστίας, σὺ Μυρρίνα, σχῆς διατεινεῖ. At vero nisi hic *aræ* et *verbenarum* fiat mentio, verba Menandri sunt aliena. Si Μυρρίνα feceris nomen proprium, pereunt herbæ sacræ. Verbi διατεινεῖ nulla hic reperiuntur vestigia. Atque κλάδους λάβε, licet senarium juvent, nullam Menandri præferunt auctoritatem). D.—*Ex ara hinc*] Romanis omnibus mos est in atrio, hoc est, in vestibulo, habere Vestam, quippe cum inde *vestibulum* nominarint, cui sacrificium quotidie facerent. Illic ei fuerat collocata ara; idcirco dictum est, *Ex ara sume hinc verbenas tibi.* E.

12. *Quamobrem id tute non facis?*] *Tute* tunc dicitur, cum pronomen ad eam revocatur personam, a qua sumitur: ut verbi gratia, cum dicimus, *Tu lege;* ille nobis respondeat, *Cur tute non legis?* D. —Ob numeros meliores *id* pone post *tute.* B.

13. *Quia, si forte opus sit ad herum jurandum mihi*] Sic locutus est, ut explicari atque intelligi non possit: aut enim deest *jus*, ut sit *jurandum* pro *jusjurandum;* aut, ut vulgo dicitur, *juramentum.* Et, *opus est illam rem:* non, *opus est illa re.* D.—*Jurandum mihi*] Ms. R. *Jusjurandum mihi.* L.—*Jurandum* est vox nihili. Omnes, quos vidi codd. habent *jusjurandum*, præter unum Academicum, ubi est *jurejurando.* Nos ut versui medeamur, legendum censemus *jurato*, quod eodem dicitur modo, quo infra *transcurso*, Hec. iii. 4. 17. B.

14. *Ut liquido possim*] *Liquido*, pure et manifeste. Nam quæ sunt pura et defæcata, liquida sunt. D.—*Ut liquido possim*] Ut pure, inquit, et manifeste possim jusjurandum adhibere, me puerum non exposuisse. E.

15. *Nova nunc religio*] Bene; jusjurandum metuere servum, monstri simile est. *Nova religio*] In servo, et (*est.* Z.) subita. *Nova nunc religio*] Servum nolle mentiri, nova religio est. *Cedo*] Porrigentis est manum. *Porro intelligas*] *Porro*, modo adverbium est ordinis; alias temporis. D.—*Nova nunc religio*] Subito, inquit, religiosus effectus es; et est σαρκασμός. E. —*Nova nunc religio*] Gloss. Lat. *Religiones, superstitiones.* B. Augustinus, lib. i. cap. 3. de ordine, *Nihilne mihi, inquit, vel tu qui compulisti, ad ista respondes? Cui ego: Nova nunc religio isthæc in te incessit; cedo? inquam, etc.* L.—Dele *in*, quod repugnat usui *incessere.* B.

17. *Sponsæ pater intervenit*] Mire, non dixit, *Chremes:* ne, quum dixisset, quis Chremes? rursus hic responderet, sponsæ pater. Et non temere hoc facit poeta: nam promiserat se rediturum domum Chremes, *Domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuncio.* D.—*Quid est* recte habent omnes codd. B.

18. *Quod primum intenderam*] Verbum a venatoribus translatum, qui retia inten-

MY. Nescio quid narres. DAV. Ego quoque hinc ab dextera
Venire me assimulabo: tu, ut subservias
Orationi, utcunque opus sit, verbis, vide.
MY. Ego, quid agas, nihil intelligo: sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,
Manebo, ne quod vostrum remorer commodum.

ACTUS QUARTI SCENA IV.

CHREMES. MYSIS. DAVUS.

REVERTOR, postquam, quæ opus fuere ad nuptias
Gnatæ, paravi, ut jubeam arcessi: sed quid hoc?
Puer hercle'st: mulier, tun' apposuisti hunc? MY. Ubi illic est?
CH. Non mihi respondes? MY. Nusquam est: væ miseræ mihi!
Reliquit me homo, atque abiit. DAV. Di vostram fidem!
Quid turbæ est apud forum? quid illic hominum litigant?

dunt ad feras captandas. Quia ergo parat Chremem et Simonem fallere, *intenderam* dixit. Vel a sagittis atque arcu. D.

19. *Nescio quid narres*] Bene *narres. Narrare* enim aliena, et quæ nobis non sunt necessaria, dicimus. *Ego quoque*] Bene ait *quoque;* quia et Chremes veniebat. D.

20. *Tu, ut subservias*] Recte, *ut subservias*, dixit; non enim tantum loquitur Mysis, quantum Davus. D.

21. *Orationi, utcumque opus sit verbis*] Tuis verbis orationi meæ; plura enim loquetur Davus, inde *orationi* dixit; illa subsequetur, ideo *verbis. Vide*] Cauta esto, intellige, specta. D.—*Opus* in Thesi totum occultatur. Lege, *opu'st*. B.

23. *Aut tu plus vides*] Si sapis, intelligia. D.—Pro *aut* lege cum Guyeto *ut*, h. e. quia. Etenim dubium non est, Myside Davum esse longe callidiorem. B.

24. *Remorer commodum*] *Remorer*, retardem, retineam. *Remorari* a remora pisce minutissimo, qui naves retinet: nam Græce ἐχενηὶς vocatur. D.

1. *Revertor*] Adest nunc ipse Chremes, cujus causa scena fraudibus instructa est, ne promissas compleat nuptias. *Ut jubeam arcessi*] Recte *jubeam:* quia summa potestas nuptiarum in patre puellæ est. D. —*Revertor, postquam*] Hæc scena dolum complet, et habet subtilem causam et orationem, in qua aliud dicit, aliud intelligi vult. Quippe Davus in hoc toto consilio constitutus est, uti prodat Chremeti, quod Pamphilus ita Glycerium diligit, ut eam pro uxore habeat. Siquidem ex ea susceperit filium. Qua re cognita, a nuptiis Chremes possit abscedere. E.

2. *Sed quid hoc?*] Non interrogantis, sed mirantis et non intelligentis est: et apparet eum non oculis prius, quam corporis offensu puerum sensisse latentem. D.

3. *Puer hercle est*] Ornativa particula est *Hercle. Mulier*] Magis quam Mysis. *Ubi illic est?*] Davum quærit, qui nunc abscessit, ut et ipse de foro venire videatur. D.—*Ubi illic est?* Cum vidisset Chremetem venire, discessit prope, repentinum simulaturus adventum. Ideo nunc interrogata mulier quærit ubi sit. E.—*Tun' apposuisti*] Ms. *Tun posuisti*. L. —Ne versus sit justo longior, aut dele *hunc*, aut scribe *tu*, ut edd. vett. habent. B.

4. *Non mihi respondes?*] Bene, *non respondes*. Se enim memor est vetitam quidquam dicere, nisi subserviat orationi Davi. D.

5. *Reliquit homo me*] Mire *hominem*, non *Davum* dixit: ut, etiam si audiat Chremes, incertam personam hominis audiat, non Davum. *Di vostram fidem!*] Adverbium admirantis cum exclamatione. D. —*Di vostram fidem!*] Quasi nunc Davus veniat, aliam orationem fingit, de multitudine populi apud forum litigantis, quod cara annona sit; et jucunde subjungit, *Quid dicam aliud nescio.* Hæc enim repentina vox suscepta est, qui adventus simularetur. E.

6. *Quid turbæ est apud forum?*] Hæc verba sunt venientis de foro. *Quid illic hominum litigant?*] Legitur et *litigat*. D. —Ne versus ultra mensuram excurrat,

Tum annona cara'st: quid dicam aliud? nescio.
My. Cur tu, obsecro, hic me solam? Dav. Quæ est hæc fabula?
Eho, Mysis, puer hic unde est? quisve huc attulit?
My. Satin' sanus es, qui me id rogites? Dav. Quem ego igitur rogem?
Qui hic neminem alium videam? Ch. Miror, unde sit.
Dav. Dicturan' es quod rogo? My. Au. Dav. Concede ad dexteram.
My. Deliras: non tute ipse? Dav. Verbum si mihi
Unum, præterquam quod te rogo, faxis, cave.
My. Male dicis. Dav. Unde'st? dic clare. My. A nobis. Dav. Ha ha he.

placet Guyeti ratio, *Quid turbæ apud forum'st.* B.

7. *Tum annona cara est*] Comminiscentis est potius, quam alicui referentis. *Quid dicam aliud?*] Hoc post spectatores. D.

8. *Cur tu, obsecro, hic me solam?*] Ἀναστάτησις tertia. *Fabula*] Fabulam se dicit audire, qui rei principium, rationemque ignorat. D.—Plures et meliores codd. concinnius, HEM, *quæ hæc est fabula?* B.

9. *Eho*] *Eho* interjectio est, vel principium (dele *principium*, quod ex antecedentibus hic temere est repetitum. Z.) animadversionem in se poscentis, aut repente cernentis. D.—*Au Mysis puer hic*] Dissimulat omnia, ut et Chremetem non videre videatur. *Au*, interjectio est irascentis. E.

10. *Satin sanus es*] In Ms. R. τὸ *es*, desideratur. L.—Quamvis contra omnes codd. repone tamen *Satin' sánu's, mé qui id rógites? Quém igitúr rogem?* Vel ictus ipsi satis hoc probant. B.

11. *Hic neminem alium video?*] Callide affirmat non sibi visum Chremem, cum et præviderit venientem, et præsentem videat. *Miror, unde sit*] *Miror* veteres cum *unde*, pro nescio ponebant. Nam admiratio ab ignorantia descendit. Plautus, Aul. Prol. 1. *Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.* D.—Omnes Faerni et nostri libri habent *videam*, non *video*. B.

12. *Au*] Interjectio consternatæ mulieris. *Concede ad dexteram*] Et bene *dexteram*; sinistra enim venit Chremes: et non vult proximum ei Chremetem, sed juxta. Supra enim dixit, *Ego quoque hinc ab dextera venire me assimulabo.* D.—*Concede ad dexteram*] Id est, transi. Levi hoc voce pronunciandum est. E.—*Au; concede*] Priscian. lib. xv. L.—Lege *Dictura es.* B.

13. *Deliras: non tute ipse?*] Deest, eum mihi dedisti. Sed et supra, et nunc interturbat Davus: ne mulier totum dicat. *Non tute ipse?*] Submissa voce. *Verbum si mihi unum*] Accommodate comminatur Davus: pene enim Mysis universa narrabat. D.—*Deliras*] Ideo hæc Mysidis præcisa oratio est, quia jam cœperat indicare, quod ipse Davus puerum attulisset. Pro quo statim Davus interposuit orationem, comminans, *Verbum si mihi unum, præterquam quod te rogo, faxis, cave*] *Si* pro siquidem: *cave* autem, pro vide ne. Et quia illa sensit indignationem, ait, *Male dicis.* E.—Dele *si*, quod est contra leges linguæ, et transfer e versu sequenti *unum* in locum illius. B.

14. *Præterquam quod te rogo*] Hoc est sensim, et ut senex sentiat, pronunciari potest. (Verba corrupta. R. Steph. aliquanto melius: *Hoc et sensim, et ut senex sentiat, pronunciari potest.* Ms. Hulst. et edd. Venet. vett. *Hoc, ut et senex sentiat, pronunciari potest.* Haud dubie scripsit Donatus: *Hoc sensim, et ne senex sentiat, pronunciari patet.* Ms. Boend. et ed. Du B. *Hoc ut senex sentiat, pronunciari potest.*) *Faxis cave?*] Gestu comminantis est et vultu: ut suspenderet comminationem, deinde inferret gestum. Ordo, *Cave faxis.* D.—Lege cum libris nostris *Præterea quam*, h. e. præterquam, ut *posteaquam*. B.

15. *Male dicis*] Cum contemtu loqueris, convicium facis. Apparet ergo *Male dicis* lentius esse dictum, quum subjungit, *Dic clare. Male dicis*] Nove *male dicis* pro comminatione posuit, quum pro convicio soleat poni. Nisi forte, quia contumeliæ genus est comminatio. Quidam putant esse unam personam, Davi scilicet, dictum superius Mysidis, non satis manifestum Chremi, in maledicti similitudinem derivantis. *Unde est dic clare*] Hic expressius dixit. D.—*Unde est dic clare*] Ut senex possit audire. *A nobis*] Obscura responsio; et metuit Davus, ne (pro *ne* leg. aut, *ut*, aut, *ne non* Z.) senex

Mirum vero, impudenter mulier si facit meretrix.
CH. Ab Andria est ancilla hæc, quantum intelligo.
DAV. Adeon' videmur vobis esse idonei,
In quibus sic illudatis? CH. Veni in tempore.
DAV. Propera adeo puerum tollere hinc ab janua.
Mane; cave quoquam ex istoc excessis loco.
MY. Di te eradicent: ita me miseram territas.
DAV. Tibi ego dico, an non? MY. Quid vis? DAV. At etiam rogas?
Cedo, cujum puerum hic apposuisti? dic mihi.
MY. Tu nescis? DAV. Mitte id, quod scio: dic, quod rogo.

sciat, unde sit illa mulier, quæ dixit *a nobis*. Idcirco ipse cum indignatione ridens, qua manifestior fieret, adjecit: *Mirum si impudenter mulier facit meretrix.* Argumentum est a causa ductum, per ironiam, ut indicaret hanc esse meretricis. Id quod continuo Chremes agnovit, et subjecit, *Ab Andria est ancilla hæc, quantum intelligo*, hoc est, a Glycerio, quæ Andria est. E.—Ut sensus et versus sit salvus, lege, *Quid dicis, unde'st, clare?* MY. *A nobis.* D. *Attate.* Nam non modo ridendi locus hic non est, sed codd. quoque habent, *ahahe.* Legimus igitur *attate*, quod est admirantis et conterriti. B.

16. *A vobis*] Quia *a vobis* parum intelligebatur, hic addit morem meretricis, ut vel sic intelligat senex (Hoc scholium omne non ad *a vobis*, sed ad, *Mirum vero*, pertinet. Z.). *Mirum vero*] Sæpe ad ἐλεγχλαν refertur. *Impudenter mulier si facit*] (Adde *meretrix.* Nam hoc quoque nomen explicat.) Bono ordine locutus est; primo enim, causa impudentiæ natura est: deinde conditio. D.—Ne versus sit longior, *meretrix* præpone sequenti. B.

17. *Ab Andria est ancilla hæc*] Effecit quod volebat Davus. Nam intellexit Chremes, ex qua sit Pamphilo natus puer. D.—Dele *ancilla*, quæ poterat e vestitu cognosci. B.

18. *Adeone videmur vobis esse idonei?*] *Idoneus* est aptus ad omnia, et bona et mala. *Adeon'*] Adeone, an adeone ad eum? (verba *adeone ad eum?* sunt absurda, nec Donato digna. Unde absunt a Ms. Hulst. et plerisque edd. vett. nisi legas: *adeon'*, adone, an adeo; *ne* enim est *an.*) D.—*Adeon' videmur vobis?*] Fingit Davus iracundiam et accusationem, nova sane locutione, *in quibus sic illudatis.* E.

19. *In quibus sic illudatis?*] Et *illudo in te*, septimo casu: et *illudo te*, accusativo dicimus; sed in primo supervacuum est (sensus postulat: *sed* IN *in primo supervacuum est*): ut sit, quibus illudatis. *Veni in tempore*] Cum provisus sit, intervenisse putat. *Veni in tempore*] Opportune; nos sine præpositione dicimus, *tempore* et *tempori.* D.

20. *Propera adeo puerum tollere*] Hic versus clare dicitur: sequens, ne senex audiat, presse. D.—*Propera adeo puerum*] Imperat, uti ab janua puer, qui ibi positus, auferatur. Veruntamen post, submissa voce, ne Chremes audiat, imperat Mysidi, ut maneat, nec e loco recedat. Nondum enim fuerant Chremeti cuncta patefacta. Quia puerum esse ante ædes a meretrice positum, solum fuerat indicatum, necdum, quod is puer Pamphili filius esset. E.

21. *Cave quoquam ex istoc excessis loco*] Necessario Davus retinet Mysidem; nondum enim omnia audivit Chremes, nondum comperit unde sit mulier, et puer de quo susceptus sit. *Excessis*, pro excedas: u *faxis*, pro facias. D.

23. *At etiam rogas?*] Rursum jurgium repetit, et turbulentam orationem. D.—Venustius edd. vett. *Tibi dico ego an non?*

24. *Cedo*] *Cedo* idem significat quo dic, et da mihi. Ergo repetitionem significat, non supervacuam orationem; e est dictum cum quadam fiducia, et contemtu ejus, cum quo sermo est, interrogantis aliquid. D.—Denique præparat illam rursus interrogationem, *Cujus ver puerum hic apposuisti, dic mihi. Mitte i quod scio*] Quia obscure responderat interrogata Mysis, cujus puer esset, *tu n scis?* ut facilius Chremes audiret, re spondet Davus, *Omitte quod scio: quo rogo dic.* E.

25. *Mitte id, quod scio*] Hoc lentius summisse. D.—Denique cogit ad aperiorem expositionem. Nam cum illa dixisset *vestri*, et nunc interrrogat, *cujus nostri?* ut ad nomen proprium veniretur quod illa continuo dixit, *Pamphili?* Po iratus Davus quasi et nomen repetit,

MY. Vestri. DAV. Cujus? nostri? MY. Pamphili. DAV. Hem! quid? Pamphili?
MY. Eho, annon est? CH. Recte ego semper fugi has nuptias.
DAV. O facinus animadvertendum! MY. Quid clamitas?
DAV. Quemne ego heri vidi ad vos afferri vesperi?
MY. O hominem audacem! DAV. Verum: vidi Cantharam Suffarcinatam. MY. Dis pol habeo gratias,
Quum in pariundo aliquot affuerunt liberæ.

duplicatio vocis Chremeti plenius rem indicaret. E.

26. *Hem! quid? Pamphili?*] Apparet mulierem *vestri* et *Pamphili* lentius pronunciasse quam Davus vellet: et ideo nunc repetisse nomen *nostri* et *Pamphili*. *Hem! quid? Pamphili?*] Duas res operatur Davus simul, et ut ignarissimum se ostendat, et ut Pamphilus nominetur. Et argute repetit nomen Pamphili: quasi per indignationem, ut soceri auribus adolescentis nomen inculcet; metuit enim, ne non audiat velut senex. D.

27. *Recte ego semper fugi has nuptias*] Et hic efficit quod voluit Davus, ut Pamphili Chremes puerum esse cognoscat, et recuset generum. *Has*] Id est, hujusmodi. D.—Quomodo *semper* fugit, qui i. 1. 73. ultro ad Simonem venit? repone igitur *nempe*. Deinde *has* pone ante *fugi*, auctoritate unius codicis. B.

28. *O facinus animadvertendum!*] Ἀποσιώπησις quarta. *Quid clamitas?*] Clamavit enim Davus, ut puerum (lege, *utpote verum*. Z.) audiret Chremes. D.

29. *Quemne ego heri vidi ad vos afferri vesperi?*] Vult negando irritare mulierem ad confirmanda quæ vult. D.—*Ego heri vidi ad vos*] Astute et callide Davus mendacium esse dicit, quod puer a meretrice sit suppositus. E.—*Afferri vesperi*] Priscian. lib. xv. L.

30. *O hominem audacem!*] Exclamatio Mysidis testimonium veritatis est. *Verum: vidi Cantharam suffarcinatam*] Vide infirmum argumentum prius, *vidi puerum afferri*, dixit: post, non puerum, sed *Cantharam suffarcinatam*. *Cantharа*, nomen est anus. Et hoc dicit, ut leviter redarguat Mysidem, non ut vincatur; hoc enim vidisse se innuit, *Cantharam suffarcinatam*, non, puerum portantem. *Suffarcinatam*] Proprium est anibus suffarcinatas esse; ut Persius, iv. 21. *pannucia Baucis*. Et Plautus, Pseud. ii. 2. 64. *Doliarem, clandam, crassam*. D.—*Cantharam suffarcinatam*] *Suffarcinari* dicitur, quasi farcina aliqua fulciri. Siquidem *farcio farsi, et farcinor fartus:* unde *suffarcinor* facit. Et *cantharam suffarcinatam* dixit, quasi corbem supponendo puero repletum. E.—*Cantharam suffarcinatam*] More sive lege potius Athenis receptum fuit, cum quid natum, quod natum nollent, ut morti id darent, vel alienæ misericordiæ exponerent. Aristotel. lib. vii. Polit. cap. 16. Περὶ δὲ ἀποθέσεως καὶ τροφῆς τῶν γιγνομένων, ἔστω νόμος, μηδὲν πεπηρωμένον τρέφειν. Istæ expositiones ἐν χύτραις fiebant, unde χυτρίζειν: et obstetrices, quæ hoc munus obibant, ἐγχυτρίστριαι dictæ. Etymolog. magnum: Aristophan. Scholiast. in Rania. Vel etiam in corbibus vel vannis exponebantur infantes, ut Eugraphius observavit: nam et quos tollere volebant, in illis ponebant. Scholiast. Callimach. Hymn. in Jovem: ἔν λίκνοις τὸ παλαιὸν κατεκοίμιζον τὰ βρέφη, πλοῦτον καὶ καρποὺς οἰωνιζόμενοι. Hinc ergo interpretatio hujus loci petenda est. Cæterum ut impium hoc consilium tanti philosophi, inhumanaque sapientis populi lex: sic meliore jure Thebani usi; apud quos capitale erat, partum exposuisse. Ælian. Variar. lib. ii. cap. 7. Νόμος Θηβαῖκὸς, ὅτι οὐκ ἔξεστιν ἀνδρὶ Θηβαίῳ ἐκθεῖναι παιδίον, οὐδὲ εἰς ἐρημίαν αὐτὸ ῥίψαι, θάνατον αὐτοῦ καταψηφισάμενος, etc. Ut et apud Romanos L. 4. ff. de agnoscend. lib. L. 2. et final. C. de infantib. exponend. Unde non minus graviter quam diserte in eos, qui secius faciunt, invehitur Philo Judæus lib. i. Περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων, qui locus dignus ut cum his conferatur. *Suffarcinatam*] Plaut. Curcul. ii. 3. 9. *Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum spertulis*. L.—Recte a Westerh. repudiatur ratio P. Nannii, qui in Miscell. lib. i. legendum putat *cantharum suffarcinatum*, et intelligit χύτραν, h. e. vas fictile, quo Athenienses in exponendis pueris sint usi. Nam primum repugnant omnes codices. Deinde commodum efficit sensum vulgaris lectio, qua significatur *sufferta onere*, quod sub axillis gestatur et veste tegitur. Cf. locus Plauti ante laudatus. Z.

31. Duo e nostris *gratiam*, recte: cf. Eun. i. 2. Hec. iii. 2. 11. B.

32. *Quum in pariundo aliquot affuerunt liberæ*] Indicium secuta confirmatio est, quam expressit Davi refutatio. Superest

DAV. Næ illa illum haud novit, cujus causa hæc incipit.
Chremes, si positum puerum ante ædes viderit,
Suam gnatam non dabit: tanto hercle magis dabit.
CH. Non hercle faciet. DAV. Nunc adeo, ut tu sis sciens,
Nisi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam
Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.
MY. Tu pol, homo, non es sobrius. DAV. Fallacia
Alia aliam trudit; jam susurrari audio,
Civem Atticam esse hanc. CH. Eho! DAV. Coactus legibus
Eam uxorem ducet. MY. Au! obsecro, an non civis est?
CH. Jocularium in malum insciens pene incidi.
DAV. Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis:

etiam ut et concludatur effectus doli, negante Chremete se daturum filiam: quod subinde efficit Davus dolo. *Aliquot liberæ*] Nec paucæ, nec multæ. *Liberæ*] Testimonia libera contra servum. Et hoc proprium Terentii est. Nam de Romano more hoc dixit. D.—*In parturiendo aliquot adfuerunt*] Sic enim confirmatur partus, cum liberæ præsentes sunt, quæ possint dicere testimonium. E.—*Aliquot adfuerunt liberæ*] Ut hic, sic et in lib. ii. §. 10. de ventr. inspic. lib. iii. §. 5. ff. de Carbonian. edicto muliebre testimonium sufficit, quoniam virorum propter pudorem non admittitur. Vid. Synops. Attaliat. xv. Harmenopul. lib. i. tit. 6. §. 14. et 52. 53. Ubi Scholiast. Græcus: *ἐπὶ μέντοιγε τοκετοῦ, αἱ τὸν τῆς σεμνότητος τρόπον φυλάττουσαι, δύνανται μαρτυρεῖν.* Nam quæ integræ famæ non est, aut palam corpore quæstum facit feceritve, non admittitur, lib. iii. §. 5. ff. de testib. L.

33. *Næ illa illum*] *Næ*, valde. Cic. Cat. ii. 3. Næ illi vehementer errant. *Næ illa illum*] Chremetem scilicet. D.—*Ne illa*] Pro valde illa; vel *illa ne*, id est, nunquid illa? per solœcismum, immutato ordine. E.

34. *Chremes, si positum puerum*] *Ἐν ὑποκρίσει.* Et est *μίμησις*: transit enim a mixto ad imitativum characterem. *Chremes, si positum puerum*] *Μίμησις*, quando aliqua verba sic pronunciamus, ut vana videantur. D.—Lege *appositum*. B.

36. *Non hercle faciet*] Bene enim de se tertiam personam fecit, ut supra, *At nunc faciet. Ut tu sis sciens*] Eloquenter; sic enim veteres pro *scias* dixere. D.—*Nunc adeo, ut tu sis sciens*] Quoniam omnia quæ indicanda fuerant, patefacta sunt Chremeti, vere imperat et minatur, ut puerum ab ædibus auferat. Sed hæc omnis oratio superior illud egit, ut ad disturbandas nuptias Pamphili pater doceretur, et amor commendaretur tantummodo; non tamen, ut omnino Chremes se crederet expulsum. E.

37. *In mediam viam provolvam*] Bene *in mediam viam*: quia ante fores positus jacebat. D.

38. *Teque ibidem pervolvam in luto*] De proximo *παρόμοιον* repetit. Et quando nomina sunt, *παρονομασία*; quando verba, *παρόμοιον* (*dicitur*, recte addit West. Z.). *Pervolvam*] Id est, porro volvam. Et dolo quidem minatur, quod facturus non est: verum sedulo id agit, ut jam puer tollatur e medio: simul eum servat Chremeti, ut ipse recuset generum, non ut a quoquam passus videatur injuriam. D.

39. *Tu pol homo non es sobrius*] *Sobrius*, est sanæ mentis, quasi *sebrius*, hoc est, ab ebrio separatus, secretus, separatus ab iis qui discernuntur (Ms. Hulst. et edd. vett. Venetæ melius: *hoc est, ab ebrio separatus; ut* secretus, *ab iis, quæ discernuntur*). D.

40. *Fallacia alia aliam trudit*] Proverbium, cui subjacet, *memorem mendacem esse oportere*. D.

41. *Civem Atticam esse hanc*] Transit ad imitationem. *Eho*] Interjectio est conturbatæ mulieris. D.

42. Omnes nostri libri *eho obsecro*, recte. B.

43. *Jocularium in malum*] E contrario pro gravi, et molesto, ac nimio. *Jocularium* igitur *κατ' ἀντίφρασιν*. D.—*Jocularium in malum*] Ut in Phormion. *Jocularis audacia*. Glossar. *Jocularis γελοιόδης*. Cicero de Fato: Amm. Marcel. lib. xx. *Jocularis casus*. L.

44. *Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis*] Principium loquendi Davus Chremeti dat, perfecturus quæ ipse conatus est. *Per tempus advenis*] Idem est, *per tempus*, quod in tempore, aut certe *per tempus*, tempestive. *O Chreme, per tempus advenis*] Astute, quasi eum nunc primum viderit. D.

Ausculta. CH. Audivi jam omnia. DAV. Ah, ne tu omnia.
CH. Audivi, inquam, a principio. DAV. Audistin' obsecro?
Hem scelera! hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.
Hic est ille: non te credas Davom ludere.
MY. Me miseram! nihil pol falsi dixi, mi senex.
CH. Novi rem omnem: est Simo intus? DAV. Est.
MY. Ne me attingas, sceleste: si pol Glycerio non omnia hæc.
DAV. Eho, inepta, nescis quid sit actum? MY. Quid sciam?
DAV. Hic socer est; alio pacto haud poterat fieri,
Ut sciret hæc, quæ volumus. MY. Prædiceres.
DAV. Paulum interesse censes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de industria?

ACTUS QUARTI SCENA V.

CRITO. MYSIS. DAVUS.

IN hac habitasse platea dictum est Chrysidem:

45. Ah, ne tu omnia] Aut *ne* (verba corrupta: lege, *Aut*, ANNE *pro* AN *legitur*, *aut*, AH, NE TU OMNIA) pro non legitur; aut *ne tu omnia*, ut *ne* producatur, et accipiatur pro non. *Tu omnia*] Audisti, subauditur. D.—*An ne tu omnia*] Ms. R. *an hæc tu omnia*. L.—In omnibus nostris deest *jam*, male. Cæterum plures et meliores, *an hæc tu omnia*. Lego, *anne hæc tu omnia?* B.

46. Audistin' obsecro? hem] Exsultans Davus infert, et inculcat frequenter repetendo, *Audistin' obsecro? hem*] Difficile credendo, affirmat se non scivisse præsentem Chremetem, ut hac confirmatione nihil illum de se faciat suspicari. D.

47. In cruciatum] Non in crucem, sed cruciatum. D.—*Hem* apponi debet superiori. B.

48. Hic ille est] Cum ἐμφάσει, quasi vir magnus; sed hoc, Chremetem ostendens, dicit cum εἰρωνείᾳ. *Non te credas Davum ludere*] Virg. Æn. x. 581. *Non Diomedis equos, non currus cernis Achillis.* D. —Plerique nostri habent, *Hic est ille.* B.

49. Mi senex] Bene *senex*, quia quasi alicuior est, et ignotus Mysidi. *Mi*, suppalpatio muliebris. D.

50. Ne inter Senarios male Dimeter et Tetrameter locum occupent, dudum Guyetus et alii versum effecerunt unum: *Novi omnem rem: est Simo intus? D. Est. M. Ne me attigas.* Plautinum est *attigas.* Epid. v. 2. 58. Hinc intelligitur, Davum Mysidi oscalum obtulisse. B.

51. Ne me attingas] Quædam ostenduntur aperte in comœdiis: quædam ex aliis personis intelliguntur. *Si pol Glycerio non omnia hæc*] Ἀποσιώπησις tertia, quod alienæ personæ interventu reticeatur. Fiunt autem ἀποσιωπήσεις, id est, reticentiæ, tribus modis. Aut enim tacet per se ipsum, et ad alium transit: et est prima; aut tacet, nec ultra aliquid dicet: et est secunda, aut alterius interventu personæ silet: et est tertia. D.—*Ne me attingas*] Turpilius apud Nonium, in Attingas. L.

52. Nescis quid sit actum?] *Nescis*, plerumque dicitur ei, non quem volumus redarguere imperitiæ aut ignorantiæ, sed quem facere volumus ut velit libenter audire. D. —Pauci codd. habent *quid sciam?* Cæteri nostri, et Faerni omnes, *qui sciam?* B.

54. Faernus e codd. suis legit *volumus*: nos *voluimus*, fide codicis 900 annorum. B.

55. Paulum interesse] Nove, pro multum. Et est τανείνωσις σχῆμα. *Ex animo omnia, ut fert natura, facias*] Figura ἀναξήτησις. Nam quid est *ex animo*, nisi, ut fert natura? Et hæc sententia a Terentio ῥητηματικῶς prolata est, quam Menander ἐνθετικῶς posuit. D.—*Paulum* si cum Donato per *multum* explicas, sensus loci quidem patitur, sed repugnat usus loquendi. Legendum esse censemus *hilum*, quod est Lucret. iii. 881. B.

56. Ut fert natura] Hoc est, naturalis et ingenita actio. *An de industria?*] Id est, scientia et providentia; ea enim quæ discimus et scimus, operatione genita et industria quadam scimus (lege: *ope rationis, et industria quadam scimus*): ut Virg. Georg. ii. 204. *Et cui putre solum, namque hoc imitamur arando.* D.

1. *In hac habitasse platea*] In hoc loco

Quæ sese inhoneste optavit parare hic divitias
Potius, quam in patria honeste pauper vivere.
Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed quos perconter, video: salvete. MY. Obsecro
Quem video? estne hic Crito, sobrinus Chrysidis?
Is est. CR. O Mysis, salve. MY. Salvos sis, Crito.

persona, ad catastrophen machinata, nunc loquitur. Nam hic Crito nihil argumento debet, nisi absolutionem erroris ejus. Simul ex verbis suis, quam gravis, quam modestus, quamque justus sit, ostendit. *In hac habitasse*] Non *habitare:* sed quia mortua est, *habitasse* dicit. *Platea*] Græci πλατεῖαν dixerunt, quam nos *plateam* dicimus. Secundum formam ejusmodi, Μηδεῖαν et *Medeam*, σπονδεῖον et *spondeum* scribimus. D.—*In hac habitasse*] Hæc scena percontationem tenet, ubi Chrysis habitet. Habet tamen deliberativæ formam. Nam Crito sobrinus est Chrysidis, qua mortua, ad eum lege hereditas pertinebat. Deliberat ergo, an ad eandem hereditatem aspiret, maxime cum sciat, Glycerium, sororis loco, habitam esse; eamque esse jam adolescentulam. Hæc igitur deliberativa in eo, quod audierit mortuam Chrysidem, puellam vero et nunc necdum parentes suos hic cognovisse, quam constat esse Atticam civem. Continuo tractat articulos honesti et utilis, dicendo: *Haud auspicato huc me appuli.* Hoc est, non recte neque bono omine huc veni. Siquidem quæ soror dicta est Chrysidis, et nunc parentes suos non repperit: unde non possum petere hereditatem. Nam ab utili satis pro ipso est, cum dicit, *Nunc me hospitem lites sequi.* Huc accedit quod jam illi est defensor aliquis vel amicus, vel maritus, contra quem peregrinum hominem litigare videtur esse difficile. Concluxit ab honesto: *ipsam* præterea *despoliare non licet* (*libet*). Boni viri personam merito sustinet et honesti hominis. Sed quoniam meretricis affinis est, ne aliquid criminis in se redundet, in eo quod sibi juncta est sanguine, accusat illam, quod *inhoneste optavit parare* (*parere*) *hic divitias.* E.

2. *Quæ se inhoneste optavit*] *Optare*, est unum de duobus eligere. Virg. Æn. i. 425. *Pars optare locum tecto. Parare hic divitias potius*] Animo heredis dixit *parare divitias.* D.—Ut *pauper* sequentis versus possit casum nominativum obtinere, sequor lectionem cod. ubi pro *sese parare* reperitur *sibi parere.* Præsertim cum omnes Faerni habeant *parere.* B.

3. *Quam in patria*] Primum dolet Crito, quod meretrix fuit Chrysis; secundo progressus, queritur quod mortua est. Et nota quod tria dixit Crito, contemsisse Chrysidem patriam, honestatem, et paupertatem. Τὸ πρέπον etiam servatum est gravi viro, quum illum sobrinæ pudet. Simul hic ostenditur ejus generis fuisse Chrysidem, ut quæ probe vivere potuerit, nisi, ut ait, necessitas cogeret. *Quam in patria honeste*] Ἀγνῶτερον primum. *In patria honeste pauper vivere*] His verbis a poeta jam honestus inducitur Crito, et dignus cui credi oporteat. *Pauper vivere*] Ad illud reddidit, *sed inopia, et cognatorum negligentia coacta.* D.—*Honeste pauper vivere*] Ita plerique Mss. et Priscian. lib. v. p. 41. tamen in Ms. R. *viveret*, erat. L.—Ordo *honeste in patria* et efficit suaviores numeros, et comprobatur meis et Faerni libris, sed recentioribus. Deinde lego cum codd. duobus Bodleianis *viveret*, cf. infra Adel. i. 2. 28. B.—Menander: Πενίαν τ' ἄλυπον μᾶλλον, ἢ πλοῦτον πικρόν. W.

4. *Ea ad me lege redierunt bona*] Hic jus tractavit dicendo *redierunt:* quia in familiam redeunt, si non est heres de proximo, aut ex testamento. D.

5. *Perconter*] Interrogatio est, cui necessario respondetur, aut *etiam*, aut *non.* Percontatio, cui nihil horum. Ut si quis dicat. Ubi habitabat Chrysis, dicatur, Ecce hic. *Percontatio*, ut si quis dicat, Cur adulterium commisisti (lege: *Ut si quis dicat, Ubi habitat Chrysis? dicatur, Ecce hic, percontatio est. Aut si quis dicat, Cur adulterium commisisti?* sub. similiter *percontatio erit*)? Simul etiam modeste et mature, et de se nihil interrogaturus, cœpit a blandimentis. D.—*Sed quos perconter?*] *Percontatio* namque est apud Dialecticos inquisitio, cui respondetur aliter, quam est illa responsio: ubi aut *est* ponimus, aut *non.* Hæc enim interrogatio dicitur: Vidisti hominem? necessario respondemus, aut vidi, aut non. At vero percontatio est: Ubi habitat Chrysis? huic responderi non potest aut est, aut non; sed hic, illic. E.

6. *Estne hic Crito, sobrinus Chrysidis?*] *Sobrini* sunt consobrinorum filii; nam sic dicit Menander: verum ut alii putant, de sororibus nati, ut sint *sobrini*, quasi sororini. D.

7. *Salvus sis, Crito*] *Salvus*, asseveratio salutantis est, non quasi responsio. D.

CR. Itane Chrysis? hem! MY. Nos quidem pol miseras perdidit.
CR. Quid vos? quo pacto hic? satin' recte? MY. Nosne? sic
Ut quimus, aiunt; quando, ut volumus, non licet.
CR. Quid Glycerium? jam hic suos parentes repperit?
MY. Utinam! CR. An nondum etiam? haud auspicato huc me appuli.
Nam pol, si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem.
Semper enim dicta est ejus hæc atque habita est soror.
Quæ illius fuerunt, possidet: nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile,

8. *Itane Chrysis? hem!*] Non nunc interrogat, sed commiseratur: et ita sequebatur ut diceret, periit; sed magis gemitus (lege, *gemitu*) significat, quod minus dixerat. *Nos quidem pol miseras perdidit*] Hic intelligitur, supra subaudiendum, periit. Nam pro *periit*, hæc reposuit *perdidit*. D.—*Itan' Chrysis?*] Breviter interrogationem de Chrysidis morte effecit cum dolore: et recte et ordine requisivit, an Glycerium cognoverit suum patrem. Nam honeste peteret hereditatem, si illa jam civis cognita videatur. E.—Lege, *nos pol quidem*, ut iii. 1. 1. B.

9. *Quid vos? quo pacto hic?*] Progressio loquentis ad interrogandum. Id est puto, inquit, quod illa periit: vos autem quo modo? *Quo pacto hic?*] Significatio est peregrinantis. D.—Ratio versus exigit, ut *satine* legatur. B.

10. *Nosne? sic ut quimus, aiunt, quando, ut volumus, non licet*] Et ad præsentis, et ad præteritæ vitæ excusationem pertinet ista responsio, qua purgatur voluntas Chrysidis in quæstu meretricio. Cæcilius in Plocio, *Vivas ut possis, quando nequis ut velis*. D.—*Ut quimus, aiunt*] Apud Zenobium: ζῆναι γὰρ, οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα. Horat. Carm. lib. i. od. 24. *Lenius fit patientia, Quicquid corrigere est nefas*. Ubi vet. Scholiast. hunc Terentii locum laudat. L.

11. *Quid Glycerium? jam hic suos*] Convenit hereditatem petenti, convenit judici (*indici*, cod. Boend. et ed. Du B.) futuro, de pluribus indagare. Ergo recte et ordine quæsivit, Quid Chrysis? quid vos? quid Glycerium? D.

12. *Utinam!*] Novo genere exoptationem pro negatione intulit. *Haud auspicato huc me appuli*] Id est, inauspicatus, quod non esset auspicatus. Et usitatum veteribus sic dicere, si quid aliquando aliter evenisset, quam vellent. D.—Unus e nostris bonæ notæ, *attuli* pro *appuli*. Recte: ut Plaut. Amph. iii. 4. 6. B.

13. *Nunquam huc tetulissem pedem*] Virg. Æn. ii. 657. *Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto Sperasti?* Et Georg. i. 11. *Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puellæ*. Sed Critici adnotant, alienius esse a charactere comico, *tetulissem pedem*. D.—*Nunquam tetulissem pedem*] Id est, nunquam venissem; et *tetulissem* dixit per prothesin; est enim *ferre*, ire et proficisci; ut Virg. Æn. ii. 657. *Mene efferre pedem, genitor*. E.—*Tetulissem pedem*] Ita Diomedes lib. i. ac Mss. L.

14. *Semper enim ejus dicta est hæc, atque habita est soror*] Aut veris credendum est, aut etiam falsis, quæ tamen inveteraverint. Hinc Cicero, *Ita habeantur, itaque dicantur*. *Habita* ergo plus est, quam *credita*. *Semper ejus*] A possibili et utili. D.—*Semper ejus dicta est hæc*] Quo magis difficile esse ostendat hereditatem petere, adjecit, quod hæc *soror et dicta est et habita*: unde jure in hereditate Chrysidi succederet. E.—*Dicta est ejus hæc*] Variant hic scripti codices: *ejus dicta esse hæc*; sed melius quod in Ms. R. *Semper enim dicta ejus hæc, atque habita est soror*. L.—Vaticanus et Basilicanus sic: *Semper enim dicta est esse hæc, atque habita est soror*. Reliqui omnes Faerni, *Semper* EJUS, etc. Lege, *Semper* EI *dicta est esse hæc atque, etc.* Sensus est gravior per asyndeta, sublato *enim*: cf. Heaut. ii. 3. 29. B.

15. *Nunc me hospitem lites sequi*] Mire dicit *me*, (lege e Ms. Hulst. *Et* ME *et* HOSPITEM *et* LITES SEQUI, *mire dicit et cum ἐμφάσει*: ME, *id est, senem et remotum a litibus*), cum *ἐμφάσει*, id est, senem et remotum a litibus. *Hospitem*, id est, peregrinum. *Lites sequi*, id est, pauperem; totum per *ἔμφασιν* (Verba *lites sequi—emphasin* forte ita sunt sananda: LITES SEQUI, *id est, hereditatem persequi*). D.

16. *Quam hic mihi sit facile atque utile*] Id est, difficile et inutile: et est comicum. D.—*Facile atque utile*] Hic et an fieri possit tractabat, et an expedit: quod utique deliberativæ e partibus dicitur. E.—Pro *hic* lego *id*, ob fidem qua-

Aliorum exempla commonent: simul arbitror,
Jam aliquem esse amicum et defensorem ei; nam fere
Grandiuscula jam profecta'st illinc: clamitent,
Me sycophantam hereditates persequi,
Mendicum: tum, ipsam despoliare non licet.
MY. Optume hospes, pol, Crito, antiquum obtines.
CR. Duc me ad eam: quando huc veni, ut videam. MY. Maxume.
DAV. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

ACTUS QUINTI SCENA PRIMA.

CHREMES. SIMO.

SATIS jam, satis, Simo, spectata erga te amicitia'st mea:

tuor codd. antiquorum, et ob sensum. Nam cum *aliorum exempla* dicat, non solas Athenas vult intelligi, sed quamvis civitatem. B.

18. *Defensorem ei*] V. C. *ejus*. L.—Concinnius erit, si cum quatuor codd. et editione vet. colloces: *Jam esse aliquem, etc.* B.

19. *Grandiuscula jam*] Ad partem ætatis refertur grandis, id est, grandis natu est. Major autem generaliter, et ad summam ætatis refertur, et ad comparationem ætatis pariter (Ms. Hulst. *pariliter;* sed Ms. Boend. et ed. Du B. *pertinet, et comparative, et similitudinarie*) positum est. D.—*Grandiuscula*] Argumentum est ab ætate. E.—*Profecta'st illinc*] Ms. R. *profecta'st illinc clam: clamitent, etc.* L.

20. *Sycophantam*] Hoc est, quum in me conveniunt lites (forte, *quam in me conveniant lites*. Respicit versum 15). *Sycophantam*] Bene, *sycophantam:* quia bonam causam habet, nihil aliud timens quam convicia. Et *sycophantam* subdistingue: et sic infer sequentia. D.—Codd. omnes, *hereditatem*, sc. hanc Chrysidis. Melius. Cæterum cum Donato post *sycophantam* interpungendum puto. B.

21. *Tum ipsam despoliare non licet*] (forte a manu Donati est, *lubet*. Z.) Ab honesto: et bene, quia nihil suum habet, nisi Chrysidis. D.—Codd. duo peranti-qui, et totidem apud Rivium habent *lubet:* quod persona Critonis est dignius. B.—Mendicum et Sycophantam idem valere, patet e Menandri Γεωργῷ ap. Stob. tit. 96. *Εὐκαταφρόνητόν ἐστι, Γοργία, πένης, Κᾂν πάνυ λέγῃ δίκαια, τοῦτο γὰρ λέγειν Ἕνεκα μόνου νομίζεσθ' οὗτος τοῦ λαβεῖν, Καὶ Συκοφάντης εὐθὺς ὁ τὸ τριβώνιον Ἔχων καλεῖται, κᾂν ἀδικούμενος τύχῃ.* W.

22. *Antiquum obtines*] *Antiquum* absolute dixit, ut *æquum* aut *bonum*, quod antiqui solebant: aut certe per ἔλλειψιν, id est, morem et ingenium. D.—*Perpol, antiquum obtines*] Scilicet morem; id est, sine dubio sic loqueris, quemadmodum antiquorum hominum mores sunt. *Po[l]* autem, juratio est per Pollucem, quomodo, *Hercle, Æcastor*. E.—Duo e nostris, *O optume*. Recte. B.

23. *Duc me ad eam, quando huc veni, u[t] videam*] Vel hoc inquit, ut videam: cu[r] autem ut videam? quia timet. Et es[t] ordo, *Duc me ad eam, ut videam, quand[o] huc veni*. D.

24. *Videat senex*] Bene *senex*. Sim[o] enim cum Chremete est. Propter hoc videri non vult, ne ejus utatur apud socerum testimonio, rem esse Pamphilo adversus Glycerium: et rursus nuptiæ con[-]firmentur. D.

1. *Satis jam, satis, Simo*] Hæc scen[a] officiorum disceptationem continet, pa[-]trum inter se de officio amicorum et pa[-]terna pietate tractantium. *Satis jam, satis* Hæc veluti quædam controversia est namque injuriarum reus fit Simo. Con[-]tradicitur per conjecturam, falsum ess[e] quod intendit: cum Pamphilus nequ[e] amet, neque ex eo natus sit filius: et ad[-]hibetur derivatio causæ, qua dicitur me[-]retricem ista omnia esse molitam, ad dis[-]turbandas nuptias. *Satis jam, satis*] Ben[e] negaturus filiam, purgat prius officiu[m] suum de fide promissi (*promissa* M[s.] Boend. et ed. Du B.); et ultro accusat ip[-]sum. *Spectata*] Probata: ut Virgil. Æ[n.] viii. 151. ait, *rebus spectata juventus*. I[—] —*Satis jam, satis*] Chremes Simone[m] reum injuriarum facit, quod eo usque pe[r-]suasione duxerit animum ejus, ut ad per[-]

Satis pericli cœpi adire: orandi jam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, pene illusi vitam filiæ.
Si. Imo enim nunc quam maxime abs te postulo, atque oro, Chreme,
Ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes.
Ch. Vide, quam iniquus sis præ studio, dum id efficias quod cupis.
Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas.
Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis.
Si. Quibus? Ch. Ah! rogitas? perpulisti me, ut homini adolescentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam darem in seditionem, atque incertas nuptias;

culum deveniret: quippe qui coegerit se filiam dare ei adolescentulo, qui non solum amicam haberet, verum et peregrinam nescio quam pro uxore retineret, et ex ea filium suscepisset. Huic responsio fit et status conjecturalis, falso istud esse, neque adolescentem habere illam pro uxore, neque talem illum esse filium; sed meretricem ad disturbandas nuptias ista cogitasse. *Spectata jam satis amicitia*] Probata, inquit, olim est amicitia mea, jam desiste amplius calamitatis imponere, usque ad periculum, custodita familiaritate, perveni. E.

2. Lege cum codd. nostris et edd. vett. *incepi*, quod plus est quam cœpi, et suavior fit versus per elisionem. B.

3. *Dum studeo obsequi tibi*] Hæc omnis accusatio est. Dum obsequor, inquit, tibi, jam et filia mea periclitari cœpit. E.—*Dum studeo*] C. V. *studui*. L.

4. *Imo enim nunc quam maxime abs te postulo*] Renunciare affinitati Chremetem, aut parum adhuc intelligit Simo, aut subtiliter dissimulat, ut ad fidem promissi (*promissam*, Ms. Boend. et ed. Du B.) hominem compellat. *Imo enim*] *Enim παρέλκον* est figura. D.—*Immo enim nunc maxime*] Generalem enim supra positam accusationem parum intellexerat Simo: et idcirco se convertit ad preces, ut hic Chremes potius in promissionibus perseveret, et quod verbis ante dixerat, ipsa compleat veritate. E.—Donatus et Eugraphius, auctore Faerno, recte legunt *cum maxime*. B.

5. *Initum*] Cœptum, ab ineundo: unde et *initia* quoque dicta. D.

6. *Quod cupis*] Quod velis. Legitur et, *quod jubes*. D.—*Vide, quam iniquus sis*] Supra generaliter Chremes accusaverat, nunc descendit ad speciem: *Vide quam iniquus sis præ studio, dum id facias quod velis, neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas*. Cupiditatis, inquit, studio, et ardore nimio voluntatis, non animadvertis benignitatis modum: vel, quod postulas, diligenter intelligis ac cogitas. E.—*Præ studio*] Priscian. lib. xv. L.—Interpunge sic: *Vide quam iniquus sis præ studio: dum id efficias quod cupis, Neque modum, etc.* B.

7. *Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas*] Id est, non cogitas, aut quantum de benignitate amoris exigendum aut præsumendum sit: aut quam sit impossibile, quod petis. D.

8. *Remittas jam*] *Remittas*, pro mittas. D.—*Onerare injuriis*] Plaut. Pseud. Scen. Pseudole non audis: *assiste altrinsecus, atque onera hunc maledictis*. L.

9. *Perpulisti me, ut homini adolescentulo*] Hæc est tota accusatio. *Homini adolescentulo*] Sic Sallustius, B. Jug. xii. *Occultans se tugurio mulieris ancillæ*. D.—*Perpulisti me*] Hic est omnis aperta illa accusatio, quæ summam continet omnium factorum: et est *συνθασμὸς*, qui fit, cum bona malis conferimus. *Adolescentulo*] Cui lubrica ætas varium dat ingenium. E.—Lege cum nostris *at rogitas?* ut Hec. iv. 1. 11: et, *homini ut*. B.

10. *In alio occupato amore*] Qui amet alteram. *Abhorrenti ab re uxoria*] Qui uxorem nolit ducere. E.

11. *Filiam darem*] Invidiose; non, promitterem, inquit, sed darem, quantum in te est. D.—*Filiam ut darem*] Huic adolescenti amanti, invito uxorem ut darem coegisti filiam: cum futuræ seditiones essent, cum incertæ nuptiæ: quippe ille amore meretricis quotidie seditiones faceret, et neque certas nuptias perimpleret. Exsequitur deinde, quanta calamitas filiæ esse potuisset, si adolescenti amanti illa traderetur. Verum hæc quoniam sciens ante promiserat Simoni, levia sunt. Hæc est omnis accusatio, quod jam idem adolescens ex meretrice suscepit filium.

Ejus labore, atque ejus dolore, gnato ut medicarer tuo.
Impetrasti: incepi, dum res tetulit: nunc non fert; feras.
Illam hinc civem esse aiunt: puer est natus: nos missos face.
SI. Per ego te deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxime utile'st, illum esse quam deterrimum.
Nuptiarum gratia hæc sunt ficta atque incepta omnia.
Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt, erit ademta his, desinent.
CH. Erras: cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam. SI. Scio.
CH. At vero voltu; quum, ibi me adesse, neuter tum præsenserat.
SI. Credo: et id facturas, Davos dudum prædixit mihi:
Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere.

Unde omnino fieri non potest, ut ei filiam suam Chremes tradat uxorem. E.—Cum plerisque Faerni lege versus causa, IN *incertas*. B.

13. *Dum res tetulit*] Compositum pro simplici est *tetulit*; et altius quam decet comicum characterem, dictum videtur (videtur aliter legisse Donatus. Certe quidem in Ms. Hulst. est *detulit*. Si vero *tetulit* legit, qui compositum vocat? qui porro *altius quam decet comicum characterem?* quod et monuit supra ad iv. 5. 13. Plautus certe Amph. ii. 2. 84. *Mi vir, et manum prehendi, et osculum tetuli tibi.* Et alibi sæpe). D.—*Impetrasti, incepi*] Ut darem filiam amanti filio tuo *impetrasti*, et, *cœpi*, dum res passa est. *Nunc non fert; feras*] Quidam sic distinguunt, ut dicant: *nunc non fert*, scilicet res ipsa jam non sustinet: ex persona Simonis; subjungitur *feras*, quasi dicat, sustineas. Cui respondet, quod jam omnino ferri non potest, quod illa civis dicatur, quod filius natus. E.

15. *Per ego te deos oro*] Defensio per conjecturam; et est ordo, *Per deos oro te ego.* D.—*Per ego te deos oro*] Hic incipit defensio secundum conjecturalia argumenta, uti falso esse doceat ea, quæ ad accusandum sunt collocata: *ut ne illis animum inducas credere.* Facit autem argumentum a persona, quippe cum meretrix sit. Deinde a causa: quod illis utile est, Pamphilum *esse quam deterrimum*, et per ἑτεροχασμὸν exsequitur, cur id fiat. E.

16. *Quibus id maxime utile est*] Argumentum a persona. *Quibus id maxime utile est*] A causa ratiocinativa. D.

17. *Hæc sunt ficta atque inventa*] Quæ causa si auferatur, cum duxerit Pamphilus uxorem, dimittet hæc omnia, et a proposito desistet. E.—Tres codd. habent *facta* pro *ficta*. Recte. Nam sequitur statim *faciunt*, non *fingunt*. B.

18. *Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt*] Ἀνακόλουθον. Nam non intulit, *ob quam causam*: cum supra dixerit *ea causa*, sed quasi dixerit, *Ubi ea res*, intulit, quamobrem hæc faciunt. *Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt*] Aut *rem* abundat, aut *causa*. D.

19. *Erras*] Jam hic probatio est, vera esse illa, quæ Simo dixerat falsa, quod viderit Davum jurgantem cum ancilla. Et ne simulatio esset, adjecit, *vero* se *voltu* vidisse. Et ne vultus ad veritatem fuerit compositus, adjecit: *Quum, ibi me adesse, neuter tum præsenserat.* Cum, inquit, neque Davus, neque Mysis sciret me esse præsentem. E.—Lege numerosius, *vidi ancillam jurgantem*. B.

20. *Vero voltu*] Quasi dixerit Simo, *simulabat ancilla. Quum, ibi me adesse, neuter tum præsenserat*] Credit (edd. Venett. *Creditur*. Ms. Hulst. *Queritur*. Lego audacter: *Quæritur: Quid si visus a Mysside erat. Tamen ignorabatur esse Chremes.* Nisi rl credit e seq. versu irrepsisse, et delendum statuas, quod suspicatur Wielingius. Sed superiorem nostram conjecturam comprobat Ms. Boend. ubi interrogationis nota est addita); aut etsi visus a Mysid erat, tamen ignorabatur esse Chremes donec diceret Davus, *Hic ille est: non t credas Davum ludere. Cum ibi me adesse Tum* deest, ut sit integrum, *Tum, cum.* D —Tolle *At*, quod obest versui. Lolgiu legit *neuter dum*, h. e. *neuter adhuc.* Se omnes codd. *tum*, quod plane idem va let. B.

21. *Davus dudum prædixit mihi*] Hi ostenditur quod vidit callidus Davus, u prædiceret futurum seni id, quod ipse erat facturus. D.—*Credo*] Redit rursu ut neget vera, quæ erant dolo ficta. E.— Pro *facturas*, quod alienum est, repon *futurum*: cf. supra iii. 2. 27. B.

22. *Nescio quid*] Deest *propter*: ut si propter nescio quid, aut *nescio* pro (*cu* Z.) quare: ut sit adverbiale. *Ac volui*] *A* pro contra quam. D.—Lege, *Et nesc*

ACTUS QUINTI SCENA II.

DAVUS. CHREMES. SIMO. DROMO.

ANIMO nunc jam otioso esse impero. CH. Hem Davom tibi.
SI. Unde egreditur? DAV. Meo præsidio atque hospitis.
SI. Quid illud mali est?
DAV. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus, non vidi. SI. Scelus,
Quemnam hic laudat? DAV. Omnis res est jam in vado.
SI. Cesso alloqui?
DAV. Herus est: quid agam? SI. O, salve, bone vir! DAV. Ehem Simo! o noster Chreme!
Omnia apparata jam sunt intus. SI. Curasti probe.

QUI, i. e. quomodo. Pro *ac*, quod Donatus male retulisse videtur ad *oblitus*, repone *ut*, et refer ad dicere: cf. supra iv. 5. 10. Phorm. v. 1. 32. B.

1. *Animo jam nunc otioso esse impero*] Hæc scena principium indicii, et iracundiam senis continet: atque in ea vehementer exprimitur consuetudo patris ac domini offensi, et indignantis. *Animo jam nunc otioso*] Exsultans egreditur Davus, nuncians prona esse omnia ad securitatem. Et *otioso*, securo: quia negotium, sollicitudo est. *Impero*] Pro volo: an ut statim fiat (Forte leg. NUNC JAM. *Ut statim fiat t. i. q. i.* Z.), tamquam illud quod imperatur? Et *impero*, superbe dixit; summum enim indicium securitatis est superbia. D.—*Animo nunc jam*] Davus egrediens de domo Glycerii, gaudet quod læta sint omnia suo præsidio, et ejus hospitis Critonis, qui advenit: cujus indicio scit illam civem esse Atheniensem. Verum hæc scena tantummodo iram continet domini commoti; quod Davus, de domo Glycerii exiens, continuo in pistrinum mittitur. Hoc enim ei futurum ante promiserat, cum dixit, *in pistrinum, Dave, te dedam ad necem; si sensero quicquam in hisce nuptiis fallacia conari.* E.

2. *Unde egreditur*] Hic non interrogat; sed cum admiratione, vel magis cum indignatione dicit. *Meo præsidio atque hospitis*] Id est, Animo jam nunc otioso esse impero. *Atque hospitis*] Scilicet Critonis. D.

3. *Ego commodiorem hominem*] Hic Davus admiratur, quod in ipso articulo periculi supervenerit Crito. *Ego commodiorem hominem, adventum, tempus, non vidi*] Potest enim et commodus esse quis, et alieno tempore supervenire potest, et commodum in homine est; sed et opportunus malum etiam adventum habere potest. Nam (ante hoc verbum legitur in utroque cod. *potest et* commodum *esse in homine, sed opportunum malum et adventum habere potest*) *commodum*, in homine est: *adventus*, in facto ejus: *tempus* in opportunitate facti. *Commodiorem hominem, adventum, tempus*] Πύλληψις. D. — *Adventum tempus*] Pro, ad tempus ventum, id est, venisse; et singula sunt pronuncianda. E.—*Adventum tempus*] Ms. R. *adventum ad tempus*. L.

4. *Scelus, quemnam hic laudat?*] Non est *hic* solœcismus: ad sensum enim, non ad verba respexit; etenim propter sensus verba sunt, non propter verba sensus. *Omnis res est jam in vado*] *In vado*, in securitate. Nam ut in profundo periculum est, ita in vado securitas est. Proverbiale, *In vado*, in tuto. D.—*Res in vado*] Hoc est, in tuto sunt jam universa. *Vada* enim sunt loca humilia • (in Ms. lacuna nulla, inquit West. Sed mihi videtur excidisse, *maris*, seu, *fluvii*. Z.). E.

5. *Quid agam?*] Plus est dicere, *quid agam?* quam cogitare de fuga. *Salve, bone vir!*] Ἐφωνεῖα major est, quam increpatio. Quum enim omne genus criminis aliquis superaverit (melius Ms. Hulst. *spreverit*): tunc exclusi (lege *elusi*), ἐφωνεῖα laudamus. *Hem*] Interjectio perturbati est. *O noster Chreme!*] *Noster* dicendo, latenter significat Glycerium filiam Chremetis esse inventam. D.

6. *Omnia apparata jam sunt intus*] Quia infecta sunt de paratis. *Curasti probe*] *Probe*, memoriter, ut solet; supra enim dixerat senex, *Imo abi intro; ibi me opperire: et quod parato opus est, para.* D.—*Omnia jam parata*] Dissimulat servus domino viso, et dicit ad nuptias cuncta

DAV. Ubi voles, arcesse. SI. Bene sane: id enim vero hinc nunc abest.
Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negotii'st? DAV. Mihin'?
SI. Ita. DAV. Mihine? SI. Tibi ergo. DAV. Modo introii.
SI. Quasi ego, quam dudum, rogem.
DAV. Cum tuo gnato una. SI. Anne est intus Pamphilus? crucior miser.
Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?
DAV. Sunt. SI. Cur igitur hic est? CH. Quid illum censes? cum illa litigat.
DAV. Immo vero indignum, Chremes, jam facinus faxo ex me audias.
Nescio quis senex modo venit: ellum, confidens, catus:

disposita esse. E.—*Jam sunt intus*] Ms. R. *τὸ jam* deest. L.

7. *Ubi voles, arcesse*] *Ubi*, pro quando; non est enim loci, sed temporis adverbium. *Bene sane*] Valide: quia qui sanus est, idem et validus. *Abest*] Pro *deest*. D.—*Bene sane, id enimvero*] Recte, inquit, dicis: hoc enim solum jam deest, ut ipsa puella debeat evocari. E.—*Id enimvero*] Ms. R. *Is enimvero*. L.—Tres ex nostris, IS *enimvero*. Male. Faernus et unus cod. e nostris HIC *nunc*. Frustra. B.

8. *Etiam tu hoc respondes?*] Deest, *an non*. (Ob *annon* haud dubie legit A. *respondes*. Sed ex sequenti explicatione *τοῦ etiam* auctorem legisse *responde*, patet. Quæ repugnantia interpolationem indicare videtur. Z.) *Etiam tu hoc respondes?*] *Etiam*, aut hortatio est, aut conjunctio. Et vide quanta dixerit, et *quid*, et *istic*, et *tibi*. D.—*Quid istic tibi?*] Interrogatus Davus quare domum Glycerii intrasset, non cur, sed quando respondet. E.—Lege *responde*, ob auctoritatem omnium codd. nostrorum, præter unum, et Servii ad Æn. xi. 373. ubi ait *etiam* esse hortantis adverbium. B.

9. *Mihine?*] Quando non sumus parati ad respondendum, ducendo tempus eludimus. *Mihine?*] Apparet ita turbari Davum modo consilio poetæ, ut omnes amittat fallacias: et oppressus prodat Pamphilum, dum malum cominus perhorrescit; totumque hoc ex argumento est. Vult enim jam poeta catastrophen fieri. *Modo introii*] Hoc signum, perturbatum induci ob conscientiam Davum. D.—*Modo introii*] Ideo Simo adjecit: *quasi ego, quam dudum, rogem*] Quasi ego interrogem, quam dudum sis ingressus. E.—*Quam dudum, rogem*] V. C. *quam dudum id rogem*. L.—Codex C. C. C. *introisi*. Apud nostrum *introire* cum semper in medio Synalœpham faciat, tanquam bina fuerint verba: versum totum, ubi *Ita* superiori apposueris, restitue sic: *Mihi? Tibi ergo. Modo ego introivi, etc.* B.

10. *Cum tuo gnato una*] Servi excusatio, filii accusatio est: et hoc quasi a perturbato dicitur servo; sed consilio poetæ ad exitum festinantis et resolutionem fabulæ. *Anne est intus Pamphilus?*] Causa iræ vehementior (*vehementioris* Z.) inventa est. D.—*Cum tuo nato una*] Conturbatus servus, quoniam se defendere non potuit, a domino constringitur. E.

12. *Sunt*] Nulla ratione dicit, *sunt*; sed ne nihil respondeat. Nam turbatus est, utpote oppressus. *Quid illum censes?*] Deest, *propter*: ut sit, propter quid illum esse censes? *Cum illa litigat*] Chremeti convenit hic sermo: hic enim irridet; qui et supra dixit, *Amantium iræ, amoris integratio est*. Et sic hoc dicit, ut alibi, *Credo, ut sit, misera præ amore exclusit hunc foras. Cum illa litigat*] Irridet Simonem Chremes, quia dixerat, *Iræ sunt inter Glycerium et gnatum*. D.

13. *Imo vero indignum, Chreme*] Bene ad eum loquitur, qui est a nuptiis deterrendus: vel qui non interturbet orationem suam: vel quem etiam sibi precatorem destinet. Ita loquitur quasi hæc sit causa, cur sit Pamphilus ingressus: quod quasi ei lis intendatur a Critone hospite ducendæ uxoris, quam (*quam* Z.) civem Atticam vitiaverit. (Argutiæ mihi videntur. Davus hic, ut Simonis animum, joco Chremetis ridentis commotum, leniret, quasi refellere conatus est sententiam Chremetis. Dicit enim, *Immo vero*, h. e. illud non est, sed Z.) D.—Lege *Chreme* cum uno ex nostris; et cum quatuor *audies*; ob usum *τοῦ faxo* apud Terentium. B.

14. *Nescio quis senex modo venit*] Bene, *nescio quis*; etenim si notus esset, videretur gratificari, id est, gratiosus esse testis et minus verus. *Ellum*] Veteres

Cum faciem videas, videtur esse quantivis pretii.
Tristis severitas inest in voltu, atque in verbis fides.
SI. Quidnam apportas? DAV. Nihil equidem, nisi quod illum audivi dicere.
SI. Quid ait tandem? DAV. Glycerium se scire civem esse Atticam.
SI. Hem, Dromo, Dromo. DR. Quid est? SI. Dromo. DAV. Audi. SI. Verbum si addideris. Dromo.
DAV. Audi obsecro. DR. Quid vis? SI. Sublimem hunc intro rape, quantum potes.
DR. Quem? SI. Davom. DAV. Quamobrem? SI. Quia lubet: rape, inquam. DAV. Quid feci? SI. Rape.
DAV. Si quicquam invenies me mentitum, occidito. SI. Nihil audio.
Ego jam te commotum reddam. DAV. Tamen etsi hoc verum est. SI. Tamen

quod nos *illum* dicimus, vel *ellum* vel *ollum* dicebant; quamvis *ellum*, quidam *ecce illum*, velint intelligi: tanquam pro ipso domum (Ms. Hulst. *pro ipsa domo*, h. e. ante ipsam domum) Glycerii ostendat Davus, dicens, *Ellum*, quasi *en illum*; est enim, ut alii volunt, pronomen: ut (*at* Z.) alii, adverbium demonstrantis: nam pronomen hujusmodi veteres sic proferebant, *ille, ellus, ellus*. Sed, ut diximus, adverbium compositum ex pronomine videri potest: ut sit, *en*, vel *ecce illum*. *Confidens*] *Confidentem* hic pro constanti, non mala significatione, posuit. *Catus*] Callidus, doctus, ardens: παρὰ τὸ καίειν, unde *Cato* dictus: ingeniorum etenim igneus vigor esse videtur (Ms. H. *ingeniorum etenim ingenuus vigor est*. Et refert illud *videtur* ad sequentia, *esse quantivis pretii*. Hoc recte, illud minus). D.—In antiquo Decurtato Faerni, et uno e nostris est, *Nescio qui*. Recte. B.

15. *Quantivis pretii*] Ad magnitudinem refertur *quantivis*, non ad parvitatem pretii (Ms. Hulst. *ad gravitatem*, PRETII, cuinam non). Et totum oratorie; scite enim locutus est. Sed interest inter *quamvis* et *quantivis*. Nam alterum contemtionis, alterum laudis. D.—*Videtur esse*] Ms. *videtur quantivis p.* est autem Plautina imitatio, in Pseudol. i. 2. 9. *At faciem cum aspicias eorum, haud mali videntur, opera fallunt*. L.

16. *Tristis*] Ad laudem interdum sumitur, non ad amaritudinem, *tristis*. Cicero, Act. i. in Verr. 10. *Judex tristis et integer*. D.—*Tristis severitas*] Thrasea apud Tacit. Serv. Georg. iii. ad vers. 37. —*annonaque severum*; et Æneid. x. 612. *tua tristia dicta*. L.

18. *Glycerium se scire civem esse Atticam*] Bene: constanter et ea quæ locutus est, *scire* se dixit. D.

19. *Dromo, Dromo*] Commotus ira et dolore nihil dixit, nisi quod lorarium repetendo sæpius vocat. *Verbum si addideris*] Bene, qui omnia, præsente socero, contra nuptias loquitur. D.—*Hem* appone antecedenti. B.

20. *Audi obsecro*] Plerumque a verberandis, vel mora (R. Steph. quia sensum nullum putabat in vulgari lectione, post *verberandis* interseruit *vel indulgentia loquitur*. Id autem velle videtur Donatus: quia Davus supplicii metu dixerit, *audi, obsecro*, sperasse, se mora impetraturum indulgentiam, quod nempe vel indulgentia, vel mora loquatur a verberandis. Idem igitur Donato est loqui ab aliquo, quod, stare ab aliquo. Nisi pro *loquitur*, legendum sit, seu *rogatur*, seu *quæritur*, seu potius *captatur*). *Sublimem*] Id est in sublime, per altum. *Quantum potes*] Hoc est, celerrime: quia segniores se ostendunt servi ad puniendos collibertos (lege *conservos*), scilicet mora veniam captantes indignantium dominorum. D.

21. *Quia lubet*] Hoc sensu et supra dictum est: *Aut si libitum fuerit, causam coperit, quo jure, quaque injuria. Quia lubet*] Davo dicit. *Rape, inquam*] Hoc Dromoni. D.

22. *Si quicquam mentitum invenies, occidito*] Hic plus dixit. Ubi enim *verbera* supra dixit: nunc *occidito* (Atqui Davus in tota fabula id non dixit. Igitur memoria lapsus Donatus videtur, nisi animo obversatæ sunt Simonis minæ, supra i. 2. 28.) D.

23. *Commotum*] Citum, celerem (Do-

Cura asservandum vinctum: atque audin'? quadrupedem constringito.
Age nunc jam: ego pol hodie, si vivo, tibi
Ostendam, herum quid sit pericli fallere;
Et illi, patrem. CH. Ah, ne sævi tantopere. SI. O Chreme,
Pietatem gnati! nonne te miseret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium?
Age, Pamphile, exi, Pamphile: ecquid te pudet?

ACTUS QUINTI SCENA III.

PAMPHILUS. SIMO. CHREMES.

QUIS me volt? perii, pater est. SI. Quid ais, omnium? CH. Ah,

nato indignam explicationem hanc censet Dacieria, cum *commotum reddere* hic sit, *commovere*, διακινεῖν, seu *verberibus cædere*. Z.) D.—*Tamenetsi hoc verum. S. Tamen*] In vett. libb. *tamenetsi hoc verum est. S. Audin'? quadrupedem.* L.—Post *tamen* in fine est distinguendum, ut ad Davi interrogationem referatur. B.

24. *Quadrupedem*] Utrum ligaturæ genus sic dicitur, *quadrupes?* an quadrupedem, ut feram? an quadrupedem, id est, cum pedibus et manibus? an quadrupedem, pro cervo ac fugitivo posuit? Sic Virgil. Æn. vii. 500. *Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit. Constringito*] Mire: ne quid fiat tragicum in comœdia, usque ad vincula ira progreditur: nec quicquam tentat ulterius (Uterque liber legit, *nec quicquam tentat, ne quoquam tendat ulterius.*) D.—*Quadrupedem constringito*] Hoc est, ita eum (et nodis), et vinculis colligato, ut quadrupedem (facias), cum ejus manus retrovertens compedum ligaturis efficias, quasi quadrupedem. Quidam hoc aliter: quasi dominus iracundiam suam derivaverit, et leni voce dixerit, ut non ipsum, sed jumentum aliquod alliget. Et confirmant ex eo, quod conquerenti Pamphilo, non recte Davum vinctum, respondit Simo, *haud ita jussi.* Sed superior sensus est melior. E.

25. *Si vivo*] Qui certa minari volunt, incertam faciunt vitam suam. D.

26. *Herum quid sit pericli fallere*] Herum et patrem cum ingenti pronunciatione dixit. Et alibi, *Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem, aut Audebit, tanto magis audebit cæteros.* D.—Lege commodiore ordine, *Ostendam, quid herum sit, etc.* B.

27. *Ne sævi tantopere*] *Ne*, imperativo magis quam conjunctivo adjungitur; ut Virg. Æn. vi. 544. *Ne sævi, magna Sacerdos.* D.—*Ah, ne sævi*] Priscian. lib. vii. Plaut. Bacchid. iii. 2. 4. *Leniter qui sæviunt, sapiunt magis.* Servius in Æneid. vi. 544.—*ne sævi, magna Sacerdos.* L.

28. *Pietatem gnati!*] Ἔλλειψις: deest enim *vides*, aut quid tale. Et est εἰρωνεία, pro impietate. Et vide invidiam, quasi parricidam accusantis; non enim pudorem dixit, sed pietatem. D.

29. *Tantum laborem capere*] Σύλληψις: assumendum est enim extrinsecus *me* (Westerhovius addita habet, sed nescio unde; *labor, pro molestia* Z.). D.

1. *Quis me volt? perii*] Hic accusatio est: quæ solvitur defensione, in eo quod ad amorem pertinet, per concessionem; in eo quod ad Critonis personam, per conjecturam. *Quid ais, omnium?*] Ἀποσιώπησις tertia: et est ad deformationem personæ. Et est irato familiaris ἀποσιώπησις, quum, pro dignitate peccati, non inveniat convicium. *Quid ais*] Non interrogantis, sed invehentis; et est ἔλλειψις, multa significans, in eo quod ait, *omnium.* D.—*Quis me volt?*] Hæc scena venialem statum habet. Accusatur enim (excidit, *filius* Z.) a dictis, a factis, ab habitu faciei: quod peregrinam meretricem velit uxorem ducere. Sed purgat se, ut necessitate compelli possit. Nam inserit, ut noscatur, quod Crito dicat se scire, civem esse Atticam Glycerium. *Quid ais, omnium?*] Iracundiæ familiare hoc esse, sæpe dictum. Hic intercessit Chremes et dixit: *Rem potius ipsam dicito*, omissis maledictis. Tantum filio crimen intentat (forte, *intenta*, deleto puncto post maledictis). Accusatio incipit: *Num cogitat quod dicat? num facti pudet?* Deinde defensio a precibus: *Me miserum!* Tota rursus accusatio supponitur factis præteritis, quod diu amaverit meretricem: a

Rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui.
Si. Quasi quicquam in hunc jam gravius dici possiet.
Ain' tandem? civis Glycerium'st? Pam. Ita prædicant.
Si. Ita prædicant? o ingentem confidentiam!
Num cogitat quid dicat? num facti piget?
Num ejus color pudoris signum usquam indicat?
Adeon' impotenti esse animo, ut præter civium
Morem atque legem, et sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?
Pam. Me miserum! Si. Hem! modone id demum sensti, Pamphile?
Olim istuc, olim, quum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi;

præsentibus, quod jam uxor sit, quod susceptus filius. Deinde concluditur accusatio per *σύγχυσιν* (lege, *συγχόρησιν* Z.), *Imo valeat; habeat; vivat cum illa.* E.

3. *Quasi quicquam in hunc jam gravius dici possiet*] Quam quod fecit, quam quod peccavit. D.

4. *Ain' tandem?*] Quærit Probus, *ain'* quæ pars orationis sit: et an una sit. Est autem *ain'* quasi *aisne*. Et mire, quasi ipse dicat, quod Davus dixerit. Ergo *ain'*, percontativum verbum est. *Tandem*] Pro tamen. *Prædicant*] Artificiose pro *dicunt* posuit, adeo in hac re vehementer commotus senex hoc ipsum repetit, *Ita prædicant?* per iracundiam. Et, *ita*, est *ἐν ἥθει*, ut repetantur verba, in quibus arguitur impudentia. D.

5. *O ingentem confidentiam!*] Et *confidentia* modo pro audacia est cum improbitate; ut in Phormione, *Homo confidens.* Aliter hic (excidit *quam*, seu, *ac* Z.) supra *confidens*, pro constanti et gravi. Ergo confidentia interdum in bona significatione, interdum in mala ponitur: sed fiducia semper in bona. D.

6. *Num cogitat quid dicat? num facti piget?*] Amens est qui nesciat quid dicat: amentior, quem non pœniteat facti sui. *Num cogitat quid dicat?*] Quia injuriarum se alligat. *Num facti piget?*] Quia dicit *prædicant*, non *dicunt*. Et, ut solent irascentes, avertit orationem a secunda ad tertiam personam: ab ea, cum qua loquebatur, ad aliam. D.

7. *Num ejus color pudoris signum usquam indicat?*] *Signum*, est parva quædam significatio, indicans totius rei qualitatem. *Num ejus color pudoris signum usquam indicat?*] Paterno animo dicit. Namque patribus velle erubescere filios, pudentesque esse, familiare est: cui contrarium est, *Erubuit, salva res est.* Hoc ergo dicit: Nec timet, inquit, nec enim (Ms. Boend. cum edit. Du B. habet *eum*) pœnitet, nec pudet. D.—*Color pudoris signum*] Alexand. Aphrodis. problemat. lib. i. *Διὰ τί αἰδούμενοι ἐρυθριῶσι.* Aristophan. in Equitib. *ὃς δὲ πρὸς πᾶν ἀναιδέσεται κοὐ μεθίστηται τοῦ χρήματος τοῦ παρεστηκότος.* L.—Faernus legit, VIDE *num ejus, etc.* et omnes ubique codd. Ego legendum puto, *Numnam ejus, etc.* ne versui quid desit. B.

8. *Impotenti*] Nimis potenti; vel certe debili et devicto. D.—Ne fugiendum sit cum Faerno ad Synizesin, ad Pyrrichium efficiendum, pro *Adeon'* lege *Adeo*. B.

9. *Civium morem atque legem, et sui voluntatem patris*] Tria contemta sunt, mos, lex, imperium patris. *Præter civium morem*] *Præter*, contra nunc significat. D.

10. *Tamen*] Quum non dixerit *quamvis*, subjecit *tamen*: et figura est *ἀνακόλουθον*. D.—*Cum summo probro?*] In Ms. R. sic legitur: *tamen habere cupiat cum summo probro.* L.—Pro *studeat* in edit. Sandbyensi legitur *cupiat*; quod sane Simoni irato aptius videtur. Z.

11. *Me miserum!*] Initium defensionis et deploratio calamitatis et miseriæ: quia in Amorem culpam removet a voluntate sua, quum pater, quod amat filius, vitium mentis dicat esse, non impulsum Dei. (Ms. Hulst. *Vitio mentis dicat quasi esse impulsum.* Vereor, ut ex mente Donati, cui Amor Deus est. Vid. infra vers. 25.) *Modone id demum sensti, Pamphile?*] Comprobatione ostendit eum esse miserum. *Demum* autem, signum est tarditatis. Et *sentire* dicitur, qui vix colligit se, vixque animadvertit: ut alibi, *Vix tandem sensi stolidus.* D.

12. *Olim istuc, olim*] Objurgatio est, quod dictum est *olim*. Confirmationem autem per repetitionem ostendit. Ut Virgil. Æn. ii. 602.—*divum inclementia, divum, Has evertit opes.* D.

13. *Aliquo pacto*] Quoquo modo. D.

Eodem die istuc verbum vere in te accidit.
Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectutem hujus sollicito amentia?
An ut pro hujus peccatis ego supplicium sufferam?
Imo habeat, valeat, vivat cum illa. PAM. Mi pater.
SI. Quid mi pater? quasi tu hujus indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi, invito patre.
Adducti, qui illam civem hinc dicant: viceris.
PAM. Pater, licetne pauca? SI. Quid dices mihi?
CH. Tamen, Simo, audi. SI. Ego audiam? quid ego audiam,
Chreme? CH. At tandem dicat sine. SI. Age, dicat: sino.
PAM. Ego me amare hanc fateor; si id peccare'st, fateor id quoque.
Tibi, pater, me dedo: quidvis oneris impone, impera.

14. *Accidit*] Evenit, fuit. D.

15. *Sed quid ego?*] Proprium est parentibus indignatione velut abjicere curam filiorum, quum destomachati fuerint. *Sed quid ego?*] Ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν. D.—Cod. Academicus: *Sed quid ego me autem? cur excrucio? etc.* Recte, dummodo deleveris *cur*. B.

16. *Sollicito*] Sollicitam reddo, id est, contristo et perturbo. *Cur meam senectutem*] Non *me*, sed meam senectutem: quod plus est, et miserabilius dicit. D.

18. *Imo habeat, valeat*] Non irascitur ut pater, sed dissimulat ut alienus: quia vehementer dolet. Et *habeat*, subauditur *illam*. *Mi pater*] *Mi*, meus. Et principium factum a conciliatione personæ. D. —*Mi pater*] Ex nomine benevolentiam comparat. Deinde petitur audientia. Post subjungitur narratio, in qua est venialis status: *Ego me amare hanc confiteor*. E.

19. *Quasi tu hujus indigeas patris*] *Hujus*, ostendens se dixit; ut Virg. Æn. ix. 205. *Est hic, est animus lucis contemtor*. D.

20. *Domus, uxor, liberi inventi*] Mira gravitate sensus elatus est; nec de Menandro, sed proprium Terentii. Et *liberi inventi* dicit, quum unus esset: sed invidiosius *liberi*. Et *inventi*: non *geniti*, secundum illud, *Hoc ego scio, neminem peperisse hic*. *Domus* addidit, non lupanar. Et oratorie de uno pluraliter loquimur. D.—*Domus, uxor, liberi*] Hæc ergo causarum una est, cur filii familias sine consensu paterno matrimonium contrahere nequeant: ne videlicet invito patri suus heres agnoscatur. Instit. Tit. de nupt. lib. xxxv. ff. de rit. nupt. lib. xii. Cod. eod. Quapropter in emancipatis hæc sollemnitas non observatur. lib. xxv. ff. eod. L.

21. *Viceris*] Verbum est ejus, qui vix sibi extorquet, ut abjiciat curam. Et proprium patribus, ac familiare iratis. D.

22. *Pater, licetne pauca?*] Titubans et balbutiens oratio pudore et conscientia. D.

23. *Tamen, Simo*] Ms. R. *Tandem, Simo*. L.—Faerni liber Bembinus, et Basilicanus, *Tamen, Simo, audi*. Recte. Sed lege EGON' *audiam?* B.

24. *Age, dicat: sino*] Hoc totum non ex animo permittentis, sed cum stomacho patientis est. D.—Pro *at tandem*, quod tres codd. vetustiores habent, ne duplici ictu sit invenustum, lege *at tamen*; ut supra iv. 2. 28. B.

25. *Ego me amare hanc, fateor*] Ἀμφιβολία τῆς ἐρωμένης. *Hanc fateor*] Et bene *hanc* dicit, non *Glycerium*, cujus nomine offenditur senex: nec *peregrinam*, ignominiam scilicet vitans. *Si id peccare est, fateor id quoque*] Noli, inquit, me accusare quia (*quod* Z.) amo; amantem enim nemo accusat, ut febricitantem nemo accusare potest cur febricitet. Sed amare, inquit, si putas esse peccatum, fateor etiam me hoc peccasse. Mire igitur et subdefendit (forte, *subdole defendit* Z.) culpam: et assensus irato est. *Si id peccare est*] *Peccare* dicit: quia amor deus est, non voluntas. *Fateor id quoque*] Peccare me scilicet. D.—Quamquam incidit veluti diffinitivus status. *Id peccatum est*. Quæritur enim, an amor crimen ait? Petit veniam sic: *Tibi me, pater, dedo*. E.

26. *Tibi, pater, me dedo*] Bene *dedo*, quasi hostilia et contraria volenti. Nam deditio in hoste fieri solet. *Quidvis oneris impone: impera*] Exsecutus est translationem oneris, dicendo *impone, ut potero, feram*. D.

Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere? ut potero, feram.
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me allegatum hunc senem.
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. SI. Adducas! PAM. Sine, pater.
CH. Æquum postulat; da veniam. PAM. Sine te hoc exorem.
SI. Sino.
Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
CH. Pro peccato magno paululum supplicii satis est patri.

ACTUS QUINTI SCENA IV.

CRITO. CHREMES. SIMO. PAMPHILUS.

MITTE orare: una harum quævis causa me, ut faciam, monet:

27. *Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere?*] Et (*Ex eo* Z.) quod unum est, duo fecit: ut ostendat se non posse ferre. *Ut potero, feram*] Obsequium sine voluntate ostendit: et multum valet sub Chremetis præsentia hæc confessio, ad recusandas nuptias. D.—Exponuntur duæ partes: una ex voluntate, altera citra voluntatem: *Vis me uxorem hanc ducere? vis amittere?* Concluditur cum affectu, *ut potero, feram.* Hic enim ostendit, se nihil aliud velle, nisi ut eam uxorem ducat. Insinuatur et illud, quod supra diximus, ut, Crito quod nunciat, audiatur. E.—Faernus recte *mittere* pro *amittere*, et metri et sensus causa. Nam *amittitur* uxor jam domum ducta; *mittitur*, quæ nondum ducta est. B.

28. *Ut ne*] Pro, ut non. *Allegatum*] Adhibitum. *Hunc senem*] Critonem scilicet. Et non Critonem, sed senem dicit: ut de hac appellatione pondus adjiceret testimonio. D.

30. *Æquum postulat; da veniam*] Artificiose interponit loquentem Chremetem: quem volens usque ad cognitionem filiæ suæ retinere, non facit irasci Pamphilo ob contemtum filiæ suæ, et post hoc abire de medio. *Da veniam*] Concede, indulge. *Sine te hoc exorem*] Id est, ut me purgem, non (pro *non* Ms. Hulst. habet *hunc*: rectius: utrumque enim rogaverat Pamphilus) adducam. D.

31. *Ab hoc me falli comperiar*] O paterna pietas! ipse accusator est, et redargui se cupit. D.—*Quid vis cupio, ne ab hoc me falli comperiar, Chreme*] Pati omnia volo, dummodo non cognoscar, ab hoc me falli. E.

32. *Paulum supplicii*] *Supplicium* dicit ipsam accusationem. D.—*Paululum supplicii*] Adverbia frequenter fiunt nomina . . accipiuntur (*et casui adjunguntur* Z.); ut *paululum* et *satis*. Horatius, Od. i. 2. 1. *Jam satis nivis misit pater.* Et est diffinitio a causa, id est, a filio, cui semper indulgere convenit. (Hæc tota nota abest a Ms. utroque.) E.—Etsi libri antiqui habent *paululum*: versus tamen exigit, ut cum recentioribus quibusdam libris sequamur *paulum*. B.

1. *Mitte orare*] Hic in scenam progreditur Crito: in cujus verbis non modo quod ipse promittit, sed etiam quod et Pamphilus dixerit, demonstratur. Et hic omnis error aperietur fabulæ. *Mitte orare: una harum quævis causa*] Pamphilo dicit; et dicendo *una harum*, ostendit multas esse causas: etiam pares magnitudine esse, dicendo *quævis*. D.—*Mitte orare*] (Initium hujus scenæ in Ms. altero lacerum: in altero eædem lacunæ, quæ in editis.) Hæc scena cognitionem habet puellæ, quod civis Atheniensium sit, ut omnis error in comœdia solvi possit. Senes igitur duo sunt, Chremes et Simo . . . . etiam Pamphilus et Crito egreditur, ... Pamphilo ut diceret Atheniensem civem . . . . dicit autem justum esse ac propterea . . . . ride eo quod verum est, et quid meretur . . . . jam Glycerium digna sit. Ita se. . . . . pelli ut istuc faciat unde . . . . rogari (Forte sic locus est restituendus: Senes igitur duo sunt, Chremes et Simo, *quorum interest nodum solvi. Redit* jam Pamphilus, et Crito egreditur *una, qui oratus est* Pamphilo, ut diceret Atheniensem civem *esse Glycerium. Hic* dicit autem justum esse, ac propterea *ut faciat, se moneri* de eo, quod verum *sit*, et *quod mereatur ejus virtus, et quod dudum* jam Glycerium digna sit. Ita *se una harum quavis causa impelli*, ut istuc faciat: unde *opus non esse ab illo* rogari Z.). E.

Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
CH. Andrium ego Critonem video? certe is est. CR. Salvos sis, Chreme.
CH. Quid tu Athenas insolens? CR. Evenit: sed hicine'st Simo?
CH. Hic. SI. Men' quæris? eho, tu Glycerium hinc civem esse ais?
CR. Tu negas? SI. Itane huc paratus advenis? CR. Qua de re? SI. Rogas?
Tune impune hæc facias? tune hic homines adolescentulos,
Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?
Sollicitando et pollicitando eorum animos lactans? CR. Sanusne es?
SI. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
PAM. Perii: metuo ut substet hospes. CH. Si, Simo, hunc noris satis,

3. *Andrium ego, Critonem video?*] Bonum initium agnituri filiam. Itaque compendii causa, non laborat de agnitione personæ Critonis, ut ab eo facile doceri possit. *Salvus sis Crito*] Ne laboret ad persuadendum: miro compendio poetæ, jam Crito notus est Chremi. D.—Lege *is certe est*. B.

4. *Quid tu Athenas insolens?*] *Insolens*, insolitus, insuetus. Cicero pro Deiot. ii. *Moveor etiam loci insolentia*. Sallustius in Fragmentis, *Insolens vera accipiendi. Insolens* et arrogans intelligitur. Qui præter legem agit humanam et naturalem, *insolens* dicitur. Cicero pro Marcello iii. *In victoria, quæ natura insolens et superba est. Evenit*] Pudet fateri propter hereditatem venisse. Et vide ipsum esse, qui dixerit supra, *Clamitent me sycophantam, hereditatem persequi*. D.—*Athenas insolens*] Id est, non solitus venire Athenas. Unde Cicero pro R. Deiot. ii.: *Moveret et loci insolentia*. Alioquin *insolens*, superbus dicitur. E.—*Quid tu Athenas insolens? Cr. Evenit*] Priscian. lib. xv. p. 168. L.

5. Ut metro consulatur, amplector lectionem duorum codd. meliorum, qui pro *men' quæris?* habent, *Simo, men' quæris?* tribuuntque Critoni. B.—In edit. Sandby; est *Hic est*. Z.

6. *Paratus advenis?*] Hoc est, subornatus, et compositus dolo (Ms. Hulst. forte rectius, *compositor doli*: nisi id voluit interpres, illud *paratus* valere et ab aliis subornatum, et ultro compositum ad fraudem). D.—Pro *qua de re* duo codd. habent *qua re*. Recte. Nam ita trochaicus stare potest. B.

7. *Tune impune hoc facias?*] Mire; acriter Critonem aggressus (Ms. Boend. *Nunc acriter Critonem aggressus*), dilatavit incusationem, et generale (lege vel *gravem*, vel *graviter*. Nam hæc est illa δεινότης) fecit virtute oratoria, quæ δεινότης dicitur. *Tune hic*] Id est, Athenis, ubi delicta vindicantur. D.—*Tun' homines*] Hoc versu antitheton est, id est, compositum ex contrariis. E.—Antiqui libri pro *hoc* legunt recte *hæc*: quod invidiosius esse judicat Faernus. B.

8. *In fraudem illicis?*] Illigas; unde Virgil. Ecl. viii. 73. *Terna tibi hæc primum triplici circumdata filo Licia circumdo. Licia* enim dicta sunt, quasi ligia. D.—*Imperitos rerum*] Hoc est, in rebus imperitos tuis dolis in persuasionem deducis. E.

9. *Eorum animos lactans?*] Hinc etiam *oblectatio* dicitur. *Lactans*] Quasi teneros animos. *Lactare*, est dulcedine aliqua tenere, ad persuasionem inducere (*ac persuasione inducere*. Wieling.): unde et *delectare* et *oblectare* dicimus. D.—*Eorum animos lactas?*] Eorum ingenia fallis et decipis: hoc est enim *lactare*, quasi consuto nutrimento decipere. Vel *jactas*, per hypallagen, id est, in jactationem et superbiam mittis. E.—Pro *lactans* lego *lactas*, atque distinguo ita: *in fraudem illicis Sollicitando, et pollicitando e. a. lactas?* Postea ne essent litteræ supervacuæ, edidi, *sanun' es?* B.

10. *Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?*] Vide oratorie agi, ut gravius Critonem accuset Simo, nunc defendit filium, quem dudum increpaverat. *Ac meretricios amores*] Pejus lenocinio crimen ingessit: non amicam facere de meretrice, sed conjugem. *Nuptiis conglutinas*] Hoc gravius est lenocinio. D.—*Meretricios amores*] Efficis ut meretrices fiant uxores. E.

11. *Metuo ut substet hospes*] *Ut*, ne non. Lucilius, *tuum ut memoriam retineas*. Et

Non ita arbitrere: bonus est hic vir. SI. Hic vir sit bonus? Itane adtemperate venit hodie in ipsis nuptiis,
Ut veniret antehac nunquam? est vero huic credendum, Chreme?
PAM. Ni metuam patrem, habeo pro illa re, illum quod moneam probe.
SI. Sycophanta. CR. Hem! CH. Sic, Crito, est hic: mitte. CR. Videat, qui siet.
Si mihi pergit, quæ volt, dicere; ea, quæ non volt, audiet.
Ego istæc moveo, aut curo? non tu tuum malum æquo animo feres?
Nam, ego quæ dico, vera an falsa audieris, jam sciri potest.
Atticus quidam olim, navi fracta, apud Andrum ejectus est,
Et istæc una parva virgo: tum ille egens, forte applicat

bene *hospes* ait, non *homo*, vel *Crito;* est enim (*in* Z.) ipso nomine causa diffidentiæ. D.—*Metuo ut subtet hospes*] Vereor, inquit Pamphilus, ne patris sermone hospes Crito territus, non possit resistere fortiter. E.

12. *Non ita arbitrere*] Id est, non arbitreris. *Bonus hic vir est*] Cum pondere et distinctione inferendum. *Hic vir sit bonus*] Hic, per *εἰρωνείαν*, nec virum, nec bonum esse dixit. *Hic vir sit bonus?*] Mire poeta, cum oportuerit Critonem inimiciorem Chremi esse quam Simoni, sic rem inducit, ut notior ei sit contra quem maxime venerat, atque ab eo defendatur, magis ut res progredi ad catastrophen possit. D.

13. *In ipsis nuptiis*] In ipso articulo nuptiarum. D.—*Itane adtemperate*] Ms. R. *Ita adtemp.* L.—Plures codd. *evenit*, ut ante 4, quod hic Simo iratus repetit. Cæterum distingue sic: *Itane a. evenit, h. i. i. nuptiis. Ut veniret, a. n.? e. v. h. c. C.* ultima effer, sine interrogatione, per ironiam. B.

14. *Ut veniret antehac nunquam?*] Plerumque casus imitatur industriam: et hoc sæpe fit, ut etiam sedulo facta, sint suspecta. D.

16. *Sycophanta*] Hoc est, quod minime voluit sibi dici Crito. Nam ita loquutus est supra, *Clamitent me sycophantam, hereditates persequi. Hem!*] Principium iracundiæ; audivit enim quod maxime vitabat: nam ut supra, *Clamitent me sycophantam. Sic, Crito, est hic: mitte*] Hic Chremes traducit illum ab iracundia, dicendo *sic eum esse*. Menander: *οὗτος αὐτὸς ἐστὶν** (*οὗτος αὐτός ἐστιν*, ed. Westerh. Forte pro *ἐστιν* leg. *πέφυκε*. Z.). Et recte: quia naturæ ignoscitur, voluntati non item. D.—*Sycophanta*] Calumniator. Hoc verbum est ab his, qui apud Atheniens. accusabant eos, qui cum ficu frumenta extra civitatem ferebant. E.

17. *Si mihi pergit, quæ volt, dicere*] Graviter et mature. D.—*Si mihi pergit*] Alexis: *Τοῦ κακῶς λέγειν γὰρ ἀρχὴ γίγνεται· ἂν δὲ εἴπῃς ἄπαξ, Εὐθὺς ἀντήκουσας ἤδη, λοιδορεῖσθαι λείπεται.* L.—Pro *pergit* codd. et edd. vett. recte habent *perget*, ut *audiet*. B.

18. *Ego istæc moveo, aut curo?*] Est enim sycophantæ perturbare rem bonam, et curare malam. Hoc igitur dicit cum *ἐπεκρίσει*, Ego hæc turbo, aut cogito quemadmodum tu dicis, Simo? *Non tu tuum malum æquo animo feres?*] Non filium, sed amorem in filium (Ms. Hulst. et ed. Venet. 1490. melius, *amorem filii*) significat. An quia iratus est? Et quæritur, an conveniant hæc verba Pamphilo veniente (Ms. H. *Pamphilo venienti:* ed. Venet. *pro Pamphilo veniente*. Haud dubie legendum: *Pamphilo præsente*. Neque enim veniebat Pamphilus, sed præsens adstabat. Nisi *Pamphilo* vel *pro Pamphilo veniente*, notet, Pamphilo advocati instar advenienti). Imo enim conveniunt: nam quanto magis dissimulat favorem, tanto plus acquirit fidei ad ea quæ loquitur. D.—*Moveo et curo?*] Hoc est, ista facile contemno. *Tuum malum æquo*] Calamitatem tuam, Simo, et quodcunque tibi accidit, æquo animo ferre debes, neque alteri maledicere. E.—*Ego isthæc moveo*] Mss. *metuo*, al. *moneo*. L.

19. *Jam sciri potest*] Addidit et temporis celeritatem; et magna maturitate dixit. D.—Liber Bembinus et Collegii C. C. cod. recte legunt *audierim* sc. ex Phania: cf. v. 28. B.

20. *Atticus quidam olim*] Hæc pars argumenti est: quæ et supra jam dicta. D. —*Atticus quidam fuit*] Narratio incipit ad cognitionem. E.—*Olim navi fracta*] Priscian. lib. viii. L.—Liber Bembinus recte legit *ad Andrum*. B.

21. *Forte applicat*] *Applicat*, proprie

Primum ad Chrysidis patrem se. SI. Fabulam inceptat. CH. Sine.
CR. Itane vero obturbat? CH. Perge. CR. Tum is mihi cognatus fuit,
Qui eum recepit: ibi ego audivi ex illo, sese esse Atticum.
Is ibi mortuus est. CH. Ejus nomen? CR. Nomen tam cito tibi? Phania.
CH. Hem, perii. CR. Verum hercle opinor fuisse Phaniam: hoc certo scio,
Rhamnusium se aiebat esse. CH. O Jupiter! CR. Eadem hæc, Chreme,
Multi alii in Andro tum audivere. CH. Utinam id sit, quod spero: eho, dic mihi,
Quid eamtum? suamne esse aiebat? CR. Non. CH. Cujam igitur? CR. Fratris filiam.

de naufrago in litus ejecto atque egenti. D.

22. *Primum ad Chrysidis patrem*] Quid est, *primum?* an quia postea mortuus est? *Fabulam inceptat*] Aut ad comœdiam retulit *fabulam;* quia *fabula* comœdia, et quia argumentum quasi fabulæ narratur; aut certe ad irrisionem narrationis dicit; etenim *olim* fabulæ proprium, ut Horatius Serm. ii. 6. 79.—*olim Rusticus urbanum murem mus paupere fertur Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum.* D.

23. *Itane vero obturbat?*] Si subdistinguit (*subdistinguis* Z.), *interstrepit* accipe: si non distinguit (*distinguis* Z.), *evertit* intelliges. *Itane vero obturbat?*] Potest, *itane vero,* subdistingui: et sic cum comminatione inferri, *obturbat.* D.—*Ita vero obturbat?*] Ita scilicet interloquitur? E. —Pro *tum,* quod prorsus ineptum est, corrige *tu,* et refer ad *perge.* B.

24. *Ibi ego audivi ex illo*] Magna confirmatio veritatis est. D.—Menander in τῷ πωλουμένῳ: apud Athenæum vi.—Τάλας Ἑστηκας ἔτι πρὸς ταῖς θύραις, τὸ φορτίον Θεὶς. στιπόκουρον, ἄθλιον εἰς τὴν οἰκίαν Εἰλήφαμεν. W.

25. *Nomen tam cito tibi?*] Non negantis est, sed difficile se dicturum ostendit. *Phania*] Hoc ita dicit Crito, ut nemo audiret: scilicet adhuc dubitans, an ipse sit. D.—Fallitur Donatus, qui putat illud *Phania* summisse dictum a Critone. Nam Chremem audivisse, patet ex proxime sequentibus. Nos pro *tibi,* quod in codd. quibusdam perantiquis abest, reponimus PAM. Nam olim jam fuisse, qui illud *Phania* tribuerent Pamphilo, patet ex Donato. B.

26. *Hem*] Sunt qui putent Simonem dicere, irascentem filio, Critonem submonenti. *Perii*] Hoc Pamphilus post iracundiam patris. An Chremis est dolentis, vel ad ejus mentionem, vel quod in filiam pene peccarat? *Verum hercle opinor*] Hoc adhuc cunctanter est dictum: et ideo indiget confirmatione. D.—*Hem* appone superiori, ut semper. B.

27. *Rhamnusium se*] Piræus et Rhamnus, et cætera hujuscemodi maritima Atticæ oppida intelligenda sunt. *Rhamnus,* pagus Atticæ est. D.—*Rhamnusium se aiebat*] Locus est prope Athenas. E.—Lege *Rhamnusium sese aibat esse.* B.

28. *Multi alii in Andro*] Hoc *testimonium cæcum* dicitur. Testimoniorum enim modus duplex est: *manifestus* et *cæcus. Manifestus* est, qui certos testes et præsentes habet. *Cæcus,* in quo multitudinem, aut civitatem dicimus scire; ut Cicero, (pro Leg. Man. ii.), *Testis est tota Sicilia;* quod tamen audientem consternat. Est etiam in cæco jusjurandum, tabulæ, absentesque personæ. D.—*Alii in Andro*] Ne parum sibi fides haberetur, alios id cognovisse asserit. *Utinam id sit*] Chremes posteaquam audivit nomen fratis sui, qui Phania fuit, suspicatus eam puellam, quæ cum illo navigaverat, filiam suam, ideo dicit, *Utinam hoc sit,* inquit, *quod spero.* Et interrogat an ille Phania filiam suam diceret. Quod cum audisset, confirmavit dicendo, *Certe mea est.* E.—Dele *tum,* quod abest a cod. Petrensi, nihil confert sententiæ, et metro repugnat. B.

29. *Cujam igitur?*] Vetuste, *cujam;* quod omnibus generibus et casibus servit. D. —Lege *aibat* ob metrum. B.

Ch. Certe mea est. Cr. Quid ais? Si. Quid tu ais? Pam. Arrige aures, Pamphile.

Si. Qui credis? Ch. Phania ille, frater meus fuit. Si. Noram, et scio.

Ch. Is hinc bellum fugiens, meque in Asiam persequens, proficiscitur.

Tum illam relinquere hic est veritus: postilla nunc primum audio,

Quid illo sit factum. Pam. Vix sum apud me, ita animus commotu'st metu,

Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.

Si. Næ istam multimodis tuam inveniri gaudeo. Pam. Credo, pater.

30. *Arrige auris, Pamphile*] Translatio a pecudibus, quibus verbis intendit, accipiendam esse vocem (An, *arripiendam?* W. At haud dubie leg. *quibus aures intenduntur ad accipiendam vocem.* Z.). *Arrige auris, Pamphile*] Hoc Simo videtur dicere. Ut alii putant, ipse sibi Pamphilus. D.—*Arrige aures*] Κακέμφατον est. Significat tamen, intende auditum: votiva enim sunt quæ nunciantur. E.—*Arrige auris*] Plautus Rudent. v. 2. 61. *Suo mihi hic sermone arrexit auris:* hujus locutionis illud Sallust. apud Diomed. *arrexit animos militum.* L.

31. *Noram, et scio*] *Noram* Phaniam, *scio* fratrem fuisse. Ergo et ad personam, et ad rem retulit. D.—*Ille, frater meus*] Implet quod errorem fecerat, ut doceat filiam suam. E.

32. *Meque in Asiam persequens, proficiscitur*] Bene in Asiam, ubi bellum non erat, sed in Græcia. Et *persequens* dicit, perseverationem sequentis ostendens. *Persequitur* enim qui non desinit sequi. Virgilius, Æn. ix. 217. *Quæ te sola, puer, multis e matribus, ausa Persequitur.* D.

33. Lege hoc ordine: *Tum illam hic relinquere veritus est.* B.

34. *Vix sum apud me*] Hoc est argumentum, sapientibus lætitiam vehementem in bonis moderandam: cum unusquisque gaudens ita perturbetur, ut apud seipsum jam non sit. *Vix sum apud me*] *Non sum apud me,* magis consuetudine quam ratione dicitur. Aut forte sic dicit, quasi abierit animus, et rursus redierit. *Ita animus commotus est metu*] Duo carnifices futurarum rerum sunt, spes et metus. Dolor enim et gaudium, præsentium rerum sunt. Virg. Æn. vi. 733. *Hinc metuunt, cupiuntque: dolent, gaudentque: nec auras Respiciunt.* Sed dolorem hic in lætitia non posuit: et mire ordinem servavit; sic enim se hæc invicem sequuntur. Et ἀσυνδέτως distinguendum est, *spe, gaudio,* ut separatim inferantur. D.—*Commotus metu*] Metum de præterito intelligimus, qui tamen adhuc manet. Denique ordine fecit. Nam post metum spes collocata est, quæ boni imminentis est semper. Deinde adjecit confirmatum bonum quod dixit, *gaudio;* ipsumque totum supposuit: *Mirando hoc tanto, tam repentino bono.* E.

35. *Mirando*] *Mirando,* dum miror. Et est participium. D.

36. *Næ istam multis modis tuam*] Non, *multis modis inveniri gaudeo;* sed, *tuam inveniri.* Alii, *multis modis tuam inveniri gaudeo:* non *inveniri gaudeo.* Hic jam redit in gratiam Simo cum filio: nisi forte patrem socerum appellat; ut Turnus apud Virgilium, Æn. xii. 50. *Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra Spargimus* (ut sensus constet, verba *nisi forte—Spargimus,* transponenda sunt post verba quæ mox sequuntur, *quamvis Pamphilus respondeat*). Sed quomodo infra dicit, *Quid restat, pater?* an *restat* ideo, quia hæc jam major pars reconciliationis est? *Næ istam*] *Næ,* nimis. Cicero, Catil. ii. 3. *Næ isti vehementer errant.* Sallustius, B. Cat. 52. *Næ ista nobis mansuetudo et misericordia. Gaudeo*] *Gaudemus* nostris: *gratulamur* alienis. Ut Sallustius, *Et ei voce magna vehementer gratulabantur. Credo, pater*] Incertum utrum, cui gratulatur, Simo sit, quamvis Pamphilus respondeat; potest enim Chremes et pater videri. *Credo, pater*] Sic responderi solet dicenti, *gaudeo.* D.—*Næ istam multimodis*] *Næ,* id est, valde; ut, *Faciunt, næ intelligendo, ut nihil intelligant.* E.—*Næ istam multimodis*] V. C. *Sane istam multis modis.* L.—Pro *tuam inveniri,* cum non Chremeti, sed Pamphilo dicantur, repone *civem inventam;* ut Eun. v. 5. 10. v. 9. 6. B.

CH. At mihi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet.
PAM. Dignus es,
Cum tua religione, odium. Nodum in scirpo quæris. CR. Quid istuc'st?
CH. Nomen non convenit. CR. Fuit hercle huic aliud parvæ.
CH. Quod, Crito?
Numquid meministi? CR. Id quæro. PAM. Egone hujus memoriam patiar meæ
Voluptati obstare, quum ego possim in hac re medicari mihi?
Non patiar: heus, Chreme, quod quæris, Pasibula'st. CR. Ipsa'st. CH. Ea'st.
PAM. Ex ipsa millies audivi. SI. Omnes nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo credere. CH. Ita me Di ament, credo. PAM. Quid restat, pater?
SI. Jamdudum res reduxit me ipsa in gratiam. PAM. O lepidum patrem!

37. *At mihi unus scrupulus etiam restat*] *At*, discretivum est superiorum dictorum. *Scrupulus* a scrupo lapide dictus, lapillus minimus. Nam nimis molestæ sunt pedibus scrupulosæ viæ; ut Virg. Æn. vi. 238. *Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris. Etiam*] Pro adhuc. D.—*Scrupulus etiam*] Sollicitudo et quasi quiddam quod animum compungat. *Scrupuli* dicuntur lapilli admodum leves et parvi. Unde *scrupeam speluncam* Virgil. Æn. vi. 237. dixit, hoc est, lapillis asperam. Ponitur ergo *scrupulus* pro dubietate, per metaphoram *Dignus cum illa tua*] Σαρκασμός. E.—*Dignus cum tua religione odio*] Ita Nonius Marcell. al. *odium*. Plaut. Trucul. ii. 1. 1. *Haha, hercle quievit, quia introivit, odium*. L.

38. *Dignus es cum tua religione odium*] Aut accusativus pro ablativo casu est positus, pro odio; aut separatim *odium* legendum est, ut sit, dignus qui male habearis. *Nodum in scirpo quæris*] *Scirpus*, palustris res et levissima. Lucilius in primo, *nodum in scirpo insane facere vulgus*. Est autem *scirpus* sine nodo, et levis junci species. Alibi ipse, *reddunt curatura junceas*. Plautus, Aul. iv. 1. 9. *Scirpea inducitur ratis*. D.—*Nodum in scirpo*] *Scirpum* dicimus herbæ genus, ut est juncus, qui omni levi corpore, longitudinem suam æquali parte custodit; ut dixit in Eunuch. *reddunt curatura junceas*. Ergo hoc dixit: Rem, quæ omnino esse non potest, nimia sollicitudine et cura inquiris. E.—*Nodum in scirpo*] Isidor. Orig. xvii. cap. 9. *Qui inimicus est, etiam in scirpo nodum quærit*. Ennodius Episc. Ticin. libell. Apol. p. 350. *Numquam bene nodus in scirpo quæritur*. Vid. Festum in *scirpus*. L.—*Odium* habet, præter Donatum, liber Bembinus, Vatic. et noster veterrimus. B.

40. *Id quæro*] Rursus Crito obliviosus est, utpote alienarum rerum. D.—*Egone hujus memoriam*] Pamphilus scit nunc quod quæritur. Nam ab ipsa Glycerio frequenter audivit, quali nomine vocaretur. Idcirco ait, non pati se Critonis memoriam voluptati suæ obstare; cum sibi ipse auxilium ferre possit, nomen suggerendo, quod audierat. E.

41. *Voluptati obstare*] Nunc lætitiæ et gaudio. D.—Pro *ego* tres codd. cum edd. vett. recte habent *égomet*. B.

42. *Heus, Chreme*] *Heus* dicendum erat, quia Chremes Critonem intuebatur. D.—Scribe simpliciter metri causa, *Pasibúla*. Cæterum *ipsa'st* dicit Chremes, et *ea'st*, Crito. B.

43. *Ex ipsa audivi millies*] Duas res ostendit Pamphilus, et quod verum sit quod ex ipsa sæpe audierit, et quod sit Glycerium. *Omnes nos gaudere hoc, Chreme*] Aut *hoc* correpte, aut *hoc* producte: ut sit, hac re gaudere. Et *gaudere*, nostris est, ut supra adnotavimus: alienis vero, *gratulari*. Sallustius, *et ei voce magna vehementer gratulabantur*. Plus est ergo gaudere, quam lætari. D.—*Nos gaudere*] Prisc. vii. L.

44. *Quid restat, pater?*] Hoc est, ne irascaris. D.—*Quid restat pater?*] Illud significat ut eam ducat uxorem, et sibi hoc permittat pater. E.

45. *O lepidum patrem!*] In quo leporis

De uxore, ita ut possedi, nihil mutat Chremes. CH. Causa optuma'st:
Nisi quid pater ait aliud. PAM. Nempe. SI. Id scilicet. CH. Dos, Pamphile, est
Decem talenta. PAM. Accipio. CH. Propero ad filiam: eho mecum, Crito:
Nam illam me credo haud nosse. SI. Cur non illam huc transferri jubes?
PAM. Recte admones. Davo ego istuc dedam jam negoti. SI. Non potest.
PAM. Qui? SI. Quia habet aliud magis ex sese, et majus. PAM. Quidnam? SI. Vinctus est.
PAM. Pater, non recte vinctus'st. SI. Haud ita jussi. PAM. Jube solvi, obsecro.

est plurimum, *lepidus* dicitur. Nam *lepos* est venustas. D.

46. *Nil mutat Chremes*] Ut neque conditionem novam ferat, et omnia quæ ejus fuerant, habeat. E.

47. *Nempe scilicet*] *Nempe*, et *scilicet*, dicentes, manu vel vultu dotem significant; quod mox intelligit Chremes. Alii δικὴ τοῦ *scilicet*, Chremetis personam faciunt (Dacieria contendit *nempe* et *scilicet* habere vim assentiendi et comprobandi, et hæc simul a filio et parente pronunciari. Z.). *Dos, Pamphile, est*] Id est, Pamphilo pro uxore dabuntur decem talenta. D.—*Nisi quid pater*] (Hic intelligi vult Chremes, nihil se de bonis Glycerii ablaturum, sed quærere ne amplius quid velit *). Nempe hoc verbo indicat (dotem, et quasi manu *) . . . vestis tangatur, ita intelligi debet, ut dotem expetere videatur. Ideo adjecit scilicet, postquam (*plusquam*, lege) intellexit * Nam antiquitus dos dabatur a patre puellæ. Est q . . (autem *) dos quo se conjuges . . . an (sine *an* et signo lacunæ posuit Westerhovius) more antiquo . . (coemunt *) quæ coemtione materfamilias dicitur *. E. —*Dos est decem talenta*] Allusit ad hunc locum Sidon. Apollin. lib. ii. ep. 11. *Namque ut familiæ superiori per filiam saltem, quamquam honestissimam jungeretur, contra rigorem civici moris, splendidam ut ferunt, dotem Chremes noster Pamphilo suo dixerat.* L.—Lege *Nisi si quid*, et *id* tribue ipsi Pamphilo loquenti *nempe*. B.

48. *Accipio*] Ille nisi dixisset, *accipio*, dos non esset; datio enim ab acceptione confirmatur: nec potest videri datum id, quod non sit acceptum. *Eho*] *Eho* hic admiratio est intentionis (lege, *admonitio est attentionis*; sed Wieling. emendat, EHO *hic advocationis est interjectio*), ad id quod dicturi sumus. D.—(*Decem talenta*] Talentum est magnum pondus, cujuslibet metalli *.) E.—Cod. Academ. *propere*. Male. B.

50. *Dedam jam*] Addidit et temporis celeritatem. D.—Omnes libri, vetusti imprimis, post *Davo* habent ego. B.

51. *Qui?*] Quamobrem. D.—*Qui?*] V. C. ut et Regium exempl. *Qui non potest?* L.

52. *Non recte vinctus est*] Id est, non juste. Sed hic ad causam retulit *non recte*: senex vero, ad rem retulit. *Haud ita jussi*] Quia quadrupedem stringi jusserat, quasi recte ac diligenter. Et hoc ipsum non vacat. Nam jam joculariter loqui, et minus irascentis est, et placabilis animi. *Haud ita jussi*] Eleganter lusit ad ἀμφιβολίαν, et simul ostendit, quam propitius sit Pamphilo pater, et quam facile veniam Davo impetrare possit ab eo; quippe qui jam etiam jocetur. Pamphilus autem dixerat non juste: ille sic respondit, quasi dixerit, non diligenter vinctus est. Et *haud ita jussi*, sic enim præceperat, *quadrupedem constringito*. (Non male conjicit Bentleius ex hac explicatione patere, Donatum, pro *haud*, legisse, *at*. Z.) D.—*Non recte vinctus*] Probatum est Davum non esse mentitum: qui nescio quem dixerat venisse, qui sciret Glycerium civem esse Atticam. Ideo dixit Davum non recte vinctum, quia non falsa nunciaverit. *Haud ita jussi*] Hoc est, non vehementer ligari jussi. E.—Pro *haud*, quod alienum est, recte cod. Acad. habet *at*. Jocatur enim senex ex ambiguo verbi *recte*: jussi nempe, ut recte vinciretur. B.

SI. Age fiat. PAM. At matura. SI. Eo intro. PAM. O faustum et felicem hunc diem!

ACTUS QUINTI SCENA V.

CHARINUS. PAMPHILUS.

PROVISO quid agat Pamphilus: atque eccum. PAM. Aliquis forsan me putet
Non putare hoc verum: at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.
Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum propriæ sunt. Nam mihi immortalitas
Parta'st, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit.
Sed quem ego mihi potissimum optem nunc, cui hæc narrem, dari?

53. *Mature* T. Faber recte reposuit. Deinde *hunc* abest in Bembino et aliis; et ex consuetudine loquendi abesse posse, recte vidit Faernus. B.

1. *Proviso quid agat Pamphilus*] Hæc scena alterum genus Chremeti comparat: ne aut Charinus tristis recedat, aut non provisum videatur Philumenæ. *Proviso quid agat*] Hoc colloquium post (pro *post* lege *per*: cf. Donatus ad v. 6. 5 et 8.) compendium fabulæ inducitur: ut una narratione etiam negotium Charini transigi possit. *Proviso quid agat*] Dupliciter res ab oculis spectatorum moventur: aut enim futura promittuntur, aut facta narrantur. *Proviso*, duo significat: et provideo et procedo. D.—*Proviso quid agat*] Hæc scena Charini adventum tenet, ut et ipsi lætitia generari possit ex cognitione. Si enim Pamphilo Glycerium datur, dari potest ipsi Philumena quam diligebat, quæ Pamphilo offerebatur. *Aliquis forsitan*] Lætitiæ plenus Pamphilus, forsitan, inquit, putet alius me hoc, quod mihi contigit, verum non credere. At vero sic esse, ego hoc vero credo et gaudeo, *ut deorum vitam propterea credam sempiternam, quod eorum voluptates propriæ sunt.* Ergo quemadmodum intelligo, hoc verum *ut immortalitas parata sit, si nulla gaudio ægritudo intercesserit.* E.—*Forsan me putet*] Ms. R. et V. C. *forsitan.* L.

2. *At mihi nunc sic esse hoc verum lubet*] *Sic* delicate pronunciandum est, et separatim distinguendum. *At mihi nunc sic esse hoc verum lubet*] Sensus hic est: alii putent, ut volunt: ego autem verum esse confirmo, quod mihi lubet verum credere. D.—*Nunc sic esse*] *Tò sic* in Ms. deest. L.—Illud *lubet*, cum alienum efficiat sensum, muta in *liquet*, h. e. constat, certum est. Cod. Academicus habet *licet.* B.

3. *Ego deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror*] Omne quod habemus aut mutuum est, aut proprium. *Mutuum* est quicquid ad tempus habemus, nec postmodum nostrum futurum est, ut uxor, domus, villa, servi, et cætera in hunc modum: *proprium*, ut virtus animi, et bonum sempiternum, quod proprie de diis dicitur: non enim aliunde venerunt, sed apud se ipsos sunt semper. Et Epicurum secutus hoc dixit: Proprie ergo de diis *sempiternum* dicitur. Nam inter *sempiternum* et *perpetuum* hoc interest: quod *sempiternum* ad deos, *perpetuum* proprie ad homines pertinet. *Ego deorum vitam propterea*] Hanc sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit; et hoc est quod dicitur, *Contaminari non decere fabulas. Ego deorum vitam*] Non dixit, quod scit (*sit Z.*): sed quod verum putet. Et est *δόγμα ἐπικούρειον*, quod a cæteris philosophis repudiatur, de otio deorum ac perenni voluptate. D.—*Deorum vitam*] Apollodorus: *οὐ τοῦτο τὸ ζῆν ἐστὶ τὸ καλούμενον Θεῶν ἀληθῶς βιόν*: in Heautont. *Deorum vitam apti.* L.—Lege metri gratia *ea propter*: sic laudat locum Servius. B.

4. *Propriæ sunt*] Perpetuæ, sempiternæ, quæ non sunt accommodatæ ad tempus, ac mutuæ: sic et supra, *Nihilne esse proprium cuiquam?* D.

5. *Si nulla ægritudo huic gaudio*] Scilicet secundum supra dictam sententiam, Si propria, inquit, hæc fuerit voluptas, deus sum. D.—*Parta est*] V. C. *Parata est.* L.

6. *Sed quem ego*] Adolescentum iste affectus est, velle indicare gaudium. Unde

CH. Quid illud gaudi est? PAM. Davom video; nemo'st, quem mallem, omnium.
Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.

ACTUS QUINTI SCENA VI.

DAVUS. PAMPHILUS. CHARINUS.

PAMPHILUS ubinam hic est? PAM. Dave. DAV. Quis homo'st? PAM. Ego sum. DAV. O Pamphile.
PAM. Nescis quid mihi obtigerit. DAV. Certe: sed quid mihi obtigerit, scio.
PAM. Et quidem ego. DAV. More hominum evenit, ut, quod sim nactus mali,
Prius rescisceres tu, quam ego illud, quod tibi evenit boni.
PAM. Mea Glycerium suos parentes repperit. DAV. Factum bene! CH. Hem!
PAM. Pater amicus summus nobis. DAV. Quis? PAM. Chremes. DAV. Narras probe.
PAM. Nec mora ulla est, quin eam uxorem ducam. CH. Num ille somniat

in Eunucho Chærea: *Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi?* E.—Faerni libri habent, *Sed quem ego mihi potissimum exoptem nunc, etc.* nisi quod Bembinus legit *optem*. Sed, ne versus laboret, pono cum duobus codd. *cui nunc*. B.

7. *Quid illud gaudi est?*] In aliis, Davi persona infertur. D.

8. *Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia*] Ἀρχαϊσμός. *Solide solum*] Figura παρόμοιον. D.

1. *Pamphilus ubinam hic est?*] In hoc actu mira arte ea quæ restant de comœdia breviter explicantur, et designantur duarum sororum (vulgo *duorum sociorum*: legerim *duorum procorum*) binæ nuptiæ. *Pamphilus ubinam hic est? P. Dave. D. Quisnam homo est?*] In affectu gaudentis Pamphili, et Davi gratulatione cognitionem rerum Charino præbuit: cujus persona parce utitur post (*propter* Z.) compendium. D.—Eandem lectionem ipse Faernus expressit. Sed duo codd. *ubinam est*: et cod. Acad. *ego sum Pamphilus*. Recte. Nam illa exclamatio, cum nil aliud addatur, prorsus inepta putanda est. B.

2. *Sed quid mihi obtigerit, scio*] *Scio*, id est, persensi. D.—*Nescis quid mihi obtigerit*] Quo gaudium melius nunciet, primo generaliter interrogationem proponit. *Nescis*, inquit, *quid obtigerit*. Sed Davus, qui vinctus fuerat, aliquid accepit, ac respondet: *Certe nescio quidem quid obtigerit, sed quid mihi obtigerit scio*: quod in pistrinum missus, et vinctus est. E.

3. *More hominum*] *Hominum* abundat. *More hominum evenit, ut id quod sim nactus mali*] Quia fama mali celerior, quam boni: id est, ut facilius mala, quam bona nuncientur. Ad hoc ergo dixit, quod ille prior scierit quod esset vinctus, quam ipse cognitam Glycerium cognosceret. D.—*Et quidem ego*] Quod tu passus sis, Dave, scio. *More hominum*] Famam malorum celerem nuncium omnes dixerunt: idcirco *hominum more hoc contigit, ut, mali quid ego passus essem, prius scires, quam ego, quid tibi contigisset*. E.—Post *sim* intersere *ego*. B.

4. Omnes codd. præter cod. Palat. quidem habent *illud*, sed male: ut ex oppositione constat. Atque pro *quod tibi* repone *tibi quod*. B.

5. *Mea Glycerium suos parentes reperit*] Hæc ita narrantur Davo, ut eadem opera etiam Charinus audiat. D.

6. *Pater amicus summus*] Hæc omnia, ut diximus, propter Charinum dicuntur, ut audiat. *Amicus summus*] Deest *ejus*. D.

7. *Num ille somniat ea, quæ vigilans vo-*

Ea, quæ vigilans voluit? PAM. Tum de puero, Dave? DAV. Ah, desine.

Solus est, quem diligant Di. CH. Salvus sum, si hæc vera sunt. Colloquar. PAM. Quis homo'st? o Charine, in tempore ipso mihi advenis.

CH. Bene factum. PAM. Audistin'? CH. Omnia: age, me in tuis secundis respice.

Tuus est nunc Chremes: facturum, quæ voles, scio esse omnia.

PAM. Memini: atque adeo longum'st, nos illum exspectare, dum exeat.

Sequere hac me intus ad Glycerium nunc: tu, Dave, abi domum:

luit?] Hinc Virgil. Ecl. viii. 108. *Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?* D.—*Somniat ea*] Argumentum a repugnantibus. Nam vigilare repugnat somniare, sicut nigrum pallido. Charinus ergo non credit ista omnia contigisse, quæ Pamphilus narrat. E.—*Quin eam uxorem*] Ms. R. *Quin jam.* L.—Duo veterrimi habent *quin* JAM *uxorem.* Recte, ut Adel. iv. 5. 66. B.

8. *Desine*] Compendium attulit. D.

9. Duo libri cum edd. vett. recte habent *Solus es*, quia hoc non tam infanti convenit, quam patri. Atque pro *diligant* lege cum Faerno *diligunt*; ut et in Gr. proverbio: *ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνῄσκει νέος.* B.

10. *Colloquar*] Ms. R. *Adibo et colloquar.* L.—Deleatur illud *o* ante *Charine*, tanquam inutile. B.

11. *Bene factum*] A gratulatione cœpit. *Omnia*] Compendium. *Age, me in tuis secundis rebus respice*] Hæc sunt quæ absolute dicuntur: et est commonitio. Sunt enim qui felicitate elati, ne respicere quidem velint amicos. Et *respicere*, est proprie retro aspicere. Id est, quem præcedis felicitate, non obliviscaris. D.—*Age, me in tuis secundis*] Exhortatur Charinus Pamphilum, ut auxilium sibi præbeat. *In secundis*, inquit, *rebus tuis respice me*, habes in potestatem (*potestate* Z.) Chremetem, omnia potest facere ille, quæ tu voles. Post hunc versus sequuntur continentes illam sententiam, quemadmodum itum est ad Chremetem, quemadmodum exoratus Charino promiserit filiam. Sed hos tollendos versus esse persuadet, quod sequitur: *Memini: atque adeo longum est exspectare, dum exeat.* Si enim acta sunt ista omnia in publico, quomodo dici potest, maxime cum sequatur, *Ne exspectetis, dum exeant huc: intus despondebitur: Intus transigetur, si quid est quod restat.* Ergo cum legerimus primum, *Tuus nunc Chremes: facturum, quæ voles, scio esse omnia*, continuo debemus subjungere, *Atque adeo longum illum exspectare, dum huc exeat.* Ita enim integritas fiet sensus, sublatis versibus, qui intus gesta retinebant. Quod vero sequitur Ω. *Plaudite*, verba sunt Calliopii ejus recitatoris, qui cum fabulam terminasset, elevabat aulæum scenæ, et alloquebatur populum, *Vos valete, vos plaudite*, sive, favete. E.—*Me in tuis secundis respice*] Sophocles, Œdip. Colon. *Εὐδαίμονες γένοισθαι, κἄτ' εὐπραξίᾳ Μέμνησθαι μοῦ.* L.—Pro *hem audistin'?* repone simpliciter *audisti?* B.

12 *Tuus est nunc Chremes*] Lucilius in secundo, (Ms. Hulst. et Lindenbr. *in septimo. Nunc prætor tuus est, meus si discesserit horno Gentilis.* D.

13. *Atque adeo longum est nos illum exspectare*] Quia et audacter et artificiose binos amores duorum adolescentium, et binas nuptias in una fabula machinatus est: et id extra præscriptum Menandri, cujus comœdiam transferebat: idcirco aliud in proscenio, aliud post scenam retulit: ne vel justo longior fieret, vel in eandem propter rerum similitudinem cogerentur. D.

14. *Sequere hac me intus: ad Glycerium*] Jam post scenam itur: quia ulterius in proscenio nihil agitur. *Tu Dave abi domum*] Hi versus, usque ad illum, *Gnatam tibi meam Philumenam uxorem*, negantur Terentii esse: adeo ut in pluribus exemplaribus bonis non inferantur (Ms. Hulst. *ferantur*; rectius; nisi malis, *inveniantur.* Wielingius mavult, *inserantur.* Citat hos versus septemdecim, quos Donatus et Eugraphius recte spurios judicant, Guyetus e quibusdam codd. quos vidit. In decem codd. quibus sum usus, eos non inveni. Ut autem lector non ignoret, quid iste auctor de Charini somniaverit nuptiis, ex Guyeto versus istos infra adscribere lubet). D.—*Abi domum: propera*] Ms. R. *abi domum propere.* Ut Heautont. Act. ii. Scen. 2. *Abi obviam propere*; et *traduce huc ad nos propere.* Hecyr. Act. v. Scen. 3. 10. *propere curre ad Pamphilum.* L.—

Propera, arcesse, hinc qui auferant eam: quid stas? quid cessas? DAV. Eo.
Ne exspectetis, dum exeant huc: intus despondebitur:
Intus transigetur, si quid est, quod restet. Ω. Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

Bembinus cod. *ad Glycerium;* Donatus apud Faernum, *apud Glycerium.* Nostri omnes, *nunc est,* quod versus ipse postulat. Lege et distingue: *Sequere hac me: intus apud Gl. nunc est.* B.

15. Meliores et plures libb. *Propere arcesse.* B.

16. *Ne exspectetis*] Mire dicit, latenter se laudans: quo verbo avidum adhuc audiendi populum, adeoque cupidum et intentum ostendit, ut finem comœdiæ evenisse non senserit. D.

17. *Intus transigetur, si quid est, quod restet*] Artificiose poeta hereditatis justam petitionem ex Critonis persona prætermisit, quæ ei, Glycerio cognita, jure tribuebatur: ne vel parvo rei Critonis tractatu, aut defraudatione Glycerii infuscaretur finis fabulæ, ad lætum exitum spectans. *Si quid est quod restet*] Quia narratione dignum non est, quod Charinus rogat. D.—Ω. *Plaudite*] Hæc nota in omnibus vett. codd. ut et in Regio exemplari habetur. L.—Alii aliter de *plaudite* et nota ω, quæ præposita est, sentiunt. Ego ex Horat. Art. Poet. 155. *cantorem* puto significari, cujus, ubi actores omnes e scena exierunt, fuit, depositis ex ore tibiis illis dextris et sinistris, *plaudite* sonare. Igitur hujus cantoris nota in libris olim fuit CA. quæ postea, vel ex ignoratione vel compendii causa, in formam ei similem ω degeneravit. B.

Calliopius] In quibusdam libb. *Calliopus.* De Calliopio quædam Eugraphius. Sed ne amplius nugemur, criticum eum fuisse, mea quidem fert opinio, qui hasce fabulas ad prisca exemplaria correxit. Sic Vettius Agerius Basilius Horatium recensuit, ut testantur vetusti codd. in quibus ita scriptum: *Vettius Agerius Basilius Mavortius* V. C. et INL. ex commen. Dom. Excons. ord. legi et ut potui emendavi: Nichomachus Dexter et Victorianus V. V. C. C. Titum Livium: Julius Celsus Constantinus V. C. et Flavius Licerius Firminus Lupicinus Ephemerin Julii Cæsaris: Flaccus Theodorus Memorialis sacri scrinii epistolarum, et adjutor viri magni Quæstoris Sacri palatii Priscianum: Securus Melior Felix Asper Com. consist. rhetor urb. R. Martianum Capellam; uti hæc nomina in vetustissimis scriptis codicibus adnotantur. Sic Apuleii Milesiarum libros et Apologeticum Crispus Sallustius quidam legit, emendavit, et recognovit: ita enim in antiquissimis codicibus legitur, qui Florentiæ in bibliotheca Magni Ducis Hetruriæ asservantur. Ad horum ergo exemplum Calliopius nomen quoque suum, sive verum fictumve hoc sit, fabulis a se recensitis adscripsit. L.

ÆLII DONATI V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ COMMENT. IN TERENTII ANDRIAM EXPLICIT.

Ms. Hulst. ita: *Donati in Andriam Commentum explicit feliciter.* In aliis aliter. Cæterum multis exemplis confirmatur, quod scribit Hieronymus ad Marcellam, Epist. 138: *Scire debemus, apud Ebræos in fine librorum unum e tribus solere subnecti, ut aut* Amen *scribant, aut* Sela *aut* Salom, *quod exprimit pacem, unde et Salomon, pacificus dicitur: ut solemus nos, completis opusculis, ad distinctionem rei alterius sequentis, medium interponere* Explicit, *aut* Feliciter, *aut aliquid istius modi.* Ut autem de aliis taceam, est in fine unius cod. Lugduno-Batavi, *P. Terentii Afri Comœdia Phormio Calliopio bono Scholastico explicit feliciter.* Alius additum habet: *Calliopius recensui. P. Terentii Afri Comœdia Phormionis explicit. Amen.* Alius habet: *Finito Libro sit laus et gloria Christo.* Ms. Bodl. præter *Explicit* nihil subjungit, idque ter; sub finem Eunuchi, Adelphorum, et Hecyræ. De cujus vocis origine Ever. Otto in Diatr. de Papiniano cap. xii. 6. *Locutio,* inquit, *desumta est a vetusto voluminum evolvendorum more: quæ demptis loris uncisque relaxatis* explicabantur, *adeoque lectoribus ad finem usque patebant.* Martial. xi. 108. *Explicitum nobis usque ad sua cornua librum, Et quasi perlectum, Septiciane, refers.*—— *Inde profecta antiquorum consuetudo, ut completo libro vocem* Explicitus, *dein posterioribus seculis curtius* Explicit *subjicerent, statimque scriptionem continuarent.* W.

APPENDIX SPURIA.

P. Te exspectabam: est de tua re, quod agere ego tecum volo.
Dedi operam, ne me esse oblitum dicas tuæ gnatæ alteræ.
Tibi me opinor reperisse dignum te atque illa virum.
CHAR. Dave, ah perii: de meo amore ac vita nunc sors tollitur.
CHR. Non nova istæc mihi conditio est, si voluissem, Pamphile.
CH. Occidi, Dave, perii! CHR. Sed id quamobrem non volui, eloquar.
Non idcirco, quod eum affinem mihi nollem. P. Hem, tace.
CHR. Sed amicitia nostra, quæ est a patribus nostris tradita,
Non aliquam partem studii adductam tradi liberis,
Nunc cum copia atque fortuna utrique ut obsequeretur, dedit, detur. P. Bene
Factum: abi, atque age gratias homini. CHA. Salves, Chremes amicorum
Meorum omnium mihi carissime, quod mihi commodum est, gaudio,
Quam id, quod a te expeto, me reperisse, ut habitus antehac fui
Tibi animum, quo adeumque applicaris studium exinde ut erit,
Tute existimaveris id ita esse facere ex me conjecturam ex me licet.
Alienus abs te tamen quis tu esses, noveras, ita res est. CHR. Gnatam tibi meam
Philumenam uxorem, et dotis sex talenta spondeo.

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT. EUNUCHUM.

Sororem falso dictitatam Thaidis,
Id ipsum ignorans, miles advexit Thraso,
Ipsique donat: erat hæc civis Attica.
Eidem Eunuchum, quem emerat, tradi jubet
Thaidis amator Phædria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phædriæ, puellulam
Quum deperiret, dono missam Thaidi,
Ornatu Eunuchi induitur: suadet Parmeno:
Introiit: vitiat virginem; sed Atticus
Civis repertus frater ejus collocat
Vitiatam ephebo: Phædriam exorat Thraso.

ÆLII DONATI V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ PRÆFATIO IN EUNUCHUM TERENTII.

Hæc masculini generis nomine nuncupata fabula est, Eunuchus: et est Palliata Menandri vetus: quam ille auctor de facto adolescentis, qui se pro Eunucho deduci ad meretricem passus est, nominavit. Itaque ex magna parte motoria est. Atque in hac comœdia qui personam Parmenonis actor sustinet, primas habet partes. Secundæ sunt Chæreæ. Tertiæ ad Phædriam spectant. Hujus Prologus sane est concitatior. Nam et objicit crimina adversantibus: et comminatur in posterum: et accusatorie narrat injuriam Terentio factam: et ad ultimum tumultuose, et cum magna invidia defendit poetam. Hæc et πρότασιν et ἐπίτασιν et καταστροφὴν ita æquales habet, ut nusquam dicas longitudine operis Terentium delassatum dormitasse. Actus sane implicatiores sunt in ea, et qui non facile a parum doctis distingui possint: ideo quia tenendi spectatoris causa vult poeta noster omnes quinque actus velut unum fieri, ne respiret quodammodo: atque distincta alicubi continuatione succedentium rerum, ante aulæa sublata fastidiosus spectator exsurgat. Acta plane est Ludis Megalensibus, L. Posthumio, L. Cornelio Ædilibus curulibus: etiam tunc personatis L. Numidio Posthumio, L. Ambivio Turpione: item modulante Flacco Claudio tibiis dextra et sinistra ob jocularia, multa permixta gravitate. Et acta est tanto successu ac plausu atque suffragio, ut rursus esset vendita, et ageretur iterum pro nova: proque ea pretium, quod nulli ante ipsam fabulam contigit, octo millibus sestertium numerarent poetæ. Proverbia (legendum arbitror, *diverbia:* vid. supra ad argument. Andr. p. 249. L.) multa sæpe pronunciata, et cantica sæpe mutatis modis exhibita sunt. Προ-

τατικὸν πρόσωπον nusquam habet: sed suis tantum personis utitur. In hac Terentius delectat facetiis, prodest exemplis, et vitia hominum paulo mordacius, quam in cæteris, carpit. Exempla autem morum hic tria præcipua proponuntur, urbani scilicet, parasiti, et militaris. Hæc edita tertium est: et pronunciata, TERENTII EUNUCHUS: quippe jam adulta commendatione poetæ, ac meritis ingenii notioribus populo. Facta autem ex duabus Græcis una est Latina. Nam ex EUNUCHO et COLACE, MENANDRI fabulis, hæc Eunuchus Terentiana scripta est, non sine crimine, quod multa in hanc translata sint ex multis poetis Latinis; quod totum, per Prologum purgat atque defendit.

ARGUMENTUM.

RAPTA quædam ex Attica virgo nobilis, atque abducta est Rhodum; ibique matri Thaidis meretricis ab amico dono data est, et educata velut soror, una cum filia Thaide. Sed Thais, relicta matre, Rhodo cum amatore quodam Athenas se contulit: ab eoque heres instituta mortuo, mox a milite Thrasone diligebatur nimis. Qui cum Athenis profectus matrem Thaidis mortuam Rhodi comperisset, et eam virginem, quam diximus, ab heredibus mortuæ animadvertisset venum esse propositam; quamvis ignarus rerum omnium, emit tamen, et dono amatæ Thaidi vexit Athenas. Verum postquam adveniens rivalem Phædriam apud amicam reperit, quem per ejus absentiam sibi meretrix conciliarat; affirmavit, se non ante daturum promissam virginem, quam Thais foras æmulum pepulisset. Illa igitur, etsi amaret Phædriam, cupiditate tamen recuperandæ virginis et civis Atticæ, et quam a parvula ut sororem dilexerat, excludit Phædriam. Hinc ille primo irascitur: post accepta facti ratione, a Thaide lenitur: et in bidui spatium sponte concedens militi, rus proficiscitur: statimque ne ab æmulo muneribus superaretur, Eunuchum et puellam Parmenoni jubet abiens ad Thaidem deducere. Verum Chærea frater Phædriæ tunc ephebus, visa in via virgine, inflammatur amore ejus; atque eo evasit vehementi ardore, ut pro Eunucho ipse deducetur ad Thaidem. Hac occasione vitiata virgo, et mox civis, et nobilis cognita, datur uxor Chæreæ. Phædria vero et miles rivales, ambo concordes per parasitum redditi, communi amica sine certamine potiuntur. In *primo* actu Phædria exclusus a Thaide, et secum primo, et mox cum Parmenone conqueritur fortunas suas: et ad postremum coram accusat Thaidem. Rursus permulcetur ab eadem, et voluntate digrediens, rus sese concessurum in spatium bidui esse promittit. *Secundus* actus, profectionem Phædriæ continet, delegantis servo deductionem Eunuchi et puellæ ad Thaidem; tum parasitum loquentem, per quem virgo a milite dono amicæ missa est; tum interventum Chæreæ amantis virginem, ejusdemque cum Parmenone consilium de eadem potienda per fallaciam, quia pro Eunucho ipse supponitur Thaidi. *Tertius* actus characterem exprimit militis et parasiti per ridiculum colloquium: tum invitationem ad cœnam Thaidis: tum oblationem velut Eunuchi Chæreæ et puellæ ex Æthiopia per Parmenonem factam: tum verba Chremetis ad Thaidem venientis, perductique ad militem: Antiphonis Chæreæque colloquium de vitiata per dolum virgine. In *quarto* actu Dorias nunciat jurgium inter militem et Thaidem: tum reditum habet ex villa Phædriæ, et querelam Pythiæ de vitiata virgine apud Phædriam; et eundem stupentem quod audiebat: errorem ebrii Chremetis: et verba petulantia Thaidis adversum militem, et militis adversum Thaidem: parata prælia, ridiculeque deposita. *Quintus* actus hæc continet, querelam Thaidis de vitiata virgine, primo cum Pythia, postea cum ipso Chærea: tum interventum Chremetis atque nutricis: tum perturbationem Parmenonis per dolum Pythiæ; atque ejus indicio per senem, qui rure tunc advenerat, confirmatas nuptias: et ad ultimum reditum in gratiam militis cum Phædria et Chærea.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

ANTIPHO *adolescens.*
CHÆREA *adolescens.*
CHREMES *adolescens rusticus.*
DORIAS *ancilla.*
DORUS *eunuchus.*
GNATHO *parasitus.*
LACHES *senex.*
PARMENO *servus.*
PHÆDRIA *adolescens.*
PYTHIAS *ancilla.*
SANGA *lixa.*
SOPHRONA *nutrix.*
THAIS *meretrix.*
THRASO *miles.*

IDIOMATA PERSONARUM.

Antipho, *quod obvius appareat.* Chærea, *a gaudio: ephebus ad quidvis audax, incogitans, et impotenter amans.* Chremes, *adolescens ruri educatus, eoque civilium blanditiarum insolens, et artium imperitus.* Dorias, *ab hasta, quod in bello capta sit.* Dorus, *quod dono mittatur Thaidi.* Gnatho, *a mandibula, ut edax. Fingitur assentator et callidus.* Laches, *a sortiendo sive ab intendendo actionem injuriarum, pius in filios et vehementi ingenio.* Parmeno, *quod sedulo adsit domino suo, callidus et osor meretricum.* Phædria, *ab hilaritate morum, cordatus adolescens, et cum morbo suo pugnans.* Pythias, *ob calliditatem, aut quod omnia perconletur.* Sanga, *a σάττω, hoc est, a componendis sarcinis dictus videtur. Fingitur liber ac domini contemtor, quales fere coqui.* Sophrona, *a temperantia et morum frugalitate.* Thais, *a pavone videtur dicta, addita aspiratione. Inducitur cordata et civilis, et inter meretrices probis moribus.* Thraso, *a confidentia. Fingitur stolidus et arrogans.*

PUBLII TERENTII

EUNUCHUS.

ACTA LUDIS MEGALENSIB. L. POSTUMIO ALBINO L. CORNELIO MERULA ÆDILIB. CURULIB. EGERE L. AMBIVIUS TURPIO, L. ATTILIUS PRÆNESTINUS, TIBIIS DUABUS DEXTRIS. GRÆCA MENANDRU ACTA II. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI M. VALERIO, C. FANNIO COSS.

PROLOGUS.

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis, et minime multos lædere;

Modos fecit] Vett. fere omnes et Ms. R. *Modulavit.* Postea, *Flac. Claudi tibiis duabus dextris, etc.* Et sane alieniore loco in vulg. libb. posita videntur. L.

Caio Fannio] Sic melioris notæ exemplaria: in quibusdam tamen Mss. erat, *G. Mummio Fannio.* L.

1. *Si quisquam est, qui placere, etc.*] Attendenda poetæ copia, quod in tot prologis de eadem causa iisdem fere sententiis, variis verbis utitur. D.—*Si quisquam est*] Hic prologus habet controversias: unam ex accusatoris persona, aliam ex defensoris. Nam et Terentius objicit crimen, et objectum purgat. In eo, quod objicit, talis est controversia: comœdias dedit adversarius, in his unam, qua priori loco causam dicit, a quo petitur, non ille qui petit. Hoc ita quod (forte, *itaque*) crimen stultitiæ est et imprudentiæ. Ita status est qualitas. Alia controversia est, qua objicitur Terentio, quæ talis est: Græcam comœdiam in Latinam transferre licet (videtur excidisse, *sed Latinam in Latinam transferre non licet.* Z.). Eunuchum Terentius dedit comœdiam, parasiti et militis. Quod Plautus in sua comœdia habuerit, nunc Terentius in Eunucho posuit. Reus est quod contra legem fecerit. Hic status primo qualitas absoluta ex juris ratione, deinde qualitas venialis per ignorantiam. Nunc jam singulas, ut proposuimus, explicemus. *Si quisquam est, qui placere se studeat bonis*] Controversiæ principium semper est ad benevolentiam captandam auditorum, aut a nostra persona, aut ab auditorum, aut a judicum, aut a rebus ipsis. Hic nunc utrumque complectitur, et a nostra persona, et ab auditorum. A nostra sic: *si est aliquis, qui placere se studeat bonis, et minime multos lædere, in his poeta nomen profitetur suum.* Ab adversariorum: *tum si quis est, qui dictum in se inclementius existimavit esse, sic existimet. Bonis quam plurimis*] Quidam intelligunt, *quam plurimis bonis.* Nos intelligamus extrinsecus *plurimos*, nihil aliud posuisse nisi malos: boni enim admodum pauci sunt: ita quod dixit in numero, *plurimis*, qualitatem potius declaravit. E.—Nisi pro *studeat* legeris *studeant*, verba *in his* inepta videntur: cf. And. iv. 1. 3. unde intelligitur, ipsum Donatum hic sic legisse. B.

2. *Bonis quam plurimis*] Commendat personam. *Et minime multos lædere*] Ἀντίθετον πρῶτον. D.—*Et minime multos lædere*] Duo præcepta posuit, *placere bonis, nec multos lædere:* hæc et hic tenuit in causis judiciisque publicis; ita sit versatus, ut defenderit multos, læserit neminem. E.

In his poeta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimavit esse; sic existimet,
Responsum, non dictum esse, quia læsit prius,
Qui bene vertendo, et easdem scribendo male,
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas:
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.

3. *In his poeta hic nomen profitetur suum*] Cum dixisset *quisquam*, intulit *in his*. Et, (lege, *ut*,) alibi, *Cujus mos maxime est consimilis vestrum, hi se ad vos applicant*. D.

4. *Tum si quis*] Bene *si quis*: cum L. Lavinium significet, ne vel ipsum a se læsum fateretur. Et *Tum*, præterea; ut, Virg. Ecl. vi. 61. *Tum canit Hesperidum. Inclementius*] Pro *inclementer*; ut, Æn. vi. 304. *Jam senior, sed cruda deo viridisque senectus*. D.—*Inclementius*] Id est, injustius, acerbius. E.—*Dictum in se inclementius*] Sic Plautus passim *Inclementer loqui*. Græci μὴ δικαίως λέγειν. Dio Prusæus περὶ βασιλείας. Plautus in Bachid. *ne recte*. L.

5. *Existimet*] Pro *existimavit* (Bentleius corrigit *existimarit*; sed Westerh. *existimabit* Z.) D.—Plures e nostris habent *existimavit*; unus *existimabit*. Et sane sensus postulat futurum: lege *existimarit*, ob versum 1. B.

6. *Responsum, non dictum esse*] Deest *ei*, ut in Phormione, *si quis quid reddit, magna habenda est gratia. Non dictum esse*] Superius *dictum*, participium est: inferius, nomen. A quo etiam *dicaces* dicuntur, qui jocosis salibus maledicunt. *Responsum, non dictum esse*] Figura πλοκή. Nam *dictum* modo bis numero positum, supra nomen significat, infra participium; ut in Heautont. v. 1. 3. *In quem quidvis harum rerum convenit, quæ sunt dicta in stultum*. D.—*Responsum, non dictum esse, quia læsit prior*] Ne videatur (*videretur* Z.) Terentius improbam continuo maledici subisse personam, quod prior læderet, dixit, respondisse potius, non maledixisse: hoc enim est quod positum est, *non dictum*. *Dictum* enim Cicero de Oratore maledictum ponit, hoc est, maledicere, *dicta dicere* (omittendum censeo *maledicere*. Forte enim respexit locum Cic. de Orat. ii. 60. *Ne, quotiescunque potuerit* dictum *dici, necesse habeamus* dicere). Sequitur controversia ipsa, et criminatio a parte accusatoris: *Qui bene vertendo et easdem describendo male*] Bene vertit de Græco in Latinum: male scribit, male verba componit. E.—Nostri libri habent *prius*, sed *prior*, quod in Bembino, Vaticano, et apud Eugraphium reperitur, Faerno recte probatur. B.

7. *Qui bene vertendo*] *Bene*, pro valde. *Et vertendo*, in linguam Latinam transferendo. Plautus, *Vertit barbare* (lege, *Plautus: Plautus vortit barbare*. Trin. Prol. 19.). Aut *vertendo*, corrumpendo. D.—*Bene vertere* est fideliter vertere, verbum verbo reddere e Græco; id ipsum vero, ob utriusque sermonis diversitatem est *male scribere Latine*. Talem anxie fidum interpretem egerat Lavinius Luscius. B.

8. *Ex Græcis bonis*] Hieron. in lib. Didymi de S. S. *Juxta Comici sententiam, ex Græcis bonis Latina vidi non bona*. L.—Illud *Ex* priori appone versui. B.

9. *Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit*] Τὸ αὐτὸ (Erasmus restituit, ἐμφατικῶς) apparet pronunciatum, quasi hoc ipso admonuerit spectatorem, quam turpiter et imperite hæc fabula scripta sit. Et bene, *nunc nuper*: ut ex vicinitate facti ostendat nihil esse dicendum, quam displicuerit hæc comœdia L. Lavinii: propterea quod res recens sit, et omnes meminerint. *Phasma* autem nomen est fabulæ Menandri: in qua noverca superducta adolescenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat, furtim eductam, cum haberet in latebris apud vicinum proximum, hoc modo secum habebat assidue nullo conscio: parietem, qui medius inter domum mariti ac vicini fuerat, ita perfodit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet. Cumque transitum intenderet (*obtenderet* Z.) sertis ac fronde felici, rem divinam sæpe faciens, evocabat ad se virginem. Quod cum animadvertisset adolescens, primum aspectu pulchræ virginis, velut numinis visu perculsus, exhorruit: unde *Phasma* est nomen fabulæ; deinde paulatim re cognita, exarsit in amorem puellæ: ita ut remedium tantæ cupiditatis, nisi ex nuptiis, non reperiretur. Ita ex commodo matris ac virginis, et ex voto amatoris, consensuque patris, nuptiarum celebratione finem accipit fabula. Utrum ergo hoc dicat, quod, totam fabulam transferendo, læserit L. Lavinius: an hoc tantum, de quo reprehendat (Ms. Hulst. Boend. et ed. Venet. 1490. *ac non hoc, de quo tantum reprehendat*. Forte locum corruptum sic restitueris: *an hoc tantum dicat; non quo reprehendat*,

Atque a Thesauro scripsit, causam dicere
Prius, unde petitur, aurum quare sit suum,
Quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi,
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.

sed his signis velit ostendere, quam dicat vitiose, etc.); sed his signis velit ostendere, quem dicat vitiose thesaurum composuisse: ut in thesauro sit culpa, non in phasmate? *Nunc nuper dedit*] *Nuper*, ex illis verbis est, quæ veteres propter ambiguitatem cum adjectione proferebant. Nam nisi adderet *nunc*; hoc *nuper*, olim, pridem, et jam significasset. *Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit*] (Verba sequentia non sunt Donati) Hanc fabulam totam damnat, ut apparet, silentio: Thesaurum vero, non totum, sed ex uno loco. (In Donati Msto reperi additum, *item, id est, similiter*. B.) D.—*Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit*] Aliter *fana*; nomen fabulæ *Fana* est. Et bene addidit *nunc nuper*, ut crimen istud, quod objicit, non longi temporis, sed ut recens memoria videatur peccati esse. E.—Ne totus versus instar arenæ sine calce sit, lege, *item ut, etc.* h. e. *similiter ac*. B.

10. *Atque in Thensauro scripsit causam dicere*] *Thensaurum* Latini veteres secundum Græcos, sine *n* litera proferebant. *Atque in Thensauro scripsit causam dicere*] Arguit Terentius quod Luscius contra consuetudinem litigantium, defensionem ante accusationem induxerit; hujusmodi enim est Luscii argumentum: Adolescens, qui rem familiarem ad nequitiam prodegerat, servum mittit ad patris monumentum, quod senex sibi vivus magnis opibus apparaverat, ut id aperiret, illaturus epulas, quas pater post annum decimum caverat sibi inferri; sed eum agrum, in quo monumentum erat, senex quidam avarus ab adolescente emerat. Servus ad aperiendum monumentum auxilio usus senis, thesaurum cum epistola ibidem reperit. Senex thesaurum tanquam a se per tumultum hostilem illic defossum retinet, et sibi vindicat. Adolescens judicem capit: apud quem prior senex, qui aurum retinet, causam suam sic agit: *Athenienses, bellum cum Rhodiensibus Quod fuerit, quid ego hic prædicem?* (Hæc verba notata, esse duo versus ipsius Luscii, primus deprehendit Bentleius. Z.) et cætera, quæ contra naturam jurisque consuetudinem posita argumenta notat Terentius: quod ille ordo potior erat, ut adolescens prior proponeret causam, qui petitor inducitur. D.—*Scripsit, causam dicere*] In comœdia sua hoc argumentum est: Quidam agrum vendidit: illic habuit patrium monimentum, in quo thesauros emtor invenit: comperit emtor (venditor Z.): in judicium venitur. Utique ex ratione et ex consuetudine prior loqui debet ille, qui petit. Petitor autem hic venditor est: ut secundo loco respondeat, a quo petitur, hoc est, emtor. At contra Luscius Lanvinus fecit, ut prior loqueretur, unde petitur, quam ille, qui petit. Ergo propositio criminis collocata est: incipit enim ejus causæ quæstio. Ac primo præscriptionis est status, potestque dicere Luscius Lanvinus, reprehendi non possum. Placuit in hac comœdia hanc præscriptionem solvi sic: *Ne frustretur ipse se, aut sic cogitet: Defunctus jam sum, nihil est quod dicat mihi.* Sed hanc præscriptionem donat, et admonet, ne peccet; quam rem subtili accusatione composuit. Ex hoc enim plus accusatur: siquidem de præteritis se donare promittit crimen, et monet quasi iterum peccaturum. Simul et alia multa crimina se donare dicit; nunc nolle, et nihilominus postea nolle (lege, *velle*) maledicere, si tum lædat inimicus: quibus rebus et personam suam commendat, et adversarium ad confirmandam impudentiam injecit. E.—*Atque a Thensauro*] Ita plurimi vett. in Regio tamen exemplari, *atque a thesauro*. Sed *Thensaurus, Formonsus*, aliaque similia olim dicebant, ut in Pandecte Florentino, Cod. Theodos. Schol. Juven. et alibi legitur. *Thesaurum* Menander scripserat et Philemo: eamque Plautus vertit, ut ipse inquit, *Trinummum* vocans. L.—Vulgo legunt, *in thesauro*. Dacieria dicit, valde errare, qui *Thesaurum* nomen comœdiæ, a Phantasmate diversæ putent, cum sit locus ejusdem fabulæ, ubi de thesauro reperto agatur. *In* igitur hic significare *ob*, uti in Prologo Andr. 15. *in eo disputant*. Z.

11. *Prius, unde petitur aurum*] *Unde*, a quo. Virg. Æn. i. 6. *Genus unde Latinum*. Nam possessorem fecit priorem agere, quam petitorem: quod abhorret a consuetudine et juris et litium. D.

12. *Quam ille qui petit*] Deest *dicat. Qui petit*] Id est, petitor. *Quam ille qui petit*] Esset recta locutio si diceret, *quam petitorem*: aut *quam illum qui petit*. Sed *quam ille*, maluit: ut subaudiamus *causam dicat*, per ζεῦγμα a superiore figuratum. D.—Liber Bemb. Vaticanus, Donatus, et tres e nostris *ille*, multi *illi*, unus *illum*. Nos recepimus *illic* e tribus codd. Rivii, Fabricii, et Lindenbrogii. B.

13. *In patrium monumentum*] Mos prisci seculi, thesauros in monumentis sepelire: cujus exemplum nobis exhibet historia Cyri, quam affatim descripsit Arrianus

Dehinc, ne frustretur ipse se, aut sic cogitet;
Defunctus jam sum, nihil est quod dicat mihi.
Is ne erret, moneo, et desinat lacessere.
Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur;
Quæ proferentur post, si perget lædere
Ita, ut facere instituit. Quam nunc acturi sumus

περὶ Ἀλεξάνδρου ἀναβάσεως lib. vi. In illius monumento inventa fuerunt, ut pauca e plurimis referam, καὶ στρεπτοὶ, καὶ ἀκινάκαι, καὶ ἐνώτια, χρυσοῦ τε καὶ λίθων κολλητά. Quin etiam ex iis, quæ Hyrcanus atque Herodes e monumento Davidis abstulerunt, abunde apparet, quantis cum divitiis is sepultus fuerit. Josephus enim Antiquit. lib. xvi. cap. 2. enumerat: ἀργυρίου τρισχιλία τάλαντα, κόσμον δὲ χρυσοῦ καὶ κειμηλίων πολύν. Romanis vero legibus interdictum est, ne pecunia sepeliatur. lib. iv. §. 6. ff. ad L. Jul. pecul. Neve etiam aurum vel ornamenta cum corporibus condantur. lib. xiv. §. 5. ff. de religios. Et in fragmentis xii. Tabb. Quod tamen a simplicioribus fieri, Ulpianus d. l. notat. Hinc apud Scævolam Jurisconsult. in lib. fin. ff. de auro, arg. *In testamento matronæ cujusdam ita cautum fuerat: Funerari me arbitrio viri mei volo, et inferri mihi quæcunque sepulturæ meæ causa feram, ex ornamentis lineas duas ex margaritis, et viriolas ex smaragdis.* Vid. lib. cxiii. §. 5. de leg. 1. Dein, juris quæstio olim fuit, thesaurus inventus cujus esset? Apud Philostratum lib. ii. Apollonii sententia obtinuit, ut totus cederet inventori, ἐκράτησεν ἡ τοῦ Ἀπολλωνίου γνώμη, καὶ ἀπῆλθεν ὁ χρηστὸς, ὡς παρὰ τῶν θεῶν ταῦτα ἔχων: quasi Dei munus, ut loquitur Tryphonianus lib. lxiii. §. 1. ff. de acquir. et omit. poss. lib. ii. C. Theod. de Thesaur. Liban. Sophista declam. xi. p. 379. θησαύρῳ τις περιπέπτωκε, θεοῦ τὸ δῶρον ἀντικρύς. At jure civili aliter sancitum: Institut. Tit. de divis. rer. lib. lxiii. ff. de acquir. et omit. possess. Eratque sive lege sive consuetudine receptum, ut quicunque thesaurum invenisset, in suo aut in alieno, Imperatori ejus indicium ut faceret; ut videmus apud Corn. Tacitum ultimo Annal. ubi Cæsellius Bassus Neroni expromit, repertum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur. Et Philostrat. in vita Attici, cujus hæc ad Nervam Imp. verba referuntur: Θησαυρὸν, ὃ βασιλεῦ, ἐπὶ τῆς ἐμαυτοῦ οἰκίας εὕρηκα. τί οὖν περὶ αὐτοῦ κελεύεις; quem locum Zonaras in Nerva transcripsit, et Photius in biblioth. Sed id postea mandatu D. Hadriani immutatum. Spartian. in Hadrian. et Instit. d. loc. Quamvis Callistratus lib. iii. §. 10. ff. de jur. fisc. divis fratribus hoc tribuat, quorum constitutionibus, quod tunc dubii, nunc certi atque explorati juris est. Vid. Novell. Leon. li. L.

14. *Dehinc*] Si loquatur. *Ne frustretur ipse se*] Παρὰ προσδοκίαν dicitur: sed post addit, *Aut sic cogitet*] Si taceat. D.—*Ne frustretur ipse*] Ms. R. *Frustret*, in aliis *fraudet*. L.

15. *Defunctus jam sum*] Σχῆμα διανοίας, ἠθοποιΐα, id est, omni labore liberatus sum, auctoritate jam confirmata et inviolabili. *Defunctus jam sum*] Id est, jam egi fabulas meas: aut jam destiti periclitari in edendis comœdiis: aut certe, jam edidi quam tu reprehendis fabulam. *Defunctus jam sum: nihil est quod dicat mihi*] Non sit, inquit, de suis vitiis securus propter vetustatem, nihilominus enim a me reprehendetur. D.

16. *Is ne erret, moneo*] Σχῆμα, ἐπιείκεια. D.—*Desinat lacessere*] Ms. R. *Cesset lacessere*. L.

17. *Quæ nunc condonabitur*] Sic in Phormione, *Argentum quod habes, condonamus te.* Nam et *dono*, ablativo casui jungebant veteres: *condono* vero accusativo. D.—Egregie cod. C. C. collocat *nunc quæ*. B.

19. *Nunc quam acturi sumus*] Obliqua narratio facti est, secundum casum accusativum. D.—*Ita, ut facere instituit*] Omni enim genere laborare debemus, ut adversarios aut in odium, aut in contemtionem, aut in invidiam ducamus. Ita enim in odium adduxit, quod dixit, *si perget lædere, ita ut facere instituit;* in contemtionem, quod dixit, *esse tali ingenio, ut ignoraverit qui prior loqui in actione deberet.* Subjungit deinde alteram controversiam: *Quam nunc acturi sumus Menandri Eunuchum, postquam ædiles emerunt*] Hic a narratione incipit, quia supra exordium collocatum. Ergo hæc tota narratio usque ad propositionem criminis et quæstionis, quæ incipit ex hoc versu; *Exclamat, furem, non poetam, fabulam dedisse, et nihil dedisse verborum*] Pulchre primo generaliter proposuit illam ex adversarii persona: ita enim oportet, ut species sic subjiciatur, quæ qualitatis est, ut diximus supra, de Latino in Latinum transferri non licere. Hæc quæstio sic proponitur: *Colacem esse Nævii et Plauti veterem fabulam: parasiti personam inde ablatam et militis*] *Personam* autem hic intelligo non nomina, quod postea declarabo. Subjungit responsionem, primo quasi quodam statu finitivo,

Menandri Eunuchum, postquam Ædiles emerunt,
Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus quum ibi adesset, occepta'st agi.
Exclamat, furem, non poetam, fabulam
Dedisse, et nihil dedisse verborum tamen:
Colacem esse Nævi et Plauti veterem fabulam:
Parasiti personam inde ablatam, et militis.
Si id est peccatum, peccatum imprudentia'st

quæ sic jungit: *Si id est peccatum, peccatum hoc est*] An hoc peccatum sit verum donat (Hæc videntur orta esse ex scriptura v. *Donat.* h. e. Vide Donatum); hoc ad qualitatem ipsam descendit venialem, quam sic proponit: *peccatum imprudentia est poetæ.* Venia enim tribus modis fit, vi, casu, ignorantia. Cum autem *imprudentia* vel una de tribus fuerit, conjectura erit, nec aliquid animus faciet. Adjunxit ergo Terentius: *Non quod furtum facere studuerit.* Hæc tantum verba repromissionem argumentorum tenent, non veritatem. Ergo adjungit: *Id ita esse, vos jam judicare poteritis.* Quoniam diximus illa lege, ex Græco in Latinum transferre liceat. Hoc namque dico, quod *Colax Menandri est.* In ea est fabula de parasito Colace et glorioso milite. *Parasitus* autem *Colax*, id est, adulator: hoc enim significat et *miles gloriosus*, apud Latinos, quod *Colax* apud Græcos. Sicut igitur supra diximus, inde est ablata personna parasiti et militis. Ergo hæ personæ in Menandri comœdia sunt: quod concludit. Eas se personas non negat transtulisse in Eunuchum suam ex Græca. Ergo jam non contra legem fecit, quod ex Græca transtulit, quoniam et Latinæ comœdiæ sunt. Redit ad venialem statum, ut nescisse se dicat; *Sed eas fabulas factas prius Latinas scisse se, vero id pernegat*] Sic jungitur qualitas absoluta de juris ratione, quod licitum est ex necessitate rerum, ut nota similitudo personas singulas reservet. Hoc est enim quod dicit: *Quod si personis iisdem aliis non licet uti*] Hæc enim semper necessitate naturali sunt apta et inligata personis. Ita fit ut quicumque personam aliquam collocat, ejus debeat mores exprimere: quam rem concludit: *Denique nullum dictum est, quod non dictum sit*] Sed hic res intelligamus, non verba; hæc quæ dicunt Græci πράγματα, naturaliter sunt omnibus semper æqualia. At *dicta*, verba sunt. Sed hæc controversia est. Sequitur jam ratio prologi, quam in Andriam præcepi, ut audientiam a populo petat, concludens simul cum veniali statu prologum: *Quare æquum est, vos cognoscere atque ignoscere*] Ut hic est absoluta qualitas per exempla, cum tacita sit: deinde sic audientia petitur: *Et cum silentio animadvertite, ut pernoscatis, quid sibi velit*] Hic jam comœdiæ ipsius res potestatemque noscimus. E.

20. *Postquam ædiles emerunt*] Mire; cum ordo melior videretur, si sic diceret: Postquam ædiles emerunt, quam nunc acturi sumus, perfecit sibi ut inspiciundi esset copia. *Emerunt* autem, mediam corripe; ut, Virg. Ecl. iv. 61. *Matri longa decem tulerunt fastidia menses.* D.—*Ædiles emerunt*] Diomed. lib. i. L.

21. *Perfecit*] Mire, quasi difficile et illicitum. D.

22. Magistratus hic cum sint Ædiles, recte tres codd. vett. *adessent.* B.

23. *Exclamat, furem, non poetam*] Mire reprehendit ante vitium, quam de causa maledicti dicat. *Exclamat, furem, non poetam*] Adhuc nulla reprehensio est: si quidem licet transferre de Græco in Latinum. D.—Est Luscii jocus in Terentium, paulo obscurior. *Fabulam dare* est ipsum quodam modo verba dare, seu fallere: et *verba tamen non dedisse* nempe Luscio, quo minus deprehenderet furtum factum ex Colace Plauti. B.

24. *Et nihil dedisse verborum tamen*] Aut, neminem fefellisse: aut, nihil apposuisse de suo. *Et nihil dedisse verborum tamen*] Aut neminem fefellisse: *dare* enim *verba*, decipere est; quia qui rem exspectat, et nihil præter verba invenit, deceptus est; unde alibi, *Verba istæc sunt.* Et e contrario, *rem cum videas, censeas.* Aut aliter: nihil addidisse de stilo suo Terentium. D.

25. Nævii Colax nusquam memoratur. Deinde Luscius ita non accusat Terentium, sed excusat, quia ipse Plautus personam parasiti et militis a Nævio sit furatus. Forte pro *Nævi et*, legi debet *nempe.* B.

26. *Parasiti personam inde ablatam*] Et hoc mire: non versus (immo quam maxime cum persona Parasiti et Militis in integros eorum loquentium versus. Si aliter accipias, ridicula erit calumnia, ne dicam, pudenda. Unde hæc nota vix Donato digna) objicit, sed per personam esse translatam: quid stultius, aut calumniosius dici potest? D.

27. *Peccatum imprudentia est*] Id est, ignorantia: ut, *imprudens harum rerum*

Poetæ; non quo furtum facere studuerit.
Id ita esse, vos jam judicare poteritis.
Colax Menandri est: in ea est parasitus Colax,
Et miles gloriosus: eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Græca; sed eas fabulas factas prius
Latinas, scisse sese, id vero pernegat.
Quod si personis iisdem uti aliis non licet;
Qui magis licet currentes servos scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per servum senem,
Amare, odisse, suspicari? denique
Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.
Quare æquum est vos cognoscere, atque ignoscere,
Quæ veteres factitarunt, si faciunt novi.
Date operam, et cum silentio animadvertite,

(sunt verba Terentii Eun. i. 2. 56.); non enim stultitia. *Si id est peccatum, peccatum imprudentia est poetæ*] Primo negat peccatum, deinde concedit et purgat. *Imprudentia*] Ignorantia, non imperitia. *Si id est peccatum πλοκή.* Nam *peccatum* superius, nomen est; et sequens, participium. Et primo negat peccatum; deinde si peccatum est, purgat id ipsum veniali qualitate ab imprudentiæ partibus. D.

28. Pro *qui* antiquissimi libb. recte *quo*. B.

31. Lege *eas se* HIC *non negat*. B.

32. *In Eunuchum suam*] Ad fabulam, non ad hominem retulit; ut Virg. Æn. v. 122. *Centauro invehitur magna*. D.

33. Per *eas fabulas* intelligit Menandri Colacem et Eunuchum. B.

34. Metri gratia recte habent *sese* omnes nostri codd. et Faerni, præter Bembinum, ubi *se*, deleto altero *se*, reperitur. B.

36. *Currentes servos*] Ms. R. *discurrentes*. L.—Placet vulgaris lectio præ Bembiniana, ubi est *currentem servum*. Nam sequitur *matronas*. B.—Menander Ἐφεσίῳ: Ἐγὼ μὲν ἤδη μοι δοκῶ, νὴ τοὺς θεούς, Ἐν τοῖς κύκλοις ἐμαυτὸν ἐκδεδυκότα Ὀρῶν κύκλῳ τρέχοντα καὶ πωλούμενον. W.

37. *Bonas matronas*] Ut Nausistratam. *Meretrices malas*] Ut Thaidem atque Bacchidem. Sic est in Heautont. *Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier*. Et artificiose ostendit omnem materiam comicorum. D.—*Meretrices malas*] Plaut. Captiv. Prol. 57. *Hic neque perjurus leno est, nec meretrix mala, Neque miles gloriosus*. Marius Victorin. in Cicer. Rhetor. lib. 1. *Terentius meretrices malas, avaros lenones, tristes senes, edaces parasitos esse commemoravit*. L.

38. *Parasitum*] Ut Gnathonem. *Gloriosum militem*] Ut Thrasonem. *Gloriosum militem*] Facere subauditur. D.

39. *Falli per servum senem*] Ut Demeam et Simonem. D.

40. *Amare, odisse, suspicari?*] Mire a personis ad gesta cum varietate transitum fecit. Omne enim quod in orationem venit, vel persona, vel factum est. *Odisse*] Quia *odere*, non est Latinum (Ms. Boend. et ed. Du B. addunt, *in infinitivo modo*). D.

41. *Nullum est jam dictum, quod non dictum sit*] Σχῆμα λόγου, πλοκή. Nam *dictum*, bis positum, ut superius *peccatum*, diversa significat. D.—*Nullum est jam dictum quod*] Hunc locum Terentii laudat Hieronym. in Ecclesiast. cap. 1. ad illa verba: *Quid est, quod fuit? ipsum quod erit. Huic quid simile sententiæ et comicus ait: Nihil est dictum, quod non sit dictum prius. Unde præceptor meus Donatus, cum ipsum versiculum exponeret, Pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt, etc.* L.—Credo a poeta esse, *dictum quod non sit prius*, ut supra v. 27. B.

42. *Vos cognoscere, atque ignoscere*] Σχῆμα λόγου, παρόμοιον. D.

43. *Quæ veteres factitarunt, si faciunt novi*] Et varie dixit, *factitarunt* et *faciunt*, et cum magna defensione Terentii, semel facientis id, quod sæpe veteres. D.

44. *Animadvertite*] (Donatus apud Terentium legit haud dubie ANIMUM ADVERTITE. Z.) Nos ἐλλειπτικῶς dicimus *advertite*, quod veteres plene, *animum adver-*

45 Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit.

ACTUS PRIMI SCENA PRIMA.

PHÆDRIA. PARMENO.

Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Quum arcessor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit: revocat: redeam? non, si me obsecret.
5 Par. Si quidem hercle possis, nihil prius, neque fortius:

tite. D.—*Cum silentio animadvertite*] Ms. R. *animum attendite.* L.—Bembinus, Basilicanus Faerni, et tres e nostris pro *animadvertite* recte legunt *animum attendite.* B.

45. *Quid sibi Eunuchus velit*] Ἀρχαῖσμος *velit sibi;* ut alibi, *Nam proh deum atque hominum fidem, quid vis tibi, aut quid quæris?* D.

1. *Quid igitur faciam?*] In hac προσδόσει exemplum proponitur, quam non suæ potestatis sit, qui amat: (excidit *et*, s. *ac* Z.): quam sapiat, qui non amat, neque aliter affectus est (forte, *neque amore meretricum captus est.* Nisi malis, ista verba a Sciolo quodam Stoicæ sectæ addicto esse interpolata. Z.). *Quid igitur faciam?*] Διαλογισμὸς, σχῆμα διανοίας. Apparet et multa tacitum cogitasse adolescentem, et tandem in hæc verba prorupisse. *Igitur*, pro deinde: ut Plautus in Amphitryone, i. 1. 54. *Sin aliter sient animati, neque dent quæ petat, Sese igitur summa vi, virisque eorum oppidum expugnassere. Quid igitur faciam?*] Menander, εἶτα τί ποιήσω; Sic Virgil. Æn. iv. 534. *Heu quid agam?* Et est διαλογισμὸς perditæ mentis, post multam frustra cogitationem. *Non eam, ne nunc quidem*] Hoc videtur non esse contrarium: sed est. Nam dubitat utrum meretricis satisfactionem exspectet: an illam omnino non quærat. *Non eam, ne nunc quidem*] *Non eam*, Probus distinguit. Jungunt qui secundum Menandri exemplum legunt. D.—*Quid igitur faciam?*] Prima scena deliberativam integram tenet, quæ talis est: deliberat adolescens, an expulsus a meretrice, cui munera missurus est, rursus rogatus ut redeat, revertatur. Hæc igitur deliberativa duas partes in propositione deliberantis continet (excidit *et* Z.), ex utraque parte argumenta. Sed ea hic servus accedet (*sed eo, seu, et huc servus accedit* Z.), ut possit partem alteram persuadere. Deliberativa utique ab honesto est, et ab utili; et ab eo, an fieri possit, et an necesse sit, semper dividitur. Hæc igitur an servata sint, considerare debemus. Ac propositio est primo, *Quid igitur faciam?* quæ communis est ad utramque partem. Deinde incipit una pars, *non eam?* Adjecit causam cur ire debeat, *ne nunc quidem, cum ultro arcessor?* Deinde alterius partis est propositio, *an potius ita me comparem?* Ab honesto divisio ponitur, *non perpeti meretricum contumelias?* E.—*Quid igitur faciam?*] Cicer. iii. 29. de Nat deor. Quinctilian. lib. ii. cap. ult. Horatius Satyr. lib. ii. Sat. 3. 259.—*amator Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat, an non, Quo rediturus erat non arcessitus, et hæret Invisis foribus? Ne nunc, cum me vocat ultro, Accedam? an potius mediter finire dolores? Exclusit, revocat;* et quæ sequuntur. Persius Sat. v. 172. *Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum arcessar, et ultro Supplicat, accedam?* L.

2. *Comparem*] Constituam: ut, *quam inique comparatum est.* D.

3. *Non perpeti meretricum contumelias?*] Sic in Andria, *Priusquam harum scelera et lacrumæ conflctæ dolis.* Cum uni sit iratus, de omnibus queritur. D.—*Non perpeti*] Æneid. ii. ad vers. 155. *vestrum testor numen.* L.

4. *Exclusit, revocat*] Utrumque injuriam fecit ex verbo, dicendo *Exclusit* potius, quam *non admisit;* et *revocat* potius, quam *petit ut redeam*, quod erat moderatius. *Redeam? non, si me obsecret*] Vides ergo superiorem partem dubitationis in eo fuisse, ut rogatus rediret (lege: *an rogatus rediret.* Et mox, *an ne rogatus quidem*): inferiorem, ut ne rogatus quidem. *Non, si me obsecret*] Bene de ea, quæ, totum proterve agens, *exclusit* et *revocat:* non, petat, nec, roget, nec, oret, sed, *obsecret*, inquit: quod horum omnium in majorem partem est ultimum. D.—*Exclusit: revocat*] Rursus divisio illa in alteram partem, ex divisione illa, an fieri possit, ut amator contemnat quam diligit. E.

5. *Si quidem hercle possis*] (Videtur Donatus etiam hæc verba tribuere Phædriæ)

Verum si incipies, neque pertendes naviter;
Atque, ubi pati non poteris, quum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans
Te amare, et ferre non posse; actum'st; illicet.
Peristi: eludet, ubi te victum senserit.
PH. Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita.
PAR. Here, quæ res in se neque consilium, neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.

διαλογισμὸς quasi ad alterum: ut Virg. Æn. iv. 541. — *nescis heu, perdita, necdum Laomedonteæ sentis perjuria gentis? Nihil prius, neque fortius*] Deest, *est*; ut, Æn. i. 3. *Multum ille et terris jactatus et alto.* Et *prius* modo ad laudem, non ad ordinem pertinet: ut Sallustius, Jug. 41. *Quæ prima mortales ducunt.* Et ipse in Heautont. *Et suavia quæ essent, prima habere.* D.—*Si quidem hercle possis, nihil prius, neque fortius*] Et quasi asserit fieri non posse. Deinde adjungit ab honesto, quod *ultro ad eam veniat.* Atque hic adjungit et ab inutili, quod confessus fuerit. Consideratis partibus adolescens concludit ad ipsam rursus deliberationem, *Proin tu, dum est tempus.* Hic jam persuasio accidit, quoniam cogitatio superior ex utraque parte concepta, ad integrum æquali cogitationum ratione prorupit. E.—Secundum Donatum Phædria hæc secum loquitur. Hinc Faernus inductus esse videtur, ut, contra omnes, quos viderim codd. Phædriæ tribueret omnia usque ad v. 12. Male. Etenim ab hoc versu 5. usque ad 25, esse *perpetuam* Parmenonis *consulentis* orationem recte olim vidit Muretus. B.

6. *Naviter*] A navi ductum, a qua in alto nullum diversorium est. D.—*Neque pertendes*] Charis. lib. ii. *Neque pol tendes naviter.* L.—Nostri, *perficies*, sed Charisius p. 185. Servius ad Æn. i. 41. atque in Bembino et aliis Faerni antiquis codd. antiquius et melius, *pertendes.* B.

8. *Infecta pace*] Ἔμφασις per μεταφορὰν. *Indicans te amare*] Non verbis indicans (lege omnino: *Re, non verbis indicans.* Etenim re excidit vel ob syllabam præcedentem, vel vetus scripturæ compendium, AMARE, h. e. *amare re*): ut alibi, *ibi tum exanimatus Pamphilus Bene dissimulatum amorem, et celatum indicat.* D.

9. *Actum est: ilicet: peristi*] De jure translatum. *Actum est*, ad *ultro ad eam venies*, relatum est: *ilicet*, ad *indicans te amare: peristi*, ad *ferre non posse. Ilicet*] Semper in fine transactæ rei ponitur. *Peristi*, ὑπερβολῇ. *Ilicet*] De judicio. D. —*Actum'st ilicet!*] Charis. lib. ii. L.

10. *Peristi*] De supplicio. *Eludet*] *Eludere* proprie gladiatorum est, cum vicerint. Cicero, Catil. i. 1. *Quam diu etiam furor iste tuus eludet? Eludere* (lege *et eludere.* Syllaba præcedens *et* absorpsit), est finem ludo imponere. D.

11. *Proin tu*] Ut *exin* et *exinde*, sic *proin* et *proinde* dicitur. D.—Lege *etiam atque etiam* HOC *cogita.* B.

12. *Here, quæ res, etc.*] Concessum est in palliata poetis comicis servos dominis sapientiores fingere: quod idem in togata non ferre (Lindenbr. *fere*: melius; sed optime Ms. Boend. edd. Du B. et Veneta *facere.* Nam ex Fre, quod significat *facere*, ortum est partim *fere*, partim *ferre*) licet. D.—*Here, quæ res*] Persuadet Parmeno, ut revertatur ad meretricem, ab eo quod fieri non possit, ut non revertatur. Respondet autem, se injuriam passum. Verum quæstioni opponit illud, quod semper amantium ista sit consuetudo. Ergo primo, an possit repugnare, proponit. *Quæ res*, inquit. Adversus injuriam, quam passus est, opponitur consuetudo, ubi sic assumitur: *hæc omnia vitia sunt; injuria, suspiciones.* Et post ita concludit: *incerta igitur hæc*] Sensus est hic: si ea, quæ in amore semper varia contigerunt, ac propterea videntur incerta, tu volueris ratione corrigere, ut certa perficias, tale erit, inquit, ut *si operam des, ut cum ratione insanias.* Subjungit deinde orationem irascentis amatoris exclusi; in qua exprimitur ira, quæ nunquam verba (forte, *verbis*) complet, quod cogitat mens. Ita posuit, *egone illam?* scil. puniam. *quæ illum?* sc. amat, et me exclusit; sic enim iram exprimimus. Hæc igitur molesta jungit. Tu vero ea vitia noli cumulare, ne sollicitudo geminetur. E.—*Neque consilium, neque modum*] Cicero iv. Tuscul. *qui modum vitæ quærit.* Seneca Controv. *facilius in amore finem impetres, quam modum.* Tacitus, Annal. 13. *in amore et ira, furgia, preces, exprobratio, satisfactio.* Sed unus omnium elegantissime expressit hunc locum Horat. lib. ii. Sat. 3. L.

13. *Eam consilio regere non potes*] Nunc domino servus est sapientior: quia nec

In amore hæc omnia insunt vitia: injuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum: incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo,
Mori me malim: sentiet qui vir siem.
Hæc verba, una mehercle falsa lacrymula,
Quam, oculos terendo, misera vix vi expresserit,
Restinguet: et te ultro accusabit, et dabis ei
Ultro supplicium. PH. O indignum facinus! nunc ego
Et illam scelestam esse, et me miserum sentio:

amator, nec amans (*animo ægrotus* Z.). Ut idem in Andria, *facile omnes cum valemus, recta consilia ægrotis damus.* D.—Lege *eam* REM c. r. n. p. Vetuste. Ita ex laxo densior fit versus et solidior. B.—E Menandri Consobrinis: — *φύσει γὰρ ἐστ' ἔρως Τοῦ νουθετοῦντος κωφόν, ἅμα δ' οὐ ῥᾴδιον Νεότητα νικᾶν ἐστι, καὶ θεὸν λόγῳ.* W.

14. *In amore hæc omnia insunt vitia*] Duæ præpositiones, *in amore insunt.* D.

15. *Induciæ*] *Induciæ*, sunt pax in paucos dies, vel quod in diem dentur, vel quod in dies otium præbeant. D.

16. *Pax rursum*] Bene, ut consolaretur, ultimam partem (*pacem* postulat sensus) posuit. *Hæc si tu postules*] Id est, si velis, vel coneris. D.

17. *Nihilo plus agas*] Id est, nihil agas. D.—*Certa* est Accusativus plur. cf. Horatius Sermon. ii. 3. 270. B.

19. *Et quod nunc*] Pro, *quæ:* ut sit consequens, *hæc verba.* Sic in Andria, *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, Horum ille nihil egregie.* D.

20. *Egone illam? quæ illum? quæ me?* Familiaris ἔλλειψις irascentibus; nam singula sic complentur, *Egone illam* NON ULCISCAR? *quæ illum* RECEPIT? *quæ* EXCLUSIT *me? quæ non* ADMISIT? Etenim (excidit, *nec*, aut muta in *nec enim* Z.) necesse habet, nec potest complere orationem, qui et secum loquitur, et dolore vexatur. Nam amat ἀποσιώπησιν nimia indignatio; ut, Virg. Æn. i. 135. *Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.* D.—*Egone illam?*] Charis. lib. ii. L.

22. *Hæc verba*] *Verba ἐμφατικῶς* dixit, quæ scilicet nihil effectura sint. *Me hercle una falsa lacrymula, quam oculos terendo misere, vix vi expresserit*] Expressio ad *ἀξίωσιν* ducens; et non *vera*, sed *falsa:* et non *lacryma*, sed *lacrymula:* et non *ultro flens*, sed *oculos terendo:* et non *facile*, sed *vi:* et non, *exstillaverit*, sed *expresserit;* sic Virg. Æn. ii. 196. *captique dolis lacrymisque coactis.* D.—*Falsa lacrymula*] Verum nimirum, quod ait Publ. Syrus in Mimis: *didicere flere feminæ in mendacium.* Vid. Ovid. Petron. et Scholiast. Juvenal. Sat. xiii. 133. *Vexare oculos humore coacto.* Serv. Æn. ii. vers. 196. *lacrimisque coactis.* Ubi hic Terentii locus laudatur. L.—Et versui et sententiæ gratificaberis, si ante *una* interseras *ea*, h. e. Thais. B.

23. *Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit*] Totum sensum verbis significantibus protulit: ut, Virg. Ecl. iii. 27. *Stridenti miserum stipula disperdere carmen;* et, Æn. iv. 95. *Una dolo divum si femina victa duorum est.* D.—Etsi Servius ad Æn. ii. 196. et Charis. p. 184. habent *misere*, h. e. male; legendum tamen est *misera.* B.

24. Pro *accusabis* in libris Faerni et nostris recte legitur *accusabit.* Cæterum *ei* ponendum puto ante *supplicium* sequentis. *Ultro* Faernus explicat per *insuper.* B.

25. *Nunc ego et illam*] *Nunc*, id est, sero; ut Virg. Ecl. viii. 43. *Nunc scio quid sit amor.* Et, Æn. iv. 376.—*nunc augur Apollo, Nunc Lyciæ sortes.* D.—*O indignum facinus!*] Ex his quæ amori accidunt, et se et illam esse aliter asserit; *se miserum, illam scelestam* dicens. Cui servus persuadet, ut *se ab ea redimat, quam minimo queat pretio.* Quam etiam Bacchidem longius supra translatione definit quid sit, scilicet *calamitas nostri fundi*, id est, miseria, per *ὑπαλλαγήν*, quod miseros façit. Et quoniam servi persuasio parum profecerat circa adolescentis dolentis animum, quod erat exclusus; optima ratione subjungitur scena, in qua meretrix ipsa est, cujus præsentia, et oratio, et vultus persuadere possint, ut amator injuriam ignoscat. E.

Et tædet: et amore ardeo: et prudens, sciens,
Vivus, videnque pereo: nec, quid agam, scio.
PAR. Quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas
Minimo: si nequeas paululo, at quanti queas:
Et ne te afflictes. PH. Itane suades? PAR. Si sapis:
Neque, præterquam quas ipse amor molestias
Habet, addas: et illas, quas habet, recte feras.
Sed ecca ipsa egreditur, nostri fundi calamitas.
Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

ACTUS PRIMI SCENA II.

THAIS. PHÆDRIA. PARMENO.

MISERAM me! vereor ne illud gravius Phædria

27. *Et prudens, sciens*] *Prudens* est, qui intelligentia sua aliquid sentit. *Sciens*, qui alicujus indicio rem cognoscit. Ergo *prudens*, per sese; *sciens*, per alios. D.

28. *Vivus, videnque pereo*] Mire et nove, *vivus pereo*: et propterea sic dixit, ut intelligamus *occidor*; et *vivus*, quasi sapiens et sentiens. *Vivus, videnque pereo*] Bene addidit *videns*; nam *vivus* perit, qui etiam dormiens opprimitur; *videns* autem, qui vigilans vim patitur et perit. Nam *videre*, pro vigilare posuit; ut etiam Virgilius, Ecl. vi. 21. quum de silentio dicit,—*jamque videnti Sanguineis frontem moris et tempora pingit.* Ergo *vivus*, non mortuus: *videns*, non dormiens. D.

29. *Captum*] Sallustius, B. J. 1. *Sin captus pravis cupidinibus. Quam queas minimo*] Perseveravit in translatione, quam jamdudum sumsit a bello (Respicit versus 8. 10. 14. 15. 16.). D.

31. *Si sapis*] Id est, si sapias ad inferiora jungendum est: nam aliter non intelligitur. D.

32. Hæc levi immutatione ex Eunucho Menandri sunt expressa: Μὴ θεομάχει, μηδὲ προσάγου τῷ πράγματι Χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς ἀναγκαίους φέρε. W.

34. *Nostri fundi calamitas*] Proprie *calamitatem* rustici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc est, culmum ac segetem. D.—Lege cum omnibus codd. *Sed ecca ipsa egreditur*, ita ut *ec* corripiatur. Vulgaris igitur lectio *Sed ipsa egreditur* non est necessaria. B.

35. *Intercipit*] Proprie, quasi totum capit (imo *intercipi* proprie dicitur, quod capitur ante quam ad locum destinatum pervenerit. Sic literæ intercipi dicuntur). Plautus in Aulularia, iii. 6. 22. *Quæ mihi interbibere sola si vino scateat, Corinthiensem fontem et Pyrenæum potest.* D.

1. *Miseram me! etc. neve aliorsum*] *Aliorsum*, in aliam partem: ut *seorsum, retrorsum* dicitur. D.—*Miseram me!*] In hac scena primo controversia est: dein deliberativa. Controversia talis est: Adolescens amator missurus munera fuerat, quæ eadem meretrix postulaverat, et multa alia; cui alter amator promiserat quandam virginem, quæ aliquando ejus meretricis soror dicebatur. Sed aberraverat, a prædonibus rapta et venundata. Hanc, inquam, amator alius cum promiaisset, meretrix adolescentem amatorem a se exclusit. Rea fit injuriarum. Hæc controversia venialem statum continet: confitetur enim se fecisse injuriam. Verum dicit necessitate, quod velit eam puellam a milite recipere, quæ sibi soror antea fuerat. Et quoniam semper venialis status sub qualibet purgatione conjecturam tractat, an hoc animo fecerit, sive necessitate, sive alia qualibet causa. Hic erit tractata etiam conjectura similiter, quam quidem rem breviter percurrit ipse dicens: *Non, quo quendam plus diligam, eo feci: sed ita erat res, faciendum fuit.* Hæc controversia accusationem habet et defensionem. Sed defensio perseverat usque ad deliberativam orationem. Nam petitura est meretrix aliquot dies, et pollicetur haberi deinceps se a Phædria adolescente suo amatore. Omnis autem petitio deliberativam tenet. Ergo secundum ordinem ad singula revertamur. Egreditur meretrix primo: ex hoc declarat, se quod fecerit, necessario fecisse, dicens, *Vereor ne illud gravius Phædria tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit*] Duo posuit,

Tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromissus non est. PH. Totus, Parmeno,
Tremo, horreoque, postquam aspexi hanc. PAR. Bono ani-
Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis. [mo es:
TH. Quis hic loquitur? hem, tun' hic eras, mi Phædria?
Quid hic stabas? cur non recta introibas? PAR. Cæterum
De exclusione verbum nullum. TH. Quid taces?
PH. Sane, quia vero hæ mihi patent semper fores:

ne factum meum aliter acceperit Phædria, quam a me factum est. Propositionem injuriæ tenuavit, non quod quasi minus est ab excluso (corrige sic: *tenuavit eo, quod quasi minus est excluso*, seu *ab ædibus exclusione* Z.). Non enim dixit, quod exclusus est, sed *quod intromissus non est*. E.

3. *Quod heri intromissus non est*] Hæc levius, ut de facto suo loquens. At Phædria, *Exclusit, revocat*, inquit: *redeam? non, si me obsecret*. D.

4. *Tremo, horreoque*] Ex amore nimio. Nimius ignis effectum frigoris reddit: et ex frigore nimio effectus ignis existit: secundum illud quod Physici aiunt; hinc et Virg. Georg. i. 93. *Aut Boreæ penetrabile frigus adurat. Tremo, horreoque, postquam aspexi hanc*] Natura magni caloris etiam horrorem incutit, ut nimiæ febres. D.—*Tremo, horreoque*] Charis. lib. ii. L.

5. *Accede ad ignem hunc*] Potius (*Aptius*. Ms. Boend. et ed. Du B.) *ignem* meretricem accipimus, quam aram Apollinis: vel quia amator uritur, ut Virgil. Ecl. iii. 66. *At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas*: vel quia avida et avara est, ut ignis alimentorum. *Jam calesces plus satis*] Nove: sed intelligitur *quam*, id est, plus æquo; ut alibi, *quam ne quid in illum iratus plus satis faxit pater. Jam calesces plus satis*] Nove: sed intelligitur, *plus quam satis*. Hoc quidam putant; at mihi de his videtur esse, quæ a veteribus geminabantur: ut, *plerique omnes*, hoc est, omnes: et, *pleraque omnia*, id est, omnia: sic et, *plus satis*, pro satis. D.—*Accede ad ignem*] Quidam intelligunt, *ad ignem*, ad amorem, hoc est, ad ipsam meretricem. Sed melius est illud, quod quidem Menander aperte dixit, meretrices juxta domum suam vel in atrio solitas habere aram Veneris vulgariæ, cui quotidie sacrificarent. Ut hoc sit, *accede ad ignem*, hoc est, ad aram; ut jocatus servus sit Parmeno dicens, *jam calesces plus satis*. E. —*Accede ad ignem*] Apul. Milet. ii. *Quam procul a meo foculo discede. Nam si te vel modice meus igniculus afflaverit, ureris intime. Plus satis*] Quinctilian. ix. 3. Priscian. lib. xv. L.—Οὐδὲν οὕτως τὰ σώματα θερμαίνει, ὥσπερ πῦρ καὶ γυνή. Artemidor. ii. 8. W.

6. *Quis hic loquitur?*] Non imperite intelligunt, qui existimant meretricem etiam hoc simulare, quod non providerit Phædriam. Nam et personæ, et dictis ejus cæteris hoc convenit: et tunc erunt gratiora omnia, quæ supra dixit. D.—*Tun' hic eras?*] Optimum principium sumsit meretrix. Cum rea ipsa sit facti, adolescentem cœpit arguere, quod non ingressus est. E.

7. *Cur non recta introibas?*] Quasi parum fuerit *introibas*: satis mire additum *recta*. D.—*Cæterum de exclusione*] Hoc servus dicit, quod meretrix callide loquitur. Dicit tantum de injuria; unde (forte, *id inde* Z.) intelligi licet, quod hic *exclusionem* posuit; quia servus accusatoris animo dicit ad illa supra, *quod intromissus non est*. E.

8. *De exclusione verbum nullum*] Plus admirationis est, nec accusationi, nec satisfactioni locum reliquisse meretricem, callide dissimulata injuria. *Quid taces?*] Et hoc callide, quasi innocens ne suspicetur quidem, quid (*quod* Ms. Boend.) succenseat adolescens. D.

9. *Sane quia vero semper, etc.*] Tolle *sane* et *vero*, et pronunciandi adjumenta vultumque dicentis: et in verbis non negatio, sed confessio esse credatur (Locum scabrum ope Ms. H. et edd. vett. ita restituendum puto: *Tolle* SANE. *Et* VERO *ad pronunciandi adjumentum, vultumque dicentis illatum est: ut in verbis non negatio, sed confessio esse credatur*). Nam *vero*, ironiæ convenit; ut Virgil. Æn. iv. 95. *Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis*. D.—*Sane quia hæ*] Accusatio hic sumit exordium; quod quanto (forte *magno* Z.) temperamento dictum est: quod non semper fores meretricis amatori pateant: quod rivalis sibi præponatur. Hoc enim dixit: *quia sum apud te primus*. Et cum meretrix dissimularet totum impetum, rursus adolescens accusationes effudit. E.

Aut quia sum apud te primus. TH. Missa istæc face.
PH. Quid, missa? o Thais, Thais, utinam esset mihi
Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet;
Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.
TH. Ne crucia te, obsecro, anime mi, Phædria.
Non pol, quo quemquam plus amem, aut plus diligam,
Eo feci: sed ita erat res: faciundum fuit.
PAR. Credo, ut fit, misera præ amore exclusti hunc foras.

10. *Aut quia sum apud te primus*] Duo dixit quæ doleat: et quia clausæ fores, et quia posterior habetur, prælato milite. *Aut quia sum apud te primus*] Subauditur, *Non recta introivi. Missa istæc face*] Alia dissimulatio, et durior post admonitionem. Sed bene intelligit, qui hoc a meretrice ridente molliter, et osculum porrigente dici accipit. D.

11. *Quid missa?*] Magna virtus poetæ est, non sententias solum de consuetudine ac de medio tollere, et ponere in comœdia: verum etiam verba quædam ex communi sermone; quale est quod ait nunc, *Quid missa?* D.—*O Thais, Thais*] Iteratio nominis accusantis ostendit iracundiam. *Utinam esset mihi*] Sensus hic est: Utinam et tu amatoris et partem mecum amoris habuisses. Si enim hoc fuisset, posset contingere, ut in hac injuria aut tibi doleret, ut mihi dolet; aut mihi non doleret, ut tibi non dolet. Hoc enim dixit: *Ego istuc abs te factum*] Hoc est, factum tuum contemnerem. E.

12. *Utinam esset mihi pars æqua amoris tecum*] Vel amandi, vel non amandi scilicet (*amandi et non amandi* habet ed. Argentina. Utrumque vero, quod memorat, fieri optat Phædria, cujus geminum *aut* non facit dilemma, sed copulat. Esto igitur sensus alterius versus: ut ego istuc factum abs te æquo animo ferrem, si scirem, illud itidem dolere tibi, ut mihi dolet). *Ac pariter fieret*] *Pariter*, similiter. Sallustius (in Fragmentis), *cui nisi pariter obviam iretur.* D.—*Pars æqua amoris*] Jo. Sarisber. Polycr. viii. cap. 5. L.—Εἰ μὲν ἐν' ἀμφοτέροισιν Ἔρως ἴσα τόξα τιταίνοι, Εἰ θεός· εἰ δὲ βέλεις πρὸς μέρος, οὐ θεὸς εἶ. Anthol. vii. 139. W.

13. *Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet*] Si ambo amaremus. D.

14. Cod. Academicus, *vili penderem.* B.

15. *Ne crucia te, obsecro, anime mi*] *Mi*, vocativus est, ab eo quod est *meus.* Vide quam familiariter hoc idem repetit blandimentum. Vult enim Terentius velut peculiare verbum hoc esse Thaidis; ideo totiens dictum est, *Tune hic eras, mi Phædriæ? Ne crucia te, obsecro, anime mi, Phædria. Ne crucia te*] Hæc nisi amplectens adolescentem mulier dixerit, videbitur *ne crucia*, sine affectu dicere. Sed sic dicet, *ne crucia te*, eo gestu, quasi in eo etiam ipsa crucietur: nam ideo subjecit, *anime mi*, hoc est, animus meus. D.—*Ne crucia te, obsecro*] Incipit defensio, quæ optimum principium tenuit, ut irascentis primum animus temperaretur. Deinde consilio generaliter subjungit argumentum meretrix, sed conjecturale: quod non hoc animo fecerit, quo alium apud se videatur habere potiorem. Hoc enim dixit: *Non pol quo quemquam plus amem, aut plus diligam, eo feci.* Similiter subjungit generale aliud argumentum, status venialis ex necessitate: *sed ita erat res.* Post meretrix conturbata oratione servi, petit audientiam, ut plenior origo narretur. Non tantum exclusionem ipsius narrare debet, sed et causam. Post principia petit audientiam; qua concessa, narratio incipit. E.—Lege, *anime mi, mi Phædria.* B.

16. *Non pol quo quemquam plus amem*] Hoc totum nimis blande, et cum contrectione (*contrectatione* Z.) adolescentis dicit meretrix. D.

17. *Faciundum fuit*] Legendum, faciendum, scribendum, totum hoc semper necessitati adjungitur. Virgilius, Æn. xi. 230. *aut pacem Trojano ab rege petendam.* Et alibi, Æn. viii. 441. *arma acri facienda viro.* D.

18. *Credo, ut fit, misera præ amore exclusit hunc foras*] Oratorie ac facete additum, *misera.* Et cum illa a derivatione causæ argumentetur, mire a Parmenone correpta est, verisimile non esse, ut quis, quem amet, eundem possit excludere. *Exclusit hunc foras*] Παρὰ προσδοκίαν intulit intuens puellam, et ei ostendens Phædriam: ut ostendat quam falsa et repugnantia loquatur meretrix. D.—Antiqui libri Faerni habent *exclusit*, etiam mei, præter duo, qui cum Faerni Donato et recentibus libris legunt *exclusisti.* Ego cum Faerno legendum arbitror, *exclusti.* B.—E Menandri Prologo Thaidis hæc laudat Plutarchus, de audiendis poetis: Ἐμοὶ μὲν οὖν ἔοικε τοιαύτην, θεὰ Θρασεῖαν,

TH. Siccine ais, Parmeno? age: sed, huc qua gratia
Te arcessi jussi, ausculta. PH. Fiat. TH. Dic mihi
Hoc primum, potin' est hic tacere? PAR. Egone? optume.
Verum heus tu, hac lege tibi meam astringo fidem:
Quæ vera audivi, taceo, et contineo optume;
Sin falsum, aut vanum, aut fictum'st, continuo palam'st.
Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.
Proin tu, taceri si vis, vera dicito.
TH. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.

ἀφεῖναι δὲ καὶ πιθανὴν ἅμα, Ἀδικοῦσαν, ἀκουλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνὰ, Μηδενὸς δρῶσαν, προσποιουμένην δ' ἀεί. W.

19. *Age*] Corripientis est modo *age*, non hortantis adverbium. D.—*Age sed huc*] In Ms. alterius lectionis vestigia extant, *age sis huc, etc.* quod verius arbitror. L.—Faerni libb. antiqui quinque, et omnes fere nostri habent *agis*. B.

20. *Te arcessi jussi*] Hoc est, quod supra ait, *non eam, ne nunc quidem, quum arcessor ultro? Dic mihi*] Meretricia calliditate commendat, quæ dictura est. D.

21. *Egone? optume*] Bene, non exspectavit servus, ut pro se dominus responderet Thaidi. D.

22. *Verum heus tu*] Astute servus reponit Thaidi vicem. Nam illa ut magnum voluit exspectari, quod dictura est (*erat* Z.), iste ut falsum contemnit. *Meam astringo fidem*] Fidem promitto: quia *vincula fidei* dicuntur. D.

23. *Quæ vera audivi, taceo*] Mire vicem Parmeno reddidit meretrici. Nam ut servum difficile est tacere commissa, ita meretricem rarum est vera dicere. *Quæ vera audivi*] Figura *παρασκευή*. *Contineo optume*] Proprie a metaphora vasorum transtulit verba. D.

24. *Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est*] *Falsum* est, quod tegitur id quod factum est. *Vanum*, quod fieri non potest. *Fictum*, quod non est factum, et (*sed* Z.) fieri potuit. Vel *falsum*, est fictum mendacium simile veritati. *Vanum*, nec possibile nec verisimile. *Fictum*, totum sine vero, sed verisimile. *Falsum* loqui, mendacis est: *fictum*, callidi: *vanum*, stulti. *Falsum* loqui, culpæ est: *fictum*, virtutis: *vanum*, vecordiæ. *Falsis* decipimur: *fictis* delectamur: *vana* contemnimus. D.—*Continuo palam*] Priscian. lib. xiv. L.—Pro *vanum* cod. Acad. *varium*, Regius *vacuum*. Verum cum non videam, qua ratione illa tria *falsum, vanum, fictum*, satis distingui possint; ego legendum puto, *Sin falsum* AUDIERIM AC *fictum, continuo p.* B.

25. *Plenus rimarum sum*] Vilis atque abjecta translatio, et apta ad meretricem loquenti (Quin ἀλληγορεῖ servus, qui modo dixerat eadem metaphora, *contineo optime*. In quibus sane nihil est, quod ad meretricem spectet): translata autem est ab aquario vase fictili. *Hac atque illac perfluo*] Contra, *contineo optume*. D.—*Plenus rimarum*] Paschasius P. P. ad Placidium: *illo ut utar comici, quia plenus rimarum, veritatem sciens silere noluit.* Vid. Scholiast. Horat. lib. ii. Sat. 6. L.—Sensus postulat *perpluo*. Nam liquor in vase quidem *perfluit*, sed vas ipsum sive domus *perpluit*. Quinct. Inst. vi. 3. Plaut. Trin. ii. 2. 41. Most. i. 2. 30. B.

26. *Proin, taceri si vis, vera dicito*] Utrum te taceri, aut tuum dictum? an impersonaliter, et infinito modo? D.

27. *Samia mihi mater fuit*] Puduit dicere Thaidem, *meretrix mihi mater fuit*; quod tamen significavit, dicendo aliunde civem alibi habitasse. Nam ideo meretrices, *peregrinæ* dictæ sunt in comœdiis; ut in Andria, *adeone est demens? ex peregrina?* D.—*Samia mihi mater*] Brevitas semper in narratione servanda est, et in dictione aperta verba. Ita hic et nomen, et affectum, et locum posuimus (forte, *posuit primum* Z.) habitationis: narrat matri suæ datam puellam dono, a quodam mercatore, ab Atheniensi civitate sublatam. At se ignorare dicit, utrumne ipsa civis Atheniensium fuisset: (excidit, *an* Z.) tantum de civitate sublata sit. Adjecit illud, quod *nomen matris et patris dicebat*. Ipsum hoc proficit ad causam ejus rei, quam petitura est. Scimus enim in narratione rationem futuris quæstionibus collocari. Quoniam ergo dictura est: concedi sibi debere aliquot dies, ut puellam recipiat, et hanc adjungit causam, ut suis parentibus reddat. *Volo enim*, inquit, *amicos sic parare beneficio meo*. Ideo præmisit matris nomen et patris, ut verisimile sit, posse hinc parentes sciri, si nomina jam tenentur. Denique adjecit et alia signa: sibi cognitam (forte, *cognita*) esse: quia *mercator ex prædonibus, unde emerat, se vidisse dixerit, abreptam esse e Sunio*. Sunio (lege *Sunium*) autem intelligit locum prope Athenas, juxta mare colloca-

PAR. Potest taceri hoc. TH. Ibi tum matri parvolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. PAR. Civemne? TH. Arbitror,
Certum non scimus: matris nomen et patris
Dicebat ipsa: patriam et signa cætera
Neque sciebat, neque per ætatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, e prædonibus,
Unde emerat, se audisse, abreptam e Sunio.
Mater ubi accepit, cœpit studiose omnia
Docere, educare, ita ut si esset filia.
Sororem plerique esse credebant meam.
Ego cum illo, quocum tum uno rem habebam, hospite,

tum. Redit rursus ad affectum, quod dicit, sibi carissimam esse puellam, cum mater sic eam educaverit, ut opinione populi filia (*soror* Z.) diceretur. Inde narrat discessum suum. Exoitat enim, quod cum hospite Athenas venerit, qui sibi hæc omnia, quæ habebat meretrix, dereliquit (deleto *τῷ meretrix*, leg. *quæ haberet, dereliquerit* Z.). Quam rem quidem illa non sine causa videtur adjecisse: sed ut ostenderet, quanta semper mercede dilecta sit, ut adolescens intelligat (*intelligeret* Z.), non se maximum munus dedisse, cum videat, tantum donari meretrici. Hoc quidem servus negat factum, dicens et dominum multa donasse. E.—*Samia mihi mater*] Sidon. Apollin. lib. ii. epist. 1. L.

28. *Potest taceri hoc*] Id est, verisimile est. Nec hoc ad laudem proficit, sed ad dedecus meretricis. *Potest taceri hoc*] *Hoc*, peregrinam nasci meretricem; et ideo potest verum videri. D.

29. *Puellam dono quidam*] Ætas et sexus amoris causa sunt, cur eam Thais puellam diligat. *Puellam dono quidam mercator dedit*] Propter hoc ostendit meretricem fuisse matrem: et dono ideo accipere puellam potuisse. D.

30. *Ex Attica hinc abreptam*] Quia Athenis est constituta scena. *Arbitror*] Bene *arbitror*, et nihil certi. Quando (lege, *Quomodo*) enim ausurus esset Parmeno adornare Chæream ad vitiandum hanc virginem, si præscisset civem esse? D.

31. *Matris nomen et patris dicebat ipsa*] Quæ infantis memoriæ proxima sunt. Nam quid prius ætas illa, quam patrem matremque cognoscit? D.

32. *Et signa cætera neque sciebat*] Id est, domum patris, regionemque ejus (in Ms. Boend. et ed. Du B. est, *domum, patriam, regionem*). D.

33. *Neque per ætatem etiam potuerat*] Hoc ideo addidit, ne esset minus elegans, quæ nesciret. D.—Versus causa corrige, *scibat*, et, ne *potuerat* peccet tempore, lege *potis erat*. B.

34. *Hoc addebat*] Ad matris scilicet nomen et patris, quod puella dicebat. D.

35. *Unde*] Id est, a quibus: ut Virg. Æn. i. 6. *genus unde Latinum*. Et (præcedit in edd. antt. *Quomodo*: E DAVO AUDIVI), *causam dicere prius, unde petitur aurum. E Sunio*] *Sunium*, promontorium est Atheniensium, et in eo forum rerum venalium, *ἐμπόριον*. D.

36. *Mater ubi accepit*] Hæc figura in narrationibus *βάσις* dicitur, cum omnia pedetentim dicuntur insinuandi gratia; ut nunc, *matri mercator dono dedit. Mater ubi accepit*. Et simul convenit mulieri loquenti hujuscemodi mora. *Mater ubi accepit*] *Accepit*, simpliciter; aut (*ea* habent edd. vett.) audivit ingenuam: ut *capiendi et c. a. t.* (Ms. H. *capiendi, et c. a. t. a*, sed pro *o* edd. Venetæ habent *b*. Citatio est verborum incerti auctoris, seu potius verba otiosa). Sed melius prius. *Cœpit studiose omnia docere*] Mire: nam non docuit, sed *cœpit docere*. *Τῷ μελλησμῷ*. Et vide quam satis muliebriter. D.

37. *Ita ut si esset filia*] Ergo velut soror habenda est Thaidi, et ideo sequitur, *Sororem plerique esse credebant meam*. Et oratorie cumulat dignitatem et amorem puellæ, ut ejus comparatione leniatur injuria facta Phædriæ. D.—Etsi omnes codd. habent *educere*; corrige tamen cum edd. melioribus EDUCERE, *ita* UTI. B.

39. *Ego cum illo, quo cum uno tunc rem habebam, hospite*] Totum dixit et quod hospitem, et quod rem habebat. Et bene *tunc*, et non *nunc*. Nam nunc, cum duobus. *Quo cum uno tunc rem habebam*] Id est, consuetudinem, amorem. *Hospite*] Id est, Attico. D.—Ne toties illud *o* aurem vulneret, pro *quo cum* repone *qui cum*. B.

Abii huc: qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.
PAR. Utrumque hoc falsum est: effluet. TH. Qui istuc?
PAR. Quia
Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit.
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.
TH. Ita'st: sed sine me pervenire, quo volo.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam est profectus: te interea loci
Cognovi tute scis, post illa quam intumum
Habeam te, et mea consilia ut tibi credam omnia.
PH. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. PAR. O dubiumne id est?
TH. Hoc agite, amabo: mater mea illic mortua'st

40. *Abii huc*] Rhodo Athenas scilicet. *Qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia*] Hoc ideo, ne tantundem obsequii exigat Phædria. Ideo contra Parmeno. D.

41. *Utrumque hoc falsum est: effluet*] Ipse exponit *hoc utrumque* quid dicat; et contradicendum est, quia præsens amator gravatur hoc dicto. D.

42. *Neque tu uno eras contenta*] Quippe quæ admiseris militem. *Neque solus dedit*] Quippe quia non omnia tua illius fuere mortui (leg. haud dubie, *militis*. Z.). D.

43. *Nam hic quoque*] Δεικτικῶς: non Phædria, sed *hic* dixit, tangens illum, et quasi invito illo hoc (*huic* Z.) exprobrat. *Bonam magnamque partem ad te attulit*] Hæc dicuntur ἰσοδυναμοῦντα: ut, *abs te petere et poscere*. An potius *bonam* specie, *magnam* quantitate? et nunc discretive dictum est: nam alias *bonam* pro magna et multa accipimus. D.

44. *Ita est*] Non erat negandum, quod dixit Parmeno meretrici satisfacere cupienti, et non tacenti culpam in conscientia esse. D.—Contendit mulier ad narrationem, rediens dicit, profectum militem amatorem adolescentis Phædriæ notitiam, sed hunc (forte, *ad se nunc*. W. At haud dubie locus restituendus est ita: *post profectum militem, amatorem, in adolescentis Phædriæ notitiam se demum pervenisse*. Z.) pervenisse. Qua in re commendat animum, cum dicit: *tute scis, post illa quam intimum habeam te; et mea consilia ut tibi credam omnia*. Pergit igitur narrationis partes universas complere, quod, mortua matre, frater materna bona invaserit, virginem venumdederit, et speciosam et peritam artis, quod fidibus sciret. Deinde quod eam ille amator suus emerit miles, quod venerit, et irascatur, quod meretrix cœperit alium amatorem habere. Hic intelligendum acriter illud est, quod supra dixit miles, te amatorem (forte, *militem amatorem*). E.

46. *Te interea loci cognovi*] Oratorie priorem amatorem facit militem, quam Phædriam. Nam posterius dicit hunc cognitum per absentiam militis. Ergo cum militi Phædria rivalis superductus sit, consequens est, ut miles queri debuerit, non Phædria: et propterea nihil peccatum, si ordine servato miles antepositus fuerit amatori postmodum cognito; et hoc sine puella (*puellæ*, Ms. H.), et munerum causa, multum pro milite contra Phædriam valet. Sed vide meretricem, quia rem dixit, perurentem, quot et qualia blandimenta subjicit, dicendo, *tute scis post illa quam intimum habeam te*, et cætera. D.—*Interea loci te cognovi*] Ut ideo miles puellam tanto pretio emerit, quod sciret se tantum amari a meretrice; quippe cum eam sic reliquisset, cum adhuc haberet nullum amatorem. Ergo consequenter hodie irasci miles, posteaquam invenit meretricem cum hoc amatore. Hoc ergo adjungit: *fingit causas, ne det, sedulo*. Et hoc temperate ostendit, hoc militem velle, ut præponatur alteri amatori. Quare acceptasse pollicetur munus, miles quod comparaverat donaturus (Ms. alter lacunam agnoscit nullam, alter: *Quare concessisse pollicetur munus miles, quod comparaverat donaturum*). E. —*Interea loci cognovi*] Charis. lib. ii. L.

47. *Cognovi*] Proprie *cognovi*. *Tute scis post illa, etc.*] Ἐπιπλοκὴ figura: nam hoc ad narrationem non pertinet. D.

48. *Et mea consilia ut tibi credam omnia*] Ex præsenti actu sumsit argumentum, quod eum nunc tanquam consultorem adhibuerit. Et bene *credam*, secundum illud, *potin' est hic tacere?* D.

49. *Ne hoc quidem*] Id est, hoc quoque falsum est. *Dubiumne id est?*] Me non taciturum scilicet. D.—Metri causa mihi placet Vaticani lectio, *Neque hoc tacebit Parmeno*. B.

50. *Hoc agite*] Pro adverbio corripientis est positum: aut certe pro adhortatione audientiæ præbendæ. Sic Plau-

Nuper: ejus frater aliquantum ad rem est avidior.
Is, ubi hanc forma vidit honesta virginem,
Et fidibus scire, pretium sperans, illico
Producit, vendit: forte fortuna affuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Imprudens harum rerum ignarusque omnium.
Is venit: postquam sensit me tecum quoque
Rem habere, fingit causas, ne det, sedulo:
Ait, si fidem habeat, se iri præpositum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne, ubi acceperim,
Sese relinquam: velle se illam mihi dare:
Verum id vereri; sed, ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adjecit. PH. Etiamne amplius?

tus, Asin. Prol. 1. *Hoc agite, sultis, spectatores.* Et convenit velut nutu audientiam significantis, et gestu hoc ipsum adjuvari. *Hoc agite*, id est, illud desinite, et hoc attendite. D.

51. *Nuper*] Ut adhuc amor flagrare videatur, addidit *nuper*. *Aliquantulum ad rem est avidior*] Vultu accommodato ad reprehensionem pronunciandum est. *Ad rem avidior*] Proprie *avidior*. Et *rem* pecuniam modo dicit. D.

52. *Is hanc ubi forma*] Ex aliena persona vult ostendere præter affectum, quanti sibi æstimanda sit: et quanto munere miles Phædriæ meruerat (lege, *meruerit*) anteponi. D.—Sensus et versus postulant, *Is, ubi esse hanc forma videt honesta virginem.* B.

53. *Et fidibus scire*] Vetusta ἔλλειψις. *Protium sperans*] Deest *magnum*; ut, Virg. Georg. iii. 184., *et stabulo frenos audire sonantes.* D.

54. *Producit: vendit*] Proprie. Nam *produci* res venales dicuntur. *Producit: vendit*] Hæc celeritas vendibilem indicat mercem. *Forte fortuna*] Id est, bona fortuna. D.

55. *Hic meus amicus*] Quia locus est meritorum, non jam *miles*, sed *meus amicus*. Vide enim quid sequatur: *emit*, inquit, *eam dono mihi, imprudens harum rerum.* Hic ostenditur quam avidus id faceret, si rem penitus nosset; simul etiam ostenditur, quanta secreta dicat Phædriæ: utpote quæ rivalis nesciat. D.

56. *Imprudens harum rerum, ignarusque omnium*] *Prudentia*, naturalis est: *gnaritas*, extrinsecus venit. *Imprudens*, per se, *ignarus*, per alios; hoc est, qui nec suspicatus sit, neque ex aliquo audierit. D.

57. *Postquam sensit me tecum quoque rem habere*] (Excidit *sensit*) non dictum, sed quasi celatum. *Sensit me tecum quoque rem habere*] Magno pondere dixit, *tecum quoque*: tanquam irascendi justa magis sit causa militi, quam Phædriæ. Nam *sensit*, et *tecum*, et *quoque*, hoc significat. *Rem habere*] Sic dixit, ut honeste res impura dicatur. D.

58. *Ne det, sedulo*] *Sedulo*, sine dolo, hoc est, impense. D.

59. *Ait*] Semper *ait* dicimus, quum vel invisa nobis et audientibus, vel vana dicta narramus alicujus. *Si fidem habeat*] Hoc est, si faciam aliqua, unde credat se tibi præponi. *Si fidem habeat*] Si credere rogatur, id est, si credat: unde *fidejussor* dicitur, hoc est, auctor credendi. *Se iri præpositum tibi apud me*] Ἀναστροφὴ in verbo, *præpositum iri*, ac necessaria implicatio in his, quæ dura dicta sunt. D.—*Si fidem habeat, se iri præpositum tibi*] Hoc est, si accipiat fidem, me præposuisse (*præposuisse se* Z.) tibi. E.

60. *Apud me, ac non id metuat*] Duo sunt, si fidem habeat, et si non metuat. Quid autem non metuat? *ne, ubi acceperim, sese relinquam*] Hic jam causas petitionis ostendit. Hoc autem petitura est meretrix, ut paucos interim dies, quousque puella dono detur, miles apud meretricem in amore præponatur. E.—Alii legunt *ubi* EAM *acceperim.* B.

62. *Sed ego quantum suspicor*] Alta et acuta inventio. Scit meretrix hoc solo amatores inimicos esse, quod idem diligunt. Magnifice igitur, ut rivalis odium deliniret (*declinet*, Ms. Boend. hanc lectionem leges linguæ postulant), vult persuadere Phædriæ, non se amari, sed virginem. D.—Finita narratione concludit a suspicione, nescio quem exitum narrantis, quod idem miles, jam amisso amore meretricis, nunc virginem diligat. Hoc enim dixit. E.

63. *Ad virginem animum adjecit*] Cur hoc inferat? ut vel lædendi militis causa, Phædria patiatur eum, quam amet, et no-

TH. Nihil; nam quæsivi: nunc ego eam, mi Phædria,
Multæ sunt causæ, quamobrem cupiam abducere.
Primum, quod soror est dicta: præterea, ut suis
Restituam ac reddam: sola sum: habeo hic neminem,
Neque amicum, neque cognatum; quamobrem, Phædria,
Cupio aliquos parere amicos beneficio meo.
Id, amabo, adjuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores partes hosce aliquot dies

lit virginem dono dare (Varia hæc leguntur. Sensus videtur esse hic: *eum* [militem] *dono dare virginem, quam amet, et* [dare] *nolit.* Nisi si fortasse *nolit ἀντὶ τοῦ colat.* Aut, *ei, quam amet et colat, virginem dono dari*). *Etiamne amplius?*] Mundat Terentius, ut solet, res hujusmodi per ἔλλειψιν suam. D.

64. *Nihil? nam quæsivi; nunc ego eam, mi Phædria*] Optime purgavit Terentius, quod mox liberalibus nuptiis fuerat obfuturum, si vitiatam virginem duceret Chærea. Necessario ergo defenditur, tanquam quæ honeste nuptura est. D.

65. *Multæ sunt causæ*] Non indiligenter consideraverunt hanc meretricis orationem, qui illam instar controversiæ retulerunt. Nam et principium est, *Me miseram, vereor ne illud gravius Phædria tulerit.* Et narratio, *Samia mihi mater fuit.* Et partitio cum confirmatione: ut, *Nunc ego eam, mi Phædria, multæ sunt causæ, quamobrem cupio abducere: primum quod soror est dicta,* et cætera. Reprehensio quoque, *Egone id timeo?* et, *Egone non ex animo misera dico?* Et conclusio per conquestionem: ut, *Quam joco rem voluisti a me tandem, quin perfeceris? Ego impetrare neque hoc abs te, biduum saltem ut concedas solum. Quamobrem cupio abducere*] Etiam hoc verbo gratificatur Phædriæ: non enim *accipere*, ut ab amico remunerante: sed *abducere*, ut ab stulto, et experte. D.—Petit rursus Phædriam, ut paucos dies sibi commodet, quibus prior apud se miles esse possit. Dicit causas, *quod soror dicta est, quod velit parare amicos beneficio suo.* Sed post hæc iratus adolescens redit ad accusationem vehementer, quo eam declarare possit ingratam: enumerans quæ beneficia sua, vel quæ præstiterit, vel quæ paraverit. Quibus accusationibus meretrix victa, quo facilius adolescenti persuadere possit, quod antea postulaverat, dicit se ei ad omnem voluptatem commodare consensum, ne eum aliquo offendat. Quare victus adolescens omnia se, meretrix quæ vellet, facturum esse promittit: et monet, ut memoriam sui nominis teneat, * quicquid inciderit (barbare scriptum, pro, *inciderit*): et ita secum loquitur (restituo: *ita Thais secum loquitur*), quod vehementer diligat Phædriam, neque aliquid callide fecerit, sed cuncta ratione complerit. E.—Donatus et recentes libri *cupio*, sed meliores nostri et Faerni recte habent *cupiam.* B.

67. *Ut suis restituam, ac reddam*] *Restituimur* (*restituimus* Ms. Boend. et ed. Du. B.) iis, quibus nos volumus: *reddimur* (*reddimus*, ibid.) iis, qui nos volunt. Ergo restituimus volentem (*volentes*, ibid.), reddimus volentibus. Sed in hac utrumque est. *Sola sum: habeo hic neminem*] *Sola sum*, ad familiarium refertur absentiam. *Habeo hic neminem*, ad alienorum amicitiam. Potest enim sola domi esse, habere tamen aliquem foris. Et, *habeo hic neminem*, plus sonat, quam, *neminem hic habeo.* Et, *sola sum*, ab iis quos natura conciliat per se. *Habeo neminem*, eorum qui voluntate junguntur. D.

68. *Neque amicum*] Bene hoc apud amatorem: quia est aliud *amator*, aliud *amicus. Amator*, qui ad tempus, *amicus*, qui perpetuo amat. An quia in patris potestate est Phædria? *Quamobrem, Phædria*] In necessariis (forte leg. *in rebus seriis.* Ms. Boend. et edd. vett. *ne in necessariis inopem videretur in necessariis interponi non licet audientis nomen*) interponi nomen licet audientia. D.—Cum statim versu proximo occurrat *amicos*, hic pro *amicum* legendum esse censeo *notum*, ut Phorm. i. 2. 48. B.

69. *Cupio aliquos parare amicos beneficio meo*] Hic ostendit specialiter, cujusmodi amicos quærat, ne Phædriam contemnere videatur. *Parare amicos beneficio meo*] Quia parantur et suo (*alieno*, edd. Venett.) sed minus diligunt. D.—Donatus et omnes codd. habent *parare*, sed, ne versus impediatur, amplectendum est Bembini cod. *parere.* Cæterum *beneficio meo* spondei et dactyli spatium metiuntur. B.

70. *Id amabo adjuta me, quo id fiat facilius*] Παρέλκον: bis *id* posuit. *Adjuta me*] Mira coactio, pro patere excludi, *adjuta me*, dixit. D.

71. *Sine illum*] Blande *sine illum*, tanquam in manu ejus sit injuriam non pati,

Apud me habere: nihil respondes? PH. Pessuma,
Egon' quicquam cum istis factis tibi respondeam?
PAR. Eu noster! laudo: tandem perdoluit: vir es.
PH. Haud ego nesciebam, quorsum tu ires? parvola
Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:
Soror dicta'st: cupio abducere, ut reddam suis:
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique:
Ego excludor, ille recipitur: qua gratia?
Nisi illum plus amas, quam me: et istam nunc times,
Quæ advecta'st, ne illum talem præripiat tibi.
TH. Egon' id timeo? PH. Quid te ergo aliud sollicitat? cedo,
Num solus ille dona dat? nuncubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier?

et excludi militem. Non enim dixit *fer*, aut *patere*, sed, *sine*. *Priores partes hosce aliquot dies*] Honeste circumloquitur et oratorie, ne dicat, Abi foras, atque excludi te patere. D.

72. *Nihil respondes?*] Jam silentium accusat, quia scit nihil responsurum contrarium (leg. *nihil respondentem contrariari*, sive, *contrarium esse* Z.). Et satis blande, *nihil respondes* dixit: tanquam qui debeas amoris vicem (omnino leg. *Et satis blande*, MIHI, *dixit, tanquam cui debeas a. v.* Etsi integer Senarius τὸ MIHI videtur respuere: Donatum tamen ita legisse certum est. Idem *mihi* exhibent Mss. Mark. quatuor Pall. et edd. vett.). D.

73. *Ego quicquam*] Facete exprimitur illud, *Amantium iræ amoris integratio est*. D.

74. *Tandem perdoluit*] Nimis doluit, id est, persensit dolorem. Et *tandem*, quasi qui nimis patiens fuit. *Tandem perdoluit: vir es*] Eleganter variavit personam secundam, et tertiam. *Vir es*] Non puer, sed jam vir, qui meretricem contemnis. D.—Bembinus liber et alii antiqui non *heu* sed *eu* sine respiratione habent. B.

75. *Parvula hinc est abrepta: eduxit mater pro sua*] Vide μίμησιν cum odio inductam, et depravatam pronunciatione: ita ut et ὁμοιοτέλευτα non vitarentur de industria: *parvula hinc est abrepta, eduxit mater pro sua, soror est dicta*. D.—*Haud ego nesciebam*] Quinctilian. lib. ix. cap. 2. *At ego nesciebam*. L.—Tres antiquissimi codd. Faerni *Aut ego*, alii ejusdem, *Haud ego*. Sed melius tres nostri cum edd. vett. *At ego*, quod ipsum expressit Quinct. Inst. ix. 2. Cæterum lege *nescibam*. B.

77. Ne lege *Soror est dicta*, sed, *Soror dicta est*. B.

78. *Hæc nunc verba*] Id est, falsa dicta. *Huc redeunt*] Ut excludar. D.

80. *Nisi illum plus amas, quam me*] Repudiatis causis, quas illa attulerat, per derivationem causæ: hic aliud dicit esse cur repellatur. *Et istam nunc times, quæ advecta est*] Adeo, inquit, amas militem, ut etiam invideas, si quam amaverit. D. Versum satis inconcinnum adjuvant codd. nonnulli, qui habent, *Nisi* SI *illum*. Cætera, ut *me* sit in ictu, colloca, *plus quam me amas*. B.

81. *Talem præripiat tibi*] Ἐλαφρεία stomachantis amatoris. D.

82. *Quid te ergo aliud sollicitat?*] Quid est, inquit, si hoc non est? D.—Ne versus syllaba sit hypermeter, repone *Ego* sine *ne*. B.

83. *Num solus ille dona dat?*] Jam quasi quæstiones tractantur: sed ille munus advexit. *Nuncubi meam benignitatem*] Possunt enim dona dari, sed exigua, aut minus liberaliter: et ideo mentionem benignitatis adjecit. *Nuncubi meam benignitatem*] Sed ille benignus est. *Nuncubi*, numquid alicubi. Aut si, *nunc ubi*, legimus (haud dubie scripserat Donatus, NUNC UBI, *numquid alicubi*. Postea vero seu Asper, seu Cornutus, seu quicunque alius interpres legens NON UBI, quod in quibusdam libris reperitur, ipse addidit verba *Aut si—qua in re*), erit adverbium temporis: ut sit ubi, quo in loco, qua in re. *Nuncubi meam benignitatem*] Intelligit se et dona obtulisse, et id benigne sæpe fecisse. Nam plerumque ingrata dona sunt, in quibus benignitas non appareret: quæ aut in quantitate rerum est, aut in facilitate præstantis. D.—*Nuncubi*, quod est in pluribus codd. nusquam alibi, opinor, invenitur, et versus ipse repudiat. Bembinus et alii, *num ubi*. Lege *num tibi*. Deinde in versu seq. pro *in te claudier* lege *intercludier*: cf. Andr. iii. 3. 41. B.

84. *Claudier?*] *Claudi*, aut claudicare. Sallustius (in Fragmentis), *neque enim ignorantia claudit res*: et, *nihil socordia*

Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæsivi? porro eunuchum dixti velle te,
Quia solæ utuntur his reginæ; repperi.
Heri minas viginti pro ambobus dedi.
Tamen contemtus abs te, hæc habui in memoria,
Ob hæc facta abs te spernor. TH. Quid istic, Phædria?

claudebat. D.—*In te claudier*] Ms. R. et vett. codd. *interclaudier.* L.

85. *Nonne ubi mihi dixti cupere te*] Plus dixit, *ubi dixti cupere te*, quam si diceret, fecisti ut emerem. Plus est enim id præstitisse, quod qui (*quæ*, edd. Venett.) acceperit, non ausus fuerit postulare. *Cupere te*] Vult rem parvi (*quantivis*, postulat sensus) pretii, ex illius cupiditate et suo labore perpendi. *Ex Æthiopia*] Non Æthiopissam; sed honestius, *ex Æthiopia.* D.

86. *Relictis rebus omnibus, quæsivi?*] Hæc jam omnia in beneficiis considerari solent. D.

87. *Quæsivi?*] Vide quemadmodum exhibeat, atque ærumnas sibi difficilium munerum dicat imposuisse meretricem (edd. vett. ita: *Vide, ut exhibeat, ærumnas sibi difficilium munerum imposuisse meretricem*). *Ex Æthiopia ancillulam*, inquit, *dixti te cupere.* Quid ego feci in re cœli, et solis, ac pene orbis alterius? *quæsivi;* non enim in promtu erat. Deinde, non *petisti*, sed *dixisti:* nec velle te, sed cupere: non nigram, sed ex Æthiopia: nec dedi, sed relictis rebus omnibus quæsivi. Quid hic non exquisitum? quid non ita expressum, ut nihil addi possit? *Eunuchum porro velle*] Eunuchos a Persis institutos putant ex captivis. A Babyloniis enim Hellanicus auctor est id habuisse. *Eunuchum porro dixti velle te*] Vide quemadmodum, nt majus faciat quod præstitit, non semel imputat duo mancipia; sed primo *puellam*, deinde *eunuchum. Eunuchum*] Εὐνοῦχος εἰρηται, ὃς εὐνὴν ἔχων, τοῦτ' ἐστὶ, φυλάττων OCOCeIN ryNeN KeKANΔPOC.* (Wielingius opinatur, scripsisse interpretem: ὁ σάζων εὐνὴν γυναικῶν, καὶ ἀνδρός. En meam symbolam: ὅσα ἐν εὐνῇ γυνῆς τε καὶ ἀνδρός. W. Forte, ὅσα ἐστι κοινὰ γυναικός τε καὶ ἀνδρός. Sive, ὅπως μὴ ἄλλον ἡ γυνὴ κεκοινωνκε ἀνδρός. Z.). *Porro*] Deinde, vel postea, vel multo post. D.

88. *Quia solæ utuntur his reginæ*] Illam, quia ex Æthiopia; hunc, quia solæ his reginæ utuntur. Quid tale Thaidi rivalis dedit? *Quia solæ utuntur his reginæ*] Varie eunuchum dixit, et intulit *his;* ut, *Si quisquam est, qui placere se studeat bonis Quam plurimis, et minime multos lædere; In his poeta hic nomen profitetur suum. Reginæ*] Id est, divites; sed ἐμφατικώτερον est. *Quia solæ utuntur his reginæ*] Nota, quum eunuchum in singulari numero præposuerit, *his* subjunxisse; sed *his* non ad eunuchum retulit, sed ad delicias, aut quid tale: quia solæ utuntur hujusmodi deliciis servitiisque reginæ. Et oratorie hic subdidit, quod in ancillula prætermisit; quia nulla Æthiopissa honesta dici potuit. Et *reginas* modo divites dicit; ut in Phormione, *regem me esse oportuit. Reperi*] Plus est quam *emi.* Et vide quam propriis et amplissimis verbis usus est: quia et ancillam ex Æthiopia, et eunuchum, quo solæ utuntur reginæ; illam quæsivi, et hunc repperi; neutrum enim horum facile (forte, *frustra* Z.) positum erat. D.

89. *Heri minas decem* (Scripsit Donatus vel *viginti*, vel, quod verosimilius videtur, *triginta.* Nam paulo post *viginti* minis solum eunuchum emtum esse ait Z.) *Pro ambobus dedi*] Recentiora beneficia, graviora adversum ingratos sunt. Ergo a tempore inducitur exprobratio. *Pro ambobus dedi*] Melius amborum pretium dixit, quam ut separatim diceret, quanto emerit ancillulam nigram; de qua mox dicetur, *Hic sunt tres minæ.* Nam constat eunuchum solum emtum esse minis viginti; ut ipse Parmeno confitebitur seni. D.—Magis magnificum sonat, quod cod. C. C. habet, *Heri minas pro ambobus viginti dedi.* Atque auctor solet *viginti* illud ponere in sede quinta. B.

90. *Tamen contemtus abs te*] Et hoc servatur in beneficiis. Nam majora sunt, cessantibus meritis eorum, quibus præstantur. D.

91. *Ob hæc facta abs te spernor*] Sic Virg. Æn. iv. 217.—*nos munera templis Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.* Et, *Vel quas tulit*, cum interrogatione aut cum increpatione proferri potest. *Ob hæc facta abs te spernor*] Hic duplex est pronunciatio: vel per invidiosam prolationem (lege ex ed. Venet. et Argent. *exprobrationem*), vel per interrogationem. Et melius hoc modo, quam interrogative profertur: hic enim est multo gravior illo. *Quid istic?*] Hoc adverbium consentire incipientis est: et est ἔλλειψις: deest enim *remoramur*, aut quid tale. D.

Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri posse maxume: verumtamen,
Potius quam te inimicum habeam, faciam ut jusseris.
PH. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres,
Potius quam te inimicum habeam: si istuc crederem
Sincere dici, quidvis possem perpeti.
PAR. Labascit, victus uno verbo, quam cito!
TH. Ego non ex animo misera dico? quam joco
Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum

92. *Cupio abducere*] *Abducere* dixit, tanquam ab stulto: nec per verum meritum, sed per fraudem. Cicero, Verr. iii. 34. *per vim atque dolum abducta ab Rhodio tibicine. Atque hac re arbitror*] Non dicit qua, hoc est, ex te (edd. Venett. *Non dicit, quia hoc est ex te.* Videtur legendum: *Non dicit qua, quia hoc est ex re.* Nempe non erat *ex re* Thaidis, speciatim dicere coram exulcerato Phædria, *qua re* id quod cupiebat fieri posset maxime, sc. Phædria excludendo, Thrasone admittendo. Nisi legas: HAC RE. *Non dicit qua hoc est ex re*). Veruntamen scit meretrix, contentione quædam negari (Lege: VERUM TAMEN] *Scit meretrix concessione quædam levari.* Quam lectionem, opinor, firmant sequentia). Ergo fingit se vinci, ut adolescentem molliat: et ipsa cedit, ut et ille remittat pertinaciam. D.

93. Suavius sonat, *Id posse fieri*, ut infra iv. 7. 9. B.

94. *Potius quam te inimicum habeam, faciam ut jusseris*] Hoc totum loquitur, tanquam magis ipsa amet Phædriam, quam ab illo ametur. *Te inimicum habeam*] Huic contrarium est, *ut te amicum habeam. Faciam ut jusseris*] Nec voluntate, nec vultu consentientis hoc meretrix agit (lege, *ait:* nec enim agit, nec actura est, sed se facturam ait): sed callide tentat omnia. Nam quia persistendo non perficit quod exspectabat, docet Phædriam etiam ipsum negligentius negare quod poscitur; et adeo hoc subtile est, ut statim impetraverit. Pervulgatum est enim, Quod summa vi defenderis, quum extorqueretur, hoc idem postmodum remitte remittenti. D.

95. *Utinam istuc verbum*] Et *istuc verbum*, pro tota sententia. *Verbum* pro dicto. Sed proprie ἀξίωμα, id est, sententia vel enunciatio, quæ uno ligatur et astringitur verbo, *verbum* a veteribus dicebatur. *Ex animo, ac vere diceres*] Certe: quia est qui ex animo dicat, fallat tamen. D.

96. *Potius quam te inimicum habeam*] Tantum in animum Phædriæ hoc descendit, ut etiam repetat, quod amica dixerat adulando. D.

97. *Sincere dici, quidvis possem perpeti*] *Sincerum*, purum, sine fuco, et simplex: ut mel sine cera. Bene ergo ut mel, blandimentum meretricis dulce fatetur, sed negat esse sincerum. D.—*Sincere dici*] Charis. lib. i. et ii. L.

98. *Labascit*] Omnia inchoativa trisyllaba fere media producta enunciantur. *Victus uno verbo: quam cito?*] *Quam cito* ait, qui illum falsa lacrymula vinci crediderat posse. Plus factum est: uno victus est verbo, et cito. *Victus uno verbo*] *Utinam istuc verbum.* Et *uno verbo*, ut diximus, sic accipe: ut verbum dictum intelligas, quod verbo complectitur (edd. Venett. *amplectitur.* Sensus constabit, si junctim legas, *quod verbo complectitur completæ, etc.*), et completæ sententiæ pronunciationem, quod ἀξίωμα nominabatur. D.—*Labascit*] Diomed. lib. i. L.—Melius, opinor, sic: *Labascit, victu'st, uno verbo, quam cito.* B.

99. *Ego non ex animo misera dico?*] Quod sensit multum valuisse, hoc Thais inculcat animo amici sui. Et *ego*, vide quanta significet. Convenit hoc pronomen blande multa exprobranti: ut Virgil. Æn. iv. 314. *Mene fugis?* D.

100. *Quam joco rem voluisti*] Contra illud refertur, quod ait Phædria, *Nonne ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia ancillulam, relictis rebus omnibus, quæsivi?* Sed hoc vehementius et disertius, *quam joco rem voluisti.* Non munus, inquit, sed quod plus est, *rem*; et non serio, sed *joco*, a facilitate præstantis. Et *voluisti*, non etiam dixisti. Mirandum obsequium, ex voto animi pendens. Non exspectat imperium; ne voluptati mora sit, dum jubetur. Tum illud, quod ait, *perfeceris:* nonne pondus hoc verbi et potentiam Phædriæ circa amicam, et illius obsequium vehemens, et rerum difficultatem quæ extortæ sint, monstrat, atque omnem obterit querelam Phædriæ? D.

101. *Ego impetrare nequeo hoc abs te*] Tu et joco, et non petisti, cum perfeceris tamen; at ego hoc impetrare non possum. D.

Saltem ut concedas solum. PH. Siquidem biduum:
Verum ne fiant isti viginti dies.
TH. Profecto non plus biduum, aut. PH. Aut? nihil moror.
TH. Non fiet: hoc modo sine te exorem. PH. Scilicet,
Faciundum'st quod vis. TH. Merito amo te. PH. Bene facis.
Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:
Ita facere certum'st: mos gerundu'st Thaidi.
Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur. PAR. Maxume.
PH. In hoc biduum, Thais, vale. TH. Mi Phædria,
Et tu: numquid vis aliud? PH. Egone quid velim?
Cum milite isto præsens, absens ut sies:
Dies noctesque me ames: me desideres:
Me somnies: me exspectes: de me cogites:
Me speres: me te oblectes: mecum tota sis:

102. *Saltem ut concedas solum*] Argute additum *saltem* et *solum*. Et bene, *concedas*, ut voluntatis sit: sic enim dixit supra, *Sine illum priores partes hosce aliquot dies apud me obtinere* (ex memoria laudavit versum 71. lege, *habere*). D.

103. *Verum ne fiant isti viginti dies*] Facete biduum decuplavit: et simul quia ex eadem ratione sunt viginti, ex qua duo; et ex qua viginti, ducenti, duo millia, et sic deincepa. D.

104. *Profecto non plus biduum, aut*] Ἀποσιώπησις secunda. D.

105. *Hoc, modo sine te exorem*] Nove nunc, non *de te exorem*, sed *te exorem*. *Hoc* absolute. D.

106. *Faciundum est quod vis*] Non *quod oportet*, sed *quod vis* dicendo, multum addidit obsequio suo. *Merito amo te*] Bene amoris mentionem ad auferendam suspicionem contemtus Phædriæ fecit. *Bene facis*] In consuetudinem venit: *bene facit*, et *bene fecisti*, non judicantis esse, sed gratias agentis. D.—Verba *bene facis* ipsi Thaidi esse tribuenda, præter cod. G. Fabricii, duo e nostris veterrimi confirmant. B.

107. *Rus ibo*] Et hoc amatorium est, odisse urbem sine amica. Nec dixit, *ibi ero:* sed, *ibi hoc me macerabo biduum*] Pronunciandum est *biduum*, ac si dixisset biennio. D.

108. *Ita facere certum est*] Ex his apparet verbis, quam sibi amator hoc ægre imperet. *Mos gerundus est Thaidi*] Cum pronunciatione et gestu: ut ostendat, quæ vis amoris sit, ut Thaidi mos geratur. D.

109. *Huc fac illi adducantur*] Eunuchus et ancilla figurate *illi:* sed prævalet genus masculinum. *Adducantur*, pro adducito eos. Et bene adjectum est, ne dilatis ob retentionem muneribus (lego, *aut retentis muneribus*), non procederet actus fabulæ; et simul quia absentia Phædriæ opus est, dum per Chæream ludificatur meretrix. D.

110. *In hoc biduum, Thais, vale*] Nunc *vale* abscessum significat, non salutationem: nam si mera salutatio est, biduo solum amicam valere optat. Sed præscribere conatur, quanto tempore abfuturus sit: et simul ostendit, quam invitus abscedat. *In hoc biduum, Thais, vale*] Accusativo utens casu expressit amatoris impatientiam: *biduum* dicens, præscripsit de tempore. Et *vale*, majorem vim habet ex dolore discedentis, quam obsequio salutantis. D.

111. *Et tu: numquid vis aliud?*] *Vale* subaudiendum salutatorium. Et subintelligendum est post osculum dici, *numquid vis aliud?* quasi recte factum. D.

112. *Cum milite isto*] *Isto* bene additum, quasi odioso, ut alibi, *Jam vero mitte, Demea, tuam istam iracundiam.* Et Virg. Æn. ix. 94. *aut quid petis istis?* Hæc enim pronomina spernentis sunt, odiumque monstrantis. *Præsens, absens*] Κακόζηλον. D.

113. *Me desideres*] Αὔξησις: quia plus est amore desiderium. D.—Mutato ordine, numeri meliores fiunt, *Noctes diesque*, ut v. 9. 49. Andr. iv. 1. 53. B.

114. *Me somnies: me exspectes*] Ἐπαναφορὰ prima. Cum amare et desiderare sit voluntatis atque etiamnum obsequii (*voluntatis, atque animi et obsequii.* Ms. Boend. et ed. Du B.): *somniare*, satis amatorie dictum est. D.

115. *Me speres*] Cum, *me exspectes*, jam dixerit; quid sibi vult iterum *me speres?* Inter spem et exspectationem hoc interest: quia *exspectatio*, certorum est;

Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.
TH. Me miseram! forsitan hic mihi parvam habeat fidem,
Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet.
Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certo scio,
Neque me finxisse falsi quicquam, neque meo
Cordi esse quemquam cariorem hoc Phædria.
Et quicquid hujus feci, causa virginis
Feci: nam me ejus spero fratrem propemodum
Jam repperisse, adolescentem adeo nobilem:
Et is hodie venturum ad me constituit domum.
Concedam hinc intro, atque exspectabo, dum venit.

ACTUS SECUNDI SCENA PRIMA.

PHÆDRIA. PARMENO.

FAC, ita ut jussi, deducantur isti. PAR. Faciam. PH. At diligenter.

spes vero, incertorum. Et *exspectatio*, propinquarum rerum; *spes*, longinquarum. Et *exspectatio*, destinat tempus: *spes*, non destinat. An, *me speres idem facere?* id est, de te cogitare: ut sit *speres*, credas; ut statim in subditis invenies. *Nam ejus fratrem spero jam propemodum reperisse. Me te oblectes*] Septimus casus *me*. *Mecum tota sis*] Toto animo. Nam illam nunc animum vult esse, non (*nunc*, malim. In edd. vett. *dixit esse*) corpus: et simul quod ipse ab ejus corpore patitur; id vult militi ejus mente contingere, tanquam penitus excluso ab amica. D.

116. *Quando ego sum tuus*] Animus scilicet. D.

117. *Me miseram! forsitan hic mihi*] Recte Thais nunc partem argumenti exsequitur tacitam (cum non probabile sit, Phædriam et Parm. restitisse in scena: pro *tacitam* forte Don. scripsit, *quam tacuit ante* Z.) apud Phædriam, propter præsentiam servi: quem poeta vult ita nescire, ut audeat ad vitiandam virginem subornare Chæream. D.—Lege *forsan parvam hic habeat mihi fidem*. B.

118. *Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet*] Hic Terentius ostendit virtutis suæ hoc esse, ut pervulgatas personas nove inducat: et tamen a consuetudine non recedat: ut puta, meretricem bonam cum facit, capiat tamen et delectet animum spectatoris. D.

120. *Neque me finxisse falsi quicquam*] Aut, *dixisse*, debuit dicere: aut abundat *falsi*; aut ideo quia et vanum aliquid fingi potuit, ut supra, *si vanum, aut falsum aut fictum est*. D.

121. *Esse quemquam cariorem*] Melius, *quemquam*, quam si dixisset, *militem quemquam cariorem*. *Quemquam cariorem*] Quasi meretrix, non carum alterum, sed cariorem negat. D.

122. *Et quicquid hujus feci*] *Hujus* absolute; aut per ἔλλειψιν, ut desit *rei*. In Hecyra, *ne quid sit hujus oro*. In Heautontimorumeno, *nihil me istius facturum patri*. Virgil. Æn. ix. 94. — *aut quid petis istis? Quicquid hujus*] *Rei* subaudiendum est, quod eum exclusi foras. D.

123. *Spero propemodum*] Nove *spero*, pro credo vel confido. *Propemodum* ideo, quia hominem quidem novit, sed fratrem esse virginis nondum probavit. D.

124. *Adeo nobilem*] *Adeo* pro nimis positum est, aut pro expletiva particula. D.—*Adeo nobilem*] Serv. Æneid. iv. ad illum vers. 96. *Nec me adeo fallit*. L.

125. Tres codd. cum edd. vett. habent *Et is* SE *hodie, etc.* ut Hec. i. 2. 120. B.

126. *Atque exspectabo dum venit*] Futurum actum promittere voluit: non quo aliquis gestus sit exspectantis (Scriptura corrupta, cui a libris nullis quicquam medelæ. Legendum opinor: *Venturum actutum promittere voluit: neque aliquis gestus est exspectantis*). D.

1. *Fac ita ut jussi*] Jam amatorium multiloquium et vaniloquium continet ista actio: nam et repetit quod jam dictum est: et id facit magis et odiose ni-

PAR. Fiet. PH. At mature. PAR. Fiet. PH. Satin' hoc mandatum'st tibi? PAR. Ah!
Rogitare? quasi difficile sit.
Utinam tam aliquid invenire facile possis, Phædria,
Quam hoc peribit. PH. Ego quoque una pereo, quod mihi est carius.
Ne istuc tam iniquo patiare animo. PAR. Minime: quin effectum dabo.
Sed numquid aliud imperas?
PH. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris: et istum æmulum,
Quod poteris, ab ea pellito.
PAR. Memini, tametsi nullus moneas. PH. Ego rus ibo, atque ibi manebo.

mis (lege: *et id facete magis, et odiose minus*). D.—*Fac ita ut jussi*] Hæc scena tenet prima parte mandata servi, ducantur ad meretricem illa dona, quæ ante comparavit. E.—*Fac ita ut jussi*] Diomed. lib. i. cap. 4. L.

2. *Satin' hoc mandatum*] Aperte, inquit, dicta sunt ista tibi. E.

3. *Ah, rogitare? quasi difficile sit*] Deest *vis*, vel *pergis*: ut sit, rogitare pergis? Vel *te*, si ipsum respicit: vel *hunc*, si adversus (imo *aversus*, a Phædria scilicet ad spectatores. Idem vidit Lindenbr.) hoc dicit: ut sit, Ah, rogitare te? aut, rogitare hunc? Et distinctione interposita, inferendum vultuose, quasi difficile sit id, quod mandat (malim, *mandas*, vel, *mandatur*). Ita et ineptiam nimiam circa hoc solliciti amatoris expressit: et ostendit nihil esse facilius, quam deducere ad meretricem munera: cum contra illud sit difficillimum, poscenti aliquid non dare. *Rogitare?*] Subauditur *te*. Ut sit, *mirum est te rogitare; quasi sit difficile complere quod jubes*. D.—*Rogitare? quasi*] Sensus: quasi si quid me fugit, sic interrogas. *Difficile sit: utinam aliquid*] Sensus: tam facile utinam lucri aliquid invenias, quam facile istud amittas. E.—In edit. Sandby. et Dacier. versum unum constituunt hæc: *Ah, rogitare? quasi difficile siet: utinam.* Z.

4. *Aliquid invenire facile possis*] *Invenire*, acquirere. Sic in Heautont. *Non quæris patri quomodo obsequare: et, ut serves quod labore invenerit.* Nam ideo a præcedenti etiam *quæstus* dicitur. D.

5. *Quam hoc peribit*] Deest *facile*: ut sit, *facile hoc peribit. Quod mihi est carius*] Pro, qui mihi sum carior. Sed *ego* dixit absolute, occurrens huic pronomini *quod* (*qui*, edd. vett. Ms. Boend. et ed. Du B.). D.

6. *Quin effectum dabo*] *Quin* pro imo; ut in Heautont. *Quin nolo mentiare.* D.—Faernus hunc et tres seqq. versus sic quoque ordinavit, haud dubie e libris suis. Cæterum ut sit trochaicus tetrameter, pro *effectum* corrige *factum*. B.

7. *Sed numquid aliud imperas?*] In his servus nihil vult, nisi coactus facere, propter majorem dominum: sic et alibi, *Jubesne?* inquit responderet ei Chærea (R. Steph. *respondere Chærea*. Lege et distingue: JUBESNE? inquit. *Respondet ei Chærea.* Vel cum Ms. Hulst. et ed. Du B. *Respondente Chærea.* W. At si ante *responderet* interseris *ut*, omnia salva habebis Z.), *Cogo atque impero.* D.—*Æmulum, quod poteris*] Mandat adolescens servo, ut munus suum verbis ornet, et militem meretricis ab amore discludat. E.

8. *Munus nostrum ornato verbis*] Ἡθικῶς, non dixit *meum*, quasi et Parmenonis sit. *Et istum*] Id est, molestum et odiosum; nam hoc significat *istum*. D.—*Munus nostrum ornato*] Charis. lib. ii. L.

9. *Ab ea pellito*] *Ab ea*, ab ejus animo; et non, *pelli facito*; sed, *pellito*. D.—Illud *Au*, quod in codd. et edd. vett. versum 10. orditur, mutatum in *Ah* apponatur nostro. B.

10. *Tametsi nullus moneas*] Properat servus carpere vaniloquium domini. Et *nullus*, pro non: sic in Hecyra, *nullus dixeris*. Plautus in Trinummo, iii. 1. 5. *nullus credas. Ego rus ibo*] Et hoc jam dictum est: sed ostendit, quam moleste id incipiat Phædria. D.—*Nullus moneas*] Hoc est, etsi non moneas; quod alio in loco ait: *nullus dixeris; alias uti possim causa hac integra.* E.—*Memini, tametsi*] Ms. *Au! memini.* L.

PAR. Censeo. PH. Sed heus tu. PAR. Quid vis? PH. Censen' posse me obfirmare
Et perpeti, ne redeam interea? PAR. Te ne? non hercle arbitror.
Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adigent horsum insomnia.
PH. Opus faciam, ut defatiger usque, ingratiis ut dormiam.
PAR. Vigilabis lassus: hoc plus facies: PH. Ah, nihil dicis, Parmeno.
Ejiciunda hercle hæc est mollities animi: nimis me indulgeo.
Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum? PAR. Hui!
Univorsum triduum? vide quid agas. PH. Stat sententia.
PAR. Di boni! quid hoc morbi est? adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoscas eundem esse? hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis severus quisquam, nec magis continens.

11. *Censen' posse me obfirmare, et perpeti*] Arbitraris: ut *Censores*, qui morum alienorum habent summum arbitrium. Et ideo hunc putant non censere, quia ipse desiderat fieri. *Posse obfirmare, et perpeti*] Verba sunt desperantis: non firmare, sed obfirmare: non pati, sed perpeti. D.—*Censeo* est ironice negantis se censere, ut audio, et similia. B.

12. *Te ne?*] *Te* quod ait, hanc vim habet, ut significet perditum amore Phædriam esse. D.—*Et* appone priori. B.

13. *Nam aut jam revertere*] Modo *jam*, pro statim. *Te adigent horsum*] Hoc est, ad urbem agent. *Insomnia*] Vigiliæ. Legitur et *adiget*, ut sit *insomnia* numeri singularis. D.—Unus cod. Faerni, et Donatus recte *adiget*. Nam *insomnia* in gen. fem. usi sunt Ennius, Pacuvius, Cæcilius, Sallustius, Suetonius, Gellius. B.

14. *Ut defatiger usque*] Ordo est, usque ut defatiger. *Ingratiis ut dormiam*] Id est, etiam invitus et coactus. Nam *ingratiis*, non ultro significat; quia ultronea grata sunt: ingrata, quæ ab inimicis (lege, *invitis*) fiunt, ac recusantibus. D.—*Opus faciam, ut defatiger*] Alexand. Aphrod. lib. ii. Problem. Διὰ τί ὁ κόπος ποιεῖ ὕπνον, etc. L.—Antiqui libri recte habent *defetiger*. Pro vulgari illo *ingratus*, et Donati, Bembinique *ingratis*, corrige *ingratiis*. B.

16. *Nimis me indulgeo*] *Me* sic veteres, quod nos *mihi* dicimus. Alibi, *te indulgebant, tibi dabant*. D.—*Nimis me indulgeo*] Ms. R. *nimis mihi*. L.—Melior ordo est in cod. Regio aliquo, *est hæc*. B.

17. *Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum?*] Sic cœpit tanquam aliquid foret dicturus magnificum: non autem est παρὰ προσδοκίαν, sed vere amator magnum hoc putat. *Vel totum triduum?*] Magna professio virtutis, cum biduo sit opus, triduo posse durare. Et *totum triduum*, dicit *universum triduum* (excidit *servus* Z.) εἰρωνικῶς: quasi sit triduum in multo numero. D.—*Ego illa* est anapæstus. B.

18. *Vide quid agas*] Sic dicitur magna aggredientibus. *Stat sententia*] Et vultu et gestu magis spectabile quod dixit *stat sententia*: vel maxime eo, quod tanto sonitu hæc de se promittat Phædria continuo rediturus, vel potius non accessurus ad villam. Tantum autem aberit, quantum temporis opus est ad vitiandam virginem. D.

19. *Quid hoc morbi est?*] Excusatio amoris, quando non culpa, sed morbus est. *Adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse?*] More suo a plurali numero ad singularem se convertit. D.—*Di boni quid hoc?*] Servus confirmatus dat consilium domino, ut rus pergat, quia meretrici antea promisit. Secum colloquitur, conquerens fortunas domini: quæ est allocutio sola continens dolorem. Generaliter tractat tamen, cum non tam de domino, quam de amore conqueritur. E.

20. *Ut non cognoscas eundem esse?*] Non solent stulti induci adolescentes: et ideo ad amorem retulit stultitiam Phædriæ. D.

21. *Minus ineptus, magis severus*] Nisi enim hoc esset, quid esset quod illum mulier præferret militi? aut quid relinqueretur proprium personæ militis, si et hic stolidus est (*esset?*) *Magis severus quis-*

Sed quis hic est, qui huc pergit? attat! hic quidem est parasitus Gnatho
Militis: ducit secum una virginem dono huic: papæ!
Facie honesta: mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo
Cum meo decrepito hoc eunucho: hæc superat ipsam Thaidem.

ACTUS SECUNDI SCENA II.

GNATHO. PARMENO.

Di immortales! homini homo quid præstat! stulto intelligens

quam, nec magis continens] Animadverte ut amet Terentius *magis* addere positivo, potius quam comparativum facere. Nam neque *severior*, neque *continentior*, tam valuit (edd. vett. recte, *voluit*) dicere, quam *magis severus*, et *magis continens*. D.—*Minus ineptus, magis severus*] Priscian. lib. iii. L.

22. *Hic quidem est parasitus Gnatho*] Hæc apud Menandrum in Eunucho non sunt, ut ipse professus est, parasiti persona et militis (cum laudet verba Prologi, legi debet: *Parasiti personam inde ablatam et militis*): sed de Colace translatæ sunt. D.—Non *quidem* in unam syllabam contrahitur, qui est error Faerni, sed *hic* corripitur. B.

24. *Facie honesta*] Οἰκονομία, qua ostenditur amaturus Chærea: siquidem hanc Parmeno ipse miratur. *Facie honesta*] Sic Virg. Æn. i. 591. *Et lætos oculis afflarat honores.* Et mox idem: *Ita me Di ament, honestus. Ni ego me turpiter hodie hic dabo*] *Ni dabo*, pro dedero. Virg. Æn. v. 542. *Quamvis solus avem cœlo dejecit ab alto.* D.—*Mirum, si ego*] Mirum est, inquit, ni turpiter ego hic accipiar. E.

25. *Cum meo decrepito hoc eunucho*] Facete *meo* ad parasitum retulit, cum pulchro munere venientem. Et præparatio est ad ducendum Chæream potius, quam deformem eunuchum. *Decrepito hoc eunucho*] *Decrepiti* sunt dicti, quorum crepitu et plangore familiæ fuerant jam conclamata funera (vid. Donat. ad Adelph. ii. 3. 11.) *Hæc superat ipsam Thaidem*] Hoc sic accipias, non vituperari Thaidem, sed tanquam ὑπερβολικῶς dici. Ideo addidit *ipsam*, quasi nimiæ pulchritudinis. Et bene *ipsam*, propter quam datur. D.—*Cum decrepito eunucho*] *Decrepiti* dicuntur magis senes; siquidem longa senectute vix loqui possunt, et tantummodo fractis vocibus loquuntur, ac sunt quasi quædam crepitacula. E.—*Hæc superat ipsam*] Priscian. lib. xv. *Papæ! hæc superat ipsam.* L.

1. *Di immortales! homini homo quid præstat*] In hac scena non stans, sed quasi ambulans persona inducitur. Constitit tamen aliquantulum, intuens spectatores, dum secum loquitur. Exprimit autem parasitum, et sub ejus verbis corruptos mores in assentationem ostendit: prorsus ut honestæ quoque personæ in hujusmodi culpa inventæ sint; ut alibi, *Obsequium amicos, veritas odium parit. Di immortales!*] Hoc jam mire, et pro seculi ac temporum reprehensione satyrice Terentius, quod apud eum *stultum* vocat simplicem parasitus, et (*se* interserunt edd. vett.) *intelligentem* malum. *Di immortales!*] Admirantis exclamatio est, cum parasiti gesticulatione. *Di immortales! homini homo quid præstat?*] Morata narratio a sententia incipi solet, quæ dicitur προμύθιον. *Homini homo quid præstat?*] Alii distingunt, *quid præstat stulto intelligens?* Alii, *stulto intelligens quid interest?* quia sic veteres loquebantur. D.—*Di immortales!*] Hæc scena exsultationem continet, in qua nihilominus parasitus loquitur, cujus de moribus et persona . . . . (Ms. alter lacunam non habet. Alter addit, *collocavit.* W. Forte leg. *cujus de moribus et persona supra, quam novam hic collocavit ex Menandro, apud quem dicitur* c. Z.) cum dixit colax, id est, adulator. Nam cum parasitorum personæ antea his moribus essent, uti plagis atque verberibus risum dominis concitarent, hic novo more artem exerceri monstratur; ut omnia omnibus consentiendo, hoc genus artis exerceat. Ita enim dixit, hanc novam personam de Græco esse translatam. Ergo hic mores exprimit suos. Et fit comparatio per qualitatem, quæ melior ars in parasito esse videatur: utrum illa quæ plagis ac verberibus vitam turpiter continebat (lege, *contineat* Z.), an hæc quæ assentando et arridendo ipsa potius habere videatur in potestate dominos. *Homini homo quid præstat?*] Sensus

Quid interest! hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.
Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.
Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum.
Quid istuc, inquam, ornati est? Quoniam miser, quod habui, perdidi: hem!

est: homini stulto homo non (Westerh. omittit *non* Z.) intelligens quid præstat, id est, præcellit. Hoc ad Sallustianum Catil. i. accedit: *Omnis homines, qui sese student præstare cæteris animalibus.* E.—*Homo hominî*] Symmach. lib. iv. ep. 66. Antiphanes: Ἀνδρὸς διαφέρει τοῦτ' ἀνήρ. L.

2. *Quid interest?*] Hoc admirantis est, et ideo sic pronunciandum. D.

3. *Conveni hominem*] *Convenisse*, non vidisse tantum, sed etiam collocutum fuisse significat. *Mei loci atque ordinis*] *Loci*, ingenium: *ordinis*, pauperem. Illud natalium, hoc fortunæ est. D.—*Mei loci atque ordinis*] *Mei loci* pauperem dicit, *ordinis* parasitum. E.

4. *Hominem haud impurum*] Non dixit prodigum: quia hoc ipsum probat: sed non avarum, non improbum. Et sic laudamus eos, in quibus nihil est quod magnopere efferamus. *Itidem patria qui abligurierat bona*] Hoc joculari vultu dicitur. Et eleganter ex persona parasiti non culpatur quod comederit bona. *Abligurierat*] Suavibus escis consumserat. Nam ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ est *ligurire*; et λιγυρὸν Græci suave appellant. D.—*Haud impurum*] Non malum. *Impuros* enim crudeles ac sævos appellant; unde et *spurcos* dicebant sævissimos; ut Tullius in Gallia * (Ms. neuter lacunam habet. Alter, *in Gallia*; quomodo legi in aliis, prior supra scriptum habet) *aqua spurce dictum commemorarent, in libera civitate. Patria abligurierat*] *Abligurire* est, leviter cibos suspensis quodammodo digitis tangere. Ut idem Terentius dixit de meretricibus: *quæ foris cum cœnant, liguriunt.* Ita adjecta præpositione, *abligurire*, plurimum consumere significat. E.—*Abligurierat bona*] Glossar. *Abligurio* καταλιχνεύω. Et *abligurítores* Jul. Firmic. lib. v. cap. 5. L.

5. *Video sentum*] Quam bene *video*, postquam dixit *conveni*: et tempus mutavit et verbum. *Sentum*] Horridum. *Sentum*] Ad horrorem retulit. *Squalidum*] Ad sordes. *Ægrum*] Ad maciem. *Pannis annisque obsitum*] Ad vestitum et ad tristitiam. Sed *pannis et annis*, μωρολογίαι parasitorum sunt. *Pannis annisque obsitum*] Vel parasitica vernilitate κατ' ὁμοιοτέλευτον dictum: vel quia Homerus Od. τ'. 360. dixit, αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι; et est miseriæ senium deditum. Unde huic magis tristitia gravitasque displicuit, aliena semper ab omnibus parasitis. *Annisque obsitum*] Bene addidit *annis*: quia ut quisque miserior est, ita senior videtur. *Obsitum*] Ut sentum dixit obsitum; μεταφορὰ ab agro. D.—*Video sentum*] Miserorum expressio his modis semper impletur, vultu, habitu corporis, atque vestitu. Ita vestitus est, quod dixit, *sentum et pannis obsitum.* Corporis habitus est, *squalidum annisque obsitum.* Vultus, *ægrum.* Sic Virg. Æn. iii. 593. *Respicimus: dira illuvies, immissaque barba, Consertum tegmen spinis.*—Et supra, Æn. iii. 591. *miseràndaque cultu, Procedit. Pannis annisque obsitum*] Obtectum intelligimus *obsitum*, unde intellectus verbi ipsius efficitur: *pannis obsitum, et annis obsitum.* E.—*Video sentum*] Apul. Florid. i. *Vultu ferino trux, hispidus, illutibarbus, spinis et pilis obsitus.* Vid. Servium lib. iii. Æneid. ad illum vers. 594. *Consertum tegmen spinis. Annis pannisque*] Hieronym. Epist. ad Eustoch. *Anus quædam annis pannisque obsita procucurrit.* Jul. Firmic. lib. iv. *pannis obsitos et pauperes.* Lib. v. cap. 9. *Erunt pauperes, despecti, vestibus et pannis obsiti.* Ammian. Marcellin. lib. xv. *frustis squallere pannorum*; et alibi apud alios. L.

6. *Quid istuc ornati? inquam*] Scire nos convenit, cum recto casu profertur interrogatio, non esse contumeliosum: ut si dicas, *quis hic homo est?* Si autem in obliquo, contemtum significari: ut, *quid hoc est hominis? quid mulieris? quid ornatus? Quid istuc ornati? inquam*] *Ornatus*, τῶν μέσων est, ad dedecus (*decus* recte habet Ms. Boend.) et ad turpitudinem. Vel simpliciter hoc accipe, vel εἰρωνικῶς. Et *ornati*, ut *senati*, antiquus genitivus. *Quod habui, perdidi*] Non dixit, id quod erat comedi, aut consumsi. D. —*Quid istuc ornati?*] Ornamenta et in malis dicimus, non solum in pulchris et melioribus. Cum supra de deterioribus dixerit, subjecit, *quid*, inquam, *ornati est?* ipse similiter paulo post, cum eunuchum mutata veste vestitum videret indecore: ut, *ita jam adornabat fugam.* Alibi: *ornatus esses ex tuis virtutibus.* E.—Pro *hem* in cod. C. C. singularis notæ reperitur *en*, ut Virg. Ecl. i. 72. *En, quo discordia cives produxit miseros!* B.

Quo redactus sum! omnes noti me atque amici deserunt.
Hic ego illum contemsi præ me. Quid homo, inquam, ignavissime?
Itan' parasti te, ut spes nulla relliqua in te esset tibi?
Simul consilium cum re amisti? viden' me ex eodem ortum loco?
Qui color, nitor, vestitus? quæ habitudo est corporis?
Omnia habeo, neque quicquam habeo: nihil quum est, nihil defit tamen.

7. *Hem, quo redactus sum!*] Vel habitum suum, vel corpus ostendens hoc dicit. Nec quicquam hic, nisi ex media consuetudine collocatum est. *Omnes noti me atque amici deserunt*] Sententiose atque mordaciter in mores. D.

8. *Hic ego illum contemsi præ me*] Hoc est illud, *Homo homini quid præstat? stulto intelligens?* D.—*Hic ego illum contemsi*] Hoc est, me considerans, illum miserum dixi. E.—*Hic ego illum*] Priscian. lib. xiv. et xv. L.

9. *Itane te parasti*] Quam objurganter? tanquam in illo sit, quod miser est. Et alibi, *Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit, Quin ita paret se, abs te ut blanditiis suis, Quam minimo pretio, suam voluptatem expleat.* Et hoc proprie verbum ad exprimendam inhumanitatem et ignaviam factum est. *Ut spes nulla reliqua in te siet tibi?*] Sententiose, ad illud quod et Virgilius, Æn. xi. 309. ait, *Ponite: spes sibi quisque. Ut spes nulla reliqua in te siet tibi?*] Bene, quasi qui rem a fortuna acceperit. D.—*Esset* probatur a Faerno, quod non modo sit in cod. Bemb. sed et habeat sensum elegantiorem. Ego probo *sit*, cum sermo sit de præsenti tempore. *Siet*, quod, tribus exceptis, nostri habent, nihili facio, quia id ipsum pronunciandum erit *sit*. B.

10. *Simul consilium cum re amisti?*] Virg. Æn. ii. 79.—*nec si miserum fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.* Et Sallustius, Jug. i. *Neque fortuna eget: quippe quæ probitatem, industriam, aliasque bonas artes neque dare neque eripere cuiquam potest.* Ergo hæc interrogatio, increpantis est; nec desiderat responsionem. Nam *consilium* in bonis animi: *res* in potestate fortunæ. *Ex eodem ortum loco?*] Ex eadem fortuna. D.—*Ex eodem ortum loco?*] Scilicet, quia supra dixit, *quendam mei loci atque ordinis.* E.

11. *Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis?*] Hoc contra illud, *Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum. Color* ergo ad *sentum: nitor* ad *squalidum: vestitus* ad *pannis annisque obsitum: habitudo corporis*, ad *ægrum* refertur. *Quæ habitudo est corporis?*] Plautus in Epidico, i. 1. 8. *Corpulentior hercle, atque habitior.* D.—*Qui color*] Hoc est quod supra positum, *video ægrum. Nitor, vestitus*] Quod supra dixerat, *sentum. Quæ habitudo*] Id est, annis obsitum, cum contra Virgilius dixisset, Æn. iii. 590.—*macie confecta suprema.* Hic interrogatus ille nescio qui, cur tali habitu et miseria esset ornatus, docet illam quæ in parasitis antea fuerat * ideo (In neutro Ms. lacuna est. W. Forte sensus loci restitui potest ita: *docet vitam, quæ in p. a f. et ideo subjicit* Z.) subjecit: *At ego infelix, neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.* Itaque utrumque quod in disciplina fuerat, brevi responsione concludit, quod et *ridiculus* antea fuerit et *verberatus.* At contra Colax parasitus, quod nunc melius artis genus parasitorum esse videatur, idque dicit a se primum institutum; propterea quod est hominum genus, qui omnium rerum sibi vindicant principatum, quos, sectando et consensum his commodando, facile in amorem tuum possis inducere. Exinde natum dicit parasitorum hoc genus, ut colaces sint. E.—Distingue et lege sic: *Qui color, qui nitor vestitus.* Parasiti enim, ut statim agnoscerentur, in scenam prodibant ἐσθῆτι μελαίνῃ ἢ φαιᾷ, veste atra vel pulla: vid. Poll. iv. 18. Igitur *color* et *nitor* ad vestitum pertinent. Gnatho suum vestitum nitidum opponit pallio sordido et obsoleto popularis. *Habitudo* est corpulentia: cf. infra ii. 3. 23. B.

12. *Omnia habeo*] Ad *quod habui, perdidi. Neque quicquam habeo*] Ad *mei loci atque ordinis hominem. Omnia habeo*, ad industriam retulit: *neque quicquam habeo*, ad fortunæ culpam. Et item denuo, fortunæ crimen, *quum nihil est*, ad suam laudem, *nihil defit tamen. Omnia habeo, neque quicquam habeo*] Alterum horum neutrumve potest cuivis accidere: utrumque nulli. *Nihil cum est, nihil defit tamen*] Figura ὀξύμωρον. Ut apud Virg. Æn. xi. 695. *sequiturque sequentem.* Et Cicero Catil. i. 8. *Cum tacent, clamant.* D.—*Omnia habeo, neque quicquam*] Libanius Declam. xi. in Parasito: ἐπλούτουν οὐδὲν κεκτημένος, ἐτρύφων οὐδὲν ἀναλίσκων. *Nihil defit*] Priscian. lib. v. L.

At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati
Possum. Quid? tu his rebus credis fieri? tota erras via.
Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seclum prius.
Hoc novum est aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt: hos consector: hisce ego non paro me ut rideant;
Sed his ultro arrideo, et eorum ingenia admiror simul.
Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque.
Negat quis, nego: ait, aio: postremo, imperavi egomet mihi,
Omnia assentari: is quæstus nunc est multo uberrimus.

13. *At ego infelix*] Jam transit ἀπὸ τοῦ μιμητικοῦ πρὸς τὸ πρακτικόν. *At ego infelix neque ridiculus*] Vehementer invectus est in tempora et mores poeta, sub hac persona: in qua hominem ita inducit pœnitere probitatis suæ, ut se infelicem, non honestum dicat. Et non, *nolo*: sed *non possum*. D.—*Neque ridiculus*] Gloss. Latinæ. *Scur, qui res ridiculas dicit et facit. Scurra, parasitus, bucellarius.* Plaut. in Captivis iii. 1. 10. *Miser homo est.* Nicolaus apud Stobæum Serm. lxiv. δεῖ σκοπτόμενον ἐφ' ἑαυτῷ γελᾶν. Liban. Declam. xi. in parasito: ἐπιτήδειος δὲ σκώμματα εἰπεῖν καὶ ᾆσαι μέλος, καὶ ὀρχήσασθαι ὡς ὀλίγοι, καὶ μιμήσασθαι, καὶ τοιοῦτος ὢν ἴσχον ἃ ἐβουλόμην. Vid. Athen. dipnos. lib. vi. *Neque plagas pati*] Axionicus apud Athen. dipnos. lib. vi. c. 9. πληγὰς ὑπομένων κονδυλίων καὶ τρυβλίων ὄστῶν τε. Nicolaus apud Stobæum Serm. lxiv. γνάθον ἀκάματον, εἰθὺς δυναμένην πληγὰς φέρειν. Plaut. Captivis i. 1. 20.—*Qui colaphos perpeti Potis parasitus, frangique aulas in caput.* Vid. Sidon. Apollin. epist. 13. lib. iii. L.

14. *Quid? tu his rebus credis fieri?*] Dum quis ridetur, aut vapulat. *Tota erras via*] Παρόμοιον per μεταφοράν. D.

15. *Apud seclum prius*] Scilicet cum essent tempora meliora. D.

16. *Hoc novum est aucupium*] Vide quid intersit, cum illud *quæstum* dicat, hoc *aucupium*: illud de sapientibus, hoc de stultis. *Inveni viam*] Adeo novum est aucupium. D.

17. *Est genus hominum*] Quia multi sunt hujusmodi, non dixit, *homines sunt*, sed, *est genus hominum*. D.—*Qui se primos omnium*] Omnium rerum primos: in omnibus primos. E.

18. *Hisce ego non paro me ut rideant*] Quia ille dixerat, *ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum*. D.

19. *Sed his ultro arrideo*] Quid est, *his arrideo?* aut veluti pareo, id est, obsequor: aut veluti dictis delector. Atque *arrideo*, non sicut in parasitis fieri solet, ut his arrideatur a regibus, quum potius ipsi dictis factisque rideant alienis, hic esse intelligendum, etiam res ipsa indicat ex contrario. Nam quod ait supra, *his ego non paro me ut rideant*, hoc e contrario ostendit, quod subjiciatur ex dictis, *Sed his ultro arrideo*] *Ultro*, versa vice, an prior? an etiam insuper, hoc est, ultra? *Admiror simul*] Plus intulit, quam si *laudo* dixisset. D.—Pro *his* repone *eis*, versus gratia. B.

20. *Quicquid dicunt*] Non, *quod dicunt*: sed, *quicquid dicunt*, id est, bene vel male; ne vel (*veluti* Z.) si interclusa fuisset assentatio, se impediat, quod contrarium laudaverit. *Id rursum si negant, laudo id quoque*] Præclare Terentius, quod a Satyrico de aliis diceretur, id hic de se dicentem inducit, facetius multo, quam si aliter fecisset: scilicet καθαπτόμενος mores temporum jam tum vitiatos per assentationem, quod fere in plerisque fabulis monstrat. Ut etiam in Andria: *Nam hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit.* Et in Adelphis:—*quod te isti facilem et festivum putant, Id non fieri ex vera vita: neque adeo ex æquo et bono: Sed ex assentando, indulgendo, et largiendo.* D.—*Quicquid dicunt laudo*] Eupolis apud Athen. dipnosoph. —ἐπειδὰν Κατίδω τιν' ἀνδρ' ἠλίθιον, πλουτοῦντα, δ' εὐθὺς περὶ τοῦτον εἰμί. Κἂν τι τύχῃ λέγων ὁ πλούταξ, πάνυ τοῦτ' ἐπαινῶ καὶ καταπλήττομαι, Δοκῶν τοῖσι λόγοισι χαίρειν. Inde apud Quinctilian. declam. 296. *Quid enim est parasitus? Comes vitiorum, turpissimi cujusque facti laudator.* Vid. Joh. Sarisberiens. Polycrat. lib. iii. cap. 4. lib. viii. cap. 3. L.

21. *Negat quis? nego*] Bene sic dixit: *negat* et *ait* contraria sunt. Ut Plautus in Rudente, v. 11. 44. *Vel tu ais, vel tu negas.* D.—*Negat quis? nego*] Cicero de Amicitia: *Quid potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur? Negat quis? nego; ait? aio: postremo imperavi egomet mihi omnia assentari, ut ait idem Terentius, sed ille sub Gnathonis persona.* Vid. Cassiodor. de amicit. cap. 14. L.

22. *Is quæstus nunc est multo uberrimus*]

PAR. Scitum hercle hominem! hic homines prorsum ex stultis insanos facit.
GN. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus;
Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes;
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores,
Quibus, et re salva et perdita, profueram, et prosum sæpe:

Quam ille apud seculum prius fuerat. Et vide, quemadmodum illiberalem vitam honestiore nomine primo *aucupium*, post etiam *quæstum* nominaverit. ΠΟΠΟΚΑΡΗC • hic inducens. (Edd. Venett. non habent vocem Græcam. Forte legi debet: ΠΤΙΑΡΟΝ ΚΕΡΔΟC *sic inducens*. Sane enim illiberalem vitam honestiore nomine tegens *sordidum quæstum* inducit, h. e. tegit, obliterat). D.—*His quæstus nunc est*] Et concludit, hanc parasitorum sectam omnibus esse potiorem. E.—*Is quæstus nunc est multo uberrimus*] Menander: Ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται. Πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων· Δεύτερος ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτος. L.—Menander, citante G. Fabricio, ita: Πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων. W.

23. *Scitum hercle hominem!*] Mire Terentius longæ orationi interloquia quædam adhibet, ut fastidium prolixitatis evitet; velut nunc Parmeno procul audiens Gnathonem, hæc loquitur. D.—*Scitum hercle hominem*] *Scitum* inquit, id est, elegantem; *ἐλεγεῖα*. Quod autem dixit, hunc facile ex *stultis* reddere *insanos*, certa ratione concludit, quod semper insanos faciat prava laudatio. Ut Sallust. E.

24. *Interea loci*] Duæ partes orationis cum conjunctæ unam fecerint, mutant accentum. D.—*Interea loci ubi ad macellum*] Significat jam *interea loci*, nihil aliud tenere nisi interim; ut *loci* adjectio sit, nihil significans. E.—In Bembino, et, teste Rivio, in aliis codd. est *adventamus*. Sed vera lectio est *advenimus* præsentis temporis. Nam non modo consensu codd. sed et consuetudine Terentii comprobatur. B.

25. *Concurrunt læti mi obviam*] Et multos et properos uno verbo ostendit, et ex adverso ad se festinantes. *Cupedinarii*] Varro humanarum rerum, *Numerius Equitius Cupes*, inquit, *et Romanius Macellus, singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. His in exilium actis publicata sunt bona, et ædes, ubi habitabant, dirutæ: eque ea pecunia scalæ deum penatium ædificatæ sunt. Ubi habitabant, locus ubi venirent, ea quæ vescendi causa in urbem erant allata. Itaque ab altero Macellum, ab altero forum Cupedinis appellatum est. Cupedinarii*] Omnes qui esculenta et poculenta vendunt, a rebus cupedinis ob alimentum *cupedinarii* appellantur. Et ipse subjecit, qui accipiendi sunt (lege *sint* ex cod. Boend. et ed. Du B.) cupedinarii. D.—*Cupedinarii omnes*] *Cupedinarii* sunt qui cupiditatibus populi serviunt, quos omnes enumerat. E.—Libri quidem hic *cuppedinarii* habent; sed cum a *cuppediis* originem habeat, analogiæ lege scribe *cuppediarii*. B.

26. *Lanii*] Qui laniant pecora: unde et *lanistæ* dicti, qui laniendis præsunt gladiatoribus. Sic et *Macellum* a mactandis pecoribus dictum. *Piscatores*] Qui recentem piscem præbent. *Fartores*] Qui insitia et farcimina faciunt (Festo *fartores* etiam dicuntur *nomenclatores*, quod clam velut infarcirent nomina salutatorum in aurem candidati). *Cetarii*] Qui cete, id est, magnos pisces venditant, et bolonas (h. e. universos retis jactus simul vendunt: βόλος jactus) exercent. *Cetarii, lanii, coqui, fartores*] Ἀμάρτημα comicum: in palliata Romanas res loquitur (Negat Dacieria hæc posteriora verba esse Donati, qui non videatur ignorasse hoc genus hominum Athenis æque ac Romæ fuisse. Id quod non solum patere ex Aristophane, sed et ex Plauto, qui in Trin. ii. 4. 6. eosdem commemoret cupedinarios Z.). D.—*Cetarii* sunt, qui salsamenta vendunt: nam *cetariæ* dicuntur bolonæ. *Cete* genere neutro pisces sunt, qui ad salsamenta proficiunt. *Lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes*] *Aucupes* sunt cupedinarii omnes. *Fartores* dicimus qui farciunt, ut in meliorem sagena (leg. *saginam*) pinguescant. E.—Nonnulli versui addunt *aucupes;* quod vero cum nec Donatus, nec Bembinus cod. nec Cicero de Offic. i. habeat, delendum est versui inutile. B.

27. *Quibus et re salva*] Cum de meo impenderem. *Et perdita profueram*] Cum de alieno nansciscor et expendo (Liber uterque habet *manticinor et impendo*. Illud, quod etiam in edd. Venett. reperitur, videtur signif. *clam argento emungere, suppilare;* a *mantica:* cf. Plaut. Capt. iv. 2. 116. Eædem edd. ipsum habent *impendo*). *Sæpe*] Expletivæ significationis est. D. —*Quibus et re salva et perdita*] Supra dixerat hic parasitus de alio, *itidem patria qui abligurierat bona*. Unde et se bona

Salutant; ad cœnam vocant: adventum gratulantur.
Ille ubi miser famelicus videt me tanto honore,
Et tam facile victum quærere; ibi homo cœpit me obsecrare,
Ut sibi liceret discere id de me: sectari jussi;
Si potis est, tanquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis
Vocabula, parasiti item ut Gnathonici vocentur.
PAR. Viden' otium, et cibus quid faciat alienus? GN. Sed ego cesso

quoque patria consumsisse. Ergo sensus hic est: Quibus cupedinariis et de meo patrimonio demens ad victum necessaria profueram, et de alieno cum aliis obsonaram. Hoc enim dixit: *quibus et re salva*, cum integrum patrimonium haberem, cum de meo emerem; et *perdita*, cum consumto patrimonio de aliena re mercater. E.

28. *Ad cœnam vocant*] Utrum ad emendam cœnam? an ad convivium? *Adventum gratulantur*] Accusativum casum pro dativo, pro *adventui gratulantur*. Et *adventus* proprie exspectatorum necessariorumque dicitur. D.—*Salutant, ad cœnam vocant*] Quidam intelligunt *ad cœnam vocant*, invitant. Solet enim advenientibus cœna promitti. Plautus in multis comœdiis:—*advenienti quid tibi cœnæ dabitur?* Sed melior sensus est, *ad cœnam vocant*, hoc est, ad emenda quæ in cœna sunt necessaria. Hoc est verisimile, quod qui aliquid vendat, lucrum potius velit ab eo, quam ad se venire, aut quiddam per obsequium velle. E.

29. *Ille ubi miser famelicus videt me*] Hic ostendit, quæ res coegerit ad discendum: et simul vide secundum vulgi opinionem loqui parasitum, *miserum* et *famelicum*, hominem honestis moribus præditum. *Ille ubi miser famelicus videt me*] Vide ut sententiose demonstret malos ex bonis contagione fieri, exemplis in pravum prævalentibus. Videt, mihi hoc prodesse, et discere optat, quod negabat se posse. *In tanto honore*] Quia concurrunt, salutant. *Famelicus* a fame et edendo dictus est, quasi famedicus. D.—*Me tanto honore*] Al. *me esse in tantum honorem*. L.—Bembinus habet *videt mihi esse tantum honorem*. Sed cæteri Faerni et nostri libri cum edd. vett. recte sic: *videt me esse tanto honore*. B.

30. *Tam facile victum quærere*] Quia ad cœnam vocant. *Ibi*] Pro tunc. *Homo*] Mire addidit *homo*; aut additum supervacue *homo*. Ut, *Donat habere viro, decus et tutamen in armis*, Æn. v. 262. D. —*Facile victum quærere*] Hic vere quasi quidam intellectus superior ille explicatur, quod dixit *ad cœnam vocant*; ut inde intellexerit ille nescio qui, *facile* quærat victum (Lego: *quam facile quærat victum*). Quamquam et, si ad cœnam emendam intelligat, nihilominus poterit cognoscere, facile sibi parasitos victum quærere. E. —*Et* appone superiori. B.

31. *Ut sibi liceret discere*] Quasi disciplinam, aut artem. Tantum auctoritatis criminum felicitas sumsit! *Discere id de me*] Magis, *de illo*, et *de me*, veteres dicebant; quam ut nos dicimus, *a me*, aut, *ab illo*. *Sectari jussi*] Proprie; nam et *sectæ* philosophorum ab eo dictæ sunt. D.

32. *Ex ipsis*] Philosophis scilcet. *Ex ipsis vocabula*] Ut Pythagorica, Platonica (sc. *disciplina*: nisi malis cum Wielingio corrigere, *Pythagorici*, *Platonici*). Hoc igitur non est consequens ad illud, quod vult dicere: nisi forte *disciplinam* pro discipulis posuerit. D.—*Tanquam philosophorum*] Nomina disciplinæ apud philosophos sæpe ab auditoribus (forte, *auctoribus*) videntur imposita, ut a Platone Platonici, ab Epicuro Epicurei. Ita hic parasitus exsultans, novamque disciplinam parasitorum cum adulatione complens, dicit suum nomen imponi, quod ipse eam primus invenerit; si quis se parasitus huic nationi et actui voluerit applicare, ut Gnathonicus esse dicatur. E.—Lectio Bembini *disciplinam* est inepta. Sed duo Regii habent *discipuli*. Bene. Nam ita viri viris opponuntur, discipulis parasiti. B.

33. *Parasiti item ut Gnathonici vocentur*] Non hoc intulit, quod cœperat dicere: nisi forte *disciplinam* pro discipulis accipimus. D.—Nec *ita* cum Bembino, nec *itidem* cum aliis codd. sed *item* versus exigit. Faernus apud B.

34. *Viden' otium et cibus quid faciat alienus?*] Rursus Parmeno et facetias dicit, et distinguit longiloquium parasiti. *Quid faciat*] Legitur et, *quid facit*: ut sit figura per modos, pro, *quid faciat*. D.—*Viden', otium, et cibus*] Duo ad detrectationem posuit. *Otium*, cum neque animus, neque corpus excitus curationem humanitatemve cognoscit. Verum istud parum est, adjecit, *cibus alienus*, ut et devinctus sit jam nulla cogitatione. E.—*Viden', otium, et cibus*] Dionysius P. P. Epistol. ad Seve-

Ad Thaidem hanc deducere, et rogitare ad cœnam ut veniat?
Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video,
Rivalis servum: salva res est: nimirum homines frigent.
Nebulonem hunc certum'st ludere. PAR. Hice hoc munere arbitrantur
Suam Thaidem esse. GN. Plurima salute Parmenonem
Summum suum impertit Gnatho, quid agitur? PAR. Statur. GN. Video.
Numquidnam, quod nolis, vides? PAR. Te. GN. Credo: at numquid aliud?

rum: *Vos otiosi vultis comedere alienum cibum, videte ne in vos illud conveniat: Vide quid faciat otium et alienus cibus.* In Ms. R. *ἀντὶ τοῦ faciat, facit* erat: ut et postea *rogare*, pro *rogitare*. L.—Recte *facit* habent libri plerique, ut et versus ratio exposcit. B.

35. *Hanc deducere*] Proprie. Nam *ducitur* quis ad supplicium: *deducitur* ad lætitiam (Aut hæc a Donato non sunt, aut ea sunt spuria, quæ notantur infra ii. 3. 85. *Abducimur, unde volamus; ducimur, quo volumus.* Et sane promiscue usurpantur *ducendi, abducendi, et deducendi* verba. Sic supra ii. 1. 23. et mox versu 51.). *Et rogitare ad cœnam*] Vide parasitum magis optare ad cœnam Thaidem vocari, quam munus capere. D.—Omnes codd. Faerni et nostri habent *rogare*. B.

36. *Thaidis*] Legitur et *Thais*. D.—Versui claudicanti alii aliter mederi conantur. Pro *Thaidis* Faernus vult *Thaeidis*; Muretus, *meretricis*; alius, *mulieris*; alii, satis imperite, post Thaidis inferciunt *ego*. Ego pro *Thaidis* reponendum puto *opperiri*. B.

37. *Salva res est*] Quia et ante ostium et tristem video, *salva res est*. Nec hoc valet ad lætitiam, quod Parmeno est, sed quod rivalis servus. *Salva res est*] Proverbialiter. D.—*Rivalis servum*] *Rivales* dicuntur qui unam amant, vel meretricem, vel amicam; quod quasi uno rivo amoris utantur. *Salva res est*] Hic sensus est: Integra nobis sunt omnia, siquidem adversarii ante ostium stantes, propterea frigide agunt. E.—Post *nimirum* versus gratia repono *hice*. B.

38. *Nebulonem*] Vel furem, quia nebulas objiciat: vel mollem, ut nebulam: vel inanem et vanum, ut nebula est. *Hice*] Pro *hi*, vetuste. Virg. Ecl. iii. 102. *His certe neque amor causa est; vix ossibus hæret*: quia *hisce* debebat dicere. *Hice hoc munere arbitrantur*] Non immerito Gnathonem deridet Parmeno, qui penitus noverit meretricis consilium. D.—*Nebulonem*] Vel vanum, ut nebula est: neque enim aliquod corpus vel ulla soliditas: vel *nebulonem* furem; quoniam nebula semper utuntur. Homerus, Il. γ. 11. Κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω. *Hicce hoc munere*] *Hicce* nominativus pluralis; quo hi credunt exinde suam Thaidem esse, quod tale munus adducit. E.—*Hice hoc munere*] Priscian. lib. xii. L.—Etsi alii malunt legi *hisce*, adeo ut *s*, auctore Prisciano, euphoniæ causa sit insertum; ego tamen malo sequi analogiam, et cum tribus codd. legere *hice*. B.

40. *Summum suum*] Ἕλλειψις. *Summum suum impartit Gnatho*] Hæc tota locutio parasiticæ elegantiæ, et simul *εἰρωνείας* plena est. Nam et plurimam dicit ei salutem, quem ne exiguam quidem velit continere (leg. *retinere*, s. *consequi re*. Z.): et summum dicit eum, qui nec levis amicus sit sibi: et *Parmenonem Gnatho*, non *ego te*. *Summum suum*] Quam venuste, quod summum amicum non resalutet Parmeno. *Quid agitur?*] Pro blandimento, non pro interrogatione nunc ponitur, ut, *O noster, quid fit? quid agitur? Quid agitur? statur*] Pro, *quid agis? sto*. Et facete: nam stat, cui ingredi non licet (Lego: *statur, cum ingredi non libet*. Cujus lectionis vestigia sunt in edd. vett. Atque quia ex mente Donati facete dixit Parmeno, *statur*, ea vox explicanda erat, et ratio, cur facete dictum videretur, addenda. Et quidni liceret Parmenoni ingredi, jusso dona deducere ad Thaidem). D.—*Impertit*] Participem facit. E.—*Summum suum impertit*] Priscian. lib. viii. L.

41. *At numquid aliud?*] Cum jurgio hio de illo respondit; et ideo repetit dictum Gnatho. D.—*Num quidnam hic, quod nolis?*] Hoc dicit Parmenoni objiciens virginem in aspectum; quod cum videre se Parmeno frequenter dissimulasset, etiam frequenter objectum parasitus interrogare maluit. *Sed quid videtur tibi hoc mancipium?* ut tam pulchra virgo mancipium diceretur. Deinde nunciat irridens servum, hoc munus Thaidi mitti: quod quidem ille cognoscit; idcirco dicit, quod

PAR. Qui dum? GN. Quia tristis es. PAR. Nihil equidem.
GN. Ne sis: sed quid videtur
Hoc tibi mancipium? PAR. Non malum hercle. GN. Uro hominem. PAR. Ut falsus animi est!
GN. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse? PAR. Hoc nunc dicis,
Ejectos hinc nos: Omnium rerum, heus, vicissitudo est.
GN. Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum reddam:
Ne sursum, deorsum cursites, neve usque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? PAR. Men'? papæ! GN. Sic soleo amicos. PAR. Laudo.
GN. Detineo te: fortasse tu profectus alio fueras.
PAR. Nusquam. GN. Tum tu igitur paululum da mihi operæ: fac ut admittar

dominus suus intelligatur exclusus. E.—Nostri omnes, præter unum, ante *quod* habent *hic*, uti sensus postulat. B.

42. *Qui dum?*] Interrogat interrogantem, ne ipse respondeat. *Nihil equidem*] Dicens *nihil*, mutavit vultum Parmeno in lætitiam. Ideo illi facete Gnatho agenti hoc ipsum, *ne sis*, dixit: ut probaret tristem fuisse. *Nihil equidem*] Pro *non*: ut infra, *Nihil dixit ut sequerer se* (lege, *sequerere sese*. Verba Pythiæ ad Chremetem: iv. 5. 9.). D.—Versus postulat *tristi's*, et, *nil quidem*. B.

43. *Hoc tibi mancipium?*] Ταυτολογία: *mancipium* dicit puellam, aut virginem. *Non malum hercle*] Inimica laudatio. *Uro hominem*] Sibi hoc gestu et vultu parasitico dicit; et pro eo quod est, dolere cogo (edd. Venett. et Ms. Boend. *Et* URO pro *eo, quod est, dolore angor*. Lege *ango*, et habebis scripturam Donati: nisi malis cum Fr. Jureto, cujus emendationem laudat Barthius ad Stat. Theb. ii. 300. legere *coquo*). *Ut falsus animi est?*] Similiter et Parmeno secum gestu servili; et *animi* pro animo, ἀντίπτωσις veterum, qui, *ingens es virium*, et *dives es opum*, amabant dicere. *Ut falsus animi est?*] Ex hoc falsus animi est, quod putat, hujusmodi munere capi posse Thaidem. D.—Omnes codd. *animo*. Illud *animi* Donato debetur. Tres egregii recte legunt *es*. B.

44. *Quam hoc munus gratum Thaidi?*] Mire insultat Gnatho. Quanto enim magis munus gratum fuerit, tanto erit rivalis exclusior. D.—Omnes nostri *dices*. Minus recte. B.

45. *Omnium rerum, heus, vicissitudo est*] Vide locum in quo erumpere dolor Parmenonis potuit, nisi commissa servaret, et celaret Thaidis consilium. D.—*Omnium rerum, heus, vicissitudo*] Ubique servis Terentius vehementes gravesque sententias applicavit, ut in Andria Sosia dixit: *ut ne quid nimis*. Est enim astutum servorum genus, et satis ad intelligendum mente versutum. Sensus est: nihil in proprio statu perpetuo permanere, sed verso ordine in diversas vices cuncta mutari. E.

46. *Sex ego te totos, etc.*] Quid est *totos?* an diebus et noctibus? utpote amatoris servum: ac per hoc sine ulla cessatione et intermissione (Forte ita: *an de diebus et n.? u. a. s. qui percurrebat huc illuc sine u. c. et i.* Z.). *Hos menses*] *Hos*, qui nunc aguntur, id est, hoc tempore. *Quietum reddam*] Facete; quasi hoc ipse fecerit; et hoc est quod ait, *Plurima salute Parmenonem summum suum impartit Gnatho*: tanquam amico consulat. D.—*Sex ego te totos*] Familiare Terentio *sex menses* dicere: est enim dimidia anni pars; unde non paululum tempus sic alibi, *Ac non prius sex mensibus olfecissem?* E.

47. *Ne sursum, deorsum cursites*] Quod est laboris. *Neve usque ad lucem vigiles*] Quod est exitii. D.

48. *Sic soleo amicos*] Hoc εἰρωνικῶς. D.—*Ecquid beo te?*] Hoc est, beatum te reddo. E.

49. *Detineo te*] Valde teneo. *Fortasse tu profectus alio fueras*] Vult exprimere confessionem, quod ad Thaidem venerit, sed intrare non possit. D.—*Profectus alio fueras*] In multis scriptis libris additur, *si te non detinuissem*. Sed illud emblema est manus sinistræ. L.

50. *Paulum da mihi operæ*] Hoc quasi supplicantis vultu ad irrisionem dicitur. *Paulum da mihi operæ*] Proprie sic dicitur, *adjuva me*. Sic in Adelphis, *Hæc opera ut data sit*. D.—*Tum tu igitur paululum*] Pulchra parasiti illusio, ut cum ipse ad-

Ad illam. PAR. Age modo, nunc tibi patent fores hæ, quia istam ducis.
GN. Num quem evocari hinc vis foras? PAR. Sine biduum hoc prætereat.
Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,
Næ tu istas, faxo, calcibus sæpe insultabis frustra.
GN. Etiam nunc hic stas, Parmeno? eho! numnam hic relictus custos,
Ne quis forte internuncius clam a milite ad istam curset?
PAR. Facete dictum: mira vero, militi quæ placeant.
Sed video herilem filium minorem huc advenire.
Miror, quid ex Piræo abierit; nam ibi custos publice est nunc.
Non temere est; et properans venit: nescio quid circumspectat.

ducat munus, nunciari ab adversario servo velit. Cum (lego: *Quam*) enim stultum est, cum adversarius adversarium nunciat dona esse missurum. E.

51. Nunc tibi patent fores hæ] Ex eo quantum licere oportuit ostendit, * quam misere nihil illi liceat Parmenoni (in edd. vett. sine lacunæ signo, *nihil ille liceat*. Legerim: *Ex eo, quantum licere oporteat, at quam misero sibi nihil liceat, ostendit Parmeno*). *Quia istam ducis*] Hoc quasi ad Gnathonem: sed lente, ac sub lingua murmurat. D.—Metro ut consulas, lege, *patet foris hæc*. B.

52. Num quem evocari hinc vis foras?] Quia ipse intrare non potest. *Sine biduum hoc prætereat*] Et hoc lentius. Nam si aliter pronunciaveris, secreta proditur. D.—*Nunc quem evocari*] Et hæc arte tractata sunt. Nam cum parasitus domum fuisset ingressus, Parmenoni dicit, an aliquem sibi velit *evocari*, tanquam ipse ingrediendi jam non habeat potestatem. *Sine biduum hoc*] Scit enim dominum affuturum; et ita eum meretrici absentiam promisisse. E.

53. Qui mihi] *Mihi τῷ ἀντικειμένῳ* dictum est. *Fortunatus*] Ut ipse videris tibi. D.—Lege hic quoque in sing. num. *forem*, et versu sequente pro *istas* repone *istanc*. B.

54. Næ tu] *Næ* valde. *Næ tu istas, faxo, calcibus*] Mira eloquentia, in qua utraque *ὑπερβολὴ* expressissima est. Nam neque *uno digitulo* minus aliquid dici potest: neque *calcibus sæpe insultabis*, aut amplius aut ingentius. *Insultabis fores*] Sallustius (in Fragmentis), *multos tamen ab adolescentia bonos insultavit*. D.—*Calcibus sæpe*] Frustra in fores exsultabis calcibus, hoc est, insilies. E.

55. Numnam] Hic *nam* abundat: ut *quidnam*. *Relictus custos*] Bene *relictus*: quasi ab excluso. D.—*Etiam nunc hic*] Per silentium intelligimus parasitum jam ingressum esse ad meretricem, et dona tradidisse, non ingredi Parmenonem, et nunc stare ante ostium. E.—Lege *Etiamne tu hic stas*, uti habet unus cod. cum edd. vett. sed omisso *ne*. B.

56. Ne quis forte internuncius] Proprie, *internuncius*. *Ne quis forte intcrnuncius*] Ex his verbis datur intelligi, parasitum e domo meretricia egredi. *Ne quis forte internuncius clam a milite ad istam cursitet?*] Et hoc facete: quasi ipse sibi Thaidem totam vindicaverit, quod miles facit. D.—Male codd. *cursitet*, versu postulante *cur, sed*. B.

57. Facete dictum] *Εἰρωνικῶς*, quia inficete. *Mira vero militi quæ placeant*] *Mira*, pro mirum. Virg. Æn. i. 669. *Nota tibi*. Et est *ἐλλειπτικὸν*. Quid mirum est, inquit, facete loqui eum, qui militi placeat? Potest tamen et pluraliter intelligi. D.—*Facete dictum*] Suave, jucunde. E.—*Militi quæ placeant*] Serv. Æneid. i. 669. *Nota tibi, et neutro*. L.

58. Sed video herilem filium] Non potest Terentius *τρόφιμον* proprie dicere: ideo *herilem filium* dicit. D.—*Sed video*] Ms. *Sed videon'*. L.

59. Miror quid ex Piræo abierit] Hic causa ostenditur, cur potest ignotus esse vicinis, et pro eunucho fingi. *Miror*] Pro nescio. *Miror quid ex Piræo abierit*] Ut ex Piræo discederet, symbola amicorum: ut huc perveniret, omisso negotio, aspectus virginis fecit. *Nam ibi custos publice*] Adversus prædonum incursus illic excubabat juventus Attica. *Piræum*, ut *Sunium*, est maritima et accessu littoris pars clementior. *Publice est nunc*] *Nunc* ambigua distinctione positum est. D.—*Ex Piræo*] Locus est mari vicinus juxta Athenas, aptus ad voluptatem.

ACTUS SECUNDI SCENA III.

CHÆREA. PARMENO.

OCCIDI.
Neque virgo est usquam: neque ego, qui illam e conspectu amisi meo.
Ubi quæram? ubi investigem? quem perconter? quam insistam viam?
Incertus sum: una hæc spes est, ubi ubi est, diu celari non potest.
O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.

Denique commemorat postea adolescens, illic sibi convivium præparasse. Quibus Chærea est ..... præpositus cœnam contubernalibus præparet (Ms. uterque: *Quibus Chærea præpositus cœnam contubernalibus præparat.* W. Eugraphius hic recensere voluit causas, cur adventus Chæreæ Parmenoni mirabilis sit visus; nempe loci *amœnitatem*, convivii *apparatum, et custodiam* publicam. Z.) Ideo adjecit, *nam ibi custos publice est nunc.* E.

60. *Non temere est*] Ut Virg. Æn. ix. 375. *Haud temere est visum. Et properans venit*] Mire locuturum ante formavit, ut gestus verba præcedant, verba habitum consequantur. D.—*Non temere*] Non passim, non sine causa. E.

1. *Occidi*] In hac scena novus amor adhuc ephebi, et consilium potiundæ virginis demonstratur: tanta virtute poetæ comici, ut hoc commentum non quæsitum esse, sed occurrisse sua sponte videatur. *Occidi: neque virgo est usquam*] Non habuit quid dicere debeat aliud, properans et circumspiciens, nisi *occidi. Occidi*] Produc mediam syllabam verbi hujus, et contrarium significat. D.—*Occidi*] Hæc scena prima parte quæstionem tenet, quod impeditus sit, cum virginem sequeretur, in cujus amorem inciderat, quo minus eam deduceret, et, ubi habitaret, agnosceret. Post cognitionem fit agnitio, ubi maneat, servo indicante. Efficitur deliberatio, an ad eam pro eunucho ire debeat. Illæ divisiones plenæ sunt suasoriis verbis, ab utili, ab honesto, ab eo quod fieri potest: quas, ut æquum est, suo loco per ordinem tractabimus. Nunc ad conquestionem revertamur. E.

2. *Neque ego, qui illam e conspectu amisi meo*] Amatorie, dum illam non invenit, et se perdidit. D.

3. *Ubi quæram?*] Hoc circumspectantis est. *Ubi investigem?*] Plus intulit. *Quem perconter?*] Hoc tertium plus intulit. Nam ubi nec vestigia reperiuntur, superest interrogatio. *Quam insistam viam?*] Si nec, qui interrogetur, apparet. *Quam insistam viam?*] Et, *qua via*, legitur. D.—*Ubi quæram*] *Quærere* est, alicubi rem repositam persequi, investigare, suspicione aliquid, ubi lateat, inquirere. D.—*Quem perconter?*] Quem interrogem? Inter percontationem et interrogationem hoc interest, quod percontatio responsionem habet, non aut * (In Ms. neutro est lacuna. Lego: *non autem*) ex scientia confirmante, vel ex narratione: cum dicimus ubi habitat, hic enim hoc nescire se dicit responsurus * est in via (Ita Ms. uterque, sed sine lacuna), vel aliquid tale. Interrogatio vero est cui respondetur; velut, fecisti quod jusseram? cui necessario de duobus superioribus afficitur ab eo qui interrogatus est. Responsio ergo hic est: *Quem perconter?*] Vides utique quia de habitatione futura fuerat interrogatio. Ita est in Andria, cum Crito quæreret, ubi habitaret, et Chrysis dixisset (Legendum omnino: *ubi habitasset Chrysis, et dixisset.* Vid. Andr. iv. 5. 5.) *quos perconter, video.* E.—Ne illud *am*, ter repetitum, ingratum pariat sonum, lege cum Donat. duobus codd. et edd. vett. *qua-eis.* Cæterum tolle illas interrogationes, *incertus sum, ubi quæram, etc.* B.

4. *Ubi ubi est, diu celari non potest*] Ob nimiam scilicet formæ gratiam. D.

5. *O faciem pulchram!*] *Faciem* modo non partem corporis dicit, sed totam speciem, quæ apparet et cernitur: Virgil. Æn. v. 767.—*quibus aspera quondam Visa maris facies. Deleo omnes dehinc ex animo mulieres*] Πρὸς τὸ πιθανὸν argumentatus est, ut ostenderet hunc grandem jam ephebum, etiam amoris expertem non fuisse. Sic et alibi, *Cum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem, In hac commotus sum.* D.

Tædet quotidianarum harum formarum. PAR. Ecce autem alterum.
Nescio quid de amore loquitur: o infortunatum senem!
Hic vero est, qui si occeperit, ludum jocumque dicet
Fuisse illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit.
CH. Ut illum di deæque senium perdant, qui me hodie remoratus est:
Meque adeo, qui restiterim: tum autem, qui illum flocci fecerim.
Sed eccum Parmenonem: salve. PAR. Quid tu es tristis? quidve es alacris?

6. *Quotidianarum*] Hoc est, levium et unitatarum: est quippe huic contrarium, *Nova figura oris: papæ! Ecce autem alterum*] Sic dicimus, cum propter alterum de altero venit in mentem. D.—*Tædet quotidianarum*] Jam, inquit, me pœnitet videre mulieres quotidianas et assueta forma. E.

7. *Nescio quid de amore loquitur*] Ut jamdudum Phædria loquebatur. *O infortunatum senem!*] Hoc dictum præstruxit ad exitum fabulæ ac catastrophen. Nam perturbatus ad Thaidem ingreditur (forte; *ingredietur*. Nam sequitur mox, *firmabuntur*, et *ducet*) hic senex, per fallaciam Pythiæ, et indicium Parmenonis: atque ita firmabuntur nuptiæ virginis, quam ducet Chærea. D.

8. *Hic vero est*] Utrum senex, an Chærea (Indigna hæc sunt Donato. Nam manifeste de Chærea est sermo)? sed senex potius. *Hic vero est*] *Senex qui*; scilicet Chærea. D.—*Hic vero est*] Sensus est: *Hic adolescens si amare cœperit, fratrem ejus Phædriam dices ludum et jocum fuisse*, hoc est, non amasse; ita enim hic insanivit in amore. E.—Ne ad hiatum, qui videtur, tollendum, cum aliis verba *est scio*, contra libros, interpolanda putemus; duo dimetros et unum trimetrum statuo ita: *Hic vero est, qui si occeperit, Ludum jocumque dicas fuisse illum alterum, Præut hujus rabies quæ dabit.* Pro *dicet*, aut *dices*, quod in codd. reperitur, leges linguæ postulant *dicas*. B.

9. *Præut hujus rabies quæ dabit*] *Præ* (lege, Præ; *et comparationem significat.* Mox: *præ illis, ut illa sunt*), ex comparatione significat. Ergo proprie: et est integra locutio; et ordo est, Præut illa sunt, quæ hujus rabies dabit. Et bene *dabit*, quasi de re violenta. Ut, Æn. xii. 458. — *dabit ille ruinam Arboribus. Præut hujus rabies quæ dabit*] Hic ex parte characteris inscius quidem est personæ Chæreæ, quem motibus conjicit servus ardentiorem in amorem fieri posse, simulac cœperit. *Præut hujus rabies quæ dabit*] Et hic ostenditur, jampridem motum in res Venereas Chæream. Et magna poetæ cura est, ne incredibile videatur, adolescentulum, qui pro eunucho deduci potuerit, tam expedite virginem vitiasse. Quocirca artifex summus, quod ætati non potest, naturæ attribuit Chæreæ: ut calidior ingenio, et ante annos amator, non libidinem in sese, sed quandam rabiem designaverit in Venereos appetitus. D.—*Præut hujus rabies*] Prisc. lib. xiv. L.

10. *Ut illum*] Pro utinam. *Di deæque senium perdant*] Plus dixit *senium*, quam *senem*. Nec mireris, post *senium*, *qui* additum: ideo quia declinationem ad intellectum retulit; ut alibi, *in Eunuchum suam*, et *senex*, ad ætatem refertur; *senium*, ad convicium: sic Lucilius ait, *At quidem te senium, atque insulse sophista* (Dousa legit, *At te Di senium*, subaudiens *perdant*. Sed Franciscus filius: *At Di te perdant, senium atque insulse poeta*). *Remoratus est*] A remora pisciculo, qui et ἐχενηὶς vocatur, *remoratio* et *remoratus* dicitur. D.—*Ut illum di deæque*] Hic incipit conquestio. E.—*Senium perdant*] V. C. *Senem omnes perdant.* L.—*Senem* habent omnes nostri. *Dii deæ omnes* cod. Acad. et *qui hodie me*, Regius. Repone, *Ut illum Di Deæ omnes senium perdant, qui hodie me remoratus sit.* B.

11. *Tum autem, qui illum floccifecerim*] *Tum autem* pro, *et.* Duas vult enim causas esse, cur seipsum di perdant: unam, quod restiterit: alteram, quod senem perveritus diu remanserit a persequenda virgine. Et nota *floccifecerim*, et contemnere et non contemnere significare: ut nunc, *qui illum floccifecerim*, deest *vel*: ut sit, vel floccifecerim. D.

12. *Quid tu es tristis? quidve es alacris?*] Proverbiale est, in hominem perturbatum et incerti vultus. Aut lætus es. Nam *alacris*, L litera pro D posita, non tristis, id est βλαισρος intelligitur. *Quidve es alacris?*] Et *alacer* et *alacris* dicitur: ut habes apud Virg. Æn. v. 380. *Ergo alacris, cunctosque putans excedere palma. Quidve es alacris?*] *Alacritas* est mutatio quædam vultus gestientis in spem ali-

Unde is? CH. Egone? nescio hercule, neque unde eam, neque quorsum eam.
Ita prorsum oblitus sum mei.
PAR. Qui, quæso? CH. Amo. PAR. Hem! CH. Nunc, Parmeno, te ostendes, qui vir sies.
Scis te mihi sæpe pollicitum esse; Chærea, aliquid inveni
Modo quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam:
Quum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.

quam. D.—*Quid tu es tristis?*] Dicitur cum quodam gaudio idem *tristis*. Nam ex hoc quod vidisse se pulchram virginem dicit, quadam lætitia contractus est; quod eandem tamen ex aspectu perdidit, tristis es; ut debes non solum in fine, verum et in principio significare. E.—*Quidve es alacris?*] Charis. lib. i. Priscian. lib. iii. L.

13. *Unde is?*] Modo *ad quid venis* significat: sed *eo*, de loco ad locum veteres dicebant: quod mox in subjectis probabitur. *Quorsum eam*] Bene: quia proxime dixerat, *ubi quæram? ubi investigem? quem perconter? quam insistam viam? incertus sum. Quorsum eam*] Hinc, ut diximus, manifestum est, *ire* et adventum significare. D.—*Unde is?*] Unde advenis? E.—Pro *hercule* lege *hercle*, cujus ultima corripitur. B.

14. *Ita prorsum oblitus sum mei*] Huic contrarium, *Dum memor ipse mei*, Æn. iv. 336. Ergo *oblitus mei*, insanus. *Ita prorsum sum oblitus mei*] *Prorsum*, recta, id est, omnino: nam *prorsum* est porro versum, id est, ante versum; hinc et *prorsa oratio*, quam non inflexit cantilena. D.

15. *Hem!*] Si cum *h*, Parmeno; si leniter, Chærea (Promiscue autem in libb. vett. scriptum reperias *hem* et *em*. Quamquam veteres, Festo auctore, *em* etiam pro *eum* dixerunt; non tamen Donatus videtur id voluisse. Placet igitur ratio Wielingii, qui emendavit, *si* EN *legitur*). *Ostendes qui vir sies*] Non, *si vir sies*, sed, *qui vir sies*: quod est ἐμφατικώτερον. Si quæsisset quidem, qui vir sies, an debeat præstare, qui virum se sic monstraturus est? Et *vir* modo, non ad sexum, nec ad ætatem dicitur, sed ad laudem. *Qui vir sies*] In veteribus invenitur. D.—Pro *ostendes* versus gratia lege vel *ostende sis*, vel, quod melius videtur, *ostenderis*. B.

16. *Sæpe pollicitum esse*] *Pollicitum*, quod promittentem ultro significat, dixit; et *sæpe pollicitum se*, an necesse sit præstare eum, qui promiserit (lego: SÆPE POLLICITUM ESSE, *ut necesse sit præstare ea, quæ promiserit*. Ed. Arg. SÆPE. *Necesse est eum præstare, qui promisit: magis necessarium, qui* sæpe *promisit*). *Chærea aliquid inveni*] Induxit μίμησιν pragmatice, more suo, non contentus dicere quid (Alii, *qui*; editt. vett. Ma. Boend. et ed. Du B. *quod*) pollicitus sit tantum, sed quo modo etiam, et quibus verbis. D.

17. *Modo quod ames*] Tantummodo; quasi hæc mora sit promissis complendis. *In ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam*] An possit, qui posse se affirmavit? plus est probasse quod promiserit, quam ostendere quod possit. D.—Lege cum Donato Msto, vett. edd. et tribus nostris codd. *utilitatem in ea re faciam ut cognoscas meam*. Sublato tantum illo *ego*, quod abundat. B.

18. *Quum in cellulam*] Sic dicit anus * quæ et acceperit beneficium (Edd. vett. non habent lacunæ signum. Ms. H. *Sic an is qui, etc.* Forte, *Sic dicit, annuens ei, qui acceperat beneficium*. Quam lectionem adjuvare videntur libb. vett. CUM IN CELLULAM AD TE). *Patris penum omne*] Ipsum penum: non ex eo aliquid, ὑπερβολικῶς. Et hoc *penu*, et hic *penus*, et hæc *penus* veteres dixerunt. Ergo et *omnem* et *omne* legitur. *Congerebam clanculum*] Ἀθρόα ἢ κρύφα. D.—*Quum in cellulam*] Hoc in loco persuadet servo, ut auxilium sibi et consilium accommodet; et repetit gratiam, quam dicit se ante præstitisse. Ut in Andria: *Si te in germani fratris dilexi loco, seu tibi morigera fui in rebus omnibus. In cellulam ad te patris penum*] Apte, se ante beneficium præstitisse, quod conveniret personæ, dixit, cum servulis de cellula patris omnem penum sit solitus transferre. *Penum* autem intelligimus omne quicquid ad victum est. Quidam enim tantummodo pulmentaria hoc sermone significata voluerunt. Ut Virgil. Æn. i. 708. —*quibus ordine longo Cura penum struere, et flammis adolere penates.* E.—*Quum in cellulam*] Hieronym. advers. Rufin. lib. i. L.—Tres tantum e nostris habent *omne* pro *omnem*. Male. B.

PAR. Age, inepte. CH. Hoc hercle factum'st: fac sis nunc promissa appareant;
Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.
Haud similis virgo'st virginum nostrarum, quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient:
Si qua est habitior paulo, pugilem esse aiunt; deducunt cibum.
Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas.

19. *Age, inepte!*] Qui dubites de promissis: an (*aut* Z.) qui exprobres te multa esse largitum? *Hoc hercle factum est*] Inveni quod amem; hoc, quod dicebas, inquit, morae esse (*de amore esse*, liber uterque. W. Lege, *Hoc, quod dicebas*, inveni modo quod ames, *jam factum est; eme* Z.), jam factum est; amo. *Promissa appareant*] Utilitatem ut cognoscam tuam. D.—*Age, inepte!*] *Ineptum* prorsus est, quod non aptum est, ideo *age inepte*. E. —Pro *fac sis* liber Bembinus Faerni, et unus e nostris habet admodum inepte *faxis*. B.

20. *Sive adeo digna res est*] Si persona Parmenonis est, *sive* abundat: et pro expletiva conjunctione modo est. In quibusdam omnino non legitur. *Adeo* autem abundat, aut *nimis* significat, vel *satis*. Si Chaerea dicit, hic ordo et sensus est: Fac si vis nunc, sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos, ut promissa appareant; ut sit *sis*, si vis: et addatur *ut*, quod deest. Fac ut promissa appareant (Lege: *quod deest et in illo*, fac sis nunc promissa appareant. Z.). *Ubi tu nervos intendas tuos*] Utrum obscene hoc, ut servus? an *μεταφορικῶς*, ubi laborare ac periclitari debeas? Sed melius legunt, qui hoc totum ad personam applicant Chaereae; et melius, quam qui Parmenonem hoc putant loqui, *Sive adeo digna res est, ubi nervos intendas tuos*. D.—*Sive adeo digna*] Sensus est: Si talis res est haec, ubi omnes tuas cogitationes possis intendere, et plurimum laborare. Denique *digna res est*, ubi laborandum sit. Continuo subjungit: *Haud similis virgo est, quas matres student demissis humeris esse*] Non cibo in tota aliqua pinguedine sublevatis. E.—Codd. nostri male hunc versum tribuunt Parmenoni. B.

21. *Haud similis virgo est virginum nostrarum*] Civium scilicet, id est, terrae ac patriae nostrae; ut Virg. Georg. ii. 89. *Non eadem arboribus pendet vindemia nostris*. Et Sallustius, *nostri foeda fuga, etc. Quas matres student*] Hoc verbo ostendit cultum industriae, non pulchritudinem naturalem. D.

22. *Demissis humeris esse, vincto pectore*] Antiqui enim Graeci etiam virginibus suis praebebant palaestram, ad componenda corpora. Vel *demissis humeris esse*, liquide et molliter deductis, neque extantibus, alae in modum *athletico modo*. Ms. H.). *Demissis humeris esse, vincto pectore*] Non accipiendum est quasi hoc dicat, Ad hoc illas student matres demissis humeris esse, et vincto pectore, ut graciles sient: quasi haec duo propter unum illud fiant; sed varie tria dixit, ne diceret * aut student illas demissis humeris, et vinctum pectus, ut graciles sient (Verba, *ne diceret—sient*, absunt ab ed. Argent. Et parum sani habent). *Vincto pectore*] Castigato ac tenui, et velut vincto. Deest ergo *velut*. *Ut graciles sient*] A singulari *gracilis* (Quis id nescit. Cum vero Donatus notare soleat, quae rarius occurrunt; crediderim, eum legisse GRACILAE, et scripsisse, *A singulari* GRACILA *venit, etc.* Conjecturam firmant testimonia Probi et Non. Marcelli) venit haec declinatio. D.—*Vincto pectore*] Macie ita deductae, ut vinctae esse videantur. *Graciles sient*] Legitur et *gracilae*, ut declinaverit Terentius *haec gracila*. E.—*Vincto pectore*] Vet. cod. *Vincto corpore*. Hieronymus de vitanda suspicione: *Papillae fasciolis comprimuntur, et crispanti cingulo angustius pectus arctatur*. Inde apud Festum: *Cingulos appellabant homines, qui in his locis, ubi cingi solet, satis sunt tenues. Ut graciles sient*] Ita Ausonius quoque: sed Probus Gramm. *ut gracilae sient*. L. —Donatus, inquit Faernus, legit *gracilae*, dicens a singulari *gracila* venire hanc declinationem. Nos legendum esse censemus *gracilae*, quia Val. Probus, p. 1466. ait, Terentium nove dixisse in sing. *haec gracila*. B.

23. *Si qua habitior paulo*] Unde et *habitudo* dicitur: ut, *quae habitudo est corporis?* nam *habilior*, aptior intelligitur; ut, Æn. i. 318. *Namque humeris de more habilem suspenderat arcum*. Ergo *habitior* legendum est. *Pugilem esse aiunt*] Laus in virginem (Imo vituperium, ex sententia matrum). *Deducunt cibum*] Mire vituperavit formam, quam accuraverit fames. Et proprie *deducunt*. D.—*Si qua est habitior paulo*] Si est aliqua corpulentior. *Deducunt cibum*] Minus cibi dant. E.—*Habitior*] Plaut. Epidico i. 1. 8. *Corpulentior videre atque habitior*. L.

24. *Tametsi bona est natura*] *Bona*, id est,

Itaque ergo amantur. PAR. Quid tua istæc? CH. Nova figura oris. PAR. Papæ!
CH. Color verus, corpus solidum, et succi plenum. PAR. Anni? CH. Anni? sedecim.
PAR. Flos ipse. CH. Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario

plena, magna, et pinguis. *Reddunt*] Exhibent, perficiunt. *Curatura*] *Cura*, mentis est: *curatio*, medicinæ: *curatura*, diligentiæ. *Junceas*] Tenues et pallidas. D. —*Reddunt curatura junceas*] Per hanc operam ita instituendi et ita cibos dandi, reddunt virgines junco similes, quod herbæ genus est ita in longitudinem æquali modo porrectum, ut nulla per corpus appareat vel nodo affecta pinguedo. E.—*Tametsi bona*] Mss. *tamen etsi*. *Junceas*] Ausonius, Epist. 4. —*plana sic junceus alvo*. Prudentius in Eulalia, 131. —*carnifices gemini juncea pectora dilacerant*. Cassiod. lib. vii. var. 15. *Columnarum junceam proceritatem*. Inde et *ejuncidum* ἐκλεπτωθέν. Glossar. et Varro de re rust. lib. i. cap. 31. Terentii locum imitari voluit Luitprandus Histor. lib. vi. cap. 6. *Testes sunt non solum juncearum formarum curatura, sed et quotidianarum formarum mulieres*. L.—Lindenbrogii codd. et unus e nostris vett. *Tamenetsi*. Ut igitur *bona* sub ictu collocetur, repone *est* post *natura*. B.

25. *Itaque ergo amantur*] Itaque, inquit, nemo illas amat; εἰρωνεία est; aut (*haud Z.*) vere amantur: ut eo magis hæc amanda sit, quæ naturæ beneficio, non factis comtibus, aut industria est pulchra. *Itaque ergo amantur*] Atque ita fit, ut amentur: non naturæ merito, sed industria. *Quid tua istæc?*] Recte: sic enim ipse dicet, *At nihil ad nostram hanc. Quid tua istæc?*] Deest, *qualis est, dic. Nova figura oris*] Laudis genus est, *nova*: quia dixerat, *Tædet quotidianarum harum formarum. Papæ!*] Interjectio mira subito accipientis. D.—*Nova figura oris*] Et in Andria diximus formam esse laudandam. Ibi, *Video adolescentulam formam, etc.* E.

26. *Color verus*] Quia non de cura est ac de fuco, id est, naturalis, non fucatus. *Corpus solidum*] Quia non vitiatum. *Corpus solidum*] Plenum et forte, id est, non flaccidum. *Succi plenum*] Quia nemo deduxit cibum. Nam succus est humor in corpore, quo abundant bene valentes. Virg. Ecl. iii. 6. *Et succus pecori, et lac subducitur agnis*. *Succus* proprie, quasi *sugus*, quem sibi ex alimentis membra sugunt, ut se repleant. *Succi plenum*] *Succus* est interior pinguedo membrorum. *Anni sedecim*] Vide quemadmodum ætatem virginis maturæ poeta ex occasione demonstraverit. D.—*Color verus*] Et hoc quoque ad pulchritudinem proficit, ut apud Virgil. Æn. i. 594. —*lumenque juventæ Purpureum*, in quo et anni declarati sunt, quod *juventæ*: ita et hic anni indicati sunt plurimi, id est, *flos ipse*. E.—*Corpus solidum, et succi plenum*] Ovidius Metamorph. iii. 397. de Echo:—*et in aera succus Corporis omnis abit*. In Priapæis: *quæ succo caret, utique patris pumex*. Hilar. in vita Honorati: *speciosa facies, et prius succi plena, fit plena gravitatis*. Apuleius, Apolog. 1. *Facies ejus decora et succi palæstrici plena*. Sic enim locus ille ex vetustiss. codicibus legendus. *Succum* eleganter vocant hac in re Latini, quem Græci τὴν ὑγρότητα; nec minus scite Arnob. *liquoris feminei lasitatem*. Et Martial. *Et placido fulget vivus in ore liquor*. Hunc totum vero Terentii locum optime expressit Ausonius epistola ad Hesperium: *Si qua tibi in his versiculis videbuntur, nam vereor ut multa sint, fucatius concinnata quam verius, et plus coloris quam succi habere, ipse sciens fluere permisi; venustula ut essent magis, quam forticula: instar virginum, quas matres student demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient: nosti cætera*. Hieronym. Epistola ad Paulum Concordiensem: *dentes candidi, vox sonora, corpus solidum et succi plenum*. L. —Ex *color* elide *r*, ut in prima sede sit anapæstus, quod maxime in primo pede fieri notissimum est. B.

27. *Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario*] Hæc tria sunt, quibus non rite res agitur, vel vi, vel clam, vel precario: sine pretii mentione: vel quia virgo, non meretrix: vel quia nulla ephebo spes est fallendi senis. *Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas*] Secundum jus locutus est: nam his tribus mala fide aliquid possidetur: vi, clam, precario. *Vi*, quia virgo; *clam*, quia custoditur; *precario*, quia pretium non habet Chærea. D. —*Vel vi, vel clam*] Petitio a majoribus ad inferiora descendit, sicut semper diximus in petitione esse faciendum. E.—*Clam, vel vi, vel precario*] Vid. Cicero in Topicis. Justin. Instit. de interdict. L.—Verba *Flos ipse*, cum nec versus admittat, nec sensus probet, delenda puto. Nam de sola formæ commendatione nusquam flos dicitur. De ætate vero non potest, quia et Chærea ipse, et multæ aliæ puellæ Athenis hujus erant ætatis. B.

Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo.
PAR. Quid? virgo cuja'st? CH. Nescio hercle. PAR. Unde'st? CH. Tantundem. PAR. Ubi habitat?
CH. Ne id quidem. PAR. Ubi vidisti? CH. In via. PAR. Qua ratione amisti?
CH. Id equidem adveniens mecum stomachabar modo:
Nec quenquam esse ego hominem arbitror, cui magis bonæ
Felicitates omnes adversæ sient.
PAR. Quid hoc est sceleris? CH. Perii. PAR. Quid factum'st? CH. Rogas?
Patris cognatum, atque æqualem, Archidemidem
Novistin'? PAR. Quid ni? CH. Is, dum sequor hanc, fit mihi obviam.

28. *Mea nihil refert, dum potiar modo*] Non hoc personæ attribuendum est, sed affectui. Non enim, quia Chærea est, sed quia amator, de se cupit facere (*temere eum cupit facere* Z.) quemadmodum potiatur. D.—*Dum potiar*] Quælibet causa sit, dummodo ad hoc perveniam, ut possim potiri. E.

29. *Quid virgo, cuja est?*] Utrum serva, an filia? D.—*Quid virgo, cuja?*] Hic jam quæritur an fieri possit a facultate, quam rem interrogatus adolescens redit ad conquestionem, quod sic eam de conspectu impeditus amiserit. E.

30. *Ne id quidem*] Pulchra varietas, *Nescio, Tantundem, Ne id quidem. Qua ratione amisti?*] Figura συγχωρῆ, pro *amisisti. Qua ratione amisti?*] Si non remansisset Chærea, sed consecutus virginem, vidisset, quo deducta esset prius, quam Parmenonem conveniret: non ita procederet fabula, ut nunc procedit. Irruisset enim in cognitionem meretricis importune Chærea, nec pro eunucho adduceretur ulterius. D.—Ratio versus, ait Faernus, qui est Iambicus tetrameter catalecticus, exigit *amisisti*, uti est in Bembino et aliis omnibus. Nobis vero videtur olim fuisse ILLAM *amisti*. B.

31. *Id equidem*] Deest *ob*, aut *propter*: ut sit, *ob id*, aut *propter id. Mecum stomachabar*] Bene *mecum*: quia acriorem dolorem sustinet, qui ipse sibi irasci cogitur. *Mecum* ergo, pro *apud me*, vel *mihi*. D.

32. *Hominem esse arbitror*] Deest, *quam me* (lege, *tanquam me*; aut, *præterquam me* Z.). *Cui magis bonæ felicitates*] *Bonæ*, magnæ. Nove autem dixit, magnas felicitates sibi adversari, eo quod virginem tantæ pulchritudinis ex oculis amiserit. Nam vidisse eam, felicitatis judicat: sed amisisse, adversæ felicitatis. Et quod *bonæ* dixit, vel magnæ, vel nimiæ intelliguntur, vel ἐυθετον est proprium et perpetuum felicitatum. *Felicitates*] *Felicitas* adversa est, cum ex prosperitate, quod lædat, nascitur. *Bonæ felicitates*] Ἔμφασις est, eo quod *felicitates* pluraliter posuit. Ἐυθετα autem de tribus causis nominibus adduntur: discretionis, proprietatis, ornatus. Discretionis: ut, Æn. iii. 6. *Phrygiæ molimur montibus Idæ*. Proprietatis: ut, Æn. vii. 667. *Terribili impexum seta et dentibus atris*. Ornatus: ut, Æn. i. 618. *Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam*. D.—Ut in utrumque verbum, in *hominem* et *quenquam* cadat accentus, pone, *Neque quénquam ego hóminem esse arbitror*. B.

33. Cum *bonæ felicitates adversæ* sibi repugnent; legi debet *aversæ*, h. e. quæ me fugiunt, nunquam ad me veniunt. Sic dicuntur sæpe *Dii aversi*. B.

34. *Quid hoc est sceleris?*] Propter hoc quod patior, inquit. Nunc enim scelus dicit a sene commissum (Videtur Donatus illa, *Quid hoc est sceleris?* tribuisse Chæreæ, et ad ea notasse: *propter quod hoc patior, inquit. Non enim, etc.*). D.—Verba, *Quid hoc est sceleris?* ipsi Chæreæ sunt tribuenda. Nam Parmeno, qui totam hanc fervidi adolescentis orationem tepidus et lentus audiit, non debet repente ab illo more deflectere. Deinde Donatus, quamquam *scelus*, quod hic est infortunium, male interpretatur; tamen recte tribuit hæc verba, uti nos, Chæreæ. Sic *scelus* occurrit Plaut. Capt. iii. 5. 104. B.

35. *Archidemidem nostin'?*] Hoc sic pronunciandum est, ut appareat ex ipso nomine statim, odiosum nescio quem occurrisse ac permolestum. D.

36. *Quid ni?*] Correptio est ab se manifesta inquirentis; est enim sensus, Quid nisi, aut cur non noverim? est enim *quid ni*, aut quid nisi, aut cur non: quia veteres *ni* pro *ne* ponebant, et *ne* pro *non*. Ut Plautus, Menæch. i. 2. 1. *ni stulta sis*, pro ne. Et *ne vult*, pro non vult. D.—

PAR. Incommode hercle. CH. Imo enimvero infeliciter:
Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.
Illum, liquet mihi dejerare, his mensibus
Sex, septem, prorsum non vidisse proximis,
Nisi nunc, quum minime vellem, minimeque opus fuit.
Eho! nonne hoc monstri simile'st? quid ais? PAR. Maxume.
CH. Continuo accurrit ad me, quam longe quidem,
Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens:

Partim ob codd. partim ob versum recte Faernus legit: *Nostine? P. Quidni? C. Is, dum hánc sequor, fit mi óbviam.* B.

37. *Imo enimvero infeliciter*] Bene hoc interponit, quod incredibile est, tardiorem futurum amatorem incessu virginis (Edd. vett. *quod incredibile est παράδοξον, tardiorem amorem fuisse in incessu virginis*). D. —*Imo enim vero*] Recte adolescens reprehendit servum dicentem, *incommode*. Incommodum est enim, cum nos nobis causa sumus, ut aliquid damni sentiamus. At vero hic parum feliciter gesta res est, vel infeliciter potius, cum ex eventu et ex fortuna quidam occurreret senex, ut impedimento esset. Et certe mihi videtur idcirco mutasse genus calamitatis, ut infelicitatem potius quam incommodum diceret: quod incommodum jam malum est quod evenerit; infelicitas vero id malum est, quod perversa fortuna contingit, quod tamen consilio et virtute corrigi et sustineri potest. E.

38. *Nam incommoda alia sunt dicenda*] Quæ minora sunt scilicet, aut similia. D.

39. *Illum, liquet mihi dejerare*] Liquidum est constans, et manifestum, et certum. Et sic *liquet*, pro liquidum est: ut *claudit*, pro claudum est. Ut apud Sallustium in Fragm.: *Nihil socordia claudebat.* Et est *liquet* verbum juris, quo utebantur judices, quum AMPLIUS pronunciabant, obscuritate commoti causæ magis, quam negotii simplicitate (forte, *implicitate*, h. e. implicatione). *Dejerare*, valde jurare: ut *demiror*, et *deamo te, Syre*, si *de* producte legeris; si correpte, deos jurare intelligitur. D.—*Liquet mihi dejerare*] Manifeste, inquit, posum jurare. *Liquet* enim, hoc est, clarum et manifestum est. Ut Cicero Cluentio, xxviii. et xxxviii. *Quidam sibi judices non liquere dixerunt. Dejerare* est sancte jurare. E.

40. *Prorsum non vidisse proximis*] Quia non vidisse dixit *proximis*, præteritis intelligimus. Proxima enim nobis aut præterita, aut futura sunt: nam præsentia ea sunt, in quibus nunc sumus. D.—Lege *prorsus*, quod non modo quinque codd. cum edd. vett. et Prisc. p. 1200. habent, sed et concinnius est, quia præced. vox *m* terminatur. B.

41. *Nisi nunc, quum minime vellem*] Quia semper nolui, ideo nunc minime, utpote adolescens senem. *Minimeque opus fuit*] Sæpe enim nolumus tantum, nunc etiam opus non est. D.

43. *Quam longe quidem*] Bene *longe* dixit: quia *a longe* non potuit dicere: an subauditur *erat*, ut sit, *quam longe erat?* D.—*Accurrit ad me*] Hic in omnibus exprimenda est tarditas, quod impedimentum non parvi temporis possit ostendere. Nam licet *accurrit* dixerit, tamen certum est istam properationem in senem (*sene*) fuisse tardissimam. Deinde adjecit et locum, quod dixit, *quam longe quidem*. Isti corporis qualitatem subjungit *tremens*, deinde *labris demissis*. Hæc jam ad impedimenta loquendi videntur apposita, et quod dixit *tremens*; scimus enim retortis ad hiatum labris, sed prominentioribus, minus facile sonus exprimi. Adjecit tamen *gemens*, quod tardius in gemitu naturæ * (*natura* Z.) senectutis expresso sono aliquid locutura prorumpat. Deinde congeminat quasi revocationem et salutationem, *Heus, Heus, inquit*] Ostenditur tarditas, simulque istud declaratur, quod vere vox ista ab eo cœperit sono, qui et vocem et gemitum declararet. E.

44. *Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens*] Ut omnia ostendat in contrarium sibi versa esse, etiam cursum attribuit seni (Hoc scholion explicat tantum verba, *Continuo accurrit*, quæ exciderunt. Z.). *Labra*, sunt superiora: *labia*, inferiora. *Labra* asinorum (*simorum* legendum putat Bynkershoekius. Flaccus, teste Charisio, ita distinguit: modica esse *labra*, *labia* immodica, et inde *Labeones* dici) proprie dicuntur. *Gemens* autem, ob continuam tussim. Sic Lucilius: *Ante fores autem, et triclini limina quidam Perditus Tiresia tussi grandævus gemebat. Incurvus*, valde curvus. Sic Virg. Æn. xii. 1. *Turnus ut infractos adverso Marte Latinos Defecisse videt.—Infractos* enim valde fractos significat. Nam *in* præpositio nunc auget, nunc minuit dictionem. Recte etiam deformitatem describit senis, qui præter (*propter* Z.) ætatem, post pulchram virginem, fœdior videbatur. Et quam importune omnia? pro puella, senex occur-

Heus, heus, tibi dico, Chærea, inquit: restiti:
Scin' quid ego te volebam? dic: cras est mihi
Judicium: quid tum? ut diligenter nuncies
Patri, advocatus mane mihi esse ut meminerit.
Dum hæc dicit, abiit hora: rogo, num quid velit?
Recte, inquit; abeo: quum huc respicio ad virginem,
Illa sese interea commodum huc advorterat
In hanc nostram plateam. PAR. Mirum, ni hanc dicit, modo
Huic quæ data'st dono. CH. Huc quum advenio, nulla erat.
PAR. Comites secuti scilicet sunt virginem?

rit: pro virgine, incurvus, tremulus: pro pulchra, labiis demissis, gemens: et cum amator sit, inaniter adolescenti ipse judicium loquitur: dum festinandum sit, remoratur. *Labils demissis*] Majora labra, unde *Labeones*. Alii *labia* inferiora, et *labra* superiora. D.

45. *Heus, heus, tibi dico, Chærea*] *Tibi dico, Chærea*, non adderet, nisi videret Chæream dissimulantem præterire. *Inquit*] Aliter *inquit* pronunciandum est; hoc est, concitate. Nam senis verba aliter proferenda sunt. D.—*Tibi dico*] Et hic quam stulte, ut, cum jam revocaverit, adjiceret *tibi dico;* sed inde subjunxit, cum utique paratus esset adolescens ad audiendum, *Scin' quid ego te volebam?* Quam enim stultum est, ut cum ante debeat dicere, veluti interroget ac dicat, *Scis quid ego te volebam?* Ita coactus est adolescens respondere ut diceret *Dic.* Inter vices vocum magna tarditas declaratur. Contra respondet ille, *Cras est mihi judicium.* Et hoc stultum est, quod ait; quod cras fuerat futurum, pridie nunciavit. Deinde tarda narratio est, quod dicit, *Est mihi judicium.* Denique dolor adolescentis et hac narratione exprimitur, quod dicit, *Quid tum?* Atque ille verba pene non necessaria adjecit, cum respondet, *Ut diligenter nuncies patri, advocatus mane mihi esse ut meminerit.* Denique istac sic expressa et hoc intelligi datur cum adjunxit, *Dum hæc dicit, abiit hora.* Atque injecit, *rogo numquid velit.* Quod quidem fortasse verisimile videatur esse, eum qui properaret tacente eo qui retinebat, amplius interrogare voluisse. Verum hoc ad festinantem magis pertinet. Cui (*Qui*) enim dixit, *Rogo ne* (*num*) *quid velit*, metuebat, ne forte discedentem rursus senex revocaret. Denique cum ille respondisset, *recte;* tunc dicit adolescens *abeo. Quum huc respicio ad virginem.* Post locutionem diu habitam *respicio*, inquit, ad eam quam sequebar virginem. E.

46. *Scin' quid ego te volebam?*] Hic ostenditur odiosa tarditas senis, apud festinantem Chæream. Nam non dicit, sed promittit se dicturum. *Cras est mihi judicium*] Huic moræ etiam illud additum, quod, quum debeat dicere quid velit, prius dicit quod non est necessarium, quare velit. D.

47. *Ut diligenter nuncies*] *Diligenter* nihil tam abundanter, nihil tam moraliter (h. e. *ad moram faciendam apte* Z.) dici potuit. D.

48. *Esse ut meminerit*] Non *ut sit:* sed, *ut esse meminerit.* O prolixitas! D.

49. *Dum hæc dicit*] Dat tempus verbis: quæ non potuit, quamvis imitaretur, exprimere. *Rogo numquid velit?*] Hoc est, significo me abire. Nam abituri, ne id dure facerent, *Numquid vis* dicebant his, quibuscum constitissent. *Quid* est ergo. *Rogo numquid velit?*] Hoc est, dico quod abeuntes solent. D.—*Dum hæc dicit*] Ms. R. et V. C. *Dum hæc loquitur.* L.—Recte nostri omnes, præter unum satis recentem, habent *loquitur*, pro vulgari *dicit.* Ut supra ii. 2. 24. B.

50. *Recte, inquit*] Pro eo quod est nihil: et moraliter, τῷ ἀπτικισμῷ. *Quum huc respicio ad virginem, illa sese, etc.*] In hanc partem, scilicet, qua meretrix habitabat. D.

51. *Interea commodum*] Tantum quod, vel ipso eodemque tempore. *Interea commodum*] Una. Et hoc significat: ut si dicas, Eodem tempore quo hoc agebatur. Nam *interea*, nunc conjunctio accipienda est: non, ut alias, pro adverbio ponitur. D.

52. *In hanc nostram plateam*] Recte, quia vicina est illis Thais, ad quam deducitur. D.—*Mirum, ni hanc dicit*] Hic cognitio efficitur ejus, quæ quærebatur. E.

53. *Nulla erat*] Etenim ingressa jam fuerat. D.—*Dono* totum in Thesi occultatur. Repone, *Huic quæ data dono'st.* B.

54. *Comites secuti scilicet sunt virginem?*] Interrogative quidem: sed sic, ut scire videatur id quod quærit: sed ad hoc quærere (*quærit* Z.), ut, quod scit, confirmet. D.—*Comites secuti*] Interrogat signa, quo facilius, quam suspicatur, eam virginem

CH. Verum: parasitus cum ancilla. PAR. Ipsa'st: ilicet.
Desine: jam conclamatum'st. CH. Alias res agis.
PAR. Istuc ago quidem. CH. Nostin' quæ sit? dic mihi:
Aut vidistin'? PAR. Vidi, novi, scio, quo abducta sit.
CH. Eho, Parmeno mi, nostin'? PAR. Novi. CH. Et scis, ubi siet?
PAR. Huc deducta'st ad meretricem Thaidem: ei dono data'st.
CH. Quis is est tam potens cum tanto munere hoc? PAR. Miles Thraso,
Phædriæ rivalis. CH. Duras fratris partes prædicas.
PAR. Immo enim, si scias, quod donum huic dono contra comparet:

esse cognoscat. E.—Non interrogat hic versus, uti Donatus opinatur, sed conjectat; quia Chærea respondet, *Verum*. B.

55. *Verum, parasitus*] *Verum*, modo inceptiva est, non relativa particula; ut in Andria, *Verum vidi Cantharam suffarcinatam*. D.—*Ipsa est, ilicet*] Quoties causa ab oratoribus finiebatur, et a judice sententia ferri habuerat (*desierat*. Nisi cum Westerh. malis, *ferenda lata erat* Z.), semper conclamabatur *ilicet*, hoc est, ire licet. Signum ergo finis et cognitionis plenæ. E.

56. *Jam conclamatum est*] Transactum ac finitum; ut conclamata corpora nihil reliqui jam habent ad vitæ officia. *Conclamatum est*] Manifestum significat, ipsam idem * (*eandem*) esse, vel pulchram esse; quia et ipse dixerat (lege, *vel puellam esse, de qua ipse dixerat*, vid. supra ii. 1. 25. Nisi mavis, *pulchram esse, quia de ipsa dixerat*. Vel, *quia et ipse dixerat*): *Hæc superat ipsam Thaidem;* ut in conclamatis funeribus nulla dilatio est doloris et luctus, unde Lucanus ait, ii. 23.—*corpora nondum Conclamata jacent*. Aut *conclamatum*, satis deploratum, satisque vociferatum est: quia dixerat, *O infortunatum senem! si et hic amare cœperit*. Tanquam dicat, Jam occisum patrem tandem scimus, jamque deflemus. *Alias res agis*] Recte, quia dixit ille, *jam conclamatum est. Alias res agis*] Aut non attendis ad id quod dico, significat, ut nulla sit in eo attentio. Nam hinc natum est, *agite amabo*. Aut nugatorias res agis, hoc est, jocaris: quasi dicat, vanas res agis. D.—*Conclamatum*] Servius, Æn. vi. 218. *Pars calidos latices*. L.

57. *Istuc*] Illud scilicet, *Desine, conclamatum est*. E.—Bene cod. C. C. C. legit, *Istuc ago equidem. C. Nostin' quæso dic mihi, aut Vidistin'?* Nam *quæso* locum habet in interrogatione, et Parmeno respondet absolute, *vidi, novi*. B.

58. *Scio, quo abducta sit*] Plus dixit, quam interrogabatur: credo, tædio interrogantis; nam proptera, ut dicturus est (edd. Ven. *at ducturus* est. Lege: *et iturus est*. Vid. Donat. ad vers. 60.), ad deducendum eunuchum ad Thaidem cum ancilla ex Æthiopia. *Scio quo abducta sit*] Secunda ἀποσιώπησις. D.

59. *Eho, Parmeno mi, nostin'? et scis ubi siet?*] Amatorie satis repetuntur, quæ semel dicta suffecerant. D.—Syllaba ultra metrum redundat: nisi *Parmeno* dactylum feceris, quod vero non licet. Igitur, sublato illo *novi*, et totum versum tribue Chæreæ. Uti est apud Donatum. B.

60. *Huc deducta est ad meretricem*] Et hoc confundit semel, (*simul* Z.) quum acervatim dicit, velut odio interrogantis sæpius et festinatione ad mandata Phædriæ peragenda. D.

62. *Phædriæ rivalis*] Cum pronunciatione addendum, quo magis doleat Phædriæ rivalis. (Forte leg. *Hic molliori pronunciatione est utendum*, quod malum delebat Phæd. riv. Z.). *Duras fratris partes prædicas*] Scilicet contra æmulum et divitem et largissimum. Et *partes duras*, μεταφορικῶς ab actoribus scenicis. D.—*Duras fratris partes*] Si enim eum rivalem habet frater, cum ipse sit pauper. Et bene hujus comparatione lapsus est sermo ad id, quod necessarium fieri possit ad consilium (forte, *fieri debebat ad consilium, ut* Z.), responderet servus, *Immo enim si scias quod donum huic dono contra comparet*. Indicat enim eunuchum mitti: ex quo consilium nascitur, ut ipse pro eunucho ad meretricem pergat. E.

63. *Comparet*] Hic jam ostenditur miles illustrior, per rivalis dona, quam per sua. Et est qualitas comparativa. *Comparet* pro emat, aut comparandum putet. D.—*Immo enim* recte codd. præter duo, qui *enim* omittunt, habent, et vett. edd. Deinde repone *donum dono huic c. c.* quod, ut *omnia omnes* et similia, ad Terentianas Veneres pertinet. B.

Tum magis id dicas. CH. Quodnam, quæso hercle? PAR. Eunuchum. CH. Illumne, obsecro,
Inhonestum hominem, quem mercatus est here, senem, mulierem?
PAR. Istunc ipsum. CH. Homo quatietur certe cum dono foras. Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam. PAR. Haud diu'st. CH. Perii, nunquamne etiam me illam vidisse? ehodum dic mihi, Estne, ut fertur, forma? PAR. Sane. CH. At nihil ad nostram hanc. PAR. Alia res.
CH. Obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar. PAR. Faciam sedulo, ac

64. *Tum magis id dicas*] Duras partes fratris esse. *Quodnam, quæso hercle?*] Curiositatem addidit (Ms. Boend. adjectum habet *ita*. Postea est lacuna. Et sane vulgaris lectio incommodum efficit sensum), παρελκόντων *quæso* et *hercle*. Et vide quam molliter, et sine intellectu spectatoris ad argumenti spectati ordinem poeta perveniat; ut de eunucho facta mentione consilium nascatur supponendi Chæreæ. *Eunuchum*] Mire Terentius primo simpliciter eunucho nomen posuit, huic quoque detracturus (Quid hæc sibi velint, non video. Wielingius putat, subaudiri oportere, *nomen Chæreæ, ubi ad Thaidem ducturus est*. W. Aut leg. *huic omnem moram detracturus*. Z.). D.—Faernus *id* delet, quia sedem certam in libris non habeat, et versui incommodet. Ego vero malo *Tum* deleri, ut *magis* sit in ictu. B.

65. *Inhonestum*] Fœdum: ut (*et* Z.) contra, *facie honesta;* ut apud Virgil. Æn. i. 591. *et lætos oculis afflarat honores. Hominem*] Opportune *hominem* dixit, tanquam incerti sexus. *Senem mulierem?*] Non communi genere dixit *senem?* quippe qui alibi, Hec. iv. 3. 15., separaverit, dicendo, *senex atque anus:* sed subdistinguendum est, ut sit duplex vituperatio; una ab ætate, quod ait *senem;* altera a membrorum mollitie, quod ait *mulierem*. D.—*Inhonestum hominem*] Quod contra est, ut ipse dixit, *facies honesta ac liberalis. Senem mulierem*] Singula sunt, ut ætatis indicium sit, quod *senex; mulier*, quod sexus amare videatur alienus. E.—Ob codd. legendum puto *heri*. Deinde *senem mulierem* cum Donato non distinguendum censeo, quia *senex* apud Catullum et Tibullum quoque de muliere dicitur. Sic etiam occurrit *mulier meretrix*. B.

66. *Quatietur certe cum dono foras*] Mire *cum dono:* tanquam illi repulsæ causa donum futurum sit. Tum deinde non rejicietur, sed *quatietur*. Vide quam contumeliosius dictum sit, *quatietur foras:* vel verberibus impellitur foras, non expulsione, sed detrusione: vel sic dixit, *foras quatietur*, ut desit *versum;* ut sit, foras versum verberabitur; ut verberetur et fugetur foras. Nam et pervulgatæ consuetudinis dictum est, *Feri canem foras:* hoc est, feriendo canem foras ejice (Sic apud Anacr. xxxiii. 19. Ἔρωτας ἐκβοῆσαι est, clamando ejicere foras. Z.). D.

67. *Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam*] Quomodo n. pro eunucho veniet, si aut novit, aut notus est? Et si mulierem adolescens ne novit quidem, ipse multo maxime nescietur. *Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam*] Οἰκονομία contra illud, quod meretrix vicina erat. *Haud diu est*] Vicina scilicet. Et est causa, an (forte, *ut* W. *cur* Z.) verisimile sit nescire potuisse vicinam. Et nota apud Terentium vicinas poni sæpius adolescentibus meretrices, ut hæc sit prima amoris illecebra. D.

68. *Nunquam ne etiam me illam vidisse?*] Artificiose inculcat poeta τὸ πιθανόν. D.

69. *Estne, ut refertur, forma?*] Hoc propter (*probat* Z.) illud, quod supra diximus. Sed nimio lepore Terentiano jam illud agitur. Nam hic ostenditur, verisimile esse pro eunucho creditum apud vicinam meretricem Chæream, qui adeo ignotus sit mulieri, ut nec ipse eam noverit: quod erat facilius et promtius. Et additur color (*Est igitur causa* Z.), quod et illa non diu vicina est, et quod adolescens plurimum in Piræo commoratus est. *Nihil ad nostram hanc*] Moraliter *nostram* dixit, pro meam. *Alia res est*] Non potuit melius suam utrique gratiam reservare. Nam et illa et hæc amantur. D.

70. *Faciam sedulo*] Mire in promissis posterioribus difficultas rei ostenditur: quum primo *faciam* dixerit. D.—*Obsecro hercle*] Res redit ad preces, quam quidem se effecturum servus pollicetur, et fingit se discessurum, sed tenetur a domino: et dum laudantur fortunæ eunuchi, quod ad eam iturus est domum, ubi virgo pulcherrima est, sic subit ratio, ut ipse debeat

Dabo operam, adjuvabo: numquid me aliud? CH. Quo nunc is? PAR. Domum,
Ut mancipia hæc, ita ut jussit frater, ducam ad Thaidem.
CH. O fortunatum istum eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!
PAR. Quid ita? CH. Rogitas? summa forma semper conservam domi
Videbit: colloquetur: aderit una in unis ædibus:
Cibum nonnunquam capiet cum ea: interdum propter dormiet.
PAR. Quid? si nunc tute fortunatus fias? CH. Qua re, Parmeno?
Responde. PAR. Capias tu illius vestem. CH. Vestem? quid tum postea?

pergere; quam rem providus servus agnovit. E.—*Ac* dele, ut per asyndeta fortius incedat oratio. B.

71. *Numquid me aliud vis?*] Hoc dicere abeuntes solent. Et bene, *numquid me aliud vis?* quia festinat. Et simul quia hinc nascitur (*nascitur*, edidit Westerhofius tacite Z.); dolus fallendæ meretricis. D.—Leg. *adjutabo*, quia Noster sic solet, et Spondeus in hac sede Trochæo est melior. B.

72. *Ut mancipia hæc, ita ut jussit frater, deducam ad Thaidem*] Vide Terentium (videtur scriptum fuisse: *Vide T. artificium*, h. e. *Terentii artificium*), ut non quæsita esse hæc fallacia, sed ipsa se obtulisse videatur. D.—*Ducam*, non *deducam*, probatur a versu et codd. B.

73. *O fortunatum istum eunuchum*] *Istum*, sæpe annotavimus, aut ad contemtum, aut ad odium referri; ut Virgilius, Æn. ix. 94. *aut quid petis istis?* et, Æn. xii. 808. *Ista quidem quia nota mihi tua magna voluntas Juppiter. Qui quidem in hanc detur domum*] Quid facilius, quam imitari velle, quod laudes? nec quisquam, nisi qui cupit, eligitur pro eunucho, qui eunuchum putat esse beatum. Vide, quam molli descensu ad hoc consilium perveniatur. Res enim hoc suggerit potius, quam Parmeno: ideo quia, servum hoc suadere Chæreæ, nimis temerarium fuit. D.

74. *Quid ita?*] Potuit intelligere statim servus; sed ad hoc interrogat, ut doceatur spectator (Potius, quia hæc est consuetudo popularis sermonis. Z.). D.—*Dum videbit, colloquetur*] Achill. Tatius Amor. lib. i. *αὐτὴν σοι δέδωκε τὴν ἐρωμένην ἡ Τύχη, καὶ φέρουσα ἔνδον ἵδρυσεν*: et paulo post: *σὺ δὲ βλέπεις ἀεὶ, καὶ ἀκούεις ἀεὶ, καὶ συνδειπνεῖς, καὶ συμπίνεις.* Et Catullus Lesbiæ amicæ ita adblanditur: *Ille mi par esse Deo videtur, Qui sedens adversus identidem te Spectat, et audit Dulce ridentem.* L.

75. *Videbit: colloquetur: aderit una, etc.*] Amatorie nimis, quinque lineas amoris exsecutus est: adeoque diligenter, ut etiam ordinem custodierit. *Videbit: colloquetur: aderit una in unis ædibus*] Mire amator non simul effudit hoc bonum, sed particulatim digessit: ut major voluptas futura esse noscatur. *Videbit: colloquetur: aderit, etc.*] Istæ enim sunt amoris lineæ: etsi eas non omnes est persecutus. D.—Antholog. vii. 135. *Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε· τρισόλβιος ὅστις ἀκούει· Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν· ἀθάνατος δ' ὁ συνών.* W.

77. *Quid si nunc tute fortunatus fias?*] Sic videtur Parmeno dicere, potius ut jocetur, quam ut fieri credat posse. D.—*Quid si nunc tute fortunatus fias?*] An fieri possit ut dixit (verba, *An—dixit*, sunt aliena, et forte ex sequentibus huc retracta Z.) deliberativæ præcepta percurrit a facultate: *Capias tu illius vestem, pro illo te ducam, te illum esse dicam.* Deinde ab utili: *tu illius fruere commodis, quibus tu illum dicebas modo;* et reliqua. Deinde an fieri possit: *Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neque scit qui sies. Præterea forma atque ætas ipsa est, facile ut pro eunucho probes.* Hoc quidem joco dicebat servus; sed rem inventam pulchre cogit fieri adolescens. Cumque diu repugnaret ad terrendum eum, *periculum futurum est*, ait, *ne in domo meretricia tamquam adulter teneatur.* Hic ille respondet: *adulterum in domo meretricis esse non posse*, per statum finitivum. E.

78. *Capias tu illius vestem*] Non semel ostenditur, quod futurum sit (Lege: *Non simul ostenditur, quid f. s.* Sic enim ad vers. 75. *Non* simul *effudit hoc bonum*): quia particulatim potest etiam quod turpe est, tamen mitti ad persuasionem. Simul in gestum respicitur. Ergo non dixit, ibis pro eunucho: sed primo, *Capias illius vestem:* tum deinde, hoc ipsum non as-

PAR. Pro illo te ducam. CH. Audio. PAR. Te esse illum dicam. CH. Intelligo.

PAR. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo: Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias: Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neque scit qui sies.

Præterea forma, et ætas ipsa'st, facile ut pro eunucho probes.

CH. Dixti pulchre: nunquam vidi melius consilium dari. Age, eamus intro: nunc jam orna me; abduc, duc, quantum potes.

PAR. Quid agis? jocabar equidem. CH. Garris. PAR. Perii, quid ego egi miser?

Quo trudis? perculeris jam tu me: tibi equidem dico, mane.

CH. Eamus. PAR. Pergin'? CH. Certum'st. PAR. Vide ne nimium calidum hoc sit modo.

perunte domino, pergit servus ad cætera, quæ audaciora sunt. *Vestem?*] Quam libenter audiat, repetitio dictorum per interrogationem ostendit. D.

79. *Audio*] Id est, libenter hoc admitto, et consentio. Ut in Phormione, *Audio et fateor*; et contra, *Non audio. Intelligo*] *Audio* et *intelligo* vim modo non usitatam exprimunt, scilicet consentientis immodicum affectum. D.—Omnes codd. nostri, præter duo, habent *deducam*, quod ipse versus comprobat. B.

80. In verbis, *quibus tu illum*, *tu* recte abest in cod. Patrensi. B.

81. *Cibum una capias*] Bene servus interturbavit supra dictas amandi lineas, et ordinem voluptatum; quippe qui amare non noverit. *Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias*] Etsi satis erat superior versus, tamen incentiva sunt amoris, etiam sigillatim hæc enumerata, quæ una sententia superior versus ostenderat. D.

82. *Quandoquidem illarum quisquam*] Pro, *ex illis*. *Quisquam*] Quia *quæquam* dicere, absurdum est. *Illarum quisquam*] *Quisquam*, multis exemplis probatur etiam feminino genere veteres protulisse: ita ut in numeris et generibus hæc pronomina infinita sint. *Neque scit qui sies*] Hoc est, quod supra callide poeta præstruxit. D.—*Neque scit*] V. C. *sciet*. L.

83. *Forma, ætas ipsa est*] Deest, *in te*. *Facile ut pro eunucho probes*] Formam scilicet et ætatem. *Formam*, quia pulcher es: *ætatem*, quia ephebus. *Facile ut pro eunucho probes*] *Probes*, fingas, atque persuadeas: ut in consuetudine dicimus, *Homo sacrilegus pro innocente se probavit*. Et Cicero, *Hoc tu his probabis?* Itaque deest *te*, quod subaudiamus: ut sit, *pro eunucho te probes*. *Probes*] Ut, Æn. iv. 401. *Migrantes cernas*. Aut *probes*, persuadeas. Et simul honeste, non dixit, quod erat rectum, ut eunuchum probes, sed pro eunucho: ne esset contumeliosum in Chæream. D.—In cod. C. C. reperitur *ætas ipsa es*. Hinc emendandum puto, *ætate ipse es*; ut, And. i. 1. 95. *erat forma honesta et liberali*. B.

85. *Nunc jam orna me*] Hortative (Forte leg. *Ornative* Z.) *orna* dixit: non despolia, aut exue me. *Abduc*] Abducimur unde volumus: ducimur quo volumus. Vid. supra ad ii. 2. 35. *Quantum potes*] Deest, *cito* (Lege: *Id est, cito*: vel, *deest tantum*). D. —*Quantum potes*] V. C. *potest*. L.—Lege et distingue, *Age, eamus intro nunc jam: orna me, abduc, duc, quantum potest*. Vett. enim codd. Fabricii, Bembinus et Noster passim habent *potest*. B.

86. *Quid agis?*] Callide servus non vult se auctorem videri tanti facinoris. D.

87. *Quo trudis?*] Comici semper ea ostendunt fieri ab altero verbis alterius personæ, quæ ostendi per se ipsa non poterant: ut nunc manu agere Chæream (intersere, *Parmenonem*) Parmenone ipso dicente cognoscimus. *Quo trudis?*] Præbet se vi cogendum domino, quem compulit dictis. *Perculeris jam tu me*] Perverteris; unde proverbium, *Bene plaustrum perculit*. *Tibi equidem dico, mane*] Sigillatim ista pronuncianda sunt: ex quibus intelligatur, non cessare Chæream, quin adhuc impellat et trudat. D.

88. *Pergin'?*] Quasi vero joco dixerit, non serio. *Ne nimium calidum*] Periculosum. Sed melius *callidum* legitur. *Nimium*] Adverbiale: quia *nimium* propria vox est. D.—*Callidum* plerique codd.

ÇH. Non est profecto: sine. PAR. At enim istæc in me cudetur faba. CH. Ah!
PAR. Flagitium facimus. CH. An id flagitium'st, si in domum meretriciam
Deducar, et illis crucibus, quæ nos nostramque adolescentiam
Habent despicatam, et quæ nos semper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam; atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?
An potius hæc patri æquum est fieri, ut a me ludatur dolis?
Quod, qui rescierint, culpent: illud merito factum omnes putent.

habent. Sed *calidum* et versus et sensus postulant. B.

89. *At enim istæc in me cudetur faba*] Id est, in me hoc malum recidet, in me hæc vindicabitur culpa: ut laborat solum, in quo cuditur, id est, batuitur faba; quum siliquis exuitur tunsa (*inter tunsa*, Ms. Boend.) fustibus: ut in areis more rusticorum fit. Vel quod quidam male coactam fabam, et quæ non maduerit, sed dura permanserit, supra caput coqui, velut ipsi fabæ irati saxo comminuunt, tum universum malum, et omnis dolor ad coquum pervenit. Simile et alibi a pulmento proverbium est, *Tute hoc intristi, tibi hoc est exedendum; accingere.* D.—*In me cudetur faba*] Ex proverbio. Nam dicunt quendam avarum rusticum, cum fabam coxisset, et cum socio invaderet, partem sibi depoposcisse, ut cum socio invaderet in eodem vasculo: et aquam adjecisse parti suæ, quæ corrupta et alteram quoque corrupit: unde communis faba corrupta, et in eum qui hoc fecerat tota conversa est. Igitur proverbium, ut qui malefacit, in eum recidat quod fecit. E.

90. *Flagitium facimus*] *Flagitium* more militari dicitur, res flagitatione, hoc est, increpatione digna. Nam *flagitatio* a strepitu dicitur: unde *flamma* (*flagella*, additum habet edit. Westerh. Z.), et *flagitare*; id est, personare intelligimus dici. Nam hæc omnia sine sonitu crepituque non sunt. *An id flagitium est?*] An liceat? an deceat? Et prius, quia licet. *An id flagitium est?*] Terentius laudat argumentum hujus fabulæ; in quo exemplum promitur (*promittitur*, Ms. Boend.), quod prosit parentibus, obsit meretricibus: et simul deliberationibus tractans id faciendum (Ed. Du B. *tractans id faciendum, ut ad domum meretriciam deducatur.* Alii, *ad faciendum*). *Si in domum meretriciam deducar*] Hoc tale est; nulla lex prohibeat, et defendatur ut licitum (Ed. Du B. *ut defendatur quod licitum est*). D.

91. *Et illis crucibus*] Hoc jam ad illud pertinet, ut ostendatur decere; et primo a persona ejus fit (Uterque liber, *ejus, cui fit*). D.—*Nos nostramque adolescentiam*] Quasi incertam, et ad se quadam divisione pendentem; quale est illud, Virgil. Georg. i. 292.—*ferroque faces inspicat acuto.* E.

92. *Habent despicatam*] Contemtam atque despectam. Et ita est ἐνέν θεσις et μεταπλασμός. Vel certe alterius verbi declinatio, ab eo quod est *despicor*, ut *conspicor*. Sallustius, B. Jug. xlix. *Quum interea Metellus monte digrediens cum exercitu conspicatur, primo dubius, quidnam insolita facies ostenderet.* D.—*Despectam* habet Bembinus. Sed ego legendum esse censeo *despicatu*, vetuste, pro *despicatui*. Sic Heaut. ii. 3. 116. *neglectu* est pro *neglectui*. Atque *habere despicatui* reperitur Plaut. Menæch. iv. 3. 19. B.

93. *Nunc referam gratiam*] Non eas, inquit, lacessam: sed, quod justum est, vicem reddam: quasi ipse in aliis læsus sit. *Ut ab illis fallimur?*] Non dixit, *alii falluntur.* D.

94. *An potius hæc pati, æquum est fieri?*] Illic vicissitudo extat in *pati dolos*. *Ut a me ludatur dolis*] Ἀντάλληψις: subauditur *pati* (*patri* scripsisse Donatum putat Faernus. Sed forte, *pater* Z.). D.—*An potius hæc patri?*] Melius est, inquit, in domum meretriciam (*si*, Z.) deducar (*ut*, Z.) referam gratiam, quam patrem fallam. E. —Nostri omnes, *An potius hæc pati?* Sed unus vet. a manu prima habet *patri*. Ego, cum verbum *hæc* intelligi non possit, quia *in domum meretr. deduci, crucibus illis gratiam referre*, non possunt *fieri patri*; legendum puto, *An potius par atque æquum est, pater ut a me.* B.

95. *Quod qui rescierint*] Ex consequentibus argumentum: nam illud factum vituperatio sequitur, hoc approbatio. *Illud merito factum omnes putent*] Bene, non *judicent*: quia et hoc ipsum non satis probum est, vel meretricem fallere. D.

PAR. Quid istic? si certum'st facere, facias; verum ne post conferas
Culpam in me. CH. Non faciam. PAR. Jubesne? CH. Jubeo, cogo, atque impero.
Nunquam defugiam auctoritatem: sequere. PAR. Di vortant bene.

ACTUS TERTII SCENA PRIMA.

THRASO. GNATHO. PARMENO.

MAGNAS vero agere gratias Thais mihi?
GN. Ingentes. TH. Ain' tu? læta'st? GN. Non tam ipso quidem
Dono, quam abs te datum esse: id vero serio
Triumphat. PAR. Huc proviso, ut, ubi tempus siet,
Deducam: sed eccum militem. TH. Est istuc datum

96. *Quid istic?*] Adverbium est ægre concedentis. *Facias*] Pro facito. *Verum, ne post conferas*] Si *ne* prohibentis est, nihil deest: si percontantis, ut sit *ne forte*, deest timeo. *Verum, ne post conferas culpam in me*] In hoc negotio non auctor vult interesse, sed servus. *Verum*] Deest, *vide*. D.

97. *Cogo atque impero*] Evidenter ostendit, plus esse *imperare*, quam *jubere*. *Nunquam*] Pro non. *Ut, nunquam omnes hodie moriemur inulti*. D.—*Jubeo, cogo, atque impero*] Cum necessitate sunt. E.—*Jubeo, cogo*] Ms. R. *Jubeo, imo cogo*. L.—Omnes nostri cum vett. edd. habent *Jubeo immo cogo*. Igitur aut legi debet, *Juben'? Ch. Jubeo? Immo cogo, etc.* aut, quod melius, retinenda est Lindenbrogii lectio. B.

98. *Nunquam defugiam auctoritatem*] Non, inquit, recusabo facere, dum tu tamen auctor sis facti. D.—Verbum *sequere* Bentleius Parmenoni, qui loquitur *Di vortant bene*, tribuit. Quod præferendum videtur, ne verba postrema simpliciter et ambigue sint posita. Cæterum verba, *Nunquam defugiam auctoritatem*, significant, *nullo tempore negabo, me tibi auctorem hujus rei extitisse*. Z.

1. *Magnas vero agere gratias*] Hic sermo sic prodit, ut post scenam inchoatus esse videatur. Continet autem assentationem parasiticam, et stultitiam gloriosi militis. *Agere*] Plus sonat infinitus modus finito. D.—*Magnas vero*] Hæc scena gloriosi militis tenet jactationem exsultationis, quæ narratio brevissime agitur: primo cum nunciatum fuisset, meretricem libenter missa dona sumsisse, parum credidit, nisi iterum diceretur. Itaque interrogat: *Magnas vero agere gratias?* E.

2. *Ingentis*] Vide quantum adjiciat parasitus. Ille, *magnas* dixit, hic respondit, *ingenteis*: ille, *læta est*, hic, *triumphat*. D.—*Ingentes*] Hic persona Colacis parasiti custoditur. Nam cum ille dixisset *magnas*: hic adjecit, *ingentes*. Ita cum ipse quæsisset, *læta est?* adjecit parasitus, *non tam ipso quidem vero dono, quam abs te quod datum est, serio triumphat*. E.

3. *Quam abs te datum esse*] Majoris est gratiæ, tantum potuisse amorem militis, ut meretrix minus lætaretur ob lucrum. *Id vero serio*] *Id*, ob id: ut, *Id, amabo, adjuta me*. Alias παρέλκεται, id est, productionis locus est (Si hanc vulgarem lectionem retines; verba *id—est*, a recentiori manu sunt inserta. At edd. Venett. plane aliam exhibent lectionem, SERIO. *Alias παρέλκον, at nunc productionis locus est*). D.

4. *Triumphat*] Ut (*Nunc*, liber uterque) militaribus dictis tangit militem parasitus. *Huc proviso*] Tertia persona venit in scenam: sed separatim loquitur et secum. D.

5. *Sed eccum militem*] Injuriose *militem*. Honorifice proprio nomine dicitur: ut in subjectis, *Audire vocem visa sum modo militis. Est istuc datum*] Fato decretoque concessum: ut, Æn. vii. 313. *Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis*. D.—*Est istuc datum*] Hæc oratio gloriosi est militis, nimiam sibi gloriam vindicantis: quippe cum dicat sibi fato, vel quadam natura esse concessum, uti cuncta, quæ faciat, grata sint omnibus. E.

Profecto, ut grata mihi sint, quæ facio, omnia.
GN. Advorti hercle animum. TH. Vel rex semper maximas
Mihi agebat, quicquid feceram: aliis non item.
GN. Labore alieno magnam partam gloriam
Verbis sæpe in se transmovet, qui habet salem,
Quod in te est. TH. Habes. GN. Rex te ergo in oculis.
TH. Scilicet.
GN. Gestire. TH. Vero; credere omnem exercitum,
Consilia. GN. Mirum. TH. Tum sicubi eum satietas

6. *Ut grata mihi sint, quæ facio, omnia*] Gratæ nobis sunt aut res, aut personæ: sed nunc res dicit. *Quæ facio, omnia*] Ἔλλειψις vel σύλληψις. D.—*Grata mihi sint quæ*] Cicero apud Ammian. Marcell. lib. xxvii. *Cum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur, quæ faciebat.* L.—*Grata mihi*, h. e. gratiam hominum mihi concilient. Z.

7. *Advorti hercle animum*] Approbat dictum et hoc, *Ait, aio. Vel rex semper maximas mihi agebat*] Quam intempestive miles ad regem transitum fecit, cum de meretrice agatur. *Vel rex*] Ut in Hecyra, *Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi, quam sancte. Vel rex semper maximas*] Subauditur *gratias:* ab eo quod supra dixit, *Magnas vero agere gratias Thais mihi.* D.—*Vel rex mihi*] *Vel*, et significat. Ut, Virg. Ecl. viii. 69. *Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.* Est sensus: Et rex mihi maximas agebat gratias, et quæcunque feceram. E.—Daceria negat, intelligi regem aliquem Persarum propterea, quod in hac ipsa fabula Pyrrhi, qui recentiori ætate vixerit, fiat mentio. Igitur hic esse intelligendum Seleucum, regem Asiæ. Z.

8. *Aliis non item*] Pulchre adjecit, ne natura regis talis esse videretur, ut maximas gratias omnibus ageret. E.

9. *Partam gloriam*] Id est, quæ paritur; ut, *Vectus equo spumante Saces*, Æn. xii. 651. D.—*Labore alieno*] Sensus: ex alieno labore gloriam præparatam solo sermone in se transferre potest, quicunque instructus est corde. E.

10. *Verbis in se sæpe transmovet, qui habet salem*] Mire adulator hoc attribuit militi, quod minime habet, vel *verba*, vel *salem. Qui habet salem*] *Sal* neutraliter, condimentum est: masculini, sapientia (Festus, qui laudat hunc Ter. locum, *masculini generis est*, inquit, *non neutri, nec ab hoc accusativo nominativus esse potest, hoc sale.* Masculino tamen gen. etiam pro *condimento* usurpatur. Scripsit autem Donatus *masculine*, non *masculini*). D.—*Qui habet salem*] Priscian. lib. v. L.—Ob versum, et ob sequens *quod*, lege *sal;* præsertim cum Priscianus, p. 664. testetur, inveniri quosdam vetustissimos libros, qui etiam neutro genere *sal* protulerint. B.

11. *Quod in te est*] Quod tu habes. *Habes*] Intelligis. Quod enim tenemus corpore, habemus animo: quodque item animo habemus, intelligimus. *Habes*] Pro intelligis. Sic dicitur *accipe*, et *da*, *habes* etiam, id est, dicis; ut Sallustius, in Fragm. *Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadirum habent. Rex te ergo in oculis: scilicet: gestire: verum*] Vide inconditam properationem laudari se cupientis, adeo ut non sinat verba impleri, quin præfestinet *scilicet* et *verum* dicere. D.—*Quod in te est*] Acro in Horat. Epod. Od. ii. L.

12. *Credere omnem exercitum*] Magis ridebis, si consideres militem motum esse; qui * (Alii pro *motum* legunt *notum*. Et quia sensum absolutum non videbant in his verbis, lacunæ notam adjecerunt, quæ nulla apparet in libb. vett. Mihi Donatus nihil addidisse videtur, sed rem dictu turpem suppressisse, quam et Gnatho mox tangit versu 15. Cum vero in quibusdam impressis sit *motum*, et mox sequatur, *sub obtentu militis*, Wielingius conjicit legendum, *militum morem.* De quo supra ad ii. 3. 90.) *Credere omnem exercitum, consilia*] Sub obtentu militis, ea stultitia, descripsit breviter comitem regium, acceptumque imperatori (Forte sic: *Sub obtentu militis ejus, aliorum stultitiam descripsit breviter per com. reg. acceptumque imperatorem* Z.). Nam qui nunc (*quicunque* Z.) credit exercitum, credit et consilia: Virgil. Æn. ix. 278. *Nulla meis sine te quæretur gloria rebus, Seu pacem seu bella geram: tibi maxima rerum, Verborumque fides.* D.—Faernus ait, omnes codd. habere *gestire*, i. e. gaudere ex convictu tuo. Verum cum cod. Bembi, et duo ex nostris vett. habeant *gestare*, non est quod quis de hac lectione dubitet. Deinde pro *vero*, quod Faernus auctoritate Bembini probat, nostri omnes habent recte, *verum:* ut supra ii. 3. 35. B.

13. *Consilia*] Αἴτημα. Plus enim est

Hominum, aut negoti si quando odium ceperat:
Requiescere ubi volebat, quasi: nostin'? GN. Scio:
Quasi ubi illam exspueret miseriam ex animo. TH. Tenes.
Tum me convivam solum abducebat sibi. GN. Hui!
Regem elegantem narras. TH. Imo sic homo'st
Perpaucorum hominum. GN. Imo nullorum arbitror,
Si tecum vivit. TH. Invidere omnes mihi:
Mordere clanculum: ego non flocci pendere:
Illi invidere misere; verum unus tamen
Impense, elephantis quem Indicis præfecerat:

consilia, quam totus exercitus. *Mirum*] Melius per *ελρωνείαν* pronunciamus *mirum*; quasi dicat, Quis non crederet tali viro? sed potest etiam simpliciter pro admirantis gestu accipi. D.

14. *Ubi satietas hominum, aut negoti si quando odium ceperat*] Reipub. princeps duas res patitur, homines et negotia, id est, personas et res hominum. *Satietas hominum, aut negoti si quando odium ceperat*] Proprie reddidit et decenter, *hominum satietas, negotii odium*. Non enim par erat, Reipub. principem hominum odio laborare. D.

15. *Requiescere ubi volebat*] Bono verbo usus est. Nam *cessat* desidiosus, *requiescit* defessus. *Quasi: nostin'?*] Grate expressit stulti infantiam militis (*Graviter e. s. insaniam m.* Wielingius legi vult), qui ante vult intelligi quod sentit, quam ipse dicat. Et proprie hoc morale est stolidi, sive ruditer loquentis. *Quasi: nostin'?*] Ἀνοσιώτατος, pro *habes hoc?* hoc est, quod supra, *intelligis?* D.

16. *Quasi ubi illam exspueret miseriam*] *Ubi* pro quando, et in his, et supra. *Exspueret*] *Exspuere* est cum fastidio aliquid rejicere et expellere. Nam *exspuere*, est extra pus mittere, id est, foras. Nam *pus* est omnis humor corpori onerosus. D.—*Exspueret miseriam*] Ut posset curam et sollicitudinem ex animo removere. E.

17. *Tum me convivam solum abducebat sibi*] Hoc supererat, ut, qui esset minister magnarum rerum, id est, consiliarius, voluptatum quoque regis particeps esset. Et vide quo significatu dicatur, *me*, et *convivam*, et *solum*, et *abducebat*: nam non vocabat. Et *sibi*, quasi non propter me, sed, ut sibi bene esset. *Tum me convivam*] Id est, quum satietas hominum esset, cum odisset negotia. *Convivam solum abducebat*] Ut, Æn. iv. 421.—*solam nam perfidus ille Te colere*. Significat autem, sæpiuscule factum. D.

18. *Regem elegantem narras*] Qui eligere sciat, aut qui ipse sit eligendus. D.—*Sic homo est perpaucorum*] Talis est, inquit, ut cum paucis esse velit. Denique hoc intellexit et Parmeno cum dixit: Immo nullorum arbitror, si tecum vivit. E.—Versus gratia lege et distingue, *immo sic homo'st: Perpaucorum hominum'st.* Sic simpliciter ponitur Horat. Serm. i. 9. 44. *Mæcenas quomodo tecum? Hinc repetit; paucorum hominum, et mentis bene sanæ*. B.

19. *Perpaucorum hominum*] Aut qui paucis utitur: aut qui de paucis est: aut qui paucis placet; hoc est, bonis et sapientibus, qui fere pauci sunt. *Imo nullorum arbitror, si tecum vivit*] Hoc aversus, ne miles audiat. Potest tamen et aliter intelligi, maxime cum milite (Ne verba langueant, lege, *illo milite*. Hinc *notum* militem ad vera. 12. dixit). D.—*Perpaucorum hominum*] Πάνυ παυρῶν ἀνθρώπων. Charis. lib. ii. L.

20. *Invidere omnes mihi*] Plus potest, ad significandum, infinitum tempus, quam finitum. D.

21. *Ego non flocci pendere*] Quod morderent clanculum, vel quod inviderent. D.—*Ego flocci pendere*] Contemnere ac nullius momenti ducere. E.—*Ego non flocci*] Ms. R. *non* omittit. L.

22. *Illi invidere misere*] *Miser* enim est, cui animæ miseria inest. *Verum unus*] Proprie *unus*. Nam *unus* ex multis dicitur. Et mire est facta nullius ponderis repetitio, ad inertiam loquentis exprimendam. Nam postquam dixit, *Invidere omnes mihi*: repetit, *Illi invidere misere*. Quin et *impense* et *misere* idem significant: et mox tamen sine ullo actu addidit, *verum unus tamen impense*. Aut plus est *misere*, quam *impense* (Sensus postulat, *Aut plus est impense, quam misere*). D.

23. *Elephantis quem Indicis præfecerat*] Et hoc stulte: cum hoc ad dignitatem sumit, et sic pronunciat, ut magna esse præfectura videatur hæc ipsa. Et hoc a stolido milite sic profertur, tanquam magnum hominem velit esse, qui sibi invideret. Et *Indicis* πρὸς ἀντιδιαστολὴν Maurorum, qui et mitiores (*majores*, lib. uterque) sunt. D.—*Elephantis quem*] Quem

Is ubi molestus magis est, quæso, inquam, Strato,
Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?
GN. Pulchre mehercle dictum et sapienter: papæ!
Jugularas hominem: quid ille? TH. Mutus ilico.
GN. Quidni esset? PAR. Di vestram fidem! hominem perditum
Miserumque, et illum sacrilegum. TH. Quid illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,
Nunquam tibi dixi? GN. Nunquam: sed narra, obsecro.
Plus milies audivi. TH. Una in convivio
Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus:
Forte habui scortum: cœpit ad id alludere,

præposuerat elephantis, qui sunt ex India. E.—*Elephantis quem Indicis*] Elephantorum præstantissimorum Indici: Achill. Tatius lib. iv. ἀλλ' ἐστὶν, ὡς εἰπεῖν, ἐλέφας Αἰγύπτιος· καὶ γὰρ δεύτερος φαίνεται εἰς ἀλκὴν ἐλέφαντος Ἰνδοῦ. Philostrat. de vita Apollon. ii. ὅσον δὲ ὑπὲρ Νισαῖον μείζων ὁ Λιβυκὸς ἐλέφας, τοσοῦτον τῶν ἐκ Λιβύης οἱ Ἰνδοὶ μείζους. Vid. quæ notat Donat. et Servius Georg. i. ad versum 57. *India mittit ebur*; ubi hic Terentii locus laudatur. L.

24. *Is ubi molestus magis est*] More suo *magis* addidit, ne diceret molestior. *Quæso, inquam, Strato*] *Strato*, nomen accommodatum militiæ. D.

25. *Eone es ferox*] Causale est, *ideone* significans. *Quia habes imperium in belluas?*] Mire extulit, *imperium in belluas*. Sic Virgil. Æn. i. 140.—*illa se jactet in aula Æolus, et clauso ventorum carcere regnet.* D.—*Eone est ferox*] Aristot. Politicor. i. 5. ἀεὶ βελτίων ἡ ἀρχὴ, ἡ τῶν βελτιόνων ἀρχομένων· οἷον ἀνθρώπου ἢ θηρίου. L.

26. *Pulchre mehercle dictum*] Immodica laudatione vertit (Scripserat Donatus: PULCHRE MEHERCLE DICTUM, ET SAPIENTER. PAPÆ! *immodica laudatione evertit.* Nam nisi illa adjiciantur, immodica laus dicenda non est. Tum *e* in *evertit* videtur absorptum per compendium scribendi, LAUDATIONE, cujus vocis posterior littera valet geminum E.), etiamsi quid facete dictum est. Sufficeret enim *pulchre*, quod est *sapienter*. D.

27. *Jugularas hominem*] Pulchre tangit militem, *jugularas* dicendo, non, *occideras*: quasi gladio, non verbo usus sit. *Mutus ilico*] Tam hoc stultum est, quam si diceret, statim nihil. Recte autem diceret, *ex illo mutus fuit*. Tale est et illud, *tacere festinat*. D.

28. *Quidni esset?*] Hoc est, ut posset esse, jugularas. *Hominem perditum*] Deest, *o*: ut sit, o hominem! sed sic melius sonat: majoris enim stuporis est, hoc modo pronunciatum. *Hominem perditum miserumque et sacrilegum*] Vide quantum addiderit, qui non hominem simpliciter, sed *perditum*, et *miserum illum*: nec malum, sed *sacrilegum* dixerit. D.—*Quidni esset?*] Dubium non est, quin mutus existeret. E.

29. *Miserumque, et illum sacrilegum*] *Miserum* dixit militem: *sacrilegum*, parasitum, quia is laudabat militem. *Mehercule*] Quod utique falso juravit. E.

30. *Tetigerim*] Luserim, fatigaverim. Nam *tangere*, cum multa, tum etiam hoc significat. D.—*Rhodium tetigerim*] Hoc est, quemadmodum per jocum male tractaverim atque pulsaverim. E.—*Rhodium tetigerim*] Turpilius: *Quia te talento argenti tetigi.* Plaut. Pseud. iv. 8. 1. *Bene ego illum tetigi.* L.

31. *Nunquam: sed narra, obsecro*] Callide parasitus intelligit ad hoc se interrogatum, ut audire postulet. D.—*Nunquam tibi* recte habent omnes Faerni et nostri libri, præter tres, qui habent *Numquid tibi*. B.

32. *Plus millies jam audivi*] Ὑπερβολή: aut superfutura * ut æquatur: aut subjacet, ut tantum non millies convenit stultum eundem et immemorem esse, qua et intelligentia est (Locus corruptus forte sic est corrigendus: *ὑπερβολῇ haud superflua utitur, ut sensus sit, tantum non millies. Et convenit stultum eundem et immemorem esse, cui intelligentia non est.* Certe postrema illa: *cui int. n. e.* leguntur in Venetis et Argentina, quæ nullum lacunæ signum habent). D.—Omnes nostri codd. et edd. vett. habent, *Plus milies jam audivi*. Nec adeo cum Faerno illud *jam* ob Donatum et Bembinum cod. ejiciendum est. B.

34. *Forte habui scortum*] Vide quemadmodum miles, dum multa ad dictum suum pervenire fateatur, interim quam contemtus sit atque derisus (Restituo audacter: *dum vult ad dictum suum pervenire, fateatur interim, quam contemtus sit atque deri-*

Et me irridere. Quid ais, inquam, homo impudens?
Lepus tute es, et pulpamentum quæris. GN. Ha, ha, he.
TH. Quid est? GN. Facete, lepide, laute, nihil supra.
Tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? vetus credidi.
TH. Audieras? GN. Sæpe; et fertur in primis. TH. Meum'st.
GN. Dolet dictum imprudenti adolescenti, et libero.

sus). Abdomen in corpore feminarum, patiens injuriæ coitus, *scortum* dicitur; ideo quia *scorta* sunt dura coria. A parte ergo sui meretrices *scorta* dicuntur: vel ἀπὸ τοῦ σκαλρεύω, quod Græce palpitare intelligitur; quod illæ faciunt saltando assidue: vel potius crissando, ut Lucretius (Dousa legendum putat, *Lucilius*, cujus verba sunt lib. xi. *crissabit, ut si frumentum clunibu' vannat.* Scriptum forte fuerat, L. vel *Luc.*) ait, ob eam causam, ut concinniorem Venerem exhibeant viris, aut sibi abigant conceptum, quod in vulvam feminæ, in ipso coitu non se moventis, incidit. D.—*Cæpit ad id ludere*] Ad id scortum ludere. E.

35. Cum *alludere* sit adblandiri, oscularі, manum in scorti sinum inserere, ad evitandam tautologiam pro *irridere* legi debet *irritare*. Deinde leg. *Quid agis, homini inquam, impudens?* Nam *agis* comprobatur recentiorum codd. fide, et serie orationis, quia miles facta, non verba castigat. Atque *homini* habet cod. Bembi. B.

36. *Lepus tute es, et pulpamentum quæris?*] *Lepus* pro infamia multa ponitur (Ms. H. *ob multa.* Malim: *Lepus pro infami ob multa ponitur*): vel quod magis a posteriori parte, hoc est, armis, pulpamentum de se præbeat, cum in convivio carpitur appositus; ut Horatius ait, *Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos:* vel quod venantur illum, et persectantur canes, quos pro amatoribus ἀλληγορικῶς intelligimus: ut ipse Terentius ait, *Cervam videre fugere, sectari canes:* vel quod illum sic fugiant omnes, constituat ut hunc libido effeminata (Forte leg. *vel quod, si illum liguriunt homines, concipiatur tunc libido effeminata*): vel quod a physicis dicatur incerti sexus, ac esse modo mas, modo femina. *Lepus tute es, et pulpamentum quæris*] Quod in te habes, hoc quæris in altero. Et est τρόπος ἀλληγορία. *Ha ha he*] Parasitus hic interjectionem risus addidit: quo magis nunc primum hoc audisse credatur. D.—*Lepus tute es*] Hic est sensus; cum tute ipse præda sis, prædam quæris. Quidam intelligunt, *Lepus tute es*, quod natura leporis talis est, ut incesto sexu vivat. Iterum ergo hic quasi tactus adolescens. E.—*Lepus tute es, et pulpamentum*] Livii Andronici hoc dictum, ut Fl. Vopiscus auctor est in Numeriano: *Ipsi denique comici plerumque sic milites inducunt, ut eos faciant vetera dicta usurpare. Nam et, Lepus tute es, et pulpamentum quæris, Livii Andronici dictum est: multaque alia, quæ Plautus Cæciliusque posuerunt.* L.—Ne accentus invenuste cadant, pro *pulpamentum* repone *pulmentum*, aut *pulpamen*; aut *Lepus tute, pulpamentum, etc.* Cæterum versum per interrogationem profer. B.

37. *Quid est?*] Hæc interrogatio gestum vultumque continet cujusdam alacris et certi, quod laudandus sit. *Facete*] *Facetus* est, qui facit verbis quod vult. *Lepide*] *Lepidus*, qui politus est, ut λεῖος, id est, lamina. *Laute*] *Lautus*, qui mundus et splendidus est. D.

38. *Tuum obsecrone hoc dictum erat?*] Et dicta, et proverbia, et adagiones, quod rem agant, facetis hominibus ascribuntur: et hoc laudis genus est, ad potiores referre, quod alter probatur dixisse. *Vetus credidi*] Quia omnia vetera, magna sunt. D.—Placet vett. edd. lectio, *Tuum obsecro ne hoc dictum erat?* h. e. per Tmesin, pro *Tuumne obsecro.* Sic Eun. iv. 4. 53. Adel. iii. 4. 19. Plaut. Truc. ii. 7. 42. B.

39. *Sæpe*] Non ex ipso; nam esset contrarium superiori. *Meum est*] Non sensu tantummodo, sed verbis quoque ipsis agreste est, quod nunc dicit, *Meum est.* D.—*Et fertur in primis*] V. C. *effertur in primis.* L.

40. *Dolet dictum imprudenti adolescenti et libero*] Deest *mihi*, ut sit, *Dolet mihi.* Et *dictum*, participium est, id est, quod dixisti. Addidit enim parasitus, quo gravius sit dictum, commiserationem ejus in quem dictum est, utpote imprudentem adolescentem et liberum. Scit enim homines stultos, malos videri velle. Et vide parasitum in iisdem versari, cum ait supra, *Jugularas*, hic, *Dolet dictum. Imprudenti*] Scilicet qui minime crederet, tali se percuti posse convicio: aut cum tali viro sibi rem futuram. Et sic laudat militem, ut miseratione jam dignus sit adolescens. Tam festive ᵃ ut etiam misereri inimicorum vacet (Edd. vett. *Eum nec non infestat.* Locus corruptus forte ita restitui potest: LIBERO. *Tam non incessit, ut etiam misereri inimicorum vacet.* Quin enim τὸ *libero* non minus quam *imprudenti* interpretatus sit, dubium non est. Tum poterat videri Gnatho incessere Rhodium illum adolescentulum, vocando *liberum*, i. e. procacem:

PAR. At te Dii perdant. GN. Quid ille, quæso? TH. Perditus.
Risu omnes, qui aderant, emoriri: denique
Metuebant omnes jam me. GN. Non injuria.
TH. Sed heus tu, purgon' ego me de istac Thaidi,
Quod eam me amare suspicata'st? GN. Nihil minus.
Imo auge magis suspicionem. TH. Cur? GN. Rogas?
Scin', si quando illa mentionem Phædriæ
Facit, aut si laudat, te ut male urat? TH. Sentio.
GN. Id ut ne fiat, hæc res sola'st remedio:
Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo: si quando illa dicet, Phædriam
Intromittamus commissatum; tu, Pamphilam
Cantatum provocemus: si laudabit hæc

id vero tantum abesse ait Donatus, ut etiam misereatur). D.—*Imprudens* hic in laude ponitur, ut And. v. 4. 8. Gnathonis verba sunt, ex intimo adulatoriæ artis penu petita. B.

41. *At te Dii perdant*] Nove Parmeno, non ipsi, sed de ipso loquitur, non audiente eo: *εἰρωνικῶς*. Parmeno hic male facit (lege, *male dicit*, vel *male dicens*. Nisi verba illa *εἰρωνικῶς*. *P. h. m. f.* loco suo mota statuas. Certe quidem optime adduntur Notæ Donati ad iii. 2. 10.): *At te Dii perdant*, inquit. D.

42. *Risu omnes, qui aderant, emoriri*] Disciplina est comicis, ut stultas sententias, ita etiam vitiosa verba, adscribere ridiculis imperitisque personis. Ut Plautus, Mil. i. 1. 74. *Latronibus ego denumerem stipendium*, inquit ex persona militis. Itaque hic *emoriri* dixit. At vero Atticus adolescens in Heautont. *emori cupio*. Vide igitur, poetam, pro loco ac tempore scire quid dicat. D.—*Emoriri*] Comice tantum dicitur; nam (*non* Z.) *emori* facit. E.

43. *Metuebant omnes jam me*] Ne cui dicerem, *Lepus tute es, et pulpamentum quæris*. Aut, *Eone es ferox, quia habes imperium in belluas? Non injuria*] Hoc sic pronuncia, quemadmodum illud supra, *Quidni esset*. D.—Verba, *non injuria*, ambigua putat Daceria: militem enim illa accepisse de laude, cum tamen Gnatho dixerit de stultis hominibus, qui metuendi sint omnibus. Z.

44. *Purgon' ego me de istac Thaidi?*] *Οἰκονομία* ad litem futuram inter militem et Thaidem. D.—*Heus tu, purgon'*] Hic quasi consilium petitur, an purget sese miles apud Thaidem, quod Thais credit, militem jam virginem amare. Sicuti etiam ipsa supra dixit: *Sed ego quantum suspicor, ad virginem animum adjecit*. Dat autem consilium parasitus, ut magis augeat suspicionem: et hujus argumentum profert, quod prosit: *ut si quando illa mentionem Phædriæ fecerit, miles contra Pamphilam nominet*. Et sic invicem injuriæ Thaidis parem gratiam referat; hoc enim dixit, *Par pro pari referto, quod eam mordeat*. E.

45. *Quod eam me amare suspicatur?*] Quia (*Hinc* Z.) apparet, illam militi quoque *κατὰ τὸ σεσωπωμένον* ostendisse, quod dixit Phædriæ. D.

46 *Imo auge magis suspicionem*] Hæc erit causa rejiciendi militis. D.—Non *suspicatur*, quæ est nonnullarum edd. lectio, sed *suspicata'st* omnes Faerni codd. et nostri plerique recte habent. B.

47 *Scin'*] Monentis est dicere *scin'*, vel *scito*. *Si quando illa mentionem*] *Si quando* et prima syllaba acui potest, et media: tamen variat sententiam. D.

49. *Id ut ne fiat*] Modo *Ne*, non, significat. *Hæc res sola est remedio*] Si te suspicetur amare Pamphilam. D.

50. *Ubi nomibabit*] Et locum et tempus significat *ubi*. D.—*Ubi nominabit*] Cicero lib. i. ep. 9. ad Familiar. L.

51. *Tu Pamphilam continuo*] Hic magna *οἰκονομία* est, qua Terentius præparat, quemadmodum jurgium inter Thaidem militemque, et Gnathonem, per duas partes serpat fabulæ. Et bene *continuo*: ut intelligat meretrix, non tam Pamphilam amari, quam sibi vicem dari. D.

52. *Pamphilam cantatum provocemus*] Eleganter, quia ille foris est, hæc intus: *illum intromittamus, hanc provocemus*. Hæc est in verbis poetæ germana proprietas. D.—*Commissatio est*, inquit Faernus, *proprie convivium meretricum et adolescentulorum*. Illud *tu*, cum et ultra metrum excurrat, et a vett. edd. absit, delendum puto. B.

53. Lege, *Cantum, tu, provocemus*. Nam in hac re proprium est *canere*, non

Illius formam; tu hujus contra: denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.
TH. Si quidem me amaret, tum istuc prodesset, Gnatho.
GN. Quando illud, quod tu das, exspectat atque amat;
Jam dudum te amat: jam dudum illi facile fit,
Quod doleat: metuit semper, quem ipsa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
TH. Bene dixti: ac mihi istuc non in mentem venerat.
GN. Ridiculum; non enim cogitaras: cæterum
Idem hoc tute melius quanto invenisses, Thraso!

cantare. Sic Cic. Tusc. i. 2. Epaminondas fidibus præclare *cecinisse* dicitur. B.

54. Tu hujus contra] Hic *contra* vicem significat. D.

55. Quod eam mordeat] *Quod* par; aut absolute *Quod*, quæ res. D.—*Par pro pari referto*] Proverbium vulgi ore satis tritum, et quod interpretationem non requirit: cujus tamen occasione Siculum adagium annotabo, cujus ignoratione non leves in veteribus libris errores subnati. Quod igitur Latini *Par pari*, hoc Siculi Μοῖτον ἀντὶ μοίτου dicunt: et *μοῖτον* illis *mutuum* est. Varro de L. L. lib. iv. pag. 42. *Si datur, quod reddatur, mutuum; quod Siculi μοῖτον. Ita scribit Sophron μοῖτον ἀνταπόδομον.* Omnino legendum: *Sophron, μοῖτον ἀντὶ μοίτου.* Siculam vocem etiam Hesychius agnoscit, sed pariter ac Varro mendosus: Μοιτοί, ἕτοιμοι, παροιμία Σικελοῖς. ἡ γὰρ χάρις μοιτὸν οἰνόχαριν. Quæ verba sic restituenda: *μοῖτοι ἀντὶ μοίτων, παροιμία Σικελοῖς, ἡ γὰρ χάρις μοῖτος. Μοῖτον, οἰνόχαριν.* Aliter hæc Scaliger ad Varron. lib. iv. emendare tentat, sed, meo judicio, irrito conatu. Itaque Lucianus in Imaginibus, p. 562. Μέθον ἀντὶ μέθου ἀμεῖψαι, αὐτῷ τῷ μέτρῳ, φασὶν, ἢ καὶ λέβιον. *Sermonem pensabis ipsa mensura, quod aiunt, aut etiam cumulatius:* dubio procul Μοῖτον ἀντὶ μοίτου ἀμεῖψαι, id est, *Par pari referre*, et quæ sequuntur, scripsit. L.—Particulam *pro*, cum a quatuor codd. absit, et locus sine illa a Servio ad Æn. i. 265. et Cicerone, laudetur, delemus, et ad versum fulciendum illius loco *tu* reponimus. B.

56. Si quidem me amaret, tum istuc prodesset, Gnatho] His versiculis personam militis et Gnathonis continentibus, *οἰκονομία* inducitur, quod verisimile sit, facile militem ferre posse, anteponi sibi Phædriam, qui se semper intellexerit non amari. Nam si hoc tollas, aut excludendus est Phædria, aut ex dolore militis in hac fabula fit exitus tragicus. Et hoc miles, ut sapiens, locutus est. Ergo meminisse convenit, ridiculas personas non omnino stultas et excordes induci a poetis comicis. Nam nulla delectatio est, ubi omnino, qui deluditur, nihil sapit. Stultitia autem est in his quatuor modis: aut non venire in mentem, quod oportet; aut, si venerit, non tenere; aut bonum consilium amittere, aut malum admittere. Vide ergo, ut hoc quod commode miles viderat, non tenuerit, totumque amiserit. Hoc autem idcirco interposuit poeta, ut ostenderet, quid veneni haberet assentatio: per quam non modo errantes decipiuntur, ac præcipites eunt; verum etiam sapientes interdum, sanique evertuntur. D.—*Siquidem me amaret*] Bona questio, contemsisse (qua contemni se Z.) doleat. Non, inquit, diligit. Hic respondet parasitus, probans quia diligit, ex his argumentis, *quando illud quod dat miles, meretrix spectat atque amat. Ergo utile est consilium quod tibi dedi.* E.

57. Quando illud, quod tu das, exspectat] Hac sententia tollitur militi (putabam *τὸ tollitur* valere, aufertur, eripitur: sed sollicitat lectionem Wielingius, et substituit vel, *Hæc sententia tollitur militi*, h. e. fertur: vel, *Hac sententia tollitur miles*, h. e. laudatur, vel intumescit), quod recte senserat: nec persuadetur tamen, quod ametur ab amica. D.

58. Jam dudum amat te] Vel nimium et valde, vel jampridem. D.—*Jam tutum te amat*] Servius Æneid. iv. ad illum versum 1. *Jam dudum saucia cura.* L.

59. Quod doleat] Hoc ad illud refertur, quod supra dixit, *Par pro pari referto, quod eam mordeat.* D.—Etsi nostri codd. *metuet* habent, vulgare tamen retinendum esse censeo. B.

60. Ne quando iratus tu alio conferas] Et hic locum pro persona posuit: ut ne diceret, *ad aliam.* D.

61. At mihi istuc non in mentem venerat] Sic pronunciandum est, quasi militi monstri simile videatur, sapiens dictum alii prius venisse in mentem, quam sibi. D.

62. Ridiculum] Vel hominem, vel dictum significamus. D.—*Ridicule: non enim cogitaras*] Parasitus tametsi bonum consi-

ACTUS TERTII SCENA II.

THAIS. THRASO. PARMENO. GNATHO. PYTHIAS.

AUDIRE vocem visa sum modo militis;
Atque eccum: salve, mi Thraso. THR. O Thais mea,
Meum suavium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac? PAR. Quam venuste! quod dedit
Principium adveniens! THA. Plurimum merito tuo.

lium invenerit, tamen, quoniam colax est, dicit, ipsum militem si cogitasset, melius invenire potuisse. E.—Verbum *Ridiculum* ipsi Thrasoni, magnifice de ingenio suo sentienti, tribuendum Daceria putat. Z.

63. *Cæterum hoc tute melius quanto invenisses, Thraso!*] Scilicet, si cogitasses. D.—Si *idem* est, quomodo *melius* dici potest? Igitur repono, *Idem hoc aut melius tute invenisses, Thraso.* Cf. And. iv. 1. 57. et Phorm. i. 4. 50. B.

1. *Audire vocem visa sum modo militis*] Hic inducitur multiplex concursus dissimilium personarum, et tamen virtute et consilio poetæ discretarum, ut confusio nulla sit facta sermonis: simul etiam pro se cuique accommodata mire repræsentatur oratio. *Audire vocem visa sum modo militis*] Omnes sensus *visa* dicuntur, ab eo quod est certissimum oculorum (Wieling. putat leg. *qui est certissimus, oculorum*, sc. sensus, Cic. de Orat. iii. 41. *Facilius ad ea, quæ* visa, *quam ad illa, quæ audita sunt, mentis oculi feruntur*). Ergo *visa sum*, sensi; ut Virgilius, Æn. vi. 257.—*visæque canes ululare per umbram, Adventante Dea.* D.—*Audire vocem*] Hæc scena sublationem munerum tenet, quippe Parmeno oblaturus Æthiopissam et eunuchum, quos, ut oportet, secundum præceptum domini laudavit. Igitur demonstrativum genus causæ, ubi laus erit. Sed quoniam præsens est miles et ejus parasitus, erit et vituperatio; quæ omnia ex oratoriæ artis partibus tractabuntur. Quippe cum omnis laus vel vituperatio homines taxat, dividatur ex animi bonis vel malis. Hæc omnia exsequentur suo loco. Ac primum miles meretricem convenit, et ab ea petit ut dicat, quemadmodum donum susceperit. *Audire vocem visa sum*] Pulchre factum ut meretrix intus posita, *vocem militis audire* se dixerit. Est enim consuetudo hominum, ut ob recens munus omnia officia et obsequia præbeamus. Superba illa meretrix et in amatores suos, quæ et Phædriam paulo ante excluserat domo venientem, nunc post munus acceptum egreditur, et *audire* se *vocem militis* dicit. E.

2. *Salve, mi Thraso*] Quia secum, *militis:* quia apud illum, *Thraso* (Lectio satis proba. Edd. tamen vett. *quasi nomen* MILITIS *apud illum non honestum sit,* THRASO. Cæterum cf. Donat. ad Adelph. ii. 2. 3.). Est quædam actio, cujus nomen honestum est; sicut orator, philosophus: est quædam, cujus nomen offensum est, ut miles, lanarius. D.—*Thais mea*] Priscian. lib. xiii. L.

3. *Meum suavium*] Tria sunt osculandi genera, *oculum* scilicet, *basium*, et *suavium. Oscula* officiorum sunt: *basia*, pudicorum affectuum: *suavia*, libidinum vel amorum. *Meum suavium*] Cum oscularetur, dixit. *Quid agitur?*] Et hoc blandimenti genus est post osculum; sed duri est et agrestis: infert (*inferre* Donato valet *subjungere.* Sic Andr. v. 6. 14.) enim, *ecquid nos amas?* Et *ecquid*, aliquantulumne significat: et ideo illa *plurimum* recitat. Cicero in Catilinam, i. 8. *Quid est, Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis horum silentium?* D.

4. *De fidicina istac?*] *De*, propter: ut sit, propter fidicinam. Et vide non puellam, sed *fidicinam*, quasi ab amatore dictam, et eo amatore, qui quasi memor sit artis, qua delectatur: et quia puella ait æmula meretricis; nam meretricum est fidicinam esse. *Quam venuste! quod dedit principium adveniens!*] Bene reprehendit Parmeno. Nam in beneficiis debet oblivisci qui dedit, et meminisse qui accepit. Et est gravis *εἰρωνεία, Quam venuste!* D.—*Fidicina isthac?*] Quæ fidibus scit, hoc est, citharam novit. E.

5. *Plurimum merito tuo*] Facete meretrix amorem suum non ad avaritiam retulit, sed ad officium. Et cum de fidicina, inquit, te amem (*tum*, uterque cod.) præcipue merito tuo. Alii sic respondere intelligunt, ut ipsa de fidicina gratias agat. Nam cum ille dixerit, *ecquid nos amas?* illa respondit, *plurimum.* Quod autem *de fidicina hac* dixit ille, subjecit hæc, *merito tuo*, id est, quoniam mereris, dando eam. Sed melius est, ut præter munus *meritum* dixerit: quamquam multi *munus meritum* intelligant; ut est illud Virgilii Æn. vi.

GN. Eamus ergo ad cœnam: quid stas? PAR. Hem alterum;
Ex homine hunc natum dicas. THA. Ubi vis, non moror.
PAR. Adibo, atque assimulabo, quasi nunc exeam.
Ituran', Thais, quopiam es? THA. Ehem! Parmeno,
Bene fecisti: hodie itura? PAR. Quo? THA. Quid? hunc non vides?
PAR. Video, et me tædet: ubi vis, dona adsunt tibi
A Phædria. THR. Quid stamus? cur non imus hinc?
PAR. Quæso hercle ut liceat, pace quod fiat tua,

664. *Quique sui memores alios fecere merendo:* id est, gratos sibi reddidere munerando. D.—*Plurimum merito*] Astuta meretrix, ne muneris gratia diceret se amare militem, respondit, amo te, sed, *merito tuo*. E.

6. *Eamus ergo ad cœnam*] Decuit parasitum de cœna etiam importune admonere, cum quadam ἐμφάσει velut magnæ rei. *Hem alterum*] Bene *alterum*, quia duo sunt. *Hem alterum*] Si hic reprehendatur miles, *alterum dictum:* si parasitus, *alterum hominem*. Vult enim Parmeno et parasito esse versutior, et debet esse (edd. Venet. *qui et debet esse*), cum pejoris conditionis sit. *Hem alterum*] *Alterum*, non respective, sed absolute; ac si dixisset, aliud dictum, vel alterum stultum. D.

7. *Ex homine hunc natum dicas*] Recte reprehendit Parmeno duos, quorum unus beneficium Thaidi exprobrat, alter pro beneficio cœnam ostendit, tanquam ad eam currendum sit: nam hoc significat, *Quid stas?* quasi sit causa properandi. *Ubi vis, non moror*] Ad *Eamus ad cœnam*, *Ubi vis* retulit (*ad*, recte insertum est in edit. Westerh. Z.): *Quid stas? Non moror.* D.—*Ubi vis, non moror?*] *Non moror*, non impedimento sum. E.—Si, *ex homine hunc natum dicas*, sine interrogatione accipis; sensus est, utrumque stultitia esse parem. Sin cum interrogatione; eandem habent vim, quam illa apud Nostrum, *Nonne hoc monstri simile est? Monstrum hominis! Quod istucnam monstrum est?* Sed admodum ingeniosa est Bentleii conjectura, *Abdomini hunc natum dicas*. Nam parasitus ante dixerat, *Eamus ad cœnam: quid stas?* Deinde eadem phrasis occurrit Cic. in Pis. xvii. *Ille gurges atque helluo: natus abdomini suo, non laudi et gloriæ*. Z.

8. *Quasi nunc exeam*] Mire, *nunc exeam*, quippe qui jamdudum procul steterit (Uterque liber addit, *ibi videlicet*). D.

9. *Ituran, Thais, quopiam es?*] Ut experiatur Thaidis animum, fingit nescire quo eat. *Hem! Parmeno*] Vide deprehensam meretricem velle blandimentis satisfacere Parmenoni. D.—*Ituran', Thais?*] Interrogat Parmeno, an aliquo itura sit. E.

10. *Bene fecisti*] Quid bene fecit Parmeno? An quasi perturbata hæc loquitur, etiam de nihilo blandiens, utpote meretrix et faceta? An quod illuserit convicio? *Hodie*] Dulciter additum *hodie*, quasi cum exceptione: quo se significat, non perpetuo obsecuturam militi: et ut quæ (*Sed ut quoque;* aut, *sed id quod* Z.) promiserit, biduum tantum abfuturum Phædriam. *Quid? hunc non vides?*] Si dixerit (forte, *dicat*) *militem*, lædit præsentem: si *amicum*, lædit Parmenonem. Mire igitur pronomen invenit. D.—*Bene fecisti*] Ms. R. *Bene pol fecisti*. L.—Lectionem codd. et edd. *Bene pol fecisti* versus non admittit, nisi quoque legas *fecsti:* quod est durum. B.

11. *Video, et me tædet*] Opportune Parmeno fatetur odium militis, ut retundat ab eo (lege vel, *repellat ab eo;* vel, *retundat adeo* Z.) amorem Thaidis. *Ubi vis, dona adsunt tibi a Phædria*] Nil potuit exitiosius militi contingere, quam ut continuo rivalis mitteret munus, et posterior, et coram ipso. *Dona adsunt tibi a Phædria*] Cum illa sub pronomine celaverit nomen militis, ex arte Parmeno pronunciavit *a Phædria*. D.

12. *Quid stamus?*] *Quid stamus*, ad moram refertur. *Quid stamus?*] His verbis miles insulsus dolere se indicat. *Cur non imus hinc?*] Ubi servus rivalis est Parmeno. D.—*Quid stamus?*] Miles, postea quam rivalis servum videt afferre dona, properat ut discedat meretrix, ne cogatur ea accipere. E.

13. *Pace quod fiat tua*] *Pace*, aut gratia, aut voluntate: et deest *cum*. Et sic locutus est, quasi bellum his verbis omnibus indixerit. *Pace quod fiat tua, dare huic quæ volumus, convenire et colloqui*] Proprie: quia *pax, datio, deditio, conventio, colloquium*, militiæ verba sunt: et invidiose sic ait, quasi per eum non accipere liceat Thaidem. Et sic pronunciandum, ut subaudiatur *vel:* ut sit, vel dare, vel convenire. Et colloqui: ut inter hostes solet. Sallustius (uterque locus in Fragm.):

Dare huic quæ volumus, convenire et colloqui.
THR. Perpulchra credo dona, haud nostris similia.
PAR. Res indicabit: heus jubete istos foras
Exire, quos jussi, ocius: procede tu huc.
Ex Æthiopia est usque hæc. THR. Hic sunt tres minæ.
GN. Vix. PAR. Ubi tu es, Dore? accede huc: hem eunuchum tibi.

Quæ pacta in conventione non præstitissent. Et alibi, *Cujus ad verba voluntate, colloquio militibus promisso, corruptio facta paucorum, et exercitus Syllæ datus est.* D.—*Quæso hercle ut liceat*] Bene tanquam cum milite, *pace quod fiat tua.* E.

14. *Dare huic quæ volumus*] Hæc singula cum invidia pronuncianda sunt. *Convenire et colloqui*] Sic pronunciandum est, ut quasi dicat, liceat per te, miles, quod etiam inter hostes, et in bello licet. D.

15. *Perpulchra credo dona*] Ἐλεγεῖα de fiducia pulchræ virginis. *Nostris similia*] Et *his similia*, et *horum similia*, dicimus. D.—*Perpulchra credo*] Vituperationis exordium sumitur: generale tamen, et a corporeis bonis vel malis, quippe sua dona per comparativam qualitatem ab donis corporis collaudavit. Hoc scilicet donis detrahens rivalis sui. E.—*Perpulchra credo dona*] Priscian. lib. xiv. *Perpulchra credo munera.* L.—Recte Faernus pro *haut* edidit *aut.* Nam ironia debet continuari. B.

16. *Res indicabit*] Scit eunuchi nomen posse contemni: et ideo videri vult potius, quam sperari munera sua, id est, Chæream. *Jubete istos foras exire, quos jussi ocius*] Cum fiducia et alto vultu pronunciat: et festinat, ne occupet miles prius abire, quam videat. Et est ordo, *ocius exire.* D.

17. *Procede tu huc*] Bene *procede* dixit, non *accede*, aut *veni*: ut appareat dignitas in incessu. Et callide ab inferiore incipit munere, hoc est, a puella, ad Chæream venturus, simul ut a vero mancipio incipiens, ad falsum sine suspicione transiret. D.

18. *Ex Æthiopia est usque hæc*] Quod Thais cupiebat. Nam supra, *Nonne ubi dixti cupere te ex Æthiopia ancillulam. Usque* additum, ut longinquitas monstraretur. Et hoc est quod facit (edd. vett. addunt *supra.* Wielingio placet, *Huc est quod facit.* Lego, *Et hoc est, quod Phædria ait supra.* Nam ex *Ph. ait* natum est *facit*): *Munus nostrum ornato verbis, quod poteris. Ex Æthiopia est usque*] Hic ostendit quid sit ex Æthiopia, addendo *usque*: ut ex longinquitate dignitas muneris ponderetur. Et quid erit jam criminis in colore, quando ipse dicere gloriatur unde sit? Et mire ab inferiore cœpit, ut αὔξησιν doni faceret in Chærea: et turpi præcedente lenocinium (*et turpem præcedentem, more lenonum* Z.) comparat secuturo pulchro. *Usque* modo adverbium de loco est: ut, *Siculo prospexit ab usque Pachinno,* Æn. vii. 289. *Hic sunt tres minæ*] Callide munus ad pretium revocavit, ut ad avaritiam converteret meretricem; ne officio donantis et gratia leniretur. Et ideo non dixit, *tribus minis valet*, sed, *hic sunt tres minæ*: quasi jam vendenda sit. D.—*Ex Æthiopia*] Hic quoniam supra adversarius dixerat, *perpulchra dona, haud nostris similia*, quam Ægyptus produxerat, a corporis bonis laudare non potuit, laudavit extrinsecus, scilicet ex loco et cæteris partibus: ut ex longinquitate regionis gratiam muneri præpararet. *Hic sunt tres minæ*] Hic vituperatio rursus extrinsecus facta est ab opinione, ab existimatione, a proprii (*pretii*, uterque Ms.) qualitate. Ubi totum donum * callide a Parmenone factum (in Mss. lacunam repperit nullam Westerh. Ut laboranti loco medearis, pro *factum*, lege, *exhibitum*, seu, *ornatum* Z.): uti primum (forte, *nimirum* Z.) ea quæ in corpore non placebat, primo promitteretur: post eunuchus, qui utique erat pulcherrimus, quia adolescens Chærea. Hic omnis laus a corpore, quod dixit, *eunuchum tibi! quam liberali facie, quam ætate integra!* Hæc quidem ætas naturalis est: et eunuchus equidem naturæ datur. Sed hæc omnia personæ sunt attributa. E.—*Ex Æthiopia est*] Servius, Æneid. i. 647. *Iliacis erepta ruinis.* Junius Phylarg. iv. 293. Georg. *usque coloratis.* L.

19. *Vix*] Aut *difficile* significat, aut *non*; ut sit, *nec hoc.* Lucilius: *Carcer vix carcere dignus*] *Ubi tu es, Dore?* Tanquam quærat eum, ut nomen indicet: quo audito magis dissimulet Chæream. *Accede huc*] Vultu eo dicitur, quo debuit dicere, et dicto æmulorum læsus, et confidentia destitutus, velut in eo duntaxat conspectu Chæreæ confidens. *Hem eunuchum tibi*] Mire: postquam dixit,—*eunuchum porro dixti velle te, Quia solæ utuntur his reginæ; repperi* (Leg. ex vett. vestigiis: *Mire, postquam* EUNUCHUM *dixit,* TIBI *intulit, q. d. eunuchum dixti velle te, eunuchum tibi repperi*). D.

Quam liberali facie, quam ætate integra!
THA. Ita me Di ament, honestus est. PAR. Quid tu ais, Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem, Thraso?
Tacent; satis laudant: fac periculum in literis,
Fac in palæstra, in musicis: quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, sollertem dabo.
THR. Ego illum eunuchum, si opus sit, vel sobrius.

20. *Quam liberali facie?*] Non narrative laudat, sed per interrogationem, quæ major fiducia est. *Quam ætate integra?*] Id est, qua florent puberes; ut Virgilius, Æn. ix. 255. *atque integer ævi Ascanius.* D.

21. *Ita me Di ament*] Juravit ideo, ut non amore Phædriæ, sed veritate cogi ad laudandum videatur (*videretur* Z.) coram milite. *Honestus*] Pulcher. Virgilius, Æn. i. 591. *Et lætos oculis afflarat honores. Honestus*] Hic subdidit, quod in ancilla prætermisit, quia Æthiopissa honesta dici non potuit. D.—*Quid tu ais, Gnatho?*] Hic exsultat (*insultat*, uterque Ms.) Parmeno, quoniam pulcherrimum donum a meretrice jam probatum est. Et concludit ex eo, quod non audeat (*audeant* Z.) vituperare: et conticescant potius, quam (*quod* Z.) satis laudent. E.

22. *Numquid habes*] *Habes* pro invenisti. *Quod contemnas?*] Plus est *contemnas*, quam vituperes, et deest, *in hoc*: ut sit, *numquid habes, quod in hoc contemnas?* D.

23. *Tacent; satis laudant*] Taciturnitas confessionis genus est, præsertim contra adversarii interrogationem. Ideo tacere hoc, vel quasi laudis argumentum est: quia supra tacere vituperavit: ideo et ipse sic ait, *Quid tu ais, Gnatho? numquid habes, quod contemnas? Tacent; satis laudant*] Et, *quid tu, Thraso?* quia supra contemserat puellam. *Fac periculum in litteris, fac in palæstra, in musicis*] Si totum singulariter diceret, esset *ὁμοτέλευτον, litera, palæstra, musica.* D.—Adjecit ab animi bonis laudem, *Fac periculum*, inquit, *in litteris, fac in palæstra, in musicis; quæ liberum scire æquum est adolescentem, sollertem dabo*] Artes et disciplinas animi bona nos tradimus, et liberos adolescentes æquum est ista cognoscere. Sunt autem *litteræ, palæstra, musica*, et præcipua duo *palæstra* et *musica*, alia corporis, alia animi scientia. De quibus et Plato de Republica loquitur, dicitque omnes cives in adolescentia his artibus operam debere tradere, ut omnia . . . more adolescenti • robur ad virtutis indolem suscitetur (Ms. alter: *ut omnia onere adulescenti Robur ad virtutis indolem suscitet.* Alter: *ut* ōmā *honore adulescenti Robur ad virtutis indolem suscitetur.* W. Forte, *ut omnium honore* [τιμῇ] *a. r. a. v. i. suscitetur.* Z.). Et hoc igitur contra militem est. Nam his rebus dicit Plato milites et viros fortes posse existere meliores. Unde Achilles ab Homero inducitur, vir fortissimus ac arte doctissimus, ut reliqui, qui in palæstra plurimum valent. Idcirco adjecit, *quæ liberum scire æquum est adolescentem, sollertem dabo*, id est, peritissimum exhibebo. E.—Stobæus e Menandro Tit. 77. *Θυγάτηρ ἀτίγαμος κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ, Διὰ τοῦ σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει.* W.

24. *Quæ liberum scire æquum est*] Quondam liberi pueri his artibus erudiebantur. Et est figura ἔλλειψις: deest enim, *his* (Quæ de ellipsi *his*, seu potius, *in his*, dicuntur, pertinent ad sequens *sollertem dabo* Z.). D.—*In musicis*] Lucian. in amoribus, *κἂν εἰς μουσικοῦ δέοι φοιτᾶν, εὐμελὴς λύρα* et quæ sequuntur. *Quæ liberum scire*] Lucian. in amoribus *τὸ σῶμα ταῖς ἐλευθερίοις ἀσκήσεσιν ἐκτρανεῖ*: quin imo vid. totus locus; nam huc commode facit. L.

25. *Sollertem*] Id est, disertum. Utrum hæc *sollertem*, ut Horatius, *Docte sermones utriusque linguæ*, Carm. iii. 8. 5. An assumendum est *His* extrinsecus? *Sollertem*] Deest, *his. Solers*, quasi totus ex arte consistens, ut ὅλος ἀρετῇ, quod Latinis verbis, quasi *solus in arte* sit. Huic *iners* contrarium. Nam *solers*, quasi ὅλος ἀρετῇ dictus; ὅλον *solum*; ut ἕξ *sex*, et ὗς *sus* dicimus. D.

26. *Ego illum eunuchum, si siet opus, vel sobrius*] Hoc ut militare est, ita importunum præsente Thaide: extra quam miles, si saperet, nihil amatorie contemplari debuit. Sed et hoc accedit ad ejus odium: præterquam quod jam in suspicione est amicæ suæ, quod fidicinam magis diligat; et hoc mire, quod nemo prior eunuchum esse Chæream, quam miles, credidit: adeo stultus etiam nomine ipso appellavit. Sed statim stulte miles, primo quidem convicium ipsi eunucho facit; in quo potest jam lædere amicam. Deinde attestatur hoc dicto pulchritudinem hujus muneris. Quid igitur proficit? Satis autem joculare est, si cogites Chæream esse, qui hæc de se au-

PAR. Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat
Te vivere, et sua causa excludi cæteros.
Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
Ostentat; neque tibi obstat, quod quidam facit:
Verum ubi molestum non erit, ubi tu voles,
Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.
THR. Apparet servum hunc esse domini pauperis
Miserique. GN. Nam hercle nemo posset, sat scio,
Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.
PAR. Tace tu, quem ego esse infra infimos omnis puto

diat, et tacere cogatur. *Vel sobrius*] Honesta ἔλλειψις, propter mulieris præsentiam; ut Virgilius, Ecl. iii. 8. *Novimus et qui te.* Et ipse in Heautont. *Qui se videnti amicam patiatur suam.* Hoc tamen miles coactus a Parmenone dicit, quia reprehensus est tacuisse. D.—*Ego illum eunuchum*] Pulcherrimum eunuchum quoniam negare non potest miles, detractionem repperit, quod in eunucho ad turpitudinem libidinis pulchritudo verti potest. Et quoniam sine Cerere et Libero friget Venus, dixit, *hunc jam sobrium eunuchum, si opus sit:* intelligitur autem quod consequatur. E.—Pro, *sit*, cum Faerno lege *siet*, quod poscit versus. B.

27. *Atque hæc qui misit*] Id est, tanta munera; hoc enim *hæc* significat. *Non sibi soli postulat*] Hoc est, *istum æmulum, quod potes, ab ipsa pellito.* D.—*Atque hæc qui misit*] Memor est mandatorum. Nam quoniam dominus dixerat, *munus nostrum ornato verbis, quod poteris*, hoc supra factum est. Et quia adjecerat dominus, *et istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito;* nunc hoc exsequitur, cum dicit, *dominus meus neque pugnas narrat, neque cicatrices ostentat suas.* E.

28. *Sua causa excludi cæteros*] Nihil potuit dici invidiosius. Non enim dixit *Phædriam*, sed *cæteros*, quasi futuri amatores fuissent, nisi metueretur exemplum Phædriæ. D.

29. *Neque pugnas narrat*] Descriptio militis, tantum excepto nomine. *Neque cicatrices*] Insigne fœditatis. Nam apud meretricem quid aliud cicatrices valent? Nam cicatrices etsi semper gloriosæ sint, non tamen etiam apud meretrices, quibus post pretium forma placet; ut Sallustius quoque fatetur, *Hæc sunt virtutis insignia: dehonestamento tamen esse corpori, maxime lætabatur.* D.

30. *Neque tibi obstat*] Qui a te repellat amatores tuos. *Quod quidam facit*] Quidam *recte.* Nam et figuratum et aptum sententiæ est, et contemtum indicat hoc verbum. D.

31. *Ubi molestum non erit*] Ad superiora retulit, quod nunc dicit: scilicet ad, *Non sibi soli postulat te vivere, et sua causa excludi cæteros: neque pugnas narrat, etc. Ubi molestum non erit, ubi tu voles*, ad *neque tibi obstat: ubi tempus tibi erit.* Et mire occupat animum meretricis, cum illam hujus impulsu inducit facere, quicquid dure fecit excludendo Phædriam. Hic igitur qui scit præcepta de beneficiis æstimandis, intelligit oratorie in utramque partem dicta omnia. *Verum ubi molestum*] Utrum tibi molestum, an aliis? sed aliis, quia illaturus est (Adde, *ubi tu voles.* Z.). D.

32. *Ubi tempus tibi erit*] Non amatori. Et *ubi tu voles:* non ut nunc in milite pateris. *Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur*] His dictis et militem repulit ab animo meretricis, et commendavit adolescentem, et perfecit ne injuria videatur apud Thaidem, quod sponte susceperit Phædriam. D.

33. *Apparet servum hunc esse domini pauperis*] Tristiores enim sunt servi pauperum, et ob hoc ipsum nequiores; et hoc melius erat: quamvis illud aliter parasitus exponat. *Domini pauperis miserique*] Bene additum *miseri:* quia non continuo pauper etiam miser est. D.

34. *Nam hercle nemo posset*] Secundum illud, *Ait, aio*, approbat parasitus quod miles dixit. Et est ordo, *Nam hercle satis scio, nemo posset hunc perpeti, qui haberet, qui pararet alium servum. Nam hercle nemo posset*] Aliam causam subtiliorem assignat parasitus, quam quam dixerat miles. D.—*Hercle nemo posset*] Istum enim servum, quod malus sit, nemo posset, inquit, perpeti, si haberet tantum unde alium compararet: ut ostendatur dominus pauper. Hæc propter malitiam, qui neque nudare se posset, ut alius compararetur. E.—Illud *nam* refertur ad id, quod eleganter omissum est, sc. *Recte.* Z.

35. *Qui haberet, qui pararet*] Prius *Qui*, pronomen: sequens adverbium est. D.

36. *Quem ego esse puto infra omnis infi-*

Homines: nam qui huic animum assentari induxeris,
E flamma petere te cibum posse arbitror.
THR. Jamne imus? THA. Hos prius introducam, et, quæ volo,
Simul imperabo: post continuo exeo.
THR. Ego hinc abeo, tu istanc opperire. PAR. Haud convenit
Una ire cum amica imperatorem in via.
THR. Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.
GN. Ha, ha, he. THR. Quid rides? GN. Istuc quod dixti modo:
Et illud de Rhodio dictum quum in mentem venit.
Sed Thais exit. THR. Abi præ, curre, ut sint domi

mos homines] Multum dixit, *infra infimos omnis homines*. Nam hac sententia vult, illum hominem servis etiam esse pejorem: quia et servus, homo; ut in Phormione, *Servum hominem causam orare leges non sinunt*. D.—*Infra omnes infimos*] Prisc. lib. xiv. Plaut. Stich. iii. 2. 37. *infimatum infimus*. L.—Ut *infra* sub ictum veniat, cum Donato leg. *infra esse*. B.

37. *Qui huic animum assentari induxeris*] Proprie: nam *animus inducitur* adversum objectas difficultates. D.—Versus gratia cum duobus codd. et edd. vett. lege, *huic assentari animum induxeris*. B.

38. *E flamma te petere cibum posse arbitror*] Unde sine damno aut malo nihil potest auferri. *E flamma*] Hoc intelligit, non ex foco, sed ex medio igni, vel incendio flammæ. Nam antiquum verbum est, *Petere cibum e flamma;* mordetque utrumque simul; ut nescias quem pejus vituperaverit, hujusne famem, an illius immanitatem, vel voraginem. Et simul vide convicium redditum, unde conjectum est; id est, de paupertate et egestate. D. —*E flamma cibum*] Homerus apud Sueton. in Tiberio, cap. xxi. Lucilius apud Nonium Marc. in MORDICUS. *Mordicus petere aurum ex flamma expediat, e cœno cibum*. L.

39. *Jamne imus?*] Odium Parmenonis et stomachum militis ista indicat festinatio; et, *Jam*, increpatio moræ est.

40. *Post huc continuo exeo*] Legitur et *postea*, ut sit *post* pro *postea* ΔΠΟΡΩΤΙΗΔΕ * (sensus postulat, ut legatur, ἀποκοπὴ τοῦ εα) quomodo pro postremo *post*. D.—Cum in *continuo* non possit non fieri synalœpha, pro *post* cum codd. lego *postea*. B.

41. *Ego hinc abeo*] Consequens erat ut offenderetur miles, tam diligenter rivalis munus suscipiente meretrice. D.—*Haud convenit*] Ms. R. *non convenit*. L.

42. *Una ire cum amica imperatorem in via*] Vide προπαρασκευὴν futuræ litis inter Thaidem et militem. *Cum amica*] Mirifice *amicam* dixit, non meretricem. *Imperatorem in via*] Congrue in militem; quasi ipse sit, sub quo est (adde, *Thais* Z.): et hic servat Parmeno, quod sibi mandatum est, *et istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito*. Et bene mutat nomina, hinc ad honorem, hinc ad invidiam. Hanc, non *meretricem*, sed *amicam* dixit: hunc, non *militem*, sed *imperatorem*. D.

43. *Quid tibi ego multa dicam?*] Non habuit aliud miles stultus, et redit ad illa quæ supra dixit, *domini pauperis miserique*. *Domini similis es*] Ineptus jocus, in quo servus, injuriæ vice, domino comparatur. D.—*Similis*, cum nihil vituperii contineat, mutandum est in *simia*. Nam præterquam quod ita turpitudo faciei exprimitur, usus loquendi quoque comprobat: πιθηκίζειν enim est *imitari* et *adulari*. Cf. Plin. Epist. i. 5. et Plaut. Most. iv. 2. 4. B.

44. *Quid rides?*] Et hoc eo vultu dicitur, quasi sibi conscius sit miles facete dicti convicii. Nam non quod nesciat causam risus, eo interrogat *quid riserit*, sed ideo, ut denuo laudetur. D.—*Istuc quod dixti*] Colax parasitus suum ubique implet officium. Nam cum leviter locutus miles fuisset, qui dixerat Parmenoni, *domini similis es*, continuo risum sibi commovet ex commemoratione illius dicti, quod *Rhodium adolescentulum* miles dixerat, sese ridere cœpisse. E.

45. *Et illud de Rhodio dictum*] Hoc est illud, *eorum ingenia admiror simul*. Et huic, ut apparet, fit amicior: ideo facilius ab amica, quam a parasito separabitur. D.—Illud *quum*, quod ab nostris abest, pone post *mentem*. B.

46. *Abi præ, curre, ut sint domi parata omnia*] Non dixit *quæ* (forte, *atque* Z.): quia intelligitur. *Domi ut sint parata omnia*] Ἔλλειψις ἠθική, in qua plus vultu significatur, quam verbis. D.—Pro *curre* Palmerius egregie correxit *cura*. Cf. Adel. ii. 1. 13. B.

Parata. GN. Fiat. THA. Diligenter, Pythias,
Fac cures, si Chremes huc forte advenerit,
Ut ores, primum ut maneat: si id non commodum'st,
Ut redeat: si id non poterit, ad me adducito.
PY. Ita faciam. THA. Quid? quid aliud volui dicere?
Ehem, curate istam diligenter virginem:
Domi adsitis, facite. THR. Eamus. THA. Vos me sequimini.

ACTUS TERTII SCENA III.

CHREMES. PYTHIAS.

PROFECTO quanto magis magisque cogito,

47. *Fiat*] Faciam, vel *fiet*, diceret servus: liber vero, *fiat*: tanquam et ipse jubeat sibi. D.

48. *Si Chremes huc forte ad me venerit*] Οἰκονομία ad litem futuram, et exitum fabulæ. Et hoc non audit miles: nam si audiret, nimis irasceretur. D.—*Si Chremes huc*] Hic est Chremes frater puellæ, quæ a milite Thaidi donata est: hunc fratrem esse ejusdem et meretricis suspicatur. Hanc causam (corrige, *meretrix suspicatur. Hanc ob causam* Z.) mandat ancillæ, ut si venerit, maneat. Et vide, quemadmodum, quæ mandat, tria præcepta sunt, quæ scilicet secundum gradus petitionis ad minora descendunt. Primo enim, quod majus est, petimus: hoc dixit, *ut maneat*: deinde quod minus est, *si commodum non est, ut redeat*. Tertio quod ultimum ex necessitate, *si id non poterit, ad me deducito*; quæ tria servabit ancilla. E. —Melius duo codd. cum edd. vett. et Donato collocant, *si forte huc Chremes advenerit*. B.

49. Inverso ordine pone *redeat*, pro *maneat*; atque *maneat* pro *redeat*. Hunc ordinem Pythias ipsa in scena seq. approbat. B.

50. *Ad me adducito*] Modo ubi sum (corrige, AD ME *ubi sum* Z.) significat. D.

51. *Quid? quid aliud volui dicere?*] Pro, *quid aliud?* hinc est illud Ciceronis, Verr. iv. 3. *Quem, quemnam? recte admones, Polycletum esse dicebant.* D.—*Quid? quid aliud*] Expressit morem domo proficiscentium. Ut (excidit, *si* Z.) in properatione mandare aliquid cupiamus, et in oblivionem veniat, post memoria repetatur. E.

52. *Curate istam diligenter virginem*] Hæc res est, quæ faciet virginem claudi, in lectulo collocari, et obdormire. *Curate istam diligenter virginem*] Ridiculum, quum contra eventurum sit. D.

53. *Vos me sequimini*] Καφὰ πρόσωπα sunt puellæ, quæ sequuntur. D.—*Domi adsitis*] Ms. R. *Domi ut assitis*. L.—Pro *adsitis* consuetudo Terentiana postulat *ut sitis*. B.

1. *Profecto quanto magis magisque cogito*] Hæc persona apud Menandrum adolescentis rustici est, et in consequens (*inconveniens*, ed. Argent.) oratio est. Sed conceditur secum loquentibus multa transcendere, quæ taciti intelligunt: est enim integrum hoc modo, *Profecto quanto magis magisque cogito, nimirum intelligo vel invenio, quod dabit hæc Thais mihi magnum malum*. Potest autem *nimirum* et pro confirmatione accipi; ut sit *nimirum*, sine dubio; pro certo. D.—*Profecto quanto*] Hæc scena suspicionem habet adolescentis, quod sibi meretrix insidias præparet, quo facilius se ad amorem possit adducere; unde sic ad conjecturam argumenta sumuntur: ac primo ipsa summa est: *Profecto quanto magis magisque cogito, nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum*. Deinde incipiunt argumenta a dictis, *quod me arcessiri jussit*; deinde a factis, *quod cum venissem, causam, ut ibi manerem reperit*. Rursus a dictis, quod ait, *rem divinam fecisse se, et rem seriam velle agere*. A factis, quod *ipsa accumbere mecum, mihi esse dare, sermonem quærere*. Deinde a dictis, quod quæsivit, *quam pridem mihi mater et pater mortui essent. Rus Sunii ecquod nunc mihi sit*. Hæc a summo ad imum argumenta dicuntur, quorum quidem causæ denudatio manifesta est. Nam hæc omnia fecit meretrix, non ut adolescentem in amorem possit inducere, sed ut de puella quod quærit, agnoscat; hæc omnia ex derivatione causæ. Explicabimus singula: namque quæsivit, *rus Sunii ecquod?* quia supra in narratione dictum est, *abreptam puellam e Sunio*. Quæsitum est *quam longe a mari?* propterea quod puella a prædonibus rapta est: deinde

Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum:
Ita me video ab ea astute labefactarier.
Jam tum quum primum jussit me ad se arcessier:
Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem.
Ubi veni, causam, ut ibi manerem, repperit:
Ait, rem divinam fecisse, et rem seriam
Velle agere mecum. Jam tum erat suspicio,
Dolo malo hæc fieri omnia: ipsa accumbere
Mecum; mihi sese dare; sermonem quærere.
Ubi friget, huc evasit; quam pridem pater
Mihi et mater mortui essent: dico, jam diu.
Rus Sunii ecquid haberem, et quam longe a mari?

reliqua, quæ consequuntur, aperto hanc indicant causam, de puella scilicet quod adjecit, *Ecqua inde parva perisset soror? ecquis cum ea una? quid habuisset, cum periit?* E.

2. *Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum*] Solve *nimirum*; et fac, non est mirum: et statim consequens erit per ἀσύνδετον tota sententia, quasi dixerit, non est mirum: et subdistinctione interposita mox intulerit, *dabit hæc Thais mihi magnum malum*. Nam *ni*, ne significat; et *ne*, non. Ni pro ne: Virg. Æn. iii. 685.—*læti discrimine parvo Ni teneant. Ne* pro non: Plautus, Epid. iv. 2. 16. *ne vult* inquit, pro non vult. *Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum*] His verbis intelligitur, se sentire paulatim labi in amorem meretricis, quamvis invitum, et adhuc retinentem mentem. D.—*Dabit hæc T. mihi magnum malum*] Menand. κακὸν τί μοι μέγα δώσει. L.

3. Quinque modis ordo horum verborum in codd. variatur; sed sensui aurium maxime convenit, et plurium auctoritate comprobatur hic: *Ita me ab ea astute video labef.* B.

5. *Roget quis, quid tibi cum illa?*] Prius intulit, quam interrogavit. D.—*Roget quis*] Si quis interroget, quid mihi cum meretrice sit: respondebo, *ne noram quidem*. E.—*Roget quis*] Ms. R. *Si roget quis*. L.—Omnes codd. præter unum, recte habent *cum ea*. Est Anapæstus, absque synalœpha. B.

6. *Ut ibi manerem*] *Manerem* modo, non dormirem, sed remanerem significat. D.

7. *Et rem seriam velle agere mecum*] Scilicet, quæ non posset nunc agi, cum operetur. An rem seriam magis agendam tunc putabat, cum rem divinam fecisset? D.—*Rem divinam fecisse*] Hoc est, sacrificium fecisse. E.—*Rem divinam fecisse*] Ms. R. *fecisse se*. L.

8. *Rem seriam velle agere*] Et cum rem necessariam et gravem mecum loqui fingeret, ubi oratio deficit, et, quod agat, non haberet, *huc evasit*, eousque conscendit et exivit. Ut, Æn. ii. 458. *Evado ad summi fastigia culminis*. E.—Versus postulat hunc ordinem, *Jam erat tum susp.* B.

9. *Dolo malo hæc fieri omnia*] *Dolus* a lædendo dictus, id est, a dolando, id est, minuendo. Nam et δόλος Græce læsio dicitur; et *dolones*, tela quædam bellica: et *dolare* fabri, lignum est ascia cædere (Edd. Venett. et Ms. Boend. *scindere*. Et pro *lignum* Arg. legit *lignarii*. W. Lege, *dolare fabris est lignum, etc.* Z.). Quod autem addidit *malo*: aut ἀρχαϊσμὸς est, quia sic in duodecim tabulis a veteribus scriptum est: aut ἐπίθετον *doli* est perpetuum; aut diastole est, quia est et *bonus*, quo a medentibus falli ægros, non tamen decipi, Lucretius poeta testatur iv. 11. *Accumbere mecum*] *Mecum*, penes me significat. D.

10. *Mihi sese dare*] Non potest magis significari profusa petulantia. *Sermonem quærere*] *Sermonem quærimus*, quando non solum quod dicamus quærimus, verum etiam quomodo alter nobis respondeat et obloquatur: puta cum, deficientibus sermocinandi causis, *quota sit hora?* et, *satis recte quis valuerit?* percontamur. D.

11. *Huc evasit*] Tanquam impudenter contenderit ad hanc inquisitionem. *Quam pridem pater mihi et mater mortui essent*] Hoc propter ætatem puellæ inquisitum est. D.

12. *Jamdiu*] Jam olim. D.

13. *Et quam longe a mari?*] Hoc ideo meretrix inquisivit, ut sciret, utrum rapina prædonibus fuisset, quippe ad mediterraneum locum qui accessus esse potuit piratis? Sed tamen non abhorret a suspicione hujus meretricis, quod et scire vellet, cujus pretii fundum habeat Chremes: hoc est, quam amœnum, vel quam maritimum. D.—Etsi Faerni omnes vett. codd.

Credo ei placere hoc: sperat se a me avellere.
Postremo, ecqua inde parva periisset soror:
Ecquis cum ea una? quid habuisset, quum perit?
Ecquis eam posset noscere? Hæc cur quæritet?
Nisi sit illa forte, quæ olim periit parvula,
Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia.
Verum ea si vivit, annos nata'st sedecim:
Non major: Thais, quam ego sum, majuscula'st.
Misit porro orare, ut venirem, serio.
Aut dicat quod volt, aut molesta ne siet:
Non hercle veniam tertio. Heus, heus. PY. Ecquis hic?
CH. Ego sum Chremes. PY. O capitulum lepidissimum!
CH. Dico ego mihi insidias fieri. PY. Thais maximo

habent, *et quod haberem;* nostri tamen recte *habeam*, quia et rus et dominus adhuc supersunt. Deinde *Sunio* lege: non enim oppidum, sed regionem hic notat. Lege igitur, *Rus Sunio ecquod habeam.* B.

14. *Sperat se a me avellere*] Bono usus est verbo *avellere*, tanquam a pertinaciter retinente. D.—*Sperat se a me*] V. C. *Sperat se postea a me.* L.

16. *Quid habuisset, quum perit?*] *Quum*, pro quando: aut, quum periret. D.—Lege, ut cætera, *Ecquid habuisset.* B.

17. *Hæc cur quæritet?*] In gestu ac vultu id quod restat ostenditur. Nam deest, *nescio.* D.

18. Liber Bemb. et nostri fere omnes recte habent, *Nisi si illa forte.* B.

19. *Hanc se intendit esse*] Proprie *intendere* est crimen in adversarium jacere. D.—*Eam sese intendit esse, ut est fallacia*] Hanc sese mihi objicit, et intendit, et probare cupit, ut est audacia. E.—Lectio Eugraphii, *Eam sese intendit*, est præferenda. Certe enim *Soror* putide hic repetitur. B.

20. *Annos nata'st sedecim*] Certos adolescens dixit annos sororis suæ: quod et nuper adolescens Phædriæ indicaverat, cum dixit, *anni sedecim sunt.* Et ita ut nos diximus, optimus sensus est, quod *annos nata sedecim* sit, *non major;* post inferatur: *Thais, quam ego sum, majuscula est.* E.

21. *Majuscula est*] Diminutive dixit, ut ostenderet utramque esse primævam (Si id credidit Donatus, et sororem Chremetis, et Thaidem esse majorem natu ipso Chremete, videtur errare. Lege igitur, *utcunque esse primævam.* Ms. H. corrupte, *utraque esse primæ*). D.—*Majuscula est*] Priscian. lib. iii. L.—Prisc. p. 609. *est parvo major quam ego.* B.

22. *Misit porro orare*] *Porro*, pro postea. *Ut venirem serio*] Utrum, ut venirem serio, an orare serio? D.

23. *Aut dicat quid volt*] Pro *quid velit.* In Hecyra, *Ac vide, quam immerito ægritudo hæc oritur mihi abs te, Sostrata. Aut molesta ne siet*] *Aut* hic moraliter; nam cui hoc imperat? aut cum quo hoc agit? D.—Quatuor codd. cum edd. vett. recte, *quid volt;* ut And. ii. 6. 18. Nam *quod* locum habet, ubi præcedit *quid;* ut And. i. 1. 18. *Dic quid est quod me velis.* B.

24. *Heus heus, hic quis est?*] Hæc separatim pronuncianda sunt. Nam apparet, inter hæc verba pulsatam januam personare. D.—*Ecquis hic*] Ms. R. *Ecquis hic est.* L.—Verba *Ecquis hic?* ipsi Chremeti sunt tribuenda, ob Donati auctoritatem, et usum Plauti, Amphit. iv. 1. 12. et Bacc. iv. 1. 10. *Heus ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?* B.

25. *Ego sum Chremes*] Vide quantum distet, ac varia sit hujus rusticitas, *Ego sum Chremes*, a faceta meretricis disciplina, *O capitulum lepidissimum*] Nam rusticum esse, statim magis apparebit, ubi dixerit, *Rus eo* (Locus ne lacuna laboret, adde: et, *Dico ego mihi insidias fieri. O capitulum lepidissimum*] Ὑποκρίσματα σὺν ποσπυσμῷ), et ὑποκρίσματα σὺν ΠΟΝΙCΜΩ. D.—*O capitulum*] Impetratura primum præbet obsequium, deinde mandata exsequitur tria illa, quæ supra dixit (*dixi* Z.). Nam primum, *Thais maximo te orabat opere, ut cras redires.* At cum hoc nollet, offerre (*offert* Z.) aliud: *at tu apud nos hic mane;* quod utique ordinem bene vertit (Forte legi debet, *servat*, aut, *tenet* Z.). Post infert, *si istuc satis certum est, te amabo, ut illac transeas, ubi illa est.* E.

26. *Dico ego mihi insidias fieri*] Blandimentum rusticus insidias putat. D.—*Insidias fieri*] Menandri dictum forsan in mente habuit: Τότε τὰς γυναῖκας δεδιέναι μάλιστα θεῖ, Ὅταν παρικλάττωσι τοῖς χρηστοῖς λόγοις. L.

Te orabat opere, ut cras redires. CH. Rus eo.
PY. Fac amabo. CH. Non possum, inquam. PY. At tu apud nos hic mane,
Dum redeat ipsa. CH. Nihil minus. PY. Cur, mi Chremes?
CH. Malam rem hinc ibis? PY. Si istuc ita certum'st tibi,
Amabo, ut illuc transeas, ubi illa'st. CH. Eo.
PY. Abi, Dorias, cito hunc deduce ad militem.

ACTUS TERTII SCENA IV.

ANTIPHO.

HERI aliquot adolescentuli coimus in Piræo,
In hunc diem ut de symbolis essemus. Chæream ei rei
Præfecimus: dati annuli: locus, tempus constitutum'st.

27. *Rus eo*] Pro potiore negotio rus posuit. Et major negatio est, quam si diceret, *Non huc venio.* D.

28. *Non possum, inquam*] Plus est, quam *Nolo.* D.

29. *Dum redeat ipsa*] *Ipsa*, vel domina, vel ipsa de qua agitur. *Nihil minus*] Deest *faciam.* D.

30. *Malam rem hinc ibis?*] Hoc adverbialiter dixit: quemadmodum dicimus, *domum ibis.* Et apparet illum manu tactum esse, qui sic irascitur, quia dixit Pythias, *Cur, mi Chremes?* quasi dicat, Cur meus sic indignatus est adolescens? nam ab eo quod est *meus*, vocativus *mi* facit. D. —Contra versum, Bembinus cod. et Donatus Faerni habet *abis.* B.

31. *Amabo, ut illuc transeas, ubi illa est*] Vide non esse otiosum, quod omnia prætenta sunt potius, quam res importuna fieret, ut ad militis domum Chremes deduceretur. Neque enim hoc conveniebat personæ Bacchiali (*Bacchanali*, edd. vett.): quoniam aut infacetum, et præter usum, aut importunum: ideo hoc ipsum Doriæ præcepit. *Ut illuc transeas ubi illa est*] Ut brevem viam demonstraret, non *eas*, sed *transeas*, dixit. *Amabo*] Interjectio est amantis: sic verbum sonat. D.

32. *Deduce ad militem*] Ms. R. *Deduc ad militem.* L.—Recte nostri libb. omnes cum edd. vett. *deduc*; ut alibi, *abduc.* B.

1. *Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo*] In hoc proloquio insinuatio personæ ejus est, cui narraturus est Chæreas, quæ a se post scenam facta sunt. Fit autem hoc populi causa, ut spectator auribus accipiat, quod subjicere oculis poeta non potuit. *Heri aliquot adolescentuli*] Bene inventa persona est, cui narret Chæreas, ne unus diu loquatur: ut apud Menandrum. *Coimus*] *Coimus*, consensimus, ac pepigimus: ne sit solœcismus. *In Piræo*] Pro in Piræum. D.—*Heri aliquot*] Hic adolescens unus ex illis est, qui in Piræo convivium sibi præpararunt. Cui præparando præpositus Chærea, qui in amorem pro eunucho nunc suppositus, ad meretricis domum deductus est. Quærit igitur hic adolescens convivii præpositum. E. —*Coimus Piræo*] Ideo nempe in Piræo, ut rectius, quæ ad convivium necessaria, præstinarentur: quandoquidem rerum ibi venalium magnus proventus, ac velut δεῖγμα. Schol. Aristoph. in Equitib. Plaut. Bacchid. ii. 3. 1. *Ibo in Piræum, visam ecqua advenerit In portum ex Epheso navis mercatoria.* Idem in Mostellar. i. 1. 63. *Ego ire in Piræum volo, In vesperum parare piscatum mihi.* L.—Recte tres codd. habent *coiimus*, ut iii. 5. 45. *Iit, lavit; rediit.* Etsi Cic. ad Attic. vii. 3. legitur *Piræum*; lectio tamen hic, *Piræo*, consensu omnium codd. et contexto comprobatur. Adolescentuli enim non ex urbe *in Piræum*, sed *in Piræo*, ubi custodes erant publice, *coierunt, convenerunt, consenserunt, pepigerunt.* B.

2. *Ut de symbolis essemus*] Plautus in Menæchmis, iii. 2. 20. *minore nunquam fui dispendio.* Sed melius *essemus*, producta e litera.—*De symbolis*] De collationibus. *Ut essemus*] Hoc est, cibum sumeremus. E.—*De symbolis essemus*] Ut Græci ἀπὸ συμβολῆς δειπνεῖν. Eustat. in Homer. Vid. Zonar. in Canon. lv. Laodic. p. 359. L.

3. *Præfecimus*] Id est, *συμποσίαρχον* fecimus. *Dati annuli*] Nihil interim de scorto. Apparet enim ephebos esse. D.—*Dati annuli*] In sponsionibus annuli olim dati. Plinius, lib. xxxiii. cap. 1. *ad sponsiones etiamnunc annulo prosiliente*; lib.

Præteriit tempus: quo in loco dictum'st, parati nihil est.
Homo ipse nusquam'st: neque scio quid dicam, aut quid conjectem.
Nunc mihi hoc negoti cæteri dedere, ut illum quæram:
Idque adeo visam, si domi'st. Quisnam hinc a Thaide exit?
Is est, an non est? ipsus est: quid hoc hominis? qui hic ornatus est?
Quid illud mali est? nequeo satis mirari, neque conjicere.
Nisi quicquid est, procul hinc lubet prius, quid sit, sciscitari.

ACTUS TERTII SCENA V.

CHÆREA. ANTIPHO.

NUMQUIS hic est? nemo est: numquis hinc me sequitur? nemo homo'st.
Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Jupiter!

xvii. §. 5. ff. de præscr. verb. lib. xi. §. 6. ff. de act. emt. et vend. lib. v. §. 15. ff. de instit. action. Sic Athenis Atticis, qui judicio se provocabant, annulos invicem deponebant. Demosth. *πρὸς Παντ*αίνετον: *παραπαλοῦμαι σὲ ταυτὶ, δίχαιαι. φέρε τὸν δακτύλιον*: λάβε. *τίς δ' ἐγγυητής*; L.

4. *Præteriit tempus*] Quia tempus constitutum est. *Quo in loco*] Quia locus constitutus est. D.

5. *Homo ipse*] Quia Chæream ei rei præfecimus. D.—*Quid conjectem*] Quid suspicer. E.

6. *Cæteri dedere*] *Cæteri*, exceptis me atque illo. D.

7. *Quisnam hinc a Thaide*] Causa sciscitandi est admiratio de habitu commutato, et vix agnitus Chærea. D.—*Quisnam hinc*] Quoniam supra dixerat Chærea, *nescivi Thaidem nobis vicinam*. Pergens e vicina domo meretricis exeuntem Chæream videt, in habitu eunuchi: idcirco dicit, *Quisnam hinc exit?* E.—*Idque adeo visam*] Ms. R. *Ibo ad eum, visam. Quisnam hinc*] Ms. R. *Sed quis nam*. L.—Pro *Idque adeo* nostri omnes cum edd. vett. habent *Ibo ad eum*. Male. Verum legendum censeo cum codd. et edd. vett. *Sed quisnam a Thaide exit?* deleto *hinc*, quod versus respuit, et a cod. quodam abest. Cf. And. iv. 1. 59. Heaut. i. 1. 122. B.

8. *Is est, an non est? ipsus est*] Vide an potuerit meretricem ignotam hoc habitu atque ornatu fallere, qui ab Antiphone vix agnoscitur. *Quid hoc hominis?*] Vide an longam narrationem possit audire, qui nondum amico narrat (*cui nondum amicus narrat*, corrigit Wielingius), et jam affectus pendet. *Quid hoc hominis?*] Quod a Thaide ephebus exit. *Qui hic ornatus est?*] Quia eunuchi veste indutus est. D.—Aliquot e nostris, *quid hoc ornati'st?* Recte; ut supra ii. 2. 6. ad quem locum vide Donatum. B.

9. *Quid illud mali est?*] Quod timidus egreditur. D.

10. *Quid sit, sciscitari*] *Sciscitari*, est occulta magis et secretiora rimari, ac velle cognoscere; ut, *Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi Mittimus*, Æn. ii. 114, D.—*Sciscitari*] Prisc. lib. viii. L.

1. *Numquis hic est? nemo est*] In hac scena, verba gestum vultumque indicant exeuntis: cui obvia persona objicitur, sub cujus occasione spectatoribus gesta narrabuntur. *Numquis hic est? nemo est. Numquis hinc me sequitur?*] Duo metuit, ne quis obvius comprehensor occurrat, et ne quis sui persecutor existat. *Nemo homo est*] Quamvis per *nemo*, homo intelligatur: tamen addidit *homo*, ut veteres solent, *τῷ ἀρχαΐσμῷ*. D.—*Numquis hic est?*] Hæc scena allocutionem tenet exsultantis et lætantis, quam brevi tempore amoris voluptatem compleverit. *Numquis hic est?*] Ita inquirere videtur adolescens, non tanquam metuat, ne aliquis superveniat, aut ut possit evadere; quam rem (*sed aliam ob rem, quam*; seu, *quam ob rem, cons.* Z.) consequenti versu significat, quippe cum dixit: *Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium?* Sed quod sequitur, repugnat, *Sed neminem hic curiosum intervenire nunc mihi, qui me sequatur; quoque eam, interrogando obtundat.* E.

2. *Jamne erumpere hoc licet mihi gau-*

Nunc est profecto, interfici quum perpeti me possum,
Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.
Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi,
Qui me sequatur; quoquo eam, rogitando obtundat, enecet;
Quid gestiam, aut quid lætus sim, quo pergam, unde emergam, ubi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quæram, sanus sim, anne insaniam?

AN. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.
Chærea, quid est, quod sic gestis? quid sibi hic vestitus quærit?

dium?] *Erumpere*, quasi activum verbum posuit, pro neutrali: ut sit, *Licetne mihi erumpere hoc gaudium?* Aut *erumpere* quasi exire. *Mihi*, pro a me. *Erumpere*] Utrumne *erumpere*, pro emittere posuit? An *erumpere* pro exclamare? ut, *erumpere vocem* dicitur, qui exclamat. Nam, *Pro Jupiter*, dicturus est. D.—Repono, *Jamne rumpere hoc mihi licet? pro supreme Juppiter!* Nam *rumpere* legit Nonius, qui explicat, *retentum proferre, diu tacita dicere.* Sic Virgilius, *rumpere silentia, voces, quæstus.* Atque, *mihi licet*, habet Bemb. cod. C. C. et alter ex Meadianis. Recte. Nam ita *mihi* est in Arsi. Deinde *gaudium*, eum idem nomen paulo post occurrat, tanquam glossema est ejiciendum, et restituendum *supreme*; ut Adel. ii. 1. 42. et apud Plautum aliquoties. B.

3. *Nunc est profecto*] Ordo et sensus hic est, *Nunc est profecto tempus, quum perpeti me possum interfici.* Hoc autem cur ipse dixerit, statim subjicit causam. *Quum perpeti me possum*] Animadvertendum est, quod, si *quum* conjuncte legeris, *quando* significat; si separatim, *dum* significat. *Nunc est profecto*] Figurate, ac conjuncte lege sine disjunctione. D.—*Nunc est profecto*] Modo est, inquit, omne tempus, *quum pati me possum necari.* Ideo scilicet, *ne gaudium meum aliqua turpitudine vita contaminet.* E.—Daceria et alii interserunt *tempus* post *profecto.* Sed haud dubie est glossema. Z.

4. *Contaminet vita ægritudine aliqua*] Mire vitæ crimen (lege *discrimen*) ostendit: velut ipsa sit campus, possessioque fortunæ instabilis variorum. D.

5. *Sed neminem curiosum, etc.*] Apparatus ad intentionem futuræ narrationis dicitur (In utroque cod. et edd. Venett. *dicit.* Forte, *ducitur*, aut, *ducit*). D.—*Sed neminem hic curiosum*] Ad ætatem adolescentiæ et animos eorum, qui in re veneres amoris sui effectum, cum tenuerunt • pertinet hoc, quod volunt indicare semper (Ut oratio constet, deleatur *cum*, quod haud dubie ex præcedenti syllaba ortum est: præsertim cum in neutro cod. lacunæ ullum deprehenderit vestigium Westerhovius. Z.). Nam integrum et honestum gaudium magis silentio crescit. Ut hoc apud Terentium est, *Sed ut tacita mecum gaudeam.* Apud Virgil. Æn. i. 506. *Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.* E.

6. *Qui me sequatur*] Id cupit gaudens, quod tristibus molestum est. Nam contra Menedemus gravatur narrare quæ dolet. *Obtundat*] Odiose instet ac repetat, molestus et odiosus sit. *Enecet*] *Εὐφωνότερον* quam *enicet.* D.—Illud *quoquo eam* ex cod. Bemb. est, et Eugraphio. Nostri minus recte, *quique jam.* Cæterum verba *quoquo eam* ad præcedentia sunt referenda. Si enim ad *rogitando* refers, efficitur tautologia; quia sequitur, quo pergam. B.

7. *Quid gestiam*] Deest *quærens:* ut sit, rogitando obtundat et enecet, quærens quid gestiam. *Gestire*, est motu corporis monstrare quid sentias. Constat autem, a pecudibus ad homines esse translatum. *Quid gestiam*] *Gestire* proprie est, sensum corporis gestu indicare: quod magis brutorum est animalium. Virgilius, *Et studio incassum videas gestire lavandi*, Georg. i. 387. *Aut quid lætus sim*] Propter quid. *Unde emergam*] Proprie dixit *emergam;* ut ex lustris atque inhonestis locis, utpote meretricis domo. Cicero, *At ne tu quidem emersisti, lutulento Casoni, ex miserrimis naturæ tuæ sordibus*, in Pison. xii. D.

8. *Vestitum hunc nactus*] Bene *nactus* dixit: ut qui non sumeret, nisi suasisset hæc occasio. D.

9. *Adibo; atque ab eo gratiam, etc.*] Sensus et ordo hic est, Adibo, atque ab eo gratiam hanc inibo. *Gratiam inire*, est dare beneficium, ac per hoc alicujus inire gratiam, id est, amicitiam. Sed hæc est elocutio, *gratiam ab eo inibo;* pro, ejus gratiam merebor. Nam *ab eo*, amat Terentius pro *ejus* ponere: ut in Andria, *Hæc primum animadvertenda ab eo injuria est*, id est, ejus injuria. *Inire* autem *gratiam* est mereri gratiam. Plautus *Iniit tamen solidam et grandem gratiam*, Curc. iii. 35. D.

10. *Quid est, quod sic gestis?*] Facete

Quid est, quod lætus sis? quid tibi vis? satine sanus? quid me aspectas?

Quid taces? CH. O festus dies hominis! amice, salve.

Nemo'st hominum, quem ego nunc magis cuperem videre, quam te.

AN. Narra istuc, quæso, quid siet. CH. Imo ego te obsecro hercle ut audias.

Nostin' hanc, quam amat frater? AN. Novi, nempe, opinor, Thaidem.

CH. Istam ipsam. AN. Sic commemineram. CH. Quædam hodie est ei dono data

repetit verba ejus interrogationis, ut sciat se jampridem esse præsentem. *Quidve sibi hic vestitus quærit?*] Facete et figurate dictum est. Sic et alibi, *Ut pernoscatis quid sibi eunuchus velit.* D.—*Chærea, quid est*] Ea omnia, quæ adolescentem velle cognoverat, interrogata sunt; et tanquam non cito respondentem, rursus: *Quid me aspectas? Quid taces? O festus dies hominis!* Quid est, *festus dies hominis?* E. —*Quod sibi*] V. C. *Aut quid sibi.* L.

11. *Quid est, quod lætus sis?*] Vide aliud esse *gestire*, aliud *lætum esse. Quid tibi vis?*] Πρὸς τὸ Quid mihi velim. *Satine sanus?*] Πρὸς τὸ Sanus sim, an insaniam? *Quid me aspectas? quid taces?*] His duabus interrogatiunculis descripsit vultum dicturi. D.—Lege, *lætus es*, quia præcedit *gestis.* Deinde scribe *sanu's.* B.

12. *O festus dies hominis! amice! salve*] Decet a salutatione incipere luculente dicturum. Illud (*Illum* Z.) autem verisimile est, et percussum re nova, et audiendi cupidum, immemorem extitisse salutandi. *O festus dies!*] Utrum quia causa est festi ac læti diei? an quia ipse tantus sit, quantus festus dies? *O festus dies hominis!*] Pro, *homo festi diei.* Sic dicitur etiam *scelus homo.* Ennius, *O pietas animi!* D.—Lege *Quid dices? C. O festus dies! o meus amicus! salve.* Nam vulgare *taces* efficit versum claudicantem; atque ipse Donatus videtur legisse *dices.* Deinde *festus dies hominis*, cum, quid sit, plane intelligi nequeat, *hominis* mutandum est in *o meus.* Sic *meus festus dies* occurrit Plaut. Cas. i. 1. 49. et est blandientis dictum. B.

13. *Quem ego magis nunc*] Bene additum *magis*; ut his amicis se antepositum intelligat: quos cum optet videre Chærea, tamen eum magis; adeo ut aliis amicis antepositum neminem cupiat. D.—*Nemo'st hominum*] Ms. R. *Nemo'st omnium.* L. —Versus gratia colloca, *Nemo omnium'st, q. e. n. m. videre cuperem, q. t.* Certe *omnium* probatur a Donato, et septem codd. nostris, et sensu. Nam Chærea non tam *hominibus* universim suam rem cupit exponere, quam *omnibus* sc. amicis et notis. B.

14. *Imo ego te obsecro hercle ut audias*] Bonum compendium, ne multa diceret ad commendandum, ut solet, narrationem futuram. *Imo te obsecro hercle ut audias*] Bene contulit verba, ut ex his appareat, quid agere velit. Ille dixit *quæso*, hic *obsecro.* D.—*Obsecro hercle ut me*] Expressit morem lætantium, ut dixi, maxime eorum, qui rem veneream compleverunt. Ipsi enim magis cupiunt indicare. E.—*Quid sit* recte vett. edd. et cod. unus e nostris. B.

15. *Nostin' hanc, quam amat frater?*] Quæritur an verisimile sit Antiphoni notam esse Thaidem, quam frater ipse nesciverit. Sed intelligere debemus, modo notitiam non vultus, sed famæ positam esse: quam famam potuit ex Phædria et Antipho scire. At vero aliam notitiam negaverat Chærea sibi fuisse cum Thaide, hoc est, visus, vultus, oris, et corporis. *Novi, nempe, opinor, Thaidem*] Verisimile est hæc scire Antiphonem, qui adeo sit familiaris Chæreæ. Et est ordo hic, Novi, nempe opinor, Thaidem. *Opinor Thaidem*] Optime et ab illo tacitum, et ab hoc nomen ablatum (*oblatum*, recte habent cod. uterque et edd. vett.) est; ut appareat quam noverit, et quam possit assequi quæ dicentur. D.—*Nostin' hanc*] Hinc est narratio, cum exordium a meretrice cepit: Virginem ei missam dono, dicit: simul et laudat, et de amore confitetur: indicat etiam, quod frater meretrici dare præparasset eunuchum: quod consilium servi, quia ipse pro eunucho ad meretricem deductus sit. Et, ne stultum videretur, adjecit causas, quas et supra posuerat: *ut viderem*, inquit, *audirem, essem una, cum qua cupiebam.* E.—Lege, *Nostine hanc.* Nam *Nostin'* secundum corripit. B.

16. Melior numerus efficitur, si cum codd. nostris, et edd. vett. collocas, *Hodie quædam.* B.

Virgo: quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem aut laudem, Antipho;
Quum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem?
In hac commotus sum. AN. Ain' tu? CH. Primam dices, scio, si videris.
Quid multa verba? amare cœpi: forte fortuna domi
Erat quidam eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi:
Neque is deductus etiam dum ad eam: submonuit me Parmeno
Ibi servus, quod ego arripui. AN. Quid id est? CH. Tacitus citius audies:
Ut vestem cum eo mutem, et pro illo jubeam me illoc deducier.
AN. Pro eunuchon'? CH. Sic est. AN. Quid ex ea re tandem ut caperes commodi?
CH. Rogas? viderem, audirem, essem una, quacum cupiebam, Antipho.
Num parva causa, aut parva ratio'st? traditus sum mulieri.
Illa ilico ubi me accepit, læta vero ad se abducit domum:

17. *Quid ego ejus tibi*] Ordo hic esse debet, *Quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem aut laudem, Antipho? in hac commotus sum: quum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem, in hac commotus sum:* ille scilicet, qui, ut scis, formas solet eligere ac fastidire pro merito. *Faciem prædicem aut laudem*] *Prædicamus*, ut res sunt: *laudamus* extollendo. Vel *prædicamus* voce: *laudamus* argumentis. D.—Ne *quid* in Thesi latitet, ponatur, *ejus quid ego.* B.

18. *Quam elegans formarum spectator siem?*] Elegans spectator est, qui sit cunctantis et fastidiosi judicii: cui non quid placet facile. *Spectator*] Probator: ut pecuniæ *spectatores* dicuntur. D.—Omnes nostri cum edd. vett. *Quum me ipsum noris.* Sed Auctor scripsit *ipse.* B.

19. *In hac commotus sum*] Non est consequens: esset autem, si diceretur, *In hac commotum me scias.* Erit ergo ordo et sensus qui supra. *Primam dices, scio*] O fiduciam elegantiæ, et de alienis oculis judicare. D.

20. *Quid multa verba? amare cœpi*] Ordine egit. Nam prius est, commoveri, inde amare. Et bene non ante dicit, quid aggressus fuerit, nisi amoris mentione prælata; quo cogente nihil est infectum cupientibus. D.

21. Ob codd. et morem Terentii colloca *mercatus frater fuerat.* B.

22. *Submonuit*] Leviter monuit; et recte, quia *arripui* dicturus est. Et totum optime: nam ut non erat boni adolescentis hanc technam reperire; sic ab illo repertam, fuit plane veri amatoris arripere. D.—Etsi *etiam dum* in cod. Bemb. reperitur; cum tamen in re præsenti dici soleat, præferendum puto *etiam tum*, quod in re præterita dicitur. B.

23. *Tacitus citius audies*] In oratione solemus corripere extra ordinem percontantes. Et bene celeritatem promisit, qua facile tenetur auditor. Et mire, tanquam sola interrogatio morse sit. D.—*Tacitus citius*] V. C. *Tacitus sis, citus.* L.

24. *Et pro illo jubeam me illoc ducier*] *Jubeam* amico dixit, tanquam inter honesta sit, quod vile (*utile* ed. Westerh. sed cur, nescio Z.) sit. Et turpe factum plerumque perseverante impudentia relevatur. D.—*Cum eo mutem*] Ms. R. *cum illo mutem.* L.—Omnes codd. nostri, et edd. vett. *cum illo:* recte. Deinde pro *deducier* versus postulat *ducier.* B.

25. *Quidnam ex ea re tandem*] Transit a reprehensione facti ad causam ipsius facti. D.—A vett. edd. et novem codd. abest *ut:* ergo olim sedem habuit post *quid.* B.

26. Lege, *quicum.* Cf. Adel. iv. 7. 33. Phorm. v. 1. 32. B.

27. *Num parva causa, aut parva ratio est?*] Sic illata interrogatio est, quasi ad hanc annuere et vultu consentire Antipho sit coactus. D.—*Traditus sum mulieri*] Persequitur, quemadmodum ad effectum suæ cupiditatis pervenerit. E. —Lege cum Palmerio, *prava ratio'st.* B.

28. *Læta vero ad se abducit domum: commendat virginem*] Omnia mire, quod *læta*, quod *abducit*, quod *domum*, quod *commendat virginem.* Specta singula, et

Commendat virginem. AN. Cui? tibine? CH. Mihi. AN. Satis tuto tamen.

CH. Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat: et mihi, ne abscedam, imperat;

In interiore parte ut maneam solus cum sola: annuo,

Terram intuens modeste. AN. Miser! CH. Ego, inquit, ad cœnam hinc eo.

Abducit secum ancillas: paucæ, quæ circum illam essent, manent,

Novitiæ puellæ: continuo hæc adornant, ut lavet.

Adhortor, properent: dum apparatur, virgo in conclavi sedet,

Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc, Jovem

mirare (*Specta singularem et miram*, uterque lib. et edd. Venett.) virtutem poetæ. Hic enim commendandus est locus, erroris initium continens apud Thaidem convicium (R. Steph. ante *convicium* lacunæ signum expressit. Fortasse leg. *et occasionem vitii*. Certe Donatus ad vers. 33. quasi jam mentione facta de occasione vitii, dicit: *quæ sub vitii hujus occasione* n. e. Nisi cum Wielingio ponas *et*, ante *apud*). D.

29. *Tibine?*] Non interrogat, sed miratur. *Satis tuto tamen*] Quid hic facit *tamen?* Utrum hoc, etsi meretrix, tamen satis tuto agit? An, etsi Chærea, satis tuto tamen: quia nullus accedet alius? D.—*Satis tuto tamen*] In amicos (*inimicos*, Z.) dictum. E.

30. *Edicit*] *Edicimus*, jubemus, vel jure dicimus. *Edicta* enim Imperatoris sunt (Ita legendum censeo: *Edicimus, cum jubemus vel jura dicimus. Edicta enim Prætoris sunt*). *Et mihi ne abscedam, imperat*] Certe nullus vir accedit. D.

31. *Maneam solus*] Remaneam, perseveremque in loco, ac per hoc sim miser, utpote dono datus, et serviens meretrici. Et est *εἰρωνεία*. D.

32. *Ego, inquit, ad cœnam hinc eo*] *Μίμησις* ad imprudentiam mulieris exprimendam, quæ hoc die erit secura de custode eunucho. D.—*Terram intuens*] Pudoris hoc signum et verecundiæ. Alexandr. Trallian. lib. i. Problem. Achill. Tatius, lib. viii. *καὶ ἡ Λευκίππη δὲ τὰ πολλὰ εἰς γῆν ἔβλεπεν*, etc. L.

33. *Abducit secum ancillas*] Memoriter: nam dixerat abiens, *Vos me sequimini.* ·ucæ, *quæ circa illam essent*] Relictæ nullæ, ut lavari possit ea virgo, quæ vitii (*officii*, Wieling.) hujus occasione ura est. Hoc enim totum sic inducit , ut non abhorreat a legitimis nupin ea præsertim, quæ uxor futura est. *Manent*] Pro remanent, *ἀφαίρεσις*. D.—*Abducit secum ancillas*] Quod ipsa meretrix descendit (*descenderit* Z.) ad cœnam, quod paucæ circa virginem remaneant; eædem novitiæ puellæ, ita ut et morem propter novitatem nesciant, et propter ætatem nihil valeant suspicari. E.

34. *Novitiæ puellæ*] *Αὔξησις novitiæ*, et *puellæ. Continuo hæc adornant, ut lavet*] *Hæc* pluraliter, quo *hæ*; ut in Phormione, *Hæc illæ erant itiones. Adornant* autem, ex medio significatu, pro apparant. D.—*Hæc adornant, ut lavet*] Vid. Junius Philarg. Georg. iii. 305. L.

35. *Dum apparatur, virgo in conclavi sedet*] Impersonaliter dixit. Et *dum apparatur*, pro *dum apparetur*; et *sedet*, pro *sedebat. Virgo in conclavi sedet*] *Conclave* est separatior locus in interioribus tectis: vel quod intra eum loca multa et cubicula clausa sint adhærentia triclinio. D.—*Virgo in conclavi*] *Conclave* dicimus locum, quem * (excidit forte, *ostia*) multa patefaciunt. E.

36. *Suspectans tabulam quandam pictam*] Bene: accedit repente pictura ad hortamenta aggrediendæ virginis: ideo quia non ad hoc venerat Chærea, ut continuo vitiaret puellam, sed ut videret, audiret, essetque una; cum nihil amplius cogitaret, ausus incitatusque, dum picturam cerneret. *Jovem quo pacto*] Mira inventio, qua hæc pictura domui tribuitur meretricis, adversus omnium pudicitiam amorum (lege, *morum*. Vitium ortum est ex scripturæ compendio, *pudicitiaM orum*), contra parsimoniam, contra dignitatem, contra pudicitiam. D.—*Jovem quo pacto Danaæ*] Hæc pictura, inquit, erat in tabula, quomodo Jupiter Danaæ imbrem aureum misit, sed in gremium. E.—*Suspectans tabulam*] Augustin. Hipp. Epist. 202. *Revera Terentianus ille adolescens, qui spectans tabulam pictam in pariete, ubi*

Quo pacto Danaæ misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id spectare cœpi; et quia consimilem luserat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum sese in hominem convertisse, atque in alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.

pictura inerat de adulterio regis Deorum, libidinem, qua rapiebatur, stimulis etiam tantæ auctoritatis accendit: nullo modo in illud flagitium concupiscendo laberetur, vel perpetrando immergeretur, si Catonem maluisset imitari, quam Jovem. Idem Terentii hunc locum in eandem rem laudat Confession. lib. i. c. 16. et de Civit. Dei lib. ii. c. 7. L.

37. *Misisse aiunt*] Bene *aiunt*: et quia fabula est, et quia tam turpis Jovi, quam apta meretrici. *Quo pacto Danaæ misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum*] Quæ aptior pictura domui meretricis ad amatorum illecebras, quam hæc, quæ exemplum continet puellæ, et amoris puellæ, et amoris ad Jovem pertinentis: et amoris non gratuiti, nec parvi proposita (*parvo propositi*, liber uterque et edd. vett. Bene: nisi malis, *parvi pretii*, vel, *parvo pretio*), sed auro in gremium fluente venalis. Tum quod in gremium Danaæ etiam ipse Juppiter, ut splendidus imber illabitur; nonne videtur meretrix dicere adolescentulis, illam corporis partem auctore Jove velut inauratam fuisse? *Imbrem aureum*] Non rorem vel pluviam, sed *imbrem* addiderat: o avaritiam meretricis! D.—*Quo pacto Danaæ misisse*] Ita omnes scripti ac vulgati libri: nec aliter ab Augustino adducitur hic locus, lib. vii. c. 2. de Civit. Dei. Fabula nemini veterum Mythistoricorum prætermissa. Vid. Zenob. in proverb. Αἶδος κυνή. Georg. Cedren. p. 17. L.

38. *Egomet quoque id spectare cœpi*] Moris est ad id oculos vertere, quod videmus: et eum quem aspicimus, intueri. D. —*Quia consimilem luserat*] Quia, inquit, Jupiter et ipse propter amoris flammas conversus in imbrem aureum sese commutaverat ad fraudem, et *similem lusum luserat*, ut ego pro eunucho ad virginem veneram. E.—*Luserat jam olim*] Nequiore significatu hic τὸ *ludere* sumitur, ut et in illo, *ede, bibe, lude, etc.* Sic Græci παίζειν: Arrian. lib. i. Alexand. ἀναβάσεως: τὸ παίζε ῥαδιουργότερον ἐγγεγράφθαι ἔφασαν τῷ Ἀσσυρίῳ ὀνόματι. L.

39. *Jam olim ille ludum*] Bene, non scelus, sed *ludum* dixit. *Impendio*] Id est, magis magisque luserat: et *luserat ludum*, ut, Æn. xii. 680. *Hunc, oro, sine me furere ante furorem.* Figura ἀρχαϊσμός. D.—*Impendio magis*] Amplius ex hac re, quod Jupiter fecerat, mihi gaudebat animus. E.

40. *Deum sese in hominem convertisse*] Philosophice nunc Terentius demonstravit, quam cladem moribus hominum et civitatibus afferant figmenta poetarum, cum exempla scelerum afferant peccaturis. *Deum sese in hominem convertisse*] Utrum quia Jupiter humana forma aurum infundens pictus erat in tabulis, non (lege ex edd. vett. *an*) pro Jove aurum? An *in hominem*, id est, hominis audaciam atque flagitia? *Atque per alienas tegulas*] Hic apparet, Jovem separatim, separatim aurum fuisse pictum. *In alienas tegulas*] Satis comico charactere locutus est, et presso stilo. D.—*Deum sese in hominem convertisse*] Utique intelligimus Jovem venisse humana figura. Deinde *per impluvium, per alienas tegulas clanculum descendisse, fucum factum mulieri*, fraudem scilicet; sunt enim cum fraude, quæ fuco videntur infecta. E.—*Atque in alienas*] Ms. R. *et in alienas.* L.—Cum Jupiter in ipso cœlo fingatur alias forma esse humana, et in aurum se convertisse; pro *hominem* lege vel *aurum*, vel *metallum*, vel cum Horat. Carm. iii. 16. *pretium.* Deinde pro *atque in alienas*, nostri melius, *et per alienas.* B.

41. *Venisse clanculum per impluvium*] Hæc omnia non ut difficilia factu, sed ut humilia et Jove indigna proferuntur, ut merito sequatur, *Ego homuncio hoc non facerem*, quod non solum non Jovi, sed ne homini quidem, nisi furi, aptum erat? *Fucum factum mulieri*] Id est, *ut fucum faceret*, hoc est, insidias et fraudem. *Fucum*, astutam fraudem: et *mulieri*, pro, *feminæ.* D.—*Fucum factum*] Sic vett. et Acro ad Horat. lib. ii. Sat. 2. Placidus Lactant. tamen in Stat. legit *furtum factum*: quod pro vero nolim probare; licet nihil frequentius, quam *furtum* amoris gaudia illicita vocare. Petron. c. 100. *Ergo amor furtum potius, quam præmium erit?* Statius in Achill. i. 640.—*densa noctis gavisus in umbra Tempestiva suis torpere silentia furtis.* L.—Lege, *Venisse clanculum: per pluviam fucum, etc.* Nam cum impluvium sit locus intra ædes cavus, a solo ad cœlum usque patulus, ut lucem admittat, et aqua de tecto collecta illuc impluat; Jupiter si per illud decidisset, non

At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci, ac lubens.
Dum hæc mecum reputo, arcessitur lavatum interea virgo:
It, lavit, redit: deinde eam in lectum illæ collocarunt.
Sto exspectans, si quid mihi imperent: venit una, heus tu, inquit, Dore,
Cape hoc flabellum, ventulum huic sic facito, dum lavamus:
Ubi nos laverimus, si voles, lavato: accipio tristis.

propior Danaæ cubiculo fuisset, quam si foris in via esset. Sed ex nostra emendatione imber aureus per tegulas in virginis cubiculum perfluxit. B.

42. *Qui templa cœli summa sonitu concutit*] Ab auctoritate personæ, ut fit in exemplis. *Sonitu concutit*] Παρῳδία de Ennio. *Templa cœli*] Sententia tragica: sed de industria, non errore. D.—Etsi hic nihil mutandum censeo, præsertim cum Lucretius, vi. 386. eodem modo de Jovis potentia loquatur; tamen elegantius esset *nutu*, quam *sonitu*, quia majorem indicaret potentiam: uti Homerus finxit, Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων,—μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. B.—Menander in τῷ Ἥρωι apud Stob. Δέσποιν' Ἔρωτος οὐδὲν ἰσχύει πλέον. Οὐδ' αὐτὸς ὁ κρατῶν ἐν οὐρανῷ Θεῶν Ζεὺς, ἀλλ' ἐκείνῳ πάντ' ἀναγκασθεὶς ποιεῖ. W.

43. *Ego homuncio hoc non facerem?*] Oratorie: ut Jovem extulit, ita detraxit sibi: utputa, Ille est deus, et magnus: ego non homo, sed homuncio. D.—*Ego homuncio hoc non facerem?*] Elegans locus Aristophan. in Nubib. 1075. Μοιχὸς γὰρ ἦν τύχῃς ἀλοὺς, τάδ' ἀντερεῖς πρὸς αὐτὸν, Ὡς οὐδὲν ἠδίκηκας· εἶτ' εἰς τὸν Δι' ἐκανένεγκεῖν· Κἀκεῖνος ὡς ἥττων ἔρωτός ἐστι, καὶ γυναικῶν. Καί τοι σὺ θνητὸς ὤν, Θεοῦ πῶς μεῖζον ἂν δύναιο; Atque hoc est quod Dionys. Halicarn. ii. 20. scribit, Deos Græcorum malis hominibus occasionem sæpe præbere turpiter nequiterque faciendi. Ejus verba prudentiæ non minus, quam elegantiæ plena hæc sunt: ὁ πολὺς καὶ ἀφιλοσόφητος ὄχλος ἐπὶ τὰ χείρω λαμβάνειν φιλεῖ τοὺς περὶ αὐτῶν [θεῶν] λόγους· καὶ πάσχειν δυοῖν θάτερον, ἢ καταφρονεῖν τῶν θεῶν, ὡς ἐν πολλῇ κακοδαιμονίᾳ κυλινδουμένων, ἢ τῶν αἰσχίστων τε καὶ παρανομωτάτων οὐδενὸς ἀπέχεσθαι, θεοῖς αὐτὰ προσκείμενα ὁρῶν. Ion. apud Euripid.—οὐκ ἔτι ἀνθρώπους κακῶς Λέγειν δίκαιον, εἰτὰ τῶν θεῶν κακὰ Μιμούμεθ' ἁλλὰ τοὺς διδάσκοντας τάδε. Unde Seneca de brevit. vitæ cap. 16. *Quid aliud est vitia nostra incendere, quam auctores illis inscribere deos, et dare morbo, exemplo divinitatis, excusatam licentiam?* Videndus idem de beata vita, cap. 26. L.—Legendum censeo, *Ego homuncio hoc non fecerim? ego vero illud fecerim ac lubens.* Nam *feci* non modo ineptum est, quia nihil tum fecerat, sed et versum efficit claudum. Igitur Faber legi vult, *ita faciam;* alius, *ita fecerim:* Sed *ita* recte abest a cod. Petrensi, quia non est, ad quod referatur. B.

44. *Dum hæc mecum reputo, arcessitur lavatum*] Servavit ordinem nuptiarum: et proprio verbo, quasi de nuptura dixit, *arcessitur.* Ut alibi, *Quam mox virginem arcessant?* Nam ipse illam est habiturus uxorem. *Dum hæc mecum reputo*] Hic ostendit, non sibi primum hæc nunc in mentem venisse, sed tunc etiam cogitata, cum esset in domo meretricis. D.—*Dum hæc mecum reputo*] De Jovis facto cogito. E.—*Arcessitur lavatum*] Priscian. lib. ix. L.

45. *It, lavit, redit*] Συντομίᾳ, qua solet, utitur. *Deinde illam in lecto illæ collocant*] Vide an aliquid deest legitimis nuptiis: nam et ipsum verbum *collocant* proprium est, et adscribitur pronubis. D.—*It, lavit, redit*] Apta narrationi oratio est, ubi facta multa breviter explicantur. Sicuti ipse in Phormione quædam breviter explicat. E.—*It, lavit*] Ms. R. *Iit, lavit.* L.—Lege cum nostris codd. *Iit, lavit, rediit.* B.

46. *Sto exspectans, si quid mihi imperent*] Ἐνέργεια. Non enim dixit *stabam. Exspectans*] Desiderans. Et mire omne tempus exsecutus est salva veritate, in qua Virgilius negligens invenitur: cum post occisum Mezentium, non facta noctis mentione, statim intulit, *Oceanum interea surgens aurora reliquit,* Æn. xi. 1. D.

47. *Cape hoc flabellum*] Præclare non sensum, sed verba ipsa per μίμησιν induxit, per quam puellaris error exprimitur. *Cape hoc flabellum, et ventulum huic sic facito*] Quam particulatim, cum qua diligentia et δεικτικῶς jubet, quasi novitio et imperito? *Ventulum huic sic facito, dum lavamur*] Demonstrativum, et gestu explicandum. D.—Retine *et* ante *ventulum*, quod est in nostris codd. et edd. vett. ne bis in *lum* verba contigua exeant. Deinde recte Faernus legit *lavamur*, ob Donat. Bemb. et Victor. B.

48. *Ubi nos laverimus*] Vide usum verbi tam cito variatum, *dum lavamur:* et, *Ubi laverimus. Si voles, lavato*] Quasi satisfa-

AN. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem:
Qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum.
CH. Vix elocuta'st hoc, foras simul omnes proruunt se;
Abeunt lavatum; perstrepunt; ita ut fit, domini ubi absunt.
Interea somnus virginem opprimit: ego limis specto,
Sic per flabellum clanculum: simul alia circumspecto,
Satin' explorata sint: video esse: pessulum ostio obdo.
AN. Quid tum? CH. Quid? quid tum? fatue. AN. Fateor.
CH. An ego occasionem

cientis est (Wieling. vult legi, *Quasi satisfacientes.* Potest tamen retineri vulgaris lectio, si pro *relinquant* substituas *relinquat*, quod est in edd. Venett.), cum solum illum relinquant cum virgine. *Accipio tristis*] Id est, tristi similis: ut, Æn. ii. 67. *Namque ut conspectu in medio turbatus inermis Constitit. Accipio tristis*] Bene *tristis*, tanquam aliud magis vellet, hoc est, lavare, aut ludere: metuit enim ne, quod cupit, prodatur gaudio. D.

49. *Os tuum impudens*] Licet jocanti et amico convicium (*officium* male edidit Westerh. Z.) jocunde facere. D.

50. *Quis esset status*] *Statura* corpori adscribitur: *status* ad habitum refertur. Ergo *status* est σχῆμα: *statura*, longitudo corporis. *Te asinum tantum*] Quia hoc ministerium delicatorum servorum est. D.—*Flabellum tenere te*] Vehementer, inquit, vellem te videre, tantum asinum flabellum tenentem. *Qui esset status*] Hoc est, quæ forma, qui habitus in te erat, cum flabellum tantus asinus contineres. Hic turpiter quidam legunt potius * quam tantum, ut sit asinum tantum (ope alterius Ms. restituo: TENTUM, *potius quam* TANTUM, *ut sit*, ASINUM TENTUM): quod in scena esse dictum, ob indignitatem, Terentianæ comœdiæ minime conveniebat. E.—Nisi legas *flabellulum*, versus stare non potest. B.

51. *Omnes proruunt se*] Verbo neutrali quasi activo usus est. D.—*Omnes proruunt se*] Se foras simul proferunt. E.

52. *Ubi absunt*] *Ubi*, et temporis et loci potest esse. *Interea somnus virginem opprimit*] Utpote compressam somno, et oblectatam flabello, atque ab eunucho nihil metuentem. *Ego limis specto*] *Limis*, si nominativus singularis est, *transversus* significat: si septimus pluralis, deest *oculis*. Nam *limis*, est transversus: unde *limen* dicitur quoque, quod ingredientibus exeuntibusque transversum est. Quum igitur dissimulant homines se videre quod vident, et non recta facie, sed transversa intuentur, *limis* dicuntur *aspicere*. *Limis specto*] Cum *limi* dicantur obliqui generaliter: hoc tamen proprie de oculis dicitur. D.

53. *Ego limis specto*] Quidam intelligunt *limis*, obliquis, quod limen cum ambulamus, itineri nostro obliquum est. Alii intelligunt *limis oculis*, paululum tortis. Alii *limis*, conjunctis ad flabellum: ut Plautus dixit, Pœn. i. 2. 79. *Nunquam cum ea limavi caput*, id est, conjunxi. E.—*Limis specto sic*] Limi oculi proprie amatorum. Quinctilian. lib. xi. cap. 3. *Quadam voluptate suffusi, aut limi, et, ut sic dicam, Venerei.* Vetus poeta: *Non laudo os; namque est vaniloquum et fatuum. Non oculos; etenim sunt lusci oculi atque patrantes.* Adamant. lib. i. cap. ult. ἔνιοι δὲ τὰ μέσα τῶν βλεφάρων καθέλκουσι, τὰ δὲ ἑκατερόθεν ἀναστῶσι, καὶ ἅμα ἀλλόσσους ποιοῦσιν, οὓς καὶ αὐτοὺς μοιχικοὺς λέγων, οὐκ ἂν ἁμάρτῃς. Apuleius Miles. ii. de Photide: *Ad me conversa limis et morsicantibus oculis.* Hinc Varro apud Nonium in voce STRABONES: *Multi enim qui limina intrarunt integris oculis, strabones sunt facti; habet quiddam ἐλκυστικὸν provincialis formosula uxor.* Et Venus ipsa straba fingitur, in dissertatione Hadriani et Secundi Philosophi, sive Epicteti: *Quare Venus straba est?* Ep. *Quia pravus est amor.* L.—Contra versum et probatos libros nonnulli edunt *aspecto*, pro *specto*. B.

54. *Sic per flabellum clanculum*] *Sic* δεικτικὸν est, et necessario additum. Nam et *limis* et *per flabellum*, sine demonstratione parum intelligitur. D.

55. *Pessulum ostio obdo*] Scilicet ut amoveret, arceretque auxilium virginis. D.—*Pessulum ostio obdo*] Id est, obduco. E.

56. *Quid tum, fatue?*] Quid enim præter vitium superest, ubi amator est adolescens, et virgo dormiens et inclusa? Grate explicata narratio est, quam audientis curiositas finit, et cujus in extrema parte major attentio est. *Fateor*] Me fatuum, qui hoc quæsierim, subauditur. D.—*Quid tum? fatue*] Servius Æneid. lib. iv. ad vers. 166. L.—Natura repetitionis postulat nunc ordinem: *Quid tum?* C. *Quid tum? quid, fatue?* B.

Mihi ostentatam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam,
Amitterem? tum pol ego is essem vere, qui simulabar.
AN. Sane hercle ut dicis. Sed interim de symbolis quid actum'st?
CH. Paratum'st. AN. Frugi es: ubi? domin'? CH. Immo apud libertum Discum.
AN. Perlonge'st: sed tanto ocius properemus: muta vestem.
CH. Ubi mutem? perii; nam domo exulo nunc: metuo fratrem,
Ne intus sit: porro autem, pater ne rure redierit jam.
AN. Eamus ad me: ibi proximum'st, ubi mutes. CH. Recte dicis.
Eamus: et de istac simul, quo pacto porro possim
Potiri, consilium volo capere una tecum. AN. Fiat.

57. *An ego occasionem mihi ostentatam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam, amitterem?*] Vide quanta dixerit: non voluntatem, sed *occasionem:* non animadversam, sed *ostentatam:* non hanc, sed *tantam:* non angustam, sed *brevem:* non appetitam, sed *optatam:* non repentinam, sed *insperatam.* Et bene *insperatam:* aliud enim sibi promiserat, ut supra diximus, non quod pictura occasioque persuasit. D.—Cum Faerno legendum est *Mi ostentam, tantam, etc.* Nam *ostentam* versus exigit, et idem occurrit Phorm. v. 4. 7. et Servius ad Georg. i. 248. ait, ab ostendor veteres participium formasse ostentus, non ostensus. B.

58. *Tum pol ego is essem*] Eunuchus scilicet. D.—*Tum pol ego is*] Si enim occasionem istam prætermitterem, vere eunuchus essem quem me esse fingebam. Postea adolescens hortatur, ut pergat propter id, quod sibi mandatum est: deinde ut vestem mutet; et hanc mutationem in domo patris metuit, vel propter fratrem, vel propter ipsum patrem. Exiit ut ad amici domum pergat; illic mutet; illic consilium capiat, rursus ad meretricem quemadmodum revertatur. E.—Cum Faerno et libro Bemb. leg. *is essem vero:* ut in Heaut. *mihi illæc vero ad rastros res redit.* Tum pro *simulabar* lego *adsimulabar.* Nam et codd. nostrorum auctoritate, et usu Terentii Plautique comprobatur. B.

59. *Sane hercle ut dicis*] Deest, *ita est. Sed interim de symbolis quid actum est*] Bene memor est personæ, quam induxit poeta, per hanc interrogationem. *Sed interim de symbolis*] Παροιμιῶδες, ἀλλὰ περὶ τοῦ χοιριδίου. D.

60. *Frugi es*] Utilis et necessarius, ut fruges humano generi. *Frugi* est ergo, in quo est aliquid quo fruamur, id est, utamur. *Discum*] Nomen est proprium *Discus.* D.

61. *Sed tanto ocius properemus*] *Properemus* dixit pro ambulemus. *Muta vestem*] Hæc οἰκονομία est ad id, quod in domum Thaidis rediturus est Chærea. D.—Bentleius verba, *sed tanto ocius properemus*, Chæreæ tribuit, cætera Antiphoni. Non male. Nam et Antiphonis querela, et Chæreæ alacritas, illam rationem confirmare videtur. Z.

62. *Ubi mutem?*] Vultu ostendit, quod subaudiatur *nescio. Nam domo exulo*] Deest *prope*, aut *veluti:* ut sit, Prope jam exulo. *Exulo* duobus modis dicitur: et de loco in quo exul est, et de loco ex quo ejectus est. *Nunc metuo fratrem*] Causas ostendit, cur domo penitus veluti exulet. D.—*Domo*, quod emphasin hic habet, ne in Thesi prematur, repono, *nam exulo domo nunc.* B.

63. *Pater ne rure redierit*] Præparatur jam interventus senis: et est ζεῦγμα ad superiora. Nam et hic *metuo* est subaudiendum. D.—Cum antea dixerit *fratrem*, hic legendum esse arbitror, *porro autem patrem, ne, etc.* B.

64. *Ibi proximum est*] Hoc est, domus mea. *Recte dicis. Eamus*] Ipsa verba quodammodo festinationem sonant. D.

65. *Quo pacto porro*] *Porro*, postea, deinceps. D.

ACTUS QUARTI SCENA PRIMA.

DORIAS.

ITA me Di bene ament, quantum ego illum vidi, nonnihil timeo misera,
Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi.
Nam postquam iste advenit Chremes adolescens, frater virginis,
Militem rogat, ut illum admitti jubeat: ille continuo irasci;
Neque negare audere. Thais porro instare, ut hominem invitet.
Id faciebat retinendi illius causa; quia illa, quæ cupiebat
De sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.
Invitat tristis: mansit; ibi illa cum illo sermonem occipit:

1. *Ita me Di bene ament*] Ea persona quæsita est, quæ terribilem credat militem: et eo magis (*ut eo magis*, Ms. H.) in experiendo vanus ac ridiculus esse possit. *Ita me Di bene ament*] Hoc loco quid post scenam gestum sit, hoc est, in convivio militis, ancilla demonstrat: ut jam quæ in proscenio agantur, ex his possimus agnoscere. D.—*Ita me Di ament*] Hæc scena allocutionem ancillæ tenet, quæ conjecturali statu argumenta colligit, militem cum meretrice litem parare. Ita prior propositio est, quod timere se dicit, ne ipse insanus hodie turbas faciat cum Thaide. Deinde incipit narratio: *Nam postquam iste advenit Chremes adolescens, frater virginis.* Deinde in narratione argumenta præjaciuntur, quæ veniant ad quæstionem; ideo adjecit, *continuo irasci.* Deinde expurgat Thaidem: *Id faciebat*, inquit, *retinendi illius causa, quia illa, quæ cupiebat, de sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.* Concludit quæstionem: *Miles vero putare sibi adductum ante oculos æmulum.* Et quoniam in conjectura facta vel dicta sunt, ex quibus suspicio colligitur, facta sic ponit: *Voluit facere contra huic ægre.* Deinde dicit; *Heus*, inquit, *puer, Pamphilam arcesse, ut delectet hic nos.* Memor est miles præceptorum parasiti, cum dixisset, *Purgen' me de isthac Thaidi, quod eam me amare suspicatur?* respondet militi: *Imo auge magis suspicionem: si laudabit hæc illius formam, tu hujus contra.* Concluditur: quod negat meretrix, ipse perseverat. *Inde ad jurgium*, inquit, hoc est, ad litem. E.—Particulam, *bene*, ejiciendam puto, quia a tribus nostris codd. abest et edd. vett. itemque a Bemb. et plerisque Faerni libris Terentii et Donati. B.

2. *Ne quam ille hodie insanus*] *Illum*, et *ille insanus*, sic effertur, ut omnibus (*omnino* Z.) insuavis miles esse noscatur. D.

3. *Nam postquam iste advenit*] Instanter (i. e. pluribus verbis. Nisi malis legere, *incidenter*) admonet, qui scilicet sit Chremes. D.—Nomen, *Chremes*, exulet, quod a codd. quibusdam abest, et sententia non requirit. Tum pro *advenit* versus postulat *advenerat.* B.

4. *Militem rogat*] Et hoc quasi de odioso (*Et hic quoque satis odioso* Z.) *Militem* dixit, non *Thrasonem. Continuo irasci*] Ut rivali. D.

5. *Neque negare audere*] Ut amicæ poscenti. *Instare, ut hominem invitet*] Vide impudentiam meretricis. Primum petit ut jubeat eum admitti: postea ut invitet, quod est majus. D.

6. *Id faciebat retinendi illius causa*] Admonet spectatorem, ne existimet alteri rivali injuriam fieri Phædriæ. Et simul est hic (Ms. Boend. et ed. Du B. *Et simul est hic relictus locus*) προπαρασκευὴ virginis agnoscendæ. D.

8. *Invitat tristis*] *Tristis*, invitus, non libenter. Ut e contrario Virg. Æn. v. 236. *Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum Constituam ante aras, voti reus.* Et, *accipio tristis*, eodem modo. *Mansit ibi*] Adolescens scilicet. Et *mansit*, pro remoratus est, id est accubuit; nec recessit, *mansit* significat. Simile est, *mansit*, passus est. Sic *Chremes mansit*, immoratus est, conviva necessitate discessit, accipiendus est (Forte leg. *Simul et* MANSIT, *passus est se retineri:* MANSIT, *i. e. moratus est, nec statim discessit conviva ac-*

Miles vero sibi putare adductum ante oculos æmulum,
Voluit facere contra huic ægre: heus, inquit, puer, Pamphilam
Arcesse, ut delectet hic nos: illa exclamat, minime gentium:
In convivium illam? miles tendere inde ad jurgium.
Interea aurum sibi clam mulier demit: dat mihi ut auferam.
Hoc est signi, ubi primum poterit, se illinc subducet, scio.

ACTUS QUARTI SCENA II.

PHÆDRIA.

DUM rus eo, cœpi egomet mecum inter vias,

cipiendus. Sed Wieling. conjicit, *immoratus est convivio, nec statim discessit.* Sed Ms. H. et edd. Venett. omittunt). *Sermonem occipit*] *Sermonem*, colloquium dicit. D.—*Sermonem occipit*] V. C. *incipit*. L. —Omnes libri nostri et Faerni habent *incipit*, præter Bembinum, Donatum, editt. vett. et codicem unum e nostris, ubi est *occipit*. Utrumque probe, nec hilum interest. At pro *Invitat tristis*, leg. *Invitatu'st*, non modo versus, sed et sententiæ gratia. Nam durum est in *Invitat* intelligere *Thraso*, et in *mansit* statim *Chremes*. B.

9. *Adductum æmulum*] Plus dixit *adductum*, quam *admissum*: et simul quia videbat furibundum Chremem, et (edd. Venett. recte omittunt *et*) totum crimen revocat ad Thaidem. Et hæc est causa, cur a milite in ejus domo nullam rixam patiatur Chremes. D.—*Putare* muta in *putans*, quia sequitur *voluit*, nisi malis, quod non est opus, corrigere *voluisse*. B.

10. *Huic ægre*] Huic Thaidi, non adducto. *Heus, inquit, puer*] Hic ostenditur, quod supra apparatum est. *Pamphilam arcesse*] Non provoca, sed *arcesse*: quia non est aptum militi (Lege, *quia non est apud militem*. Forte scriptum erat: *quia non est aput mil.*). D.—Versus gratia Bentleius legi vult, *Heus, inquit, puer, i, Pamphilam*. Non male. Nam *i* imitatur Gr. ἴθι cum seq. imperativo; ut Plat. Phæd. 65. ἀλλ' ἴθι, πείθου· et alibi. Z.

11. *Ut delectet hic nos*] Quasi dicat, quod hæc non facit. Sed *delectare* fidicinæ est: quia supra de illa dixerat, *et fidibus scire*. Et bene *hic*, quasi insuaviter nunc tractemur. *Illa exclamat*] Non respondet inquit; sed exclamat. *Minime gentium*] Hoc magis mirum, *minime gentium*, quam *nusquam gentium*. D.—Hic versus syllabam ultimam sequenti versui commodat a vocali incipienti; ut illi apud Virgilium versus, *decoquit humorem: vivaque sulphura: arbutus horrida*. B.

12. *In convivium illam?*] (Forte Donatus legit *Tun' in convivium illam?* quæ lectio in libris Ter. quibusdam est: adeo ut ad *Tun'* pertineat sequens Z.) ἐμφατικῶς: ut, Virg. Ecl. iii. 25. *Cantando tu illum? Illam?*] Deest, arcessas: et est figura ἀποσιώπησις. *Miles tendere*] Proprie dixit *tendere*, quod significat pertinacem contentionem. Virgilius, *vasto certamine tendunt*, Æn. xii. 553. *Inde ad jurgium*] Subauditur, *ventum est*. D.—*In convivium illam?*] Apud Græcos enim mulier honesta in convivium non adhibebatur, nisi propinquorum. Corn. in Præf. Hinc Philodamus apud Cic. Verr. i. 26. negavit, moris esse Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres, sc. honestæ. Z.

13. *Interea aurum sibi clam mulier demit*] Ne aurum pro virgine, quod (*quam* legendum putat Wieling. Sed forte leg. *Ne aurum per jurgium, quod renuebat, amitteret*) retinebat, amitteret: vel *aurum* demit, ut esset ad fugam expeditior, vel ad rixam. Et opportune *mulierem* dixit, non *Thaidem*; ut ostenderet malitiam sexus (Scholion de muliere Donato indignum. Z.). D.

14. *Hoc est signi, ubi primum poterit*] Ad quam rem *signi?* Utrum hoc est signi, *quamobrem metuam, ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi?* an hoc est signi, *unde scio quod ubi primum poterit, se illinc subducet?* Erit igitur subaudiendum sic, *unde* et *quod*: ut sit, unde scio, quod ubi primum poterit. D.—Daceria duabus de causis opinatur Thaidem sibi aurum demsisse: primum ne forte miles auferret: deinde quod meretricibus in publicum auro ornatis prodire non licitum fuerit. Z.

1. *Dum rus eo, cœpi egomet*] Hic nunc causa narratur, cur statim in urbem redeat Phædria, qui discesserat abfuturus

Ita ut fit, ubi quid in animo est molestiæ,
Aliam rem ex alia cogitare, et ea omnia in
Pejorem partem: quid opus est verbis? dum hæc puto,
Prætерii imprudens villam: longe jam abieram,
Quum sensi; redeo rursum, male vero me habens.
Ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti.
Occepi mecum cogitare: Hem! biduum hic
Manendum'st soli sine illa? quid tum postea?
Nihil est? quid? nihil? si non tangendi copia est,
Eho, ne videndi quidem erit? si illud non licet,
Saltem hoc licebit: certe extrema linea
Amare haud nihil est: villam prætereo sciens.
Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?

biduum, ad tollendum jurgium militis, et (*sed* est in utroque cod. et edd. Venett.) importune redit. *Dum rus eo*] Jam tempus est revocandi in scenam Phædriam, postquam acta sunt omnia, quæ illius absentiam desiderabant. *Cœpi egomet mecum*] Ordo, Cœpi aliam rem ex alia re cogitare. *Inter vias*] Figurate et nove *inter vias*. D.—*Dum rus eo*] Hæc scena quæstionem habet adolescentis, quod nimio amore multa officia non integra mente compleverit. E.—*Dum rus eo*] Servius ad vii. Virgil. vers. 30. L.

3. *Et ea omnia in pejorem partem*] Utrum subaudiatur, *cogitare?* an, *ibant*, aut *vergebant*, aut quid tale? *Dum hæc puto*] Id est, existimo; ut Virgilius, *Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam*, Æn. vi. 332. Et est ὑφαίρεσις pro *reputo*. *Putamus* enim instantia: *reputamus* præterita. D.—Magis ex Terentii est consuetudine, si sic refingis: *et ea omnia Pejorem in partem*. B.

4. *Dum hæc puto*] Ms. R. *reputo*. L.

6. Melius ex Regiis unus, *male me vero habens*. B.

7. *Ubi ad ipsum veni diverticulum*] *Diverticulum* est, ubi iter de via flectitur. Et proprie *diverticula* dicuntur in via domicilia, ad quæ de itinere divertendum sit. *Constiti*] Plus est nunc scientem stetisse, quam præteriisse nescientem. D.—*Ad ipsum veni diverticulum*] Ad ipsum locum, ex quo diverti ad villam deberet. E.—*Ad ipsum veni diverticulum*] Glossarium vet. καταγωγεῖον, *diversorium*, *diverticulum*. L.—Tres vett. libri Faerni recte habent *deverticulum*. Tum versus fit suavior, si cum cod. Regio legimus *venio*, ut prius *redeo*. B.

8. *Hem! biduum hic manendum est*] *Hem* interjectio laborantis animi. *Biduum* sic pronuncia, ut longum nimiumque tempus. Tum deinde *hic*, tanquam in loco solo atque tristi. D.

9. *Soli sine illa?*] Aut sine alio oblectamento? *Sine illa?*] Satis amatorie. *Sine illa?*] Jam causa est, cum (*cur* est apud Westerh. Z.) biduum gravetur loco tristi, cur solatium conquirendum. Sunt autem qui idem putent *soli* esse, et *sine illa*: ut *sine illa* ἐξήγησις ejus sit, quod dixerat, *soli*. D.

10. *Nihil est: quid? nihil?*] Amantium disputationes intermiscent quædam consilia sanæ mentis, quæ tamen statim resurgentis amoris sævitia devincuntur. D.

11. *Eho, ne videndi quidem erit?*] *Eho*, ridicule additum: tanquam omnino non secum loquatur, sed cum altero. *Si illud non licet, saltem hoc licebit*] Bene bis dictum *licet, licebit*: quasi de re magna loquatur. Totum ergo amatorie. D.

12. *Certe extrema linea*] Et hoc recte: quia quinque lineæ perfectæ sunt ad amorem: prima, visus; secunda, loqui; tertia, tactus; quarta, osculari; quinta, coitus. An sic dixit *extrema linea*, quemadmodum dicitur *longis lineis quid fieri?* id est, de longinquo. D.—*Extrema linea*] Quinque lineæ esse dicuntur amoris: videre, accedere, colloqui, osculari, concumbere. Veluti enim postremam diximus rem atque usum, prior fit postrema illa, quam nos collocavimus: videre scilicet. Ergo ita concludit: *si non tangendi est copia, nec videndi quippe erit?* E.—*Extrema linea*] Charis. lib. ii. L.—*Extrema linea amare* esse solo puellæ, quam amas, aspectu frui, cum ex hoc loco patet, tum ex Lutatio ad Stat. Theb. iii. 283. ubi est: *puellam extrema amoris linea diligens, satis animo solo faciebat aspectu*. Unde vero hæc metaphora sit ducta, non satis convenit. Forte ad popularem rationem propius accedunt, qui de linea alba in circo, seu calce, originem ducunt. Z.

13. *Amare, haud nihil est*] *Amare* modo

ACTUS QUARTI SCENA III.

PYTHIAS. PHÆDRIA. DORIAS.

Ubi ego illum scelerosum, misera, atque impium inveniam? aut ubi quæram?

Hoccine tam audax facinus facere esse ausum? Ph. Perii! hoc quid sit vereor.

Py. Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatus est virginem,

Vestem omnem misere discidit: tum ipsam capillo conscidit.

Ph. Hem! Py. Qui nunc si detur mihi;

Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico!

frui amore dicit. Plautus in Bacchidibus, *Prius hic adero, quam te amare desinam*, i. 2. 67. Et, *sine te amem. Villam prætereo sciens*] Sciens quidem, sed non minus amator, quam prius. D.

14. *Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?*] Ex his verbis persona in scenam veniens, et locutura describitur. Et, *timida*, modo ægra, turbata, commota. Plautus, *manum ex mari, timide.* Et hic ipse, *Uxorem*, inquit, *Philumenam pavitare, nescio quid, dixerunt.* Timidum aliud naturale, aliud eventu est: ut, Virg. Ecl. vi. 20. *Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle.* D.

1. *Ubi ego illum*] In hac scena operæ pretium delectationis est (*delectatio est, quæ oritur* Z.) spectatoribus ex querela ancillæ Thaidis, atque errore Phædriæ. *Ubi ego illum*] Hoc initio ostenditur, tanquam persequentem fugientem, progressam esse personam. *Scelerosum*] *scelerosus* est multorum: *scelestus* vel unius. *Scelerosus* proprie auctor est sceleris: *sceleratus*, in quo scelus sit constitutum vel commissum. *Scelerosum atque impium*] *Scelerosum* in Thaidem, *impium* in virginem. D.—*Ubi ego illum*] Hæc scena controversiam tenet talem: Munera meretrici amator misit, in his eunuchum: qui commendatam virginem scissa veste laniavit, et fugit. Reus est injuriarum, qui dona misit. Hic primo qualitas; deinde conjectura, an hoc animo miserit, ut injuriam faceret. Rursus alia conjectura, an eunuchus vitiaverit virginem, vel vitiare potuerit. Hæc per versus suos plenius explicabimus. Primo propositio fit summæ, per conquestionem: *Hoccine*, inquit, *tam audax facinus facere esse ausum?* Deinde quasi testimonii genus adjicit: *Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatus est virginem, vestem omnem misere discidit.* E.—Hic et subsequens versus trochaicus est, tetrameter acatalecticus. B.

2. *Audax facinus facere*] *Facinus facere*, figura ἀρχαϊσμός. *Hoc quid sit vereor*] Pro duobus unum dixit, scilicet *vereor*, pro, et nescio et vereor. D.—*Perii* cum libris fere omnibus et edd. vett. Pythiæ tribuendum est. Vid. And. iii. 5. 1. B.

3. *Quinetiam insuper*] Accusatio facti. *Scelus*] Αἴξησις. Plus enim est *scelus*, quam *scelestus*. Ut Lucilius, *carcer, vix carcere dignus. Postquam ludificatus est virginem*] Argumentum ab his quæ sunt post negotium (*processenium* Z.) gesta. Et mire, *postquam ludificatus est, discidit* dixit: cum ille videlicet, dum virgo reluctatur, hoc fecerit. Et mire expressit vitium illatum virgini ab eo quidem, qui vitiare jam posset; sed tamen ejusmodi adolescentulo, cujus propter teneras adhuc vires ad explendam venerem, longiore noxa (lege, vel *mora*, vel *rixa*, vel *lucta*) adversus virginem utendum fuit. Nam ideo præter occasionem familiæ discedentis, tempus, locus, et cætera attributa negotio, etiam somnus virginem opprimens, adjuvat Chæream. Et mire *ludificatus* potius, quam, complexus est, aut tale aliquid, quod amorem indicaret. D.—*Ludificatus est*] Per ludum et jocum irrisit. E.—*Ludificatus est virginem*] Priscian. lib. viii. L.

4. *Vestem omnem misere discidit*] Adeo ut non amore fecerit, sed injuria. Et vide, ut ex his appareat, multum virginem reluctatam esse. *Tum ipsam capillo conscidit*] Multo melius, quam si diceret, *capillum illi conscidit.* D.—Bentleius edidit, *miseræ*; quod minus placet: quia *ipsa* in membro sequente opponitur *vesti omni.* Vid. cl. Ernesti ad Il. α'. 4. ubi disputatur de vi pronominis αὐτός. Z.

6. *Uti ego unguibus facile illi in oculos*

PH. Nescio quid profecto absente nobis turbatum'st domi.
Adibo. Quid istuc? quid festinas? aut quem quæris, Pythias?
PY. Ehem, Phædria, ego quem quæram? i hinc, quo dignus, cum donis tuis
Tam lepidis. PH. Quid istuc est rei?
PY. Rogas me? eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!
Virginem, quam herse dono dederat miles, vitiavit. PH. Quid ais?
PY. Perii! PH. Temulenta es. PY. Utinam sic sint, qui mihi male volunt!
Do. Au obsecro, mea Pythias, quid istuc nam monstri fuit?

involem] Nonne credis Pythiam id comminari, quod a virgine minus factum sit? quod, quia puella, non potuit. *Unguibus*] Quibus armatur hic sexus. *In oculos*] Quasi amatori. *Veneficio*] Mutanti homines (Bœclerus recte acumen hoc Grammaticale ineptias vocat. Melius Eugraphius), et ex virginibus mulieres facienti. An *veneficio* amatori? quia amor venenum occultum est; ut Virg. Æn. i. 688. *Occultum inspires ignem, fallasque veneno.* Et, Æn. i. 749. *longumque bibebat amorem.* D. —*Ut ego unguibus facile*] In ejus oculos unguibus meis involem. *Veneficio*] Scelerato, malo. E.

7. *Absente nobis turbatum est domi*] Aut subdistinguendum est, et subaudiendum *me*; aut ἀρχαϊσμὸς figura est, *absente nobis*, pro nobis absentibus. Pomponius, *sine ergo istuc, præsente amicis inter cænam.* Varro in Marcellum, *id præsente legatis omnibus, exercitu, pronunciat. Absente nobis*] Cum sic dicit, pro præpositione ponit *absente*: ac si diceret, Coram (*clam*: nisi malis hoc scholium referre ad locum Pomponii Z.) amicis. D.—*Profecto absente nobis*] Me absente. E.

8. *Quid festinas?*] Properas, turbaris, et trepidas? Sallustius, *festinantibus in summa inopia patribus.* D.

9. *Egon' quem quæram?*] Deest *rogas.* D.—*Ehem, Phædria*] Hinc incipit accusatio. Deinde narratio: *cum donis tuis.* Simul propositio: *eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit! virginem, quam herœ miles dono dederat, vitiavit.* E.—Alii libri habent, *abi hinc*; alii, *ii hinc.* Sed Bembinus et Vatic. *in' hinc*; h. e. *ine hinc?* Recte. B.

10. Alii perperam, *inlepidis.* B.

11. *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!*] Aut ὑστέρησις, ut, Æn. i. 573. *urbem quam statuo, vestra est*; aut *quem* cum interrogatione pronunciandum, ut sit, *qualem. Eunuchum quem dedisti*] Quidam volunt *quem* distinguere, quasi dicat *qualem*: sed nesciunt, hac figura multum veteres usos esse. *Eunuchum* enim ad *dedisti* verbum retulit. Nunc ergo addit propter aliud ἄξιωμα assumendum extrinsecus, is eunuchus. Nam quoties uno nomine, aut pronomine diversæ declinationis enunciationes comprehenduntur, necesse est, quod alteri accommodatum fuerit, ab altero discrepare. *Quem dedisti, quas turbas*] Et *quem* et *quas* sic accipe, quasi dixerit, *qualem* eunuchum, et *quales* turbas. D.—*Quas turbas dedit*] Id est, quantas seditiones fecit! Deinde negatio: *Temulenta es*, inquit, quæ stuto * obices (locus, quem Westerh. ut desperatum deseruit, sanandus sic: *atque statim objectiones* Z.) adjungit. E.—Cod. Petrensis *Rogasne?* Repone *Rogas?* ut cum duobus seqq. Trochaicus sit, et acrior fiat increpatio, celeritate ipsa. B.

12. *Quid ais?*] Hoc admirantis est magis, quam interrogantis. D.—Etsi in Bemb. et Basil. est *dono dederat*; tamen sonus ipse commendat ordinem, *dederat dono.* B.

13. *Temulenta es*] Ebria, a *temeto*, quo nomine antiqui grave vinum appellabant, eo quod tentaret mentem, id est, labefactaret. Virg.—*temulique Lageos Tentatura pedes olim, vincturaque linguam*, Ge. ii. 93. *Utinam sic sint, qui mihi male volunt!*] Bene; non ebriam esse, in maledictum vertit: quasi vero temulentam esse, felicitatis sit. An (*Ac* Z.) non negat se esse ebriam, sed non vino, verum malo ebriam vult intelligi? (Edd. Venett. *Bene se non ebriam esse in maledictum verbum probat: quasi vero temulenta esse infelicitatis sit procul dubio: quia non negat, se esse ebriam: sed non vino, verum malo ebriam vult intelligi.* Wielingius conjicit, *Bene. Nam ebriam e. i. m. v. q. v. non temulentam esse*, a. a.). D.—Ordo melior hic: *mihi qui male volunt.* B.

14. *Mea Pythias*] *Mea*, et *mea tu*, et *amabo*, et alia hujuscemodi, mulieribus

PH. Insanis: qui istuc facere eunuchus potuit? PY. Ego illum nescio
Quid fuerit: hoc, quod fecit, res ipsa indicat.
Virgo ipsa lacrumat; neque, quum rogites, quid sit, audet dicere.
Ille autem bonus vir nusquam apparet: etiam hoc misera suspicor,
Aliquid domo abeuntem abstulisse. PH. Nequeo mirari satis,
Quo ille abire ignavos possit longius; nisi si domum
Forte ad nos rediit. PY. Vise, amabo, num sit. PH. Jam faxo scies.
Do. Perii! obsecro, tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.
PY. At pol ego amatores mulierum esse audieram eos maximos:

apta sunt blandimenta. *Quid istucnam monstri fuit?*] Quippe *monstrum* est omne contra naturam. Si igitur eunuchus est, et vitiavit virginem, contra rerum naturam factum est, et recte monstrum est. Et ordo est, Quid istucnam monstri fuit? (*Quidnam istuc monstri fuit.* Edd. Ven. recte). D.—Bembinus, Basilic. et duo ex nostris vett. recte, *quod istuc nam monstrum fuit?* Cæteri, *quid monstri.* B.

16. *Qui istuc facere eunuchus potuit?*] *Istuc facere*, honestius apud puellam, quam si *vitiare* dixisset: et potest videri aliquid nutu significare. *Ego illum nescio qui fuerit*] Ἀπόλλησις. Bene vitavit eunuchi nomen, ut vitiasse virginem, obtinere possit. D.—*Insanis; qui istuc facere potuit eunuchus?*] Hic jam quæstiones sunt et argumentum a defensore, an verisimile sit eunuchum adulterium facere potuisse. Sumsit argumentum ergo a persona; sed contra argumentum personæ accusatur: *Ego illum nescio qui fuit; hoc, quod fecit, res ipsa indicat.* Deinde supponit de summo ad imum: *Virgo ipsa lacrumat, neque, quum rogites quid sit, audet dicere.* Deinde a testimonio: *ille autem bonus vir nusquam apparet.* E.—Vulgo in versu seq. *qui fuerit.* Ego, ut versus sit Dimeter Iambicus, repono, *Ego illum nescio: hoc Quod fecit, res ipsa indicat.* B.

17. *Virgo ipsa lacrumat*] Nunc ostendit quid fecerit, et ostendit argumentis. *Neque, quum rogites, quid sit, audet dicere*] Quid? si verberata esset? sed non puderet queri. Hæc autem injuria apud virginem non habet nomen. D.

18. *Bonus vir*] Εἰρωνικῶς. Non enim jam eunuchus. *Bonus vir*] Bene *vir:* quia hoc illum esse contendit. *Nusquam apparet*] Nescias utrum fuga ejus queratur an culpa (Lege c. Wieling. *N. v. fugam e. q. a. culpam*). Sed constat, hæc argumenta esse, quod ipse virginem vitiaverit. *Etiam hoc misera suspicor*] Bene *etiam:* quia et hoc suspicatur, virginem vitiatam. D.

19. *Nequeo mirari satis*] Bene hic omnes suspiciones ad eunuchum, quem novit, revocat: nescit Chæream siquidem (*sic quidem* Z.) hunc esse. Et mira locutio, pro eo quod est, *nescio.* D.

20. Lege versus causa, *Quo hinc ille abiro.* B.

21. *Vise, amabo, num sit*] *Domi* subaudiendum est; aut, *num sit quod dicis.* D. —*Vise, amabo*] Interponitur comica dictione. *Num*] *Ne* hic significat. E.—*Redierit*, quod quidam habent, corrumpit versum. B.

22. *Tam infandum facinus*] Hoc est, tam infandum facinus non solum gestum non vidi, sed ne audivi quidem. E.—*Ne audivi quidem*] V. C. *audisti.* L.

23. *At pol ego amatores*] Hic non credunt virginem esse vitiatam; sed eunuchum incitatum ad vitiandam virginem, ut ei vellet facere, quod non posset implere. Ideo ait, *eunuchos audieram maximos esse amatores, tametsi nihil possent.* E. —*Amatores mulierum esse*] Inde Hieronym. ad Demetriad. de Eunuchis, *Truncatorum corporum violentam pudicitiam*, dixit. Et Pet. Chrysolog. Serm. lvi. *invitam castitatem.* Bene autem hanc salacitatem eunuchorum describit Arnob. advers. gent. lib. v. *Quasi vero affecti corporalibus his damnis fiant languidioris audaciæ, et non quotidie videamus eos, qui sibi demessuerint has partes, majoris petulantiæ fieri, atque omnibus postpositis pudoris et verecundiæ frenis, in obscœnam prorumpere vilitatem flagitiorum confessione vulgata.* L. —Hic ordo, qui et in Bemb. est, habet duo vitia; quod *mulierum* secundam acuit, quod *audiéram* tertiam. Repone ex edd. vett. et nostris codd. omnibus, *At pol ego amatores audieram mulierum esse eos m.* B.

Sed nihil potesse; verum miseræ non in mentem venerat:
Nam illum aliquo conclusissem, neque illi commisissem virginem.

ACTUS QUARTI SCENA IV.

PHÆDRIA. DORUS. PYTHIAS. DORIAS.

Exi foras, sceleste: at etiam restitas,
Fugitive? prodi, male conciliate. Do. Obsecro. Ph. Oh!

24. *Sed nihil posse*] Ut voluntatis rei sint, non etiam facti. *Verum miseræ non in mentem venerat*] Non, *nihil posse eos*, sed, *amatores esse maximos*. Ad partem enim sententiæ pertinet quod dicit, *non in mentem venerat*: non ad totum quod audivisset dudum (forte, *quod audivisse se dicit*). Etiam nisi penitus negative consideraveris, controversia inerit: si enim nihil posse audieras, quid est quod in mentem non venerit ut vitares? utrum igitur amatores mulierum esse maximos audieras? quod ipsum vitandum fuit. Neque enim hoc satis est ad pudicitiam, stuprum vitasse, cum impudica fieri vel solo osculo possit, quam omnino integram et illibatam velis. An *verum*, non erit conjunctio, sed nomen? ut illud quasi falsum audierit: hoc autem, quod verum inventum est, non ipsa suspicata sit. Nam *in mentem venire*, non reminisci tantum, sed etiam cogitare significat. Sic Cicero, pro Rosc. Amer. 21. *In mentem tibi non venit, causam publicam sustinere*, id est, non cogitas, non suspicaris. *Verum miseræ*] Si *verum* pro conjunctione accipimus, subaudiendum erit, *amatores mulierum eos esse maximos*. *In mentem non venerat*] Non, quod audieram: sed, quod hic fecit. An non aliud in mentem venerat? non, scilicet, facturum fuisse quod fecit. *Non in mentem venerat*] Aut, non erat cogitatum: aut, non eram recordata. D.—*Sed nihil posse*] Alexand. Aphrod. Problem. lib. i. de Eunuchis: *οἵτινες φαντάζονται μὲν τὴν χρῆσιν, οὐκ ἐνεργοῦσι δὲ τὴν ἐπιθυμίαν.* Aristænet. lib. i. epist. 21. *καθάπερ εὐνοῦχος τὰ ἐρωτικὰ περιεργαζόμενος καὶ λιχνεύων.* Ecclesiast. cap. 30. *Quasi spado complectens virginem et suspirans.* Unde apud Sopatrum in Hermogen. quæritur, p. 93. 223. eunuchus si cum muliere rem habeat, adulteriumne committat: *πῶς γὰρ ἂν εὐνοῦχος μοιχεύσειεν, ὁ μὴ χρῆσθαι δυνάμενος, μηδὲ τὸ γένος ἀμφίβολον τῇ συνουσίᾳ ποιῶν.* Sed voluntatis reos esse, non etiam facti, Donati sententia est: *Μηδὲν διαφέρει πρὸς τὸ εἶναι αὐτὸν μοιχὸν, εἴτε δυνατὸς χρήσασθαι, εἴτε μή. τὴν γὰρ προαίρεσιν ἐξετάζειν δεῖ.* Augustini Episc. locus huc pertinet lib. vi. contra Julian. Pelag. cap. 5. *Uti concupiscere viventis sentientisque naturæ est, ita ut non desit concupiscentia, quam spadonum quoque castitas frenat, minus quidem laboriosa: quia ubi materiam, de qua operetur, non invenit, minus adversus eam libido consurgit. Est tamen pudiceque comprimitur, ne concumbendi quamvis irritus ipse conatus in eam turpidinem veniat, propter quam Calligonum Valentiniani junioris eunuchum gladio novimus ultore punitum, meretricis confessione convictum.* L.—Nostri omnes, *potesse*. B.

25. *Nam illum aliquo conclusissem*] Mire *conclusissem* dixit, ut sævam feram. Sic alibi: *conclusam hic habeo uxorem sævam. Neque illi commisissem virginem*] Si vel amatorem tantum meminissem. D.

1. *Exi foras, sceleste*] Jucundus error, in quo non (sensus postulat, *non tantum non*) dubitet Phædria, ipsum esse qui quæritur: verum insuper sic aggreditur, tanquam sit ipse. *Sceleste!*] Quale est scelestum appellari, qui nihil sciat. *Restitas?*] Necessario restitat, qui miratur se protrahi. D.—*Exi foras*] Hæc scena adhuc superioris controversiæ vim tenet: quippe hoc confirmat, quod vitiata virgo est: quod utique diximus esse conjecturæ, ut ex hoc concluderet, quod Phædria injuriam amicæ fecerit, cui talia miserit dono. Cognoscit Chæream fratrem Phædriæ (*Phædria* Z.) pro eunucho ad meretricem mutata veste venisse, et sic vitiasse virginem. E.

2. *Fugitive?*] Et scelestum et fugitivum increpat, in hunc crimen transferens Chæreæ. *Male conciliate*] Oportune adolescens hic exprobrat munus magno emtum. *Male*, magno significat, ut Plautus in Amphitryone, i. 1. 132. *Hæc nox scita est exercendo scorto conducto male.* Ergo *male conciliate*, magno emte significat. Nam omnis conventio, *conciliatio* nominatur. *Concilia-*

Illud vide, os ut sibi distorsit carnufex!
Quid huc reditio'st? quid vestis mutatio?
Quid narras? paululum si cessassem, Pythias,
Domi non offendissem: ita jam ornarat fugam.
Py. Habesne hominem, amabo? Ph. Quidni habeam? Py. Factum bene!
Do. Istuc pol vero bene. Py. Ubi est? Ph. Rogitas? non vides?
Py. Videam? obsecro, quem? Ph. Hunc scilicet. Py. Quis hic est homo?
Ph. Qui ad vos deductus hodie'st. Py. Hunc oculis suis
Nostrarum nunquam quisquam vidit, Phædria.
Ph. Non vidit? Py. An tu hunc credidisti esse, obsecro,
Ad nos deductum? Ph. Nam quem? alium habui neminem.
Py. Au!

tum ergo, magno emtum. D.—*Male conciliate*] Male emte. Nam *concilium* nundinas dicimus. E.

3. Os ut sibi distorsit] Et hic memor adolescens insinuandi muneris, dicit illum sibi os distorsisse, qui natura sit pulcher. *Os* autem dicimus illi *distorquere*, quem, natura pulchrum, deturpamus. D.—Lege ex uno codd. *Illuc vide.* Cf. Adel. ii. 2. 20. B.

4. Quid huc reditio est?] Eleganter ei reditio objicitur, qui revera loco se non moverit. *Quid vestis mutatio est?*] Sic veteres. Plautus in Trinummo, iii. 2. 83. *Quid tibi interpellatio, aut in consilium huc accessio est?* Cæcilius ἀρπαζομένη, *Quid tibi aucupatio est argumentum, aut de meo amore verbificatio est patri? Quid vestis mutatio est?*] Nam liberi vestem habebat, utpote Chæreæ: servi vero atque eunuchi deposuerat. D.—Lege, *Quid huc tibi reditio'st? vestis quid mutatio'st?* Nam *tibi* et in Donato Faerni et Bembino libro est. Dein *mutatio est* extat in Bemb. B.

5. Paululum si cessassem, Pythia] Familiare est iratis, avertere se ad aliam personam ab ea, in quam commoveantur (Exempla vide And. v. 3. 5. Phorm. v. 8. 22.). D.—*Paulum* edidit Bentleius, et alii. Z.

6. Ita jam ornarat (*adornarat* Z.) *fugam*] Ut supra, *adornant, ut lavet.* D.—*Domi non offendissem*] Domi non invenissem. *Ita jam adornarat*] Veste mutata se ad fugam præpararat. Ut supra diximus, ornamenta ponit ad utramque partem, et ad divitias, et ad miseriam. Quomodo parasito dictum, *quid istuc ornati est?* E.—*Ornarat fugam*] V. C. *adornabat.* L.—Vulgo *ornabat;* alii *adornabat,* Bemb. *ornarat.* Sed Basilic. et nostri plerique recte, *adornarat;* ut, *ita,* sit in Arsi, et *Domi* corripiatur. B.

7. Habesne hominem, amabo?] Hæc omnia Pythias, cernens eunuchum, loquitur. Id enim erit jucundum, ut quærat illum quem videt. *Quid ni habeam?*] *Quid ni,* quid nisi? hoc est, cur non habeam? D.—Ex metri ratione lege, *Haben'.* Dein cum codd. nostris et edd. vett. *O factum bene!* ut eliquescat ultima in *habeam.* B.

8. Ubi est?] Dorum contemplata dicit, *Ubi est?* quia non ipsum, sed alterum novit. *Rogitas? non vides?*] Stomachatur uterque errans mirifice: illa, quod eunuchum credidit, Chæream videns: hic, quod eunucho objecit, quod commisit Chæreæ. D.

9. Hunc scilicet] Hoc jam, tangens eunuchum, dicit Phædria. D.

10. Hunc oculis suis nostrarum nunquam quisquam vidit] Ἀρχαϊσμὸς est figura, pro *nostrum;* vel *nostrarum,* id est, quæ familiæ nostræ sunt: ut parum sit, non vidisse Thaidem, nisi addatur, ne familiarium quidem ullam esse, quæ hunc viderit. D.

11. Quisquam] Antiqua locutio est. D.—Apud Priscian. 960. abest, *nunquam.* At Cledonius, pag. 1907. *Nemo,* inquit, *feminino genere lectum est apud Terentium; ut, Illum nemo nostrarum quisquam vidit.* Sed hodie codd. omnes, *nunquam quisquam.* Utrumvis probe. B.

12. Non vidit?] Totidem, iisdemque verbis repetit. Et interrogatio stuporem admirantis ostendit, et jam veluti consentientis. D.

13. Namque alium habui neminem] Bene ad illud quod ait, *An tu hunc:* quasi ex multis. D.—*Au! ne comparandus*] Prisc. lib. xv. L.—*Namque* pro vulgari *Nam*

Nec comparandus hic quidem ad illum'st: ille erat
Honesta facie et liberali. PH. Ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
Nunc tibi videtur fœdus, quia illam non habet.
PY. Tace, obsecro: quasi vero paulum intersiet.
Ad nos deductus hodie adolescentulus,
Quem tu videre vero velles, Phædria.
Hic est vietus, vetus, veternosus, senex,
Colore mustellino. PH. Hem, quæ hæc est fabula?

quem? præter Bembinum, etiam ex nostris veterrimus recte habet. B.

14. *Au! ne comparandus hic quidem est*] *Au*, interjectio est conturbatæ feminæ, nec constantis sibi. D.—*Ne comparandus is*] Sic distinguendum, ut sit sensus, *ad illum, qui ad nos venit, hic eunuchus ne comparandus quidem.* E.—*Nec* pro *ne*, auctoritate Bembini male edidit Faernus. Nam præterquam quod *ne quidem* centies apud alios occurrit, etiam nostri omnes habent *ne*. B.

15. *Ille erat honesta facie et liberali*] Τῷ ἰδιωτισμῷ *erat*, quasi de mortuo, aut qui non est, scilicet Thaidi (*non est in domo Thaidis;* lib. uterque), quia fugit. *Honesta facie et liberali*] Commode descriptus est Chærea. D.

16. *Varia veste exornatus*] Eunuchi veste utebantur versicolore, ut multis coloribus texta fulgerent. E.

17. *Nunc eo tibi videtur fœdus*] Facete, *fœdus videtur.* Non est enim. D.—Lege, *Nunc eo videtur fœdus.* Nam *eo tibi* codd. fere omnes. Sed duo vett. *tibi* non habent. Deinde non soli Pythiadi, sed cuique alii fœdus videbatur. B.

18. *Tace, obsecro*] Apte dictum est *Tace*, femineo stomacho, quasi impudenter assistenti formæ improbæ, et argumenta inaniter pertinaciterque invocanti. *Tace, obsecro*] De consuetudine dictum est *Tace;* et bene additur *Obsecro*, ne *Tace* ipsum videatur injuria. D.—*Quasi vero paululum*] Vestis adjectio aliquid formæ adjicit vel detrahit, non tamen novam efficit. E.

19. *Hodie est* edidit Bentl. Z.

20. *Quem tu vero videre velles, Phædria*] Commota adversus Phædriam, cogitur eum laudare, cui irata est: et ideo totum callide. *Quem tu vero videre*] Facete, quasi nec hunc, nec ipsum qui misit, conspectum velit. *Quem tu*] *Quem*, talem. Et breviter ejus forma laudata est: cum prolixius illius sit describenda deformitas. *Quem tu vero videre*] *Vero*, pulchre. Pulcher enim est, cujus forma nec odium nec convicium commeruit. Lucilius in Satyra Athymnidis * *ex facie florem delegeris* (Varie hæc leguntur: Ms. H. *Athymidi facti.* Ed. Ven. 1490: *Lucil. in Saty. Athinidi sacci ex f. f. t. delegeris.* Ed. altera 1512: *Luci. in Satii. Attinidi Sacri ex facie delegeris.* Douza ex incerto Satyrarum libro vers. 128. ex Ms. Rod. Snellii laudat: *Ex facie florem delegens.* Ms. Boend. *Athimudi sacci.* Forte scripsit Lucilius, *Ac thymini succi ex facie florem delegeris*). *Quem tu videre*] Quare *tu?* an quia iste jam non velit videre, iratus scilicet ob vitiatam virginem? an *tu*, quasi spectator elegans formarum, et qui amator sis Thaidis? D.

21. *Hic est vetus, vietus, veternosus, senex*] Sic hoc totum pronunciandum, quasi irascatur huic, propter quem laudaverit Chæream. *Vietus*] Mollis, flaccidusque, et flexibilis corpore; unde et *vimina*, et *vimenta*, et *vites*, et *vietores* dicuntur: et *viere*, religare dicitur: quia *vietis* virgis magis religare possumus quidlibet. Lucretius, iii. 384. *araneæ* dixit *vietam vestem*, id est, putri mollitia præditam. *Vetus*] Ad vituperationem modo, non ad laudem ponitur: ut, *veteris poetæ maledictis respondeat. Vetus* est, cujus diminutivum est *vetulus. Veternosus*] Morbo vetere confectus, id est, veterno: quales sunt qui hydropem patiuntur. Et recte. Nam sæpe eunuchi in senecta veternosi fiunt, et cito hoc laborant morbo. *Senex*] Ex morbo ægritudineque rugosus. *Senex*] Utrum (adde, *vere*) senex? an quia ita videtur ob deformitatem? D.—*Vietus, vetus, veternosus*] Vietus ac turpitudine (Westerh. *ac* mutat in *a*. Sed leg. *Veterno ac turpitudine* Z.) oppressus. Ut Virg. Georg. i. 124. *Nec torpere gravi passus sua regna veterno.* E. *Vietus, vetus*] Vid. Fest. et Porph. ad Hor. Oden xii. L.

22. *Colore mustellino*] Erravit Terentius, non intelligens Menandricum illud, αὐτόσε ἐστὶν γαλεώτης γέρων (R. Steph. edidit: γαλεώτης ἐστὶ τὸ χρῶμα. Sed pro αὐτόσε lege αὐτὸς δέ. Z.). Ait autem *stellionem*, animal quod lacertæ non dissimile est, maculoso corio: namque ad id genus coloris facies exprimitur eunu-

Eo redigis me, ut, quid egerim, egomet nesciam.
Eho tu! emin' ego te? Do. Emisti. Py. Jube, mihi denuo
Respondeat. Ph. Roga. Py. Venistin' hodie ad nos? negat.
At ille alter venit, annos natus sedecim,
Quem secum adduxit Parmeno. Ph. Agedum, hoc mihi expedi
Primum: istam, quam habes, unde habes vestem? taces?
Monstrum hominis! non dicturu's? Do. Venit Chærea.
Ph. Fraterne? Do. Ita. Ph. Quando? Do. Hodie. Ph. Quam dudum? Do. Modo.
Ph. Quicum? Do. Cum Parmenone. Ph. Norasne eum prius?

chorum corporis (*corporis* dele, aut muta in *corpore* Ž.), quia plerique lentiginosi sunt. Hinc ergo erravit ideo, quia γαλῆ *mustela* dicitur, γαλεότης *stellio*: ὡς παρ' Ἀριστοφάνει ἐν νεφέλαις. ἤσθην γαλεότῃ καταχέασπι Σωκράτους, vers. 174. Ego Adesionem sequor, qui recte intellexit, Terentium scientem, *mustelino colore* eunuchum dixisse coloratum, velut sublivido: quia vere eunuchi aut ex candidissimis lentiginosi fiunt, ut ex Gallis, et hujusmodi Occidentalibus: aut ex fuscis sublividi, ut ex Armeniis, et aliis Orientalibus. D.—*Colore mustelino*] Nigro scilicet, qui color est in mustelis, supra domorum tecta currentibus. E.—*Quæ hæc est*] In Ms. R. *est* desideratur. L.—Terentium nego scripsisse *mustelino colore*, quia ut equo aut cani non unus est color, ita nec mustelæ, quæ fere in dorso et lateribus est rutila, raro subfulva, in gutture semper candida, et interdum tota candida reperitur. Menander igitur, cum, auctore Donato, eunuchum hunc γαλεότην, stellionem, vocavit, significavit, eum fuisse facie maculosa, lentiginosa. Quapropter Terentius scripsit *colore stellionino*, quia stellioni talis est color. Ovid. Met. v. 460. *aptumque colori nomen habet, variis stellatus corpora guttis.* Cæterum ut a leone formatur *leoninus*, a pavone, *pavoninus*, ita a stellione *stellioninus*. B.

23. *Ut, quid egerim, egomet nesciam*] Pro, non meminerim, vel, non agnoscam. D.—*Egomet nesciam*] Ms. R. *ego nesciam*. L.—Lege, *Eo rediges me, ut, quid emerim egomet, nesciam?* Nam *rediges* habet Bemb. et *emerim*, Donatus. Cic. ad Att. i. 19. *Metellus est consul sane bonus, et nos admodum diligit: ille alter ita nihil est, ut plane quid emerit nesciat.* B.

24. *Eho tu! emin' ego te?*] Miro stomacho, quod ipse fecit, id ex alio conatur audire: et donec hæc audiat, an hoc fecerit, dubitat. *Sine, mihi denuo respondeat*] Hoc est, quod in Rhetoricis Cicero ait, *Contra firmam argumentationem, aliam æque firmam aut firmiorem opponimus.* Hæc est autem æque firma. *Denuo* autem ad *respondeat* pertinet, non ad *jube*. *Denuo respondeat*] *Jube vero, mihi denuo respondeat*, intelligendum est. D.

25. *Roga*] Mire utriusque fiducia confertur, et apud utrumque est veritas, cum uterque fallatur. D.—Lege, versus gratia, cum tribus codd. *venisti*. B.

26. *At ille alter venit*] Bene instat, quasi ex parte jam obtinuerit Pythias. D.—Melior numerus est in tribus codd. *natus annos sed*. B.

27. *Agedum, hoc mihi expedi*] Hæc Plautina sunt, cum in iisdem longa sit disputatio: sed mire a Terentio proferuntur ad ejus exemplum; et quod est plus, carent Plautinis nugis. *Agedum*] *Dum*, παρέλκον est, et adjuvat ex animo loquentem. D.—Cognoscitur deinde quod hic eunuchus non venerit ad meretricis domum, ideo efficitur interrogatio a domino, *Agedum, hoc nunc mihi expedi, primum istam, quam habes, unde habes vestem?*] Quam rem interrogatus narrat eunuchus, venisse Chæream, suam accepisse vestem, hanc quam habet sibi dedisse; deinde cum Parmenone continuo egressum foras. Quare confirmata accusantis conclusio efficitur, *Jam satis credis sobriam esse me, et nihil mentitam tibi?*] *Sobriam*, quia supra illi adolescens dixerat, *Temulenta es*. Adjungit enim terminationis summam, *Jam satis certum est, virginem vitiatam esse*. E.

28. *Taces?*] Et recte tacet: quia metuit Chæream. D.

29. *Monstrum hominis!*] Bene eunucho dictum est *monstrum hominis*: hoc est, nec mas, nec femina existens. Sic et supra, *senem mulierem* dixit. D.

30. *Modo*] Nota *modo* aperte pro præterito tempore dictum esse, id est, jamdudum. Nam qui vitiaverat virginem, non *modo*, sed *longe ante* vestem mutavit cum eunucho Chærea. D.—*Fraterne? Ita*] Priscian. lib. xv. L.—Lege, *Meus fráterne?* ne, *ita*, in Thesi lateat, et *quando*, sit sine synalœpha. B.

31. *Quicum?*] Præpositio, *cum*, his dictionibus supponitur, *quicum*, *nobiscum*, *vo-*

Do. Non; nec, quis esset, unquam audieram dicier.
Ph. Unde igitur fratrem meum esse sciebas? Do. Parmeno
Dicebat eum esse: is dedit mihi hanc. Ph. Occidi.
Do. Meam ipse induit: post una ambo abierunt foras.
Py. Jam satis credis sobriam esse me, et nihil mentitam tibi?
Jam satis certum'st, virginem vitiatam esse? Ph. Age nunc, bellua,
Credis huic quod dicat? Py. Quid isti credam? res ipsa indicat.
Ph. Concede istuc paululum: audin'? etiam nunc paululum; sat est.
Dic dum hoc rursum: Chærea tuam vestem detraxit tibi?
Do. Factum. Ph. Et ea'st indutus? Do. Factum. Ph. Et pro te huc deductus'st? Do. Ita.
Ph. Juppiter magne! o scelestum atque audacem hominem!
Py. Væ mihi!
Etiam nunc non credis, indignis nos esse irrisas modis?

biscum. Cæteris vero, ita ut ipsum nomen præscribit, præponitur: ut, *cum amicis, cum exercitu, cum advocatis.* D.

32. Pro binis unum versum habent Bemb. Basilic. et noster Academicus: *D. Non. Ph. Unde igitur fratrem meum esse scibas? D. Parmeno.* Recte, dummodo, versus causa, cum cod. C. C. ejeceris *igitur.* B.

33. *Unde igitur fratrem meum esse sciebas?*] Utpote novitius: et eum qui ex Piræo raro discesserit, et longo intervallo εἰς τὸ ἄστυ venerit. Et hæc sunt obliquæ interrogationes, quibus uti oratores videmus, cum derivare testimonium nituntur. Et ideo sic ait Phædria, ut frustretur omnia, quæ confessus est Dorus. Vult enim fratri esse consultum. D.

34. *Parmeno dicebat eum esse*] Prope infirmatum testimonium est. Quod enim sic ait, *Parmeno dicebat eum esse*, falsum esse potest. Et mire sic ait: ut, *Sola mihi tales casus Cassandra canebat*, Æn. iii. 183. Sic autem dicimus, quando non semel, quod factum fuerit, sed sæpius demonstramus. D.—Omnes libri, excepto Bembino, habent *vestem.* Lege igitur, *is mi hanc dedit vestem.* B.

36. *Jam satis credis me esse sobriam?*] Quia supra dixit, *Temulenta es:* et quasi gravem injuriam hoc dicto passa sit, memoriter dictum retulit; ut, *En ego victa situ*, Æn. vii. 452. et, *Pulsus ego? Æn.* xi. 392. D.

37. *Jam satis certum est, virginem vitiatam esse?*] Ordine ait, quum primum de se, tum de adversario loquitur. D.—Hic conclusionibus nihilominus pugnat adolescens, dicens eunucho non esse credendum: *Age nunc, belua*] Illa rarius (forte *apertius* Z.), quæ accusabat a persona, rem ad facta deducit. Convictus adolescens, etiam cum tacito interrogasset eunuchum, ne vereatur injuriam fecisse meretrici, monet ut, quod dixerat, neget. E.

38. *Credas huic quod dicat?*] A personæ qualitate derogat fidem. Nam quid credendum est servo eunucho fugitivo? *Quid isti credam? res ipsa indicat*] Hic a persona, quæ convincebatur, oratorie ad factum se retulit. D.

39. *Concede istuc paululum*] Ad se versum dicit *istuc* (forte, *Ad se verso dicit istuc.* W. Aut, *Ad servum aversus, etc.* seu, *Adeo aversus, etc.* Z.), ut longe sit a Pythia. Eunucho enim dicit Phædria. D.—Ne versui syllaba supersit, lege, *etiam nunc paulum.* B.

41. Lego cum nostris, uno excepto, omnibus, et cum edd. vett. *Et eam est indutus.* Nempe hoc interest: *Indutus est eam*, perinde est ac ipse se ea induit: at, *indutus est ea*, perinde ac alius eum veste induit tanquam mancum aut mortuum. B.

42. *O scelestum, atque audacem hominem!*] Chæream scilicet vel Parmenonem. Sed sic pronunciandum est, ut putet ancilla de eunucho dici, hoc ipso quod præsto est (Edd. Venett. *de eunucho dici hoc ipsum, qui p. e.*). Ideo illa infert, *Væ mihi! etiam nunc non credis, indignis nos esse irrisas modis? Væ mihi!*] Hoc totum, *Væ mihi*, quidam a Pythia, usque ad *irrisas modis*, dici existimant. D.

43. In duobus nostris deest, *nunc*, in uno, *non.* Repone, versus causa, *Etiam nunc credes indignis.* B.

PH. Mirum, ni tu credas quod iste dicat: quid agam nescio.
Heus! negato rursum: possumne ego hodie ex te exsculpere
Verum? vidistin' fratrem Chæream? Do. Non. PH. Non potest sine
Malo fateri, video: sequere hac: modo ait, modo negat.
Ora me. Do. Obsecro te vero, Phædria. PH. In' intro nunc jam? Do. Oi, ei.
PH. Alio pacto honeste quo modo hinc abeam nescio:
Actum'st siquidem; tu me hic etiam, nebulo, ludificabere?
PY. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me vivere.
Do. Sic est. PY. Inveniam pol hodie, parem ubi referam gratiam.

44. *Mirum, ni tu credas, quod iste dicat*] Utrum an serva, quod servus? an stulta, quod stultus? an femina, quod eunuchus? *Mirum ni tu*] Clare dicit. Quidam pressius putant. D.—Lege ex duobus nostris, et uno Fabricii, *Mirum ni tu credis;* quia noster cum Indicativo semper; ut, *mirum ni domi est: mirum ni dabo, etc.* B.

45. *Heus! tu negato rursum*] *Rursum*, non ad negationem pertinet, sed ad interrogationem: ut sit, rursus interrogatus. *Rursus*, retro, id est, contrario: ac per hoc contrarium superioribus dicito. D.—*Possumne hodie ex te*] (Adde, *exsculpere* Z.) Hoc est, producere et formare: quemadmodum formas reddunt illi, qui exsculpunt gemmas. E.—Lege, *Heús negato rúrsus; possumne hódie ego ex te exscúlpere.* B.

46. *Non potest sine malo fateri, video*] Ampliatio et dilatio quæstionis argumento est, nihil constitisse. Adde, quod pœnam minatur, non tanquam jam incerto, sed falso testi. Deinde ipsum, *fateri*, consideremus quale sit. Non est testis fateri, sed rei. Hic igitur, ut in illum culpam transferat universam, *fateri* dixit, non *indicare:* ut ipse reus, non alieni facti testis esse dicatur. *Non potest sine malo*] Quasi nec hæc fuerit, nec illa confessio, in quibus nulla (*ulla* Z.) veritas sit. D.—In Bemb. et nostris plerisque recte est, *vidistine*, et dictio, *sine*, sequenti versui adscribitur, ut sint trochaici, ut cæteri. B.

47. *Sequere hac*] Quasi ad tormenta. *Modo ait, modo negat*] Testis aut ab adversario convincitur falsitatis; aut a se ipso, si vitiaverit dicta. Ergo, priora quia non potuere convinci, ab inconstantia testis præsidium defensionis inquisitum est. D.—*Modo ait, modo negat*] Priscian. lib. xv. L.

48. *Ora me*] Hoc lentius: ut sit causa non sæviendi. *Obsecro te vero, Phædria*] Bene *vero*. Nam quia ille dixerat, ut simularet preces: hic annixus (*anxius* Z.) *vero* addidit, ostendens serio se rogare, et ex animo; non, ut ille jubebat, dolo. *I intro*] Terribiliter, dummodo eum summoveat. *Intro*] Utrum *intro* domum ad Phædriam? an ad Thaidem? sed non oportet ad Thaidem intelligi, ne celandarum rerum index teneatur. *Oi, ei*] Bene, *oi, ei, σχετλιασμὸν* rusticum posuit, utpote et servi et novitii. Et est deploratio ab eis (forte, *Atticis*, seu, *a miseris*, quia *σχέτλιος* primo miserum significat. W. Forte pro *eis* leg. *lοὶ*, seu, *οἴμοι*, a. *ejulatu* Z.) sic dicta. D.—Faernus probat lectionem Bembini, *in'*, h. e. isne, *intro nunc jam?* Nos vero legimus, *i intro. D. Eoi ei.* Nam, *nunc jam*, ab omnibus cæteris libris abest: et, *eoi ei*, reperitur in cod. Acad. notæ optimæ. B.

49. *Alio pacto honeste*] Contra officium fuit, mentiri docuisse servum, et affuisse mendacio liberalem adolescentulum. Sed vide quemadmodum defendatur, dum se mentiri coactum dicit, dum consulit honestati. Hanc autem causam longæ sermocinationis ad hoc induxit artifex poeta, ut apud omnes jam certum sit, a Chærea vitiatam virginem, ne ullo errore impediantur ulterius nuptiæ, vel finis fabulæ differatur. *Alio pacto honeste*] *Nullo alio*, scilicet, nisi per hanc fallaciam. D.—*Alio pacto honeste*] Quoniam, inquit, constat de injuria, nullo pacto me hinc liberare possum, nisi dum neganti eunucho vehementer irascor. Hæc autem secum loquitur. E.

50. *Actum est siquidem*] Hoc rursus clare. Et sic dicit tanquam adhuc iratus eunucho suo. D.—*Actum est, si tu etiam me hic nebulo ludificabere*] Actum est, inquit, si etiam me tu illudis, *nebulo*, hoc est, fraudator et pessimus. E.

51. *Quam me vivere*] Deest *magis:* ut sit, *magis scio, quam me vivere.* D.—*Hanc technam*] Hanc fraudem. E.

52. *Inveniam hodie pol*] Hæc est *προ-*

Sed nunc quid faciendum censes, Dorias? Do. De istac rogas
Virgine? Py. Ita; utrum taceamne, an prædicem? Do. Tu pol, si sapis,
Quod scis, nescis, neque de eunucho, neque de vitio virginis:
Hac re et te omni turba evolves, et illi gratum feceris.
Id modo dic, abisse Dorum. Py. Ita faciam. Do. Sed videon' Chremem?
Thais jam aderit. Py. Quid ita? Do. Quia, quum inde abeo, jam tum inceperat
Turba inter eos. Py. Aufer aurum hoc: ego scibo ex hoc, quid siet.

ACTUS QUARTI SCENA V.

CHREMES. PYTHIAS.

Atat! data hercle verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi.

ουκονομία ad futurum exitum fabulæ. Nam dum se ulciscitur Pythias, fit indicium patri Chæreæ, et confirmantur nuptiæ. D.

53. Sed nunc quid] Hic secum ancilla deliberat, an indicandum sit dominæ, virginem esse vitiatam. Quod brevi argumento percurritur. Primum sic positum est, *Taceam an vero dicam?* Suadet autem ut taceat, ab utili, *Tu pol si sapis, quod scias nescis, neque de eunucho, neque de vitio virginis.* E.—*Censes, Dorias?*] V. C. *suades, Dorias?* L.—*Censes* reperitur in edd. vett. et uno ex nostris: in cæteris, *suades.* Utrumque probe. B.

54. Utrum taceamne, an prædicem?] Tertium *παρέλκον*: abundat enim aut *utrum*, aut *ne*: aut certe hoc fit, ut sit figura *τμῆσις. Tu pol, si sapis, quod scis nescis*] Non possumus nescire quod scimus. Sed ita, ut, *concordia discors*; et Virgilius, Æn. xi. 695. *sequiturque sequentem. Tu pol, si sapis, quod scis, nescis*] Videamus, cur nolit poeta de vitio virginis continuo scire Thaidem: utrum, ne improviso malo vehementius commoveatur, ac doleat: an, ut ex ejusdem virginis habitu vultuque ista cognoscat? quod est actuosius: an, quod proximum vero est, ut illam et Thais et frater, ignorantes vitiatam, animosius adversus militem defendant, repetitum eam venientem, cum tanto strepitu ac minis? Nam quo ore præterea diceret Thais Chremeti, de sororis pudore sollicito, *educta est ita, uti teque illaque dignum est*, si sciret, eam virginem non esse? D.—Si, *prædicem*, retines, laborat versus, qui trochaicus est; sin cum Vaticano legis, *prædicam*, repugnat sententia. Igitur muta ordinem, *utrum prædicemne an taceam?* Præsertim cum in deliberando consilium melius posterius fere ponatur: ut Heaut. iii. 2. 38. B.

55. Quod scis, nescis] Unde in Heautont. *Nescias quod scis, si sapis.* Et hoc est quod *κακόζηλον* dicitur. *Quod scis, nescis*] Proverbiale est, et multum apud dialecticos tractatum: ut, *Facio, et non facio:* et, *Amicus sum, et non sum:* et, *Audio, et non audio*, et cætera hujusmodi. *De eunucho*] Quid fuerit. *De eunucho*] Quod Chærea sit, non eunuchus. *De vitio virginis*] Quod jam mulier facta sit. D.—*Quod scis, nescis*] V. C. *Quod scias.* Sic in Heautont. iv. 4. 26. *Tu nescis id, quod scis.* Plautus in Milite, ii. 6. 88. *Næ tu hercle, si te Dii ament, linguam comprimes Posthac: etiam illud, quod scies, nesciveris, Ne videris, quod videris.* Jo. Sarisber Epist. 186. *comicum illud fere in omnium volveretur animis, Quod scio, nescio.* L.

56. Hac re te omni turba evolves] Causa quæsita, cur ante jurgium cum milite Thais nesciat vitiatam virginem. *Et illi gratum feceris*] Cui, nisi virgini? cujus crimen, ut supra, silentio texeris, præsertim tacentis injuriam suam, et sic dolentis amissam virginitatem, ut nec confessionem suæ calamitatis subire possit (Daceria recte, *illi*, retulit ad Thaidem. Etenim serva potius heram curare videtur, quam alienam. Z.). D.

57. Id modo dic] *Id* pro *hoc*, subjunctivum pro præpositivo. D.

58. Thais jam aderit] Bene dixit, *aderit*; huic enim aderit Thais. *Quia quum inde abeo*] Aliam causam ex alia supposuit: quasi diceret, *video causam.* D.

59. Tu fer aurum] Ms. R. et V. C. *Tu aufer aurum.* L.

1. *Atat! data hercle verba mihi sunt*]

Ac dum accubabam, quam videbar mihi esse pulchre sobrius! Postquam surrexi, neque pes neque mens satis suum officium facit.

PY. Chremes! CH. Quis est? ehem Pythias: vah! quanto nunc formosior

Videre mihi, quam dudum! PY. Certe tu quidem pol multo hilarior.

CH. Verbum hercle hoc verum est, sine Cerere et Libero friget Venus.

Hic semigravis inducitur vino Chremes priorum memor, titubans in præsentibus, ut fere adpoti solent. *Atat!*] Interjectio est paulatim percepti atque intellecti mali. *Data verba*] Fraus facta. *Data hercle verba*] A milite, an a meretrice, cujus jampridem dolum malum in omni re suspicatus est? an magis a vino, quasi captioso aliquo, data verba sunt? quia bibere dulce est: ebrium fieri, turpissimum; adeo his quæ sequuntur, quasi subtilem fraudem ebrietatis inducit. Plautus de vino, Pseud. v. 1. 6. *Pedes captat primo, luctator dolosus.* Virgil. de uva, Ge. ii. 94. *Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.* D.—*Atat! data*] Hæc scena adolescentis narrationem habet, quod sit illusus. E.

2. *Ac dum accubabam*] Hic verba data sunt. *Quam videbar mihi esse pulchre sobrius!*] Nihil elegantius. Non dixit, videbar mihi tunc esse sobrius: sed, ut hoc ipsum jam erroris esset ac vinolentiæ accumulatio, *videbar*, inquit, *mihi nimium sobrius. Pulchre*] Fortiter ac nimis. D.

3. *Neque pes*] Ad incessum. *Neque mens*] Ad facta ac dicta. *Satis suum officium facit*] Bene: non enim, omnino non facit, nam hoc insani est: sed, non satis facit, quod est ebrietatis. D.—*Neque mens, neque pes*] Impedita omnia sunt vino, ut membra se ad actus suos explicare non possint. *Verbum hercle hoc*] Hoc proverbium in ætate sempiternum. E.—Apud Menandrum in Ἀρρηφόροις, auctore Athenæo, ebrius ita: Ἀνίσταμαι γοῦν τέσσαρας κεφαλὰς ἔχων. W.

4. *Quis est? ehem Pythias*] Γνωμικῶς et satis miro exemplo, mutatam credit, postquam ipse mutatus est. *Quanto nunc formosior videre mihi, quam dudum!*] Hoc multum Academicos juvat, qui aiunt: Prout habiti fuerimus atque affecti, ita nobis aliud atque aliud videri: et ideo nihil certi comprehendi posse. D.—Cod. plerique, *Chreme.* B.

5. *Certe tu quidem pol*] Et *certe* et *pol*, hæc dixit, ut appareret hanc vere loqui, quæ sobria est: illum vero ex vino falli. Et honorifice, atque ut sobria, non dixit temulentior, aut lascivior, sed *alacrior.* D.—*Pol multo hilarior*] Ita omnes libri scripti: Donatus tamen, *alacrior*, legisse videtur. L.—*Certo* habet Bemb. Sed omnes nostri, *certe*: quod rectum est. B.

6. *Verbum hercle hoc*] *Verbum*, proverbium; ut idem in Andria, *verbum illud verum est, vulgo quod dici solet. Sine Cerere et Libero friget Venus*] Hoc si ad sententiam revoces, non conveniet ebrio: si ad petulantiam, quam * sic ante dictum est (*perquam ad rem apte dictum est.* Z.). Nam et improbior factus est. Et quum tropice locutus sit, tamen ordinem naturalem servavit: nam primum cibus, deinde potus, postremo libido Venerea. *Friget* autem, quia omnis ejusmodi voluptas in calore sanguinis constituta est, qui his rebus alitur. Et *friget* proprie, non, adhæret. Translatum enim hoc proverbium a picatione vasorum, quæ frigida, (*frigidam*, uterque lib. Cæterum hanc interpretationem recte Erasmus in Adag. dicit frigidam) picem non tenent: quum alia multa (*multo*, edd. Venett.) meliora sint ad usum frigida, ut ferrum, argentum, aurum, et cætera hujusmodi. Nam sic alibi, *ubi friget, huc evasit.* Et vide tres μετωνυμίας, Cererem, Liberum, Venerem. D.—*Sine Cerere et Libero*] Cicero de Natur. deor. ii. 23. *Fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum; ex quo illud Terentii*, sine Cerere et Libero friget Venus. Minutius in Octavio, xxi. *Comicus sermo est*, Venerem sine Libero et Cerere frigere. Hieron. Epist. ad Furiam: *Etiam comicus, cujus finis est, humanos mores nosse atque describere, dixerit*, Sine Cerere et Libero friget Venus. Theo in Arat. καὶ ὀρθῶς Διόνυσος καὶ Ἀφροδίτη λέγονται μετ' ἀλλήλων εἶναι, etc. Euripid. Οἶνου δὲ μηκέτ' ὄντος, οὐκ ἔστιν Κύπρις. Achæus apud Athenæum, lib. vi. 20. Ἐν τῇ κενῇ γὰρ γαστρὶ τῶν καλῶν ἔρως Οὐκ ἔστι· πειθὼ γὰρ ἡ Κύπρις πικρά. Achilles Tatius Amor. lib. ii. Οἶνος γὰρ ἔρωτος τροφή. Pulchre Apuleius Miles. lib. ii. *Veneris hortator et armiger Liber advenit ultro; vinum illud sorbeamus hodie omne, quod nobis restinguat pudoris ignaviam, et*

Sed Thais multo ante venit? Py. An abiit jam a milite?
Ch. Jamdudum, ætatem: lites sunt inter eos factæ maxumæ.
Py. Nihil dixit, ut sequerere sese? Ch. Nihil, nisi abiens mihi innuit.
Py. Eho nonne id sat erat? Ch. At nesciebam id dicere illam, nisi quia
Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.
Sed eccam ipsam: miror ubi ego huic anteverterim.

alacrem vigorem incutiat: hac enim sitarchia navigium Veneris indiget sola. Vid. Fulgent. Mythol. lib. ii. Serv. Æneid. i. L.—Omnes nostri habent, *est*, ut Andr. ii. 5. 15. *Verum illud verbum est.* Sed optimi libri Faerni, *erit*; quo verbo antiqui etiam præsentia et præterita significabant. Igitur, *erit*, retinendum putamus. B.

7. *Sed Thais multo ante venit?*] Interrogative pronunciandum hoc. Et scias de his interrogationibus hanc ipsam esse, in quibus ita quærimus, ut, qui interrogantur, responsuri nobis se (*quid responsuri nobis sint* Z.) nescire videantur. D.—*An abiit?*] V. C. *anne abiit?* L.—Lege, *Sed Thais multo me antevenit? P. Anne abiit, etc.* Nam, *anne abiit*, codd. plerique. *Abiit* hic est disyllabon. B.

8. *Jamdudum, ætatem*] Quia, *jam dudum*, infinitæ morsæ est; addit *ætatem*, ut ostendat multum abiisse temporis, ut factum est. *Jamdudum, ætatem*] Pro longinquo tempore; Lucilius, *ut multos mensesque diesque: Non tamen ætatem. Ætatem*] Diu, longinquoque tempore ac prolixo, ut est ætas. Nam sic dicimus de die et *dieculam*, aliquantulam moram. D.—Ex omnibus codd. colloca, *lites factæ sunt inter eos m.* B.

9. *Nihil dixit tum, ut sequerere sese?*] *Nihil*, pro non. Virgilius, Æn. v. 751. *Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes. Nihil, nisi abiens mihi innuit*] Apparet quasi iratam discessisse Thaidem a milite, et tamen sic iratam, ut illi ira consilium non ademerit. *Innuit*, inquit, *quum abiret.* D.—*Abiens mihi innuit*] Inter signa, quibus meretrices suis se amatoribus approbare nituntur, oculorum hi nutus, quos *νεύματα δόλια* Cyrillus vocat, maxime observantur. Nævius apud Isidor. Origin. lib. i. c. 25. *Alium tenet, alii adnictat, alibi manus Est occupata.* Id propter non neglexit Plautinus Diabolus, dum amicæ leges præscribit, in Asinaria, iv. 1. 39. *Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat.* Sic amatorium erat, os alicui ad suaviandum formare, Apuleius in Milea. vel in convivio extrema parte potionis communicare: sive, ut ait Sophocles in Ajace, *ὁμιλεῖν βαθεῖαν τέρψιν αὐλίκων*: apud Plaut. et Petr. Arbitr. Unde apud Fortunatianum, *meretrix ex tribus amatoribus alium osculata est, alii residuum poculi dedit, alium coronavit. Contendunt quem magis diligat.* Quod ipsum Photius ex Jamblichi *ἐρωτικοῖς* refert Biblioth. p. 133. *καὶ ἔρις τριῶν ἐραστῶν γίνεται.. * .. ὅτι τῷ μὲν ἡ Μεσσοποταμία τὴν φιάλην, ἐξ ἧς ἔπινεν, ἔδωκε· τῷ δὲ τὸν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐξ ἀνθέων ἀφελομένη στέφανον περιέθηκε· τὸν δὲ ἐφίλησε.* De coronis similiter cavit adolescens in Asinaria, iv. 1. 58. *Tum si coronas, serta, unguenta jusserit Ancillam ferre suam Veneri aut Cupidini, Tuus servus servet, Venerine eas det, an viro.* Hæc ergo sub Veneris signo militantium velut *παρασυνθήματα* Chremes, ut simplex ac rusticus, minime se intellexisse fatetur, ideo a Strationico *στρατιωτικῶς* etiam tractatur. L.—Lege, *Nil dixit, tu ut sequerere sese?* Nam, *tu*, et in Bemb. duobus aliis vett. reperitur, et suam hic habet emphasin. Vulgo legitur, *tum*. B.

10. *Eho nonne id sat erat?*] Adeo simplex hic inducitur adolescens, ut a Pythia reprehendi possit. Nam quid opus fuit dicere, si innuit? (*nil nisi innuit* Z.). *At nesciebam id dicere illam*] *Dicere* pro velle, vel significare. Sic alibi, *quasi tu dicas id factum consilio meo* (Sic *φημὶ* Græcis dicitur. Z.). *Nisi quia correxit miles, quod intellexi minus*] Hoc videtur facetius et sapientius, quam dici ab ebrio, rustico, et adolescente debuisset. Hoc vitium tunc fit, quum poetæ ingenium suum in personas conferunt. D.

11. *Quod intellexi minus*] Verisimile, hunc tantum extrusum fuisse, non etiam vapulasse; quia miles Thaidi magis, quam huic irascitur. D.

12. *Miror, ubi ego huic anteverterim*] Id est, hanc præcesserim. *Ubi*, in qua parte viæ. D.—*Ubi anteverterim*] Ubi ergo jam (lege, *ego eam*) antecesserim. E.—*Sed eccam ipsam*] Ms. R. *Sed eccam ipsam video. Ubi ego huic*] V. C. *Ubi ego hinc.* L.

ACTUS QUARTI SCENA VI.

THAIS. CHREMES. PYTHIAS.

CREDO equidem illum jam adfuturum esse, ut illam a me eripiat: sine veniat!
Atqui si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur.
Usque adeo ego illius ferre possum ineptias, et magnifica verba,
Verba dum sint: verum enim si ad rem conferentur, vapulabit.
CH. Thais, ego jam dudum hic adsum. TH. O mi Chremes, te ipsum exspectabam.
Scin' tu, turbam hanc propter te esse factam? et adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? CH. Ad me? qui? quasi istuc. TH. Quia, dum tibi sororem studeo

1. *Credo equidem illum jam adfuturum esse, ut illam a me eripiat*] Vides ut ex ipsis appareat verbis, quam concita (*concitata*, edd. vett.) et recens a litigio veniat Thais. Itaque nec nominat militem, nec virginem: sed pronomine utrumque significat, quasi in medio constituta negotio. *Adfuturum esse*] Id est, adventurum: ut Æn. x. 143. *Affuit et Mnestheus. Sine ut veniat*] Quasi dicat, sine * (Forte leg. *sine, nil est.* Aut, *sine, rideo minas illius.* Aut, ut Wieling. conjicit, *minis terreor nullis*) nullis; et comminantis est: ut, *sine modo.* D.—*Credo equidem*] Hæc scena repetit puellæ accusationem, quod noluerit meretrix pacta servare. Verum anteponitur adolescens, qui adversus militem possit obsistere, ne conturbata (forte, *conturbatus* Z.), cum suam puellam duxerit (corrige, *repetierit*, sc. miles: vide Nostrum Sc. seq. 1. Z.) cedat, sed hanc audacter suam sororem esse dicat. E.—Dele, *esse*, cum vett. edd. Nam ita, *illam*, in Arsi habebis; alioquin in Thesi. B.

2. *Atque si illam digito adtigerit uno*] Moris comminantium est, ad exiguum revocare commissa, quæ se ulturos prædicent. *Oculi illico effodientur*] Et feminæ minæ sunt, et in libidinosos quam maxime: nam hunc suspicatur amatorem esse virginis. Sic et alibi, *Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico.* In oculos autem maxime sævire feminas, et tragœdiæ fere omnes, et comœdiæ protestantur. D.—Lege, *'Atqui s. i. d. a. oculi illi illico effodientur.* Nam, *uno*, non est opus, et, *illi*, absorptum erat a vicinis litteris, et postea ad versum sustentandum *uno* addiderunt. B.

3. *Usque adeo ego illius ferre possum ineptias, et magnifica verba*] Non dixit, Usque adeo illum possum amare: sed, quam insuavis jam diu sit, ostendit, dicendo, *ferre possum.* Et cito ostendit, quæ sit amicitia militis. *Ineptias*, inquit, et *magnifica verba.* D.—Ejice illud *ego*; quod versui obest, et a Donato abest in edd. vett. B.

4. *Verba dum sint*] Hoc est, quæ vim non admisceant rerum. *Verum enim si ad rem conferentur, vapulabit*] Si discesserit a verbis, et rem experiri cœperit, vapulabit. Et bona locutio: ut si dicas, Verba ad rem contulit, hoc est, agere, quod dicebat, aggressus est. D.—Illud, *enim*, quod versum gravat, recte abest a Donati Msto et in edd. vett. B.

5. *Te ipsum exspectabam*] Ms. R. *Te ipsum expecto.* L.—In omnibus nostris codd. est, *exspecto*; pro quo legendum puto, *expeto.* Nam alibi sæpe illa duo verba a librariis sunt permutata. Dein Thais, quæ ante et post in Tetrametris plenis debacchatur, in hoc versu, viso Chremete, ubi defervet paulum ira, Catalectico utitur. Denique sensus ipse postulat, *expeto.* Quomodo enim *exspectat*, qui ipse quæritat? Et quomodo Thais Chremen hic exspectabat, quem apud Thrasonem ipsa discedens reliquerat? B.

6. *Turbam hanc*] Turbationem. E.

7. *Ad me? qui? quasi istuc*] Et rusticus, et timidus, et pudens commotus est meretriculæ dicto. D.—Pro, *qui? quasi istuc*, cod. Reg. Chartaceus, de optimo quodam transcriptus, et a manu secunda Academicus recte habet, *qui quæso istuc?* B.

Reddere et restituere, hæc atque hujusmodi sum multa passa.
CH. Ubi ea est? TH. Domi apud me. CH. Hem! quid est?
TH. Educta ita, uti teque illaque dignum'st. CH. Quid ais?
TH. Id quod res est:
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quicquam abs te pretii.
CH. Et habetur, et refertur, Thais, a me, ita uti merita es, gratia.
TH. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme.
Nam hæc ea'st, quam miles a me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis.

8. *Hæc atque hujusmodi sum multa passa*] Mulier facunda meretrix, hæc imputat (*inculcat repetendo* Z.) adolescenti quæ vidit, et alia quibus (addunt, *non*, codd. vett.) interfuit. *Reddere et restituere*] Proprie *redditur* cupientibus, ut domino servus: *restituitur* cupiens, ut patriæ civis: *redditur* et *restituitur*, cupiens cupientibus, ut parenti filius. Ergo in hac utrumque est, et reddi et restitui. D.—*Hæc atque hujusmodi*] Commendat hic munus, cum maximas se injurias passam dicit. E.

9. *Hem!*] Extimuit adolescens, cum sororem suam in domo meretricis esse audivit: cui rei statim occurrit Thais. D. —Ut hic sit Trochaicus, qui succedat Tetrametris plenis, ut semper, pronuncia sic: *'Ubi ea'st? Dómi apud me. Hém. Quid est?* B.

10. *Educta*] Subauditur *est*. *Uti teque illaque dignum est*] Bene purgavit, quod ex fastu meretricio exspectabatur (ope codd. vett. restituo, *quod ex astu meretricio spectatur*): non inquit, ut me dignum est, apud me est. *Quid ais?*] Recte: quia mirum, apud meretricem liberaliter educatam. D.—*Quid ais?*] Vehementer miratus adolescens, quod (*quum* Z.) apud meretricem educta sit soror, quemadmodum dictum, *ita uti teque illaque dignum est*. E.

11. *Hanc tibi dono do*] Melius dixit (Westerh. inseruit *quam*; male Z.), *dono*: ut donum placidius videatur et præstantius. *Neque repeto pro illa abs te quicquam pretii*] Ex eo quod potuit jure facere, beneficium demonstravit, oratorie dicens serio non (*rem se* Z.) esse facturam. D.

12. *Et habetur et refertur a me, Thais*] Qui habet apud se gratiam, nondum retulit. *Retulit*, qui destitit habere. Multum ergo hic dixit, et *habetur gratia* et *refertur*. Quem sensum transtulit Sallustius in bellum Jugurthinum, cap. 110. *Arma, pecuniam, sume, utere: et quoad vixeris, nunquam redditam tibi gratiam putaris* (*imputaris* edd. Ven.) *semper apud me integra erit*. D.—Faernus recte ex Bemb. et aliis libris vett. et sensu vult legi, *referetur*. Nam *referre gratiam* in præsentia non poterat, sed pollicetur se relaturum. B.

13. *Ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme*] Hoc in comœdia licet more vulgi dicere. Cæterum non potest amitti, quod nondum acceptum sit. An quia jam dudum sumtum sit? (Verba *An —sit*, Guido Juvenalis omisit, forte, quod aliunde assuta viderentur). D.

14. *Nam hæc ea est, quam miles a me vi nunc ereptum venit*] Non ad deterrendum, sed ad præparandum animum adolescentis hæc dicit, quem audacem putat, aliter ac res ipsa est. Nam mox Thais mutabit orationem, et dicet, *Quicum res tibi est, peregrinus est: Minus potens quam tu, minus notus, amicorum hic habens minus*. D.

15. *Cum monumentis*] *Monumenta* sunt, quæ Græci dicunt γνωρίσματα καὶ σπάργανα (utraque Veneta, λείψανα σπάργανα). D.—*Abi tu, cistellam*] Soliti fuerant semper, quos exponebant, aliquid dare monumentorum pueris, ut ex his monumentis fieret postero tempore cognitio. Hæc igitur monumenta petit, uti de cistella deferantur: quo facilius Chremes inter locutus (*instructus* conjicit West. Sed melius, *intrepidus*, s. *interlocuturus* Z.) sit, quod militem venire videat; illa (*ancilla*) intercedit, tamen, interrogans ubi cistella. E.—*Cum monumentis*] Infantes antiquitus, cum alienæ misericordiæ exponebantur, moris erat ἐπισήμοις quibusdam donis muneratos, relinquere: quæ Græci γνωρίσματα, Latini crepundia vel monumenta vocant. Plaut. Rudent. iv. 4. Velut Apul. in Apol. *crepundia sacrorum* dixit, quæ ibidem *monumenta, signa*, et *memoracula sacrorum* vocat. Idcirco vero dabantur, ut essent signa, quibus meliori tempore agnoscerentur; quod nemini ignotum esse potest, qui antiquorum fabulas legit, et Heliodorum, Longum, Parthenium, Phleg. Trallianum, Neronis Troica apud Servium, Æneid. v. Sic Faustulus, ut monumentum aliquod exhiberet agnitionis Remi et Romuli, τὸ γνώρισμα τῆς

CH. Viden' tu illum, Thais? PY. Ubi sita'st? TH. In risco: odiosa cessas?

CH. Militem secum ad te quantas copias adducere!

Atat! TH. Num formidolosus, obsecro, es, mi homo? CH. Apagesis,

Ego formidolosus? nemo'st hominum, qui vivat, minus.

TH. Atque ita opus's't. CH. Hau! metuo, qualem tu me esse hominem existumes.

TH. Imo hoc cogitato: quicum res tibi est, peregrinus est;

Minus potens quam tu, minus notus, minus amicorum hic habens.

CH. Scio istuc. Sed tu quod cavere possis, stultum admittere'st.

Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci, accepta injuria.

ἐκθέσεως τῶν βρεφῶν τὴν σκάφην ἀναλαβὼν ἐδίωκεν εἰς τὴν πόλιν. Dionys. Halicar. lib. i. p. 69. At vero non sic tantum cum munusculis, immo etiam inusti in cute notis saepissime abjiciebantur, agnitionis indicium praebituris; velut de Œdipo legimus apud Mythologos, et Trogi Justinum, lib. lxiv. 4. de Habisd. *Tunc et lineamentorum similitudine, et notis corporis, quæ inustæ parvulo fuerant, nepos agnitus.* Quod ideo monendum puto, quia ab omnibus, qui hac de re scripserunt, id neglectum video. Cæterum quibuscum pueri ludunt, crepundia, Græcis σπάργανα sunt: ut etiam in Actis Concilii Chalcedon. *καὶ ἡ μὲν νηπιότης τοῦ βρέφους διὰ τὴν τῶν σπαργάνων εὐτέλειαν ἐπιγινώσκεται*; eaque perinde ac nunc quoque, e collo pueris pendere solebant. Plaut. Milite, v. 6. *faciam quasi puero e collo pendeant crepundia.* Adhelmus de Virginitate: *crepundia collo gemmiferis lunulis pendentia.* L.

16. *Viden' tu illum, Thais?*] Longe videre, timoris est indicium. *Ubi sita est?*] Trepidantes personas immiscuit. *In risco*] Cista pelle contecta: nomen Phrygium. D.—*In risco*] *Riscum* cistellæ genus de vimine factum, et tectum corio, intelligimus. E.—*In risco*] Glossar. *Λάρναξ, arca, riscus.* Glossæ Lat. *scrinium, riscus.* L.

17. *Quantas copias*] Proprie dixit *copias*: nam sic dicuntur legiones in unum collectæ. Convenit tamen rudi et rustico adolescenti, sex homines *copias* dicere: Militem scilicet, Parasitum, Donacem, Syriscum, Simalionem, Sangam. D.

18. *Num formidolosus obsecro es, mi homo?*] *Formidolosus*, et terribilis, et timidus intelligitur. *Apagesis*] Plautus in Trinummo, *Apage amor*, ii. 1. 25. D.—*Apagesis*] Hoc est, timidus ego? discede, non sum. E.

19. *Egon'* omnes Faerni codd. et nostri, uno excepto. B.

20. *Atque ita opus est*] Ut minus formidolosus sis. *Metuo, qualem tu me esse hominem existumes*] Videtur ebrius factus hic Chremes jam etiam displicere nolle mulieri. Nam idcirco fatetur, se timere malam opinionem Thaidis de se. Et, *metuo, qualem tu me existimes*, nove dixit, pro, *metuo ne ignara sis.* D.—Omnes nostri, *hau*, vel, *au.* Sed Faerni fere omnes, *ah.* Recte. B.

21. *Peregrinus est, minus potens quam tu*] Quam * post quam tamen ipsa non eloquitur, quid efficiatur: ex eo quod ait, *peregrinus est, minus potens quam tu:* bene sic dixit) locum ita ordino; *Post* QUAM TU *ipsa non eloquitur, quid efficiatur ex eo quod ait:* PEREGRINUS EST; MINUS POTENS QUAM TU. *Tamen bene sic dixit):* quia tardum fuit dicere, *ille impotens, tu potens*, et cætera. D.

23. *Sed tu, quod cavere possis, etc.*] Ostendere vult Terentius, plures sententias ad timiditatem congruere, quam ad audaciam. Nam et mox dicturus est, *omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.* Quia ex providentia timor, ex audacia temeritas provenit. *Admittere est*] Fieri sinere. Et melius dixit, quam *pati:* hoc generale est. Nam nunc *admittere*, pati fieri significat. D.—*Tu quod cavere possis*] Menander apud Stobæum: Ἐνίοτε μοι φαίνεται δηλουμένη, Τὸ ποεῖν μὲν ὅσα δεῖ, μὴ φυλάττεσθαι δ' ἃ δεῖ. Augustin. de vita beata: *verissima est illa sententia: Nam tu quod vitare possis, stultum admittere est.* L.—Σωφρονέστερον δ' οἶμαι τοῦ μετὰ τὸ παθεῖν ἐγκαλεῖν τὸ πρὶν παθεῖν φυλάξασθαι τὸ μὴ παθεῖν. Menander apud Stob. W. Plato, νήπιον παθόντα γνῶναι. Z.

24. *Malo ego nos prospicere*] Providere

Tu abi, atque obsera ostium intus, dum ego hinc transcurro ad forum.
Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. TH. Mane.
CH. Melius est. TH. Mane. CH. Omitte, jam adero. TH. Nihil opus est istis, Chreme:
Hoc modo dic, sororem illam tuam esse, et te parvam virginem
Amisisse; nunc cognosse: signa ostende. PY. Adsunt. TH. Cape.
Si vim faciet, in jus ducito hominem: intellextin'? CH. Probe.
TH. Fac animo hæc ut præsenti dicas. CH. Faciam. TH. Attolle pallium.
Perii! huic ipsi est opus patrono, quem defensorem paro.

ne fiat: id est, prospicere et cavere ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Accepta injuria*] Hic causa ostenditur, cur illud malit. D.

25. *Ostium obsera intus*] Pavidi consilium nihil aliud continet post (*quam* Z.) claustra et fugam. Nam *sera* est claustrum januæ. *Transcurro ad forum*] *Transcurro* dixit, non, *curro*: ut proximitatem fori ostenderet. D.—*Obsera ostium*] *Serare* est claudere. Ita compositum *obserare*; contrarium est vero, *reserare*, quod est aperire. E.—*Transcurro ad forum*] In foro nimirum causidici obambulabant, exspectantes cui advocationem linguæque venale servitium venderent. De hisce forensibus Cerberis Ammian. Marcell. lib. xxx. *Videre est per eos omnes tractus violenta et capacissima genera hominum, per fora omnia volitantium, etc.* Justinian. Const. de novo cod. fac. et alibi passim. Atque inde etiam ἀγοραῖοι vocantur, licet Œcumenius παρὰ τὸ ἀγορεύειν, ὃ ἐστι, δημηγορεῖν, eos dictos velit. In Act. Apostolor. cap. κθ. p. 87. L.

26. *Volo ego*] Quasi minus timeat: *cupio* non inquit, sed *volo*. *In turba hac*] Vide timidum *turbam* appellare, quam mulier non timet. D.—*Nobis in turba hac*] Ms. R. *advocatos nobis*. *T. Mane, mane*. L.

27. *Melius est*] Fugæ (*Fugiendi*, libb. vett.) occasionem hic cupit dari. *Mane*] Hoc, gestu jam adjuvatur. *Omitte, jam adero*] Ex hujus (forte, *hisce*) verbis appareret, etiam manu comprehensum esse adolescentem. *Omitte, jam istic adero*] Quia causam probari non videt, celeritatem redeundi pollicetur. *Nihil opus est istis*] *Istis*, utrum advocatis, an istis omnibus quæ dixisti? (Dubium non est, quin sit sermo de advocatis). Virgilius, *aut quid petis istis?* Æn. ix. 94. D.

28. *Hoc dic modo, sororem illam tuam esse*] Ordine est exsecutus: primo utrum personam habeat, *dic sororem*, inquit, *illam tuam esse*. Utrum negotium habeat, *et te parvam virginem amisisse*. Cur hodie agat, *nunc cognosse*. Et unde probet, *signa ostende*. Hæc omnia sic pronuncianda sunt, ut et justa et factu facilia demonstrentur. D.—Nostri collocant, *sororem esse illam tuam*. Recte. Nam, *illâm tuam esse*, male acuit ultimam. B.

30. *Si vim faciet, in jus ducito hominem*] Et recte: quia violento civiliter resisti solet. D.—*In jus ducito*] Ad forum in judicium. E.

31. *Fac animo hæc ut præsenti dicas*] Hæc non dicerentur a Thaide, nisi in illius vultu pavor nimius appareret. *Faciam*] Adjuvandum pronunciatione: *Faciam* enim, timide dictum est. *Attolle pallium*] His verbis Chremetis (*Chremes*, legunt edd. Ven. Sed lege, *Thais*. Nam pro TH. librarii legerunt CH. Hactenus *West*. Sed forte Donatus scr. *Chremes*; et verba, *attolle pallium*, tribuit ipsi Chremeti Z.) demonstravit, nimium liberaliter (forte *illiberaliter*) pavidi adolescentuli animum. *Attolle pallium*] Vel quia simplex est, vel quia ebrius, pallium trahit Chremes (vel quia ante detractum erat a Thaide retinente, vel ut ad fugam aut pugnam esset expeditior, si verba sunt Chremetis. Z.) D.—*Attolle pallium*] Quoniam comœdia Athenienses personas habet, idcirco *pallium* dixit. Sunt enim comœdiæ quæ *togatæ* dicuntur, quæ personas Romanas habent. E.—Lege cum edd. vett. *Fac animo hæc præsenti ut dicas*. B.

32. *Perii! huic ipsi est opus patrono, etc.*] Hæc meretricis querela, rudem adolescentulum magis et honeste natum, quam culpandum esse demonstrat. D.—*Ipsi est opus patrono*] Hic, inquit, qui mihi defensor paratur, ita timet, ut ei potius patronus adhibendus sit. E.

ACTUS QUARTI SCENA VII.

THRASO. GNATHO. SANGA. CHREMES. THAIS.

HANCINE ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?

Mori me satius est. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.

Primum ædeis expugnabo. GN. Recte. THR. Virginem eripiam. GN. Probe.

THR. Male mulctabo ipsam. GN. Pulchre. THR. In medium huc agmen cum vecti, Donax:

1. *Hancine ego contumeliam*] Hic rursus inepti vanitas militis demonstratur, ad amicam tanquam ad hostilem exercitum pergentis irritato animo, concitato cursu, inclinata (*undanti*, edd. Ven. Ma. Boend. et ed. Du B. Recte. Nam ita notatur militis corpus succussantis, et ridicule fastuosi, et truculenti ingressus. De ejusmodi quoque milite Plaut. Epid. iii. 3. 54. *Sed hic quis est, quem huc advenientem conspicor, Suam qui* undantem chlamydem *quassando facit?*) chlamyde, trepidi et quatientis caput. Et hæc verba pro hortatu imperatoris accipienda sunt: quandoquidem omnia de exercitu transferuntur. *Contumeliam* vero proprie, et ut miles (Contumeliam. *Proprie, non ut miles, sed ut nequam.* Edd. Venett. Ma. B. et ed. Du B. Recte). Sallustius, *Ne qua contumelia, etc. Contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?*] Apparet Gnathonem et dehortatorem esse certaminis, et ad pocula militem provocare: maxime cum videat persuasisse ista consilia, ut hoc certamen moveretur. *Tam insignem*] *Insignem*, ut miles dixit, quia *insignia* armorum sunt. D.—*Hancine ego*] Repetiturus, ut diximus, puellam, advenit miles extemplo; sic enim supra etiam Thais ipsa dixerat: *velle se illam mihi dare, verum id vereri, ne ubi acceperim, sese relinquam.* Et alio loco; *fidem habeat, se iri præpositum tibi apud me.* Nullo vero cum de Chærea (*Phædria* Z.) pactum sit ut præponatur ille, et hodie introduxerit Chremetem, quem miles suspicatur amatorem, dicit contra pactum esse hoc factum; unde istum credit repetiturum esse, quod dono dedit. Et vide militis gloriosi stultitiam, quasi aciem et prælium ante disponit; et eo (*ei* Z.) consensum commodat parasitus, quem Colacem in hac comœdia intelleximus. E.—Particula, *ut*, inprimis cum adjuncta particula, *ne*, servit interrogantibus ad indignationem exprimendam; ut, And. i. 5. 28. *Eine ego ut advorser?* h. e. plane indignum est ei adversari. Horat. Sat. ii. 5. 18. *Ut ne tegam Spurco Damæ latus?* Homerus ad hanc rem significandam, fere utitur illo νεμεσσητόν. Cf. Drakenb. ad Liv. iv. 2. Z.

2. *Mori me satius est*] Ridicula præsumtio: tanquam adversus meretricem jurgia nunquam Thraso sumere ausus esset, nisi morte proposita. Ergo velut mortis contemtu opus est ad tale prælium. *Mori me satius est*] Tanquam aliter miles adversus mulierem audere non posset, vel quia nihil (Lege ἀπὸ κοινοῦ, MORI ME SATIUS EST. *Vel quia miles*), vel quia amator. *Mori me satius est*] Quasi ille sibi dicat vel molestum esse certamen, vel amicam non esse lædendam. *Simalio*] Et (*Et* abest ab edd. Ven.) hoc concitate pronunciandum est. *Sequimini*] Hujusmodi militia per tumultum repente suscipitur, et dicitur *Evocatio:* ubi dux alloquitur cives, *Qui rem publicam salvam vultis, me sequimini.* Unde Virgilius sic ait, Æn. vii. 693. *—desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat.* Æn. vii. 614. *Ipse vocat pugnas; sequitur tum cætera pubes.* D.—*Simalio, Donax*] Ms. R. et vett. libb. *Dorax:* ut et in scriptis exemplaribus Priscian. lib. vii. p. 766. L.—Bentleius edidit, *satiu'st.* Z. Menander apud Stobæum simile quid dicit: Ἄπλοῦν γὰρ ἦν, τὸν μὴ δυνάμενον ζῆν ἀλύπως, ἀποθανεῖν. W.

3. *Primum ædes expugnabo*] Debet hic esse vociferatio vana ad hoc, et verbum militis cum quodam motu ingenti, et per immanes minas, sine ulla vi rerum. Vanaque comminatio est, velle ædes expugnare, cum foris sit meretrix (Locum ope codd. ita restituo: *Debet hic esse vociferatio vana, ad hoc, ut verbo miles cum quodam metu ingenti, et per immanes minas, sine ulla vi rerum, vanaque commination velle videatur ædes expugnare, cum foris sit meretrix*). D. —*Recte, probe, pulchre*] Vid. Jo. Sarisberiens. Polycrat. lib. vi. cap. 30. L.

4. *Male mulctabo ipsam*] Vide ordinem belli. Primo expugnatio mœnium; tum

5 Tu, Simalio, in sinistrum cornu: tu, Syrisce, in dexterum.
Cedo alios: ubi centurio'st Sanga, et manipulus furum? SA.
Eccum adest.
THR. Quid, ignave, peniculon' pugnare, qui istuc huc portes, cogitas?
SA. Egone? imperatoris virtutem noveram, et vim militum,

recuperatio captarum rerum; demum pœna prædonum. *Pulchre*] Postquam non obtinuit quod volebat Gnatho, assentatur ad omnia. Vide autem manifestam irrisionem ex ipso genere laudandi. Nam quid est in *ædium expugnatione* recti? quid in *virginis ereptione* probitatis? quid in *male mulctanda muliere* pulchritudinis? Sed hoc est, quod ait supra de se ipso parasitus, *quicquid dicunt, laudo*. *In medium huc agmen cum vecti, Donax*] Mire compositа ad contemtum nomina legionariorum sunt. Nam *Donax* ab arundine, veluti sit inanis et fragilis, nomen sortitus est (Pollux iv. 9. Καὶ Δόναξ δέ τινα ὑπολόριον οἱ κωμικοὶ ὠνόμαζον, ὡς πάλαι ἀντὶ κεράτων ὑποτιθέμενον ταῖς λύραις). *In medium huc*] Ridicule satis. Armaturas leves non putat adversus Thaidem idoneas: et ideo agmen (Donacem) cum vecti vult venire in medium (adde, *agmen*). An ideo cum vecti, quia ad expugnationem venitur ædium? D.—*In medium huc agmen cum vecte: manipulus furum*] *Manipuli* dicuntur in legione, certi et collecti milites; quemadmodum turma est, ita et manipulus. Et hic miles manipulum se habere dicit furum. E.—Recte a Bentleio est editum, *mulcabo*. Nam *mulctare*, quod sæpe a librariis pro *mulcare* positum esse ostendit Taubmann. ad Plaut. Most. iv. 2. 23. et Burmann. ad Phæd. i. 3. 9. de pœna primum pecuniaria, deinde alia adhibetur; sed *mulcare* est verberare, nimis mulcere, acerbe commitigare, ut Omphale Herculem commitigavit Sandalio, aut, ut graculus superbus *male mulcatus* est a pavonibus. Phæd. l. l. Z.

5. *Simalio*] A simio, vel a simia derivatum est, ob fœditatem oris vel nasi. *Syrisce*] Jam diminutivum est a Syro. *Tu, Simalio, in sinistrum cornu: tu, Syrisce, in dexterum*] Hic agmen instruitur. Facetum autem est, cum a rebus magnis res ridiculæ derivantur. D.

6. *Cedo alios*] Non *reliquos* dixit, sed *alios*, quasi multi sint. *Sanga*] Nec sangarius, saltem ut nomen esset? *Manipulus furum?*] *Manipulus* proprie est militis. Cum Romani et Latini sub uno centurione bellum aggressuri deputabantur, sibi sertum vel coronam ex manipulo herbæ vel hujusmodi conficiebant, quem pro signo sequebantur. Merito ergo centurionem videns, *manipulum* desideravit: hoc est, coquum videns, convivas desiderat: qui apparaverat, quotiens locus affuit, id est, convivium est constitutum (Ms. B. *vel quotiens convivium est institutum*. Aut leg. *quotiens et locus dictus, et tempus convivio constitutum affuit*). Alii *manipulum furum*, coci discipulos dici putant. *Eccum adest*] Pro se ac pro discipulis Sanga. D.

7. *Quid? ignave*] Apparet, coquum ad repentinum strepitum sic exisse, ut ad artem suam fuerat expeditus. D.—*Quid, ignave, peniculon'?*] Intelligimus Sangam coquum cum peniculo egressum, ac propterea militem interrogare cum (*cur*) peniculum portet. Sed quoniam et familiæ, et domini mores novit, perite respondit: *Egone? imperatoris virtutem noveram et vim militum*. E.—*Peniculone pugnare*] Glossar. *Peniculum* σπογγεῖον, σπογγάριον: quo quidem ad vulnera sive abstergenda, sive obliganda uti solere, ex medicorum libris satis notum. Apuleius Meles. i. *Quod vulnus, qua maxime patebat, spongia affulciens*. Auson. Idyll. ix. *impingas spongiam*. Et apud Plautum Menech. i. 1. 1. parasitus *peniculum* se vocari dicit, *quod mensam, quando edit, detergeat*. Arrian. Epict. lib. vii. cap. 26. ἅρον τὰς τραπέζας, σπόγγισον. Ulpian. lib. xii. §. 22. ff. de instr. et instrum. *pertice, quibus araneæ detergantur: item spongiæ, quibus columnæ, pavimenta, podia exterguntur*. Hic ergo primus usus spongiarum. Dein, certa quadam arte coactis, καρδιοφύλακος loco illis utebantur. Aristophanes Ranis: οἵσε μοὶ πρὸς τὴν καρδίαν σπογγιάν. Ridicularia sunt quæ sequuntur, et nimia ut hic perscribantur. Quæ vero ex Livio, Tertulliano, Aristæneto, aliis addi possent, jam pro compertis habentur. L.—Omnes codd. nostri, *istunc huc*, præter Petrensem, ubi recte, *istum huc*. Festus enim, *peniculi, spongiæ longæ propter similitudinem caudarum appellatæ*. B.

8. *Egone?*] Hæc causa est. *Imperatoris virtutem noveram, et vim militum*] Hoc plus habebit salis, si sic intellectum fuerit, ut Sanga uno eodemque tempore et quærat quid dicat, simulque respondeat, *hoc noveram, sine sanguine fieri non posse*, scilicet: ἀπροσδοκήτως. Quid igitur, si hoc sciebat? D.

Sine sanguine hoc fieri non posse, qui abstergerem vulnera.
THR. Ubi alii? SA. Qui, malum, alii? solus Sannio servat domum.
THR. Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo.
GN. Illuc est sapere! ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.
THR. Idem hoc jam Pyrrhus factitavit. CH. Viden' tu, Thais, quam hic rem agit?
Nimirum consilium illud rectum'st de occludendis ædibus.
THA. Sane, quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est:

9. *Qui abstergerem vulnera?*] Quasi hoc fuerit auxilii genus. Quid hoc est? unde vulnera? quorum vulnera? utrum utriusque partis? An, quod magis ridiculum est, suorum? D.—*Abstergerem vulnera*] Priscian. lib. ix. L.—Nostri omnes cum edd. vett. et Prisciano, longe numerosius, *Sine sanguine hoc non posse fieri.* In Bemb. et Victor. est, *volnera.* Cæterum octonarius stat producta penultima in *abstergerem.* B.

10. *Qui, malum*] *Malum*, per παρένθεσιν suaviter infertur. Plautus in Epidico, *Quæ, malum, hæc imprudentia est?* Et non interponitur *malum*, nisi oculis conversis ad eum, qui id, quod reprehendimus, dixerit. *Malum* nunc interjectio est. *Solus Sannio servat domum*] Hæc figura παρόμοιον dicitur. *Solus Sannio servat domum*] Ut, Æn. iii. 183. *Sola mihi tales casus Cassandra canebat. Servat domum*] Pro remanet ut observet. Nam *servat domum*, rectum erat: non, *servat domi*, si *custodit* intelligeretur. Vel *servat*, pro sedet: ab eo quod sequitur, id quod præcedit. Nam non servat, nisi qui prius in eo loco sederit. D.—*Solus Sannio servat domi*] Aut absolute dictum *servat domi:* aut, *servat ea, quæ domi sunt.* E.—*Solus Sannio servat*] Ammian. Marcell. lib. xiv. *Ne Sannione quidem, ut ait comicus, domi relicto.* L.—Bentl. edidit, *domi.* Recte. Nam sic *servare*, h. e. observare diligenter, et custodire, occurrit Plaut. Most. ii. 2. 21. *natus nemo in ædibus servat;* et alibi. Z.

11. *Post principia*] Magnifice ad risum commovendum: nam dicere debuit, *post vos.* Et hunc locum sibi optimum elegit, ut timidus. *Post principia*] Militare dictum est. Et ambigunt multi, an in extremo agmine sit hic locus, an in medio. *Inde omnibus signum dabo*] Tanquam non omnibus dari possit, si aliunde detur. D.—*Ego post principia*] *Principia* dicuntur acies et frons prima exercitus. Ita *post principia*, est postrema aciei pars. Denique intelligens parasitus, prudentem appellat militem, quod sibi in periculoso loco caverit. E.—Dele, *hic*, cum cod. Petrensi: quod frustra versum onerat et impedit. B.

12. *Ipsus sibi cavit loco*] An *loco* simpliciter, quia post principia? an *loco*, in loco, opportune et εὐκαίρως? Terentius in Adelphis, *Pecuniam in loco negligere, interdum maximum est lucrum.* An pro *de loco?* D.

13. *Idem hoc jam Pyrrhus factitavit*] Irridet quidem poeta: veruntamen ostendit officium imperatoris hoc esse, ne se in periculum projiciat. Sic Sallustius, *et in præliis actu promtus.* Et hoc totum, quasi in Palliata: sed concessum poetis fuit. Pyrrhus autem peritissimus stratagematon fuit: primusque, quemadmodum ea disciplina per calculos in tabula traderetur, ostendit. D.—Verba, *Idem hoc jam P. f.* plerique libri tribuunt Gnathoni; quod non est opus. B. Temere Daceria vult legi, *factitat.* Nam etiamsi Menander, cujus temporibus vixit Pyrrhus, usus sit fortassis tempore præsenti: Terentius tamen et potuit, et debuit præterito uti tempore. Z.

14. *Nimirum consilium illud rectum est*] Illud *rectum est*, et nova locutio, et superiori similis, *Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum* (excidit, NIMIRUM RECTUM EST Z.): pro, sine dubio rectum est. D.

15. *Sane, quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est: ne metuas*] Figurata locutio, et præterea ὑπέρβατον intermixtum. Nam hic ordo est, *Sane hic nebulo est, ne metuas.* An hic erit ordo et sensus, ut sit dictum, *Ne metuas: sane qui tibi vir videtur esse, hic nebulo magnus est.* Et recte: nam obterretur adolescens et ætate militis, quod jam vir est; et magnitudine, quod magnus corpore: quæ utraque in illo vana esse, meretrix, ut experta, denunciat. *Nebulo* autem, vel inanis, vel vanus, aut mollis, ut est nebula, dicitur (Forte excidit, SANE, ad quod sequens pertineat Scholion. Z.). Et hoc εἰρωνικῶς

Ne metuas. THR. Quid videtur? GN. Fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes: facerent fugam.
THR. Sed eccam Thaidem ipsam video. GN. Quam mox irruimus? THR. Mane:
Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.
Qui scis, an quæ jubeam, sine vi faciat? GN. Di vestram fidem,

dictum est. Meretrix, frustra metuentem corripiens Chremetem, *Sane*, inquit, *quod tibi nunc vir videatur esse*; et deest, *non est*; ut sit, non est quod tibi nunc vir videatur esse: hic nebulo magnus est. Sic et alibi, *Si in platea hac te offendero post unquam, nihil quod dicas mihi, Alium quærebam: iter hac habui: peristi.* Ut sit, Non est, quod dicas mihi. D.—*Quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus*] Glossarii auctor hunc locum in mente habuit: qui sic interpretatur: *Μάταιος, inanis, cassus, vanus, nebulo.* Terentius Eunucho: *Sane quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est.* L.—Ut perspicuitati et linguæ legibus consulatur, leg. cum edd. vett. et Donato Msto, et sex nostris codd. *Sane, qui t. n. v. videtur, etc.* B.

16. *Quid videtur?*] Non diceret miles, si staret in sententia: sed jam videtur timore mutatus. *Quid videtur?*] Dubitandi (edd. vett. *Dubitandum.* Ms. H. *Dubitantis.* Malim, *Dubitant, a quo dictum sit*) est quod dictum sit, *Quid videtur?* Ego sane hoc militem puto dicere, quem paulatim a violentis atque acribus principiis ad terrorem desidiamque perducit timor. Nam primo ipse præcedit, utpote qui dicat, *sequimini.* Dum denique propius deventum est, *post principia* refert pedem. Post jam nihil ipse audet, sed quærit consilium parasiti. Denique, ubi cominus res gerenda est, dixit *mane*, et continet irruentes. Ad postremum diffisus, nescit quid agat: ad parasitum spectans, *quid agimus?* inquit. *Fundam tibi nunc*] Mire parasitus hoc ait: vel quia militem nolle videt, vel quia (*non* inseruit Westerh. Forte leg. *vel quia militem nolle impugnare videt, vel quia eum audet ab impugnando avocare* Z.) audet impugnare, consilium formidolosum et aptum metuenti dedit, subtiliter tamen: nam *funda* pugnant, qui cominus non possunt: et *ex occulto*, qui non audent palam. Sed honesta causa, non, quia timeas, inquit, sed *ut fugiant*: tanquam nisi hostes fugerint, non sit tutum accedere. *Fundam tibi*] Non dixit hastam, aut lanceam: sed sagittam, *fundam*, quæ nimirum longe jactatur (*Sed satis mire*, fundam, *qua nimirum lapis longe jactatur* Z.); ut ex hoc intervallo pavorem ostenderet non audentis accedere. Et mire *tibi*: tanquam ipse parasitus nec hoc audeat. Sunt autem qui putent hæc a Thaide ad Chremetem dici; sed male. Non enim conveniunt ista meretricis dictis superioribus: nisi quia movet me, quod *ex occulto* dicit: quasi constet ei jamdudum videri militem, et ipsum non vidisse, cum qua pugnaturus sit. D.

17. *Ut tu illos*] Meretricem scilicet cum suis; ut alibi, *Nos prius introducant* (Lege, *Hos prius introducam.* Eun. iii. 2. 39.). *Ut cæderes*] Pro, cædendo cogeres ut facerent fugam. *Facerent fugam*] Deest rursus *ut*, sic, *ut facerent fugam*, vel ἀορίστως illatum est. *Facerent fugam*] Desiderat conjunctionem *enim*: ut sit, *facerent enim fugam.* D.

18. *Sed eccam Thaidem ipsam*] *Eccam* et *ipsam*, figura ἔμφασις: quasi *eccam* principem belli: et *ipsam*, contra quam pugnaturus est. *Quam mox irruimus*] Hoc parasitus irridens militem dixit. Et *irruere* proprie dicuntur, qui cum furore prælium ineunt. D.

19. *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet*] Animadverte quantam vim habeant ad delectandum in comœdiis severæ sententiæ, cum a ridiculis personis proferuntur: quale est apud Plautum, Mil. i. 1. 68. ubi miles suam formam admirans, ait, *Nimia est miseria nimis pulchrum esse hominem. Quam armis*] Ἀνακόλουθον: pro, *quam arma.* Aut ἔλλειψις est, si subaudiamus *agere.* Et mire non dixit *me*, sed *sapientem*; quod magis ridiculum est. D.—*Omnia prius*] V. C. *Omnia prorsus.* Simile vero dictum Dionysii in Eclog. Legat. ii. p. 295. μὴ πρότερον ἄρξαι τῶν ἔργων, πρὶν ἢ πειρασθῆναι τῶν λόγων. Menelaus apud Libanium Sophist. p. 196. πρῶτον μὲν γὰρ τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιτηδᾶν ἀνθρωπινώτερον δήπουθεν. L.—Ut versui et sensui consulatur, pro *armis*, repone, *arma.* Certe cod. Acad. egregius 900 annorum habet, *armas sapientem.* B.

20. *An quæ jubeam*] Et mire non *velim*, sed *jubeam* dixit. *Jubeam* pro *velim*: ut, *Jubeo Chremetem. Di vestram fidem*] Bona

Quanti est sapere! nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.
THR. Thais, primum hoc mihi responde: quum tibi do istam virginem,
Dixtin' hos mihi dies soli dare te? THA. Quid tum postea?
THR. Rogitas? quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum;
THA. Quid cum illo agas? THR. Et cum eo clam te subduxti mihi?
THA. Lubuit. THR. Pamphilam ergo huc redde, nisi vi mavis eripi.
CH. Tibi illam reddat? aut tu illam tangas? omnium! GN. Ah, quid ais? tace.

ἀναλόγια: qui leviora laudaverat, hic exclamare jam debet. Et hoc est quod supra ait, *id rursum si negant, laudo id quoque.* Nam negat rursum male (*militi* Z.) pugnandum esse, qui superius retineri non poterat, quin in prælium vel moriturus irrueret. D.

21. *Di vestram fidem, quanti est sapere! nunquam accedo quin abs te abeam doctior*] Mire egit personam admirantis, per trinam ἀποστροφήν. Ad deos, ut, *Dii vestram fidem:* ad seipsum, *quanti est sapere:* ad militem, *nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.* Et ridicule parasitus, *nunquam accedo ad te,* dixit, qui nunquam recedit. *Quin abs te abeam doctior*] Nimis impudens assentatio, se fieri doctiorem ex militis sapientia. D.—*Nunquam accedo, quin abs te abeam doctior*] Symm. lib. ix. ep. 79. *Quod ait noster comicus,* Nunquam te adeo, quin abs te doctior abeam, *id ego de epistolis tuis jure memoraverim, quæ multis salibus, nonnunquam sententiarum, plerumque versuum farciuntur.* L.

22. *Thais, primum hoc mihi responde*] Omissa contentione repetendæ virginis. Non enim jam puellam, sed pactum exigit, ut amator. *Quum tibi do*] Pro, *quum tibi darem.* D.—*Thais, primum mihi*] Hic propositio est pactorum: unde arguit, quod sibi non sint pacta servata. Deinde proponit, quemadmodum servata non sint: *quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum; quid cum illo agas.* Scit amatorem suum non esse, et ideo omnia militi permittit, ut nullum (*tumultum*) faciat, quem credit amatorem. E.—*Thais, primum hoc mihi*] Vid. Jo. Sarisber. Polycr. lib. viii. cap. 3. L.

23. *Quid tum postea?*] Aut, *dixi,* respondendum erat: aut, *non dixi.* Sed vide contumaciam meretricis, in contemtionem personæ militis, interrogantem interrogare maluit, quam per inductionem capi: vid. Donat. ad ii. 2. 42. D.—Versus gratia lego, *Dixtin' hosce mihi dies, etc.* ut, *dies,* sicut passim, sit monosyllabon. B.

24. *Rogitas?*] Contentionis genus interrogativæ. *Quæ mihi ante oculos coram*] Utrum (*Idem utrumque* Z.) significat inepti militis dictum? An, *ante oculos,* minus est quam *coram? Ante oculos coram*] Potest *ante oculos,* et longe tamen (*de longo tempore* Z.) intelligi: *coram* proximitatem significat. D.

25. *Quid cum illo agas?*] Omnino meretrix non putat illum idoneum, cui reddenda sit ratio, cuique se purget: adeo apud (*nunc* Z.) illam amicitiæ ejus pertæsum est. Nam errant qui dicunt, eam se velle militi reconciliari. *Et cum eo clam subduxti te mihi?*] Invidiose, *Et cum eo:* nam ut supra legimus, exclusit Chremem. *Subduxti te mihi?*] Furtim subtraxisti mihi. Virgil. Æn. vi. 524.—*et fidum capiti subduxerat ensem.* D.—Trochaicus postulat lectionem vett. codd. *illoc.* Cæterum totus versus ipsi quoque tribui debet Thrasoni. B.

26. *Lubuit*] Superbum est, et meretricium verbum. Sic de Chelidone Cicero, Verr. i. 52. ait, *Libenter ait se facturam. Huc redde*] Idioma est, pro contumelia (*per contumeliam*) reposcentis; sic et in Hecyra, *renumeret dotem huc: eat. Nisi vi mavis eripi*] Utrum *nisi* pro non et si: ut sit, *si tibi illam mavis eripi.* D.—*Pamphilam ergo huc*] Quoniam meretrix dixit *libuit,* ideo Pamphilam nunc repetit. E.—Meliores codd. habent, *nisi si vi mavis:* quorum alterutrum cum sit inutile, ejicio, *vi,* quod in Thesi locum non habere potest. Ut taceam, in ipso *eripi,* præsentibus militibus, *vim* satis intelligi. B.

27. *Tibi illam reddat?*] Se primum interponit Chremes, ut adolescentulus potuit jam fracto milite. *Aut tu illam tangas? omnium!*] Ait utrumque Chremes.

THR. Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? CH. Tuam autem, furcifer?

GN. Cave sis: nescis cui nunc maledicas viro. CH. Non tu hinc abis?

Scin' tu, ut tibi res se habeat? si quicquam hodie hic turbæ cœperis,

Faciam ut hujus loci, dieique, meique semper memineris.

GN. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.

CH. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. GN. Ain' vero, canis?

Siccine agis? THR. Quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?

CH. Scibis: principio eam esse dico liberam. THR. Hem! CH. Civem Atticam. THR. Hui!

Nam quia dixit, *nisi si tibi mavis eripi, sit, tu illam tangas?* et addidit *omnium*. Et est ἀποσιώπησις secunda. Sic autem loqui solent plus gestu, quam verbis conciti. *Tibi eam reddat? aut tu eam tangas, omnium?*] Magna vis in pronominibus et significatio est; ut *Cantando tu illum?* Virg. Ecl. iii. 25. D.—*Tu illam tangas?*] Tandem excitatus Chremes intercedit, et furentis more verba non exprimit, quippe cum intercedat parasitus, jam intelligens futurum jurgium, quod dicit, *Ha! quid ais? tace.* E.—Lege, *aut tu eam tangas?* et pro *ais*, repone, *agis*. Nam omnes nostri, præter unum, habent *eam*, quod versus probat. Deinde, *agis*, firmatur plerisque nostris libris. B.

28. *Quid tu tibi vis?*] Recte; cum Thaide enim loquebatur, non cum hoc. *Ego non tangam meam?*] Bene addidit *meam*. Hinc enim probatur injuste dictum, *Tu illam tangas? Tuam autem? furcifer!*] Incongrue, ut imperitus adolescens, liberum servilibus conviciis exagitat. D.—Verba, *Quid tu tibi vis?* male codd. assignant Chremeti. B.

29. *Cave sis: nescis cui maledicas nunc viro*] Animadverte, parasitum neque tacere omnino, ne defuisse patrono videatur; neque in aliena causa rixam in se transferre. *Cave sis*] Quia imperativa sunt contumeliosa, addebant veteres, *sis*: quod significat *si vis*. D.—Bentl. edidit, *Nescis cui maledicas nunc viro*. Z.

30. *Non tu hinc abis? scin' tu, ut tibi res se habeat?*] Hoc parasito, illud militi Chremes. *Scin' tu*] Non parasito, sed militi dicit. D.—*Scin tu, ut tibi res?*] Vis, inquit, scire, quemadmodum res istæ sint? Si aliquid hodie hic turbaveris aut litis feceris, perficiam ut verberibus diei loci-que hujus, et mei semper memineris. E.

31. *Faciam ut hujus loci, dieique, meique semper memineris*] Moris est magnas esse minas hominum meticulosorum. Specta ergo quam acriter timidus comminetur. *Hujus loci, dieique, meique*] *Loci*, in quo læsus. *Diei*, quo cæsus. *Mei*, a quo cæsus. D.

32. *Miseret tui me*] Hic parasitus nunc quasi monitor Chremeti respondet. *Qui hunc tantum hominem inimicum facias tibi*] Ne nunc quidem parasitus a militis assentatione discedit. D.—*Miseret tui me*] Parasitus quantum potest, refregit audaciam Chremetis, et miserere se dicit, quod talem inimicum militem faciat, cum (*cui* Z.) repugnare non possit. E.

33. *Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis*] Rusticius dixit, *caput tuum diminuam*, quam si diceret, *diminuam tibi caput. Ain' vero, canis?*] Hoc verbo impudentibus inimicis convicium fieri solet. Nam militare dictum est in hostem, *canis*: et apud Homerum, Il. α'. 159. pro gravi contumelia in adversarium dicitur, velut in illo loco, τὴ μὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ σοίτε, κυνώπα. D.

34. *Quis tu homo es? quid tibi vis?*] Ἐπιτροχασμὸς (περιλοιδασμὸς, edd. Venett.) figura est, ubi multa terribiliter interrogantur: ut, Æn. ix. 376. *State, viri; quæ causa viæ? quive estis in armis? Quove tenetis iter?* D.—*Siccine agis?*] Ms. R. *Sic agis?* L.

35. *Scibis*] Non obsequenter, sed figurate dicitur ab irato. *Scibis*] Et *scies*, et *scibis* dicitur post productionem (*pro productione*, edd. Venett.) tertiæ conjugationis. *Principio eam esse dico liberam*] Quo tollitur, *tuam videri*. *Principio*] In tria divisit officium defensionis suæ: in assertoris, *principio eam esse dico liberam*: in

CH. Meam sororem. THR. Os durum! CH. Miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam, et signa ostendam hæc. THR. Tun' me prohibeas,
Meam ne tangam? CH. Prohibeo, inquam. GN. Audin' tu? hic furti se alligat.
Satis hoc tibi est. THR. Idem hoc tu ais, Thais? THA. Quære qui respondeat.
THR. Quid nunc agimus? GN. Quin redeamus: jam hæc tibi aderit supplicans

cognitoris, *civem Atticam*: in fratris, *meam sororem*. Et bonus est ordo, *libera, civis, nobilis. Civem Atticam*] Quo etiam negotium potest ei fieri, qui se pro domino gessit in civem. *Hui!*] *Hui, hem*, et cætera hujusmodi generis, sannæ sunt adversus eos, quibus irascimur. D.—*Eam dico esse liberam*] Hic jam respondetur militi repetenti puellam, et primum opponitur *libertas*, deinde quod *civis* est, tertio quod nobilissimi adolescentis *soror*: postremo edicitur militi, *ne vim faciat* in Thaidem. E.

36. *Meam sororem*] Quo constat, præsto esse defensionem puellæ. *Os durum*] Quasi ex omnibus hoc sit impudentius, quod et sororem suam dicat. *Os durum*] Os impudens: ut contra, *mollis frontis* dicuntur, qui sunt reverentes. *Nunc adeo edico tibi*] Ut superbe, quasi militi. Nam *edictum*, Prætoris dicitur et Imperatoris. *Miles, nunc adeo tibi*] *Miles*, contumeliose dixit. De iis enim est officiis, quæ suo nomine contumeliosa censentur; sicut in Adelphis, *delibera hoc, dum ego redeo, leno*.—D.—*Os durum*, Daceria intelligit de osse, ut sit exclamatio vehementer dolentis, quæ gravitate superet priores, *hem* et *hui*. At usus loquendi repugnat; nec usquam aliter, nisi de impudentia, occurrit. Sic apud Ciceronem *ore durissimo* dicitur esse, qui plane impudens reperitur. Et Ovid. Metam. v. 451. *duri puer oris et audax*. Z.

37. *Ne vim facias ullam in illam*] Servavit præcepta meretricis: adeo ut meminerit, *si vim faciet, in jus ducito hominem. Ego eo ad Sophronam*] Hoc lentius a Thaide Chremeti (Melius in Ms. B. et edd. Venett. *ad Thaidem Chremes*). D.

39. *Prohibeo, inquam*] Non satis exercitate adolescens totidem verbis dictum repetit militis. *Audin' tu? hic furti te alligat*] Gnatho occasionem finiendi litigii jamdudum quærit, ob desiderium mensæ et cibi: et ideo quasi de jure consilium suggerit, hunc reum militis esse posse, qui paratus est alienam rem suam dicere, et id in jure profiteri, hoc est, apud Prætorem. Ergo *furti te alligat*, i. e. reum te efficit fraudis. Nam *μεταληπτικῶς furtum* pro omni fraude et dolo accipimus et injuria. *Alligat*] Astringit, illaqueat, et obnoxium facit. Omne igitur quod fraude fit, furtum est. Sic Virgilius, Æn. xi. 515. *Furta paro belli*, id est, insidias; et, Georg. iv. 346. *dulcia furta*, id est, adulteria. Omne malum factum, Æn. vi. 568. *Quæ quis apud superos, furto lætatus inani, Distulit in seram commissa piacula mortem. Furtum* duobus modis dicitur: uno, cum omne maleficium generaliter significatur: altero, cum res surrepta demonstratur. Nunc ergo *furtum*, maleficium est. D.—*Audin' tu? hic furti se alligat*] Dum hoc proponitur, furti tibi crimen intenditur. E.—Omnes Faerni libri antiqui, et tres ex nostris vett. habent in futuro, *prohibebo*: cæteri *prohibeo*. Utrumvis probe. B.

40. *Satis hoc est tibi?*] Ad repetendam scilicet virginem, sumendamque injuriæ vindictam. *Idem hoc tu ais*] Id est, hoc quod Chremes, et tanquam Chremes. Et ipsam circumventurus interrogat, quod illa intelligens malitiose ait, *Quære qui respondeat*; satis contumeliose: illud enim quæritur, quod difficile reperitur. Ergo non modo indignus es, inquit, cui ego respondeam; sed vix invenies, qui te dignum responso judicet. *Quære qui respondeat*] Et contemsit interrogantem: et indixit inimicitias professione iracundiæ, cum dixit indignum militem. D.—Per interrogationem, et deleto *hoc*, ut trochaicus constet, legendum puto, *Satis tibi est?* Sed Faernus probat Donati lectionem et rationem. B.

41. *Quid nunc agimus?*] Vide ut evanuerit actio militis. Primo dixit, *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet*: post, *Idem hoc tu ais, Thais?* et postremo, *Quid nunc agimus?* Et, *Quid nunc agimus?* consilium quærentis est. *Quid nunc agimus?*] Languidi atque defessi est. *Quid nunc agimus?*] Ubi est illud quod ait,

Ultro. THR. Credin'? GN. Imo certe: novi ingenium mulierum:
Nolunt, ubi velis; ubi nolis, cupiunt ultro. THR. Bene putas.
GN. Jam dimitto exercitum? THR. Ubi vis. GN. Sanga, ut fortis decet
Milites, domi focique fac vicissim ut memineris.
SA. Jamdudum animus est in patinis. GN. Frugi es. THR. Vos me hac sequimini.

ACTUS QUINTI SCENA PRIMA.

THAIS. PYTHIAS.

PERGIN', scelesta, mecum perplexe loqui?

Primum ædes expugnabo, et cætera? Sed vani impetus hunc exitum semper accipiunt. *Quin redeamus*] *Quin*, modo imo. Non, abeamus inquit, sed *redeamus:* ut irritos conatus uno verbo ostenderet. D. —Pro *redeamus*, leg. *redimus*. Nam sic legitur in cod. Acad. a manu prima. Et, *quin*, si sententiam inchoat; semper apud nostrum, Indicativo jungitur, ut, *quin taces? quin accipis? quin abeo?* B.

42. *Credin'?*] Ex parte consentit, qui sic interrogat. *Credin'?*] *Credere*, dubitantis est: *certum esse*, fidentis. D.

43. *Ubi nolis, cupiunt ultro*] Plus intulit spei, non revocando verbum quod exspectabatur, hoc est, *volunt;* sed *cupiunt*. Ergo variavit: non enim intulit, *volunt ultro*. *Bene putas*] Hoc est, recte putas, sapis, vel intelligis. Virgilius, Æn. vi. 332. *Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam*. Vel conjicis. Vel *putas*, disputas. Vel *putas*, cogitas. D.—*Nolunt, ubi velis*] Acro ad Horat. lib. ii. Od. 12. L.

44. *Jam dimitto exercitum?*] *Dimitti exercitus* dicitur, vel pace facta, vel vexatis hostibus. Ridicula ergo magnificentia verborum est, cum sint facta deformia. D.—*Ut fortes decet milites*] Quoniam pro labore satis (forte, *pro tempore laboris satis* Z.) exactum est, vicissim id agit, ut procuret milites. E.

45. *Sanga, uti fortes decet milites, domi focique fac vicissim ut memineris*] Ut mire in coquum, qui focum curat in domo (*domi*, edd. Venett.) quia milites hi (*vix*) fortiter pugnant, qui sunt memores domorum. Vide ergo quam utrumque comicum. Ad ineundum prælium resque bellicas Donax primus est: ad res domesticas Sanga, qui coquus (In utroque libro est: *Dorax enim primus est ad res domesticas. Sanga vero coquus, qui vicissim domi focique ministerium satagebat*). *Domi focique*] *Domi* et *foci*, genitivi sunt. Cæcilius, *Decora domi*. Plautus, Trin. iv. 1. 22. *Quanquam domi cupio, opperiar tamen*. D.—*Foci et domi*] Ad cibos scilicet præparandos. E.—*Domi focique*] Priscian. lib. vi. L.—Non male ait Daceria, verbum, *memineris*, esse ipsum militare, quo dux hortatus sit ad fortiter pugnandum. Ut apud Homerum, *μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς*. Z.

46. *Jamdudum animus est in patinis*] Hic aperuit causam poeta, cur et invitus Gnatho iret ad litem, et libens domum redeat. *Frugi es*] Utilis et necessarius: a frugibus, quæ quod his fruamur, dictæ sunt. Inde *fructus* et *frumentum*. *Frui* autem est vesci, a frumine, quæ est summa pars gulæ: a qua re, etiam his, quæ nec cibo nec poculo sunt, *frui* dicimur, *καταχρηστικῶς*: utpote rebus venereis, et delectatione odoris, visus, auditus, et cæteris. D.—*Animus est in patinis*] Alexis apud Athen. Dipnos. lib. i. *ὁ νοῦς γάρ ἐστι τῆς τραπέζης πλησίον*. L.—Omnes nostri, præter tres, Sangæ tribuunt verba, *Vos me h. s.* Male, opinor: nam et Thraso exit, et par est, eum præcedere. B.

1. *Pergin'; scelesta, mecum perplexe loqui?*] Nunc demum virgo vitiata esse cognoscitur a Thaide, oportune; postquam magnopere et defensa est, et retenta. Nam statim consequentur nuptiæ ejus et Chæreæ, qui illam vitiavit. *Perplexe loqui?*] Ideo *perplexe*, quia statuerat crimen virginis celare. D.—*Pergin'*] Et hæc conjecturali modo accusat; quippe conqueritur, an virgo vitiata sit: denique argumenta colligit: *Virgo conscissa veste lacrumans obticet*. Satis plenum est. Nam si injuria fuerat, facile loqueretur: nunc vero tacet, quæ est pudoris amissio. E.—*Perplexe loqui*] Glossar.

Scio; nescio; abiit; audivi; ego non affui.
Non tu istuc mihi dictura aperte es, quicquid est?
Virgo conscissa veste lacrumans obticet;
Eunuchus abiit: quamobrem? quid factum'st? taces?
Py. Quid tibi ego dicam misera? illum eunuchum negant
Fuisse. Th. Quis fuit igitur? Py. Iste Chærea.
Th. Qui Chærea? Py. Iste ephebus frater Phædriæ.
Th. Quid ais, venefica? Py. Atqui certo comperi.
Th. Quid is obsecro ad nos? quamobrem adductus est? Py. Nescio;
Nisi amasse credo Pamphilam. Th. Hem! misera occidi;
Infelix, si quidem tu istæc vera prædicas.
Num id lacrumat virgo? Py. Id opinor. Th. Quid ais, sacrilega?
Istucine interminata sum hinc abiens tibi?
Py. Quid facerem? ita ut tu justi, soli credita'st.

Perplexe στομαλως, περιπλεγμένως, σκολιως. Plautus Sticho. i. 2. 18. *Utrum ego perplexim lacessam oratione.* Et in Asinaria, iv. 1. 47. *Perplexabile verbum;* it. Pers. iv. 6. 26. *Cortortiplicata oratio;* Glossar. *Tortiloquium, συνεστραμμένη ὁμιλία.* L.

2. *Scio; nescio; abiit; audivi*] Mire ex dictis omnibus pauca decerpit; et ostendit quid perplexe dixerit: et stomachum sævientis expressit. *Scio*] Flere puellam. *Nescio*] Vitiatam. *Abiit*] Eunuchus. *Audivi*] Domi hoc admissum. *Ego non affui*] Cum hæc flerent. Acriter iratorum est, ea repetere, quæ proxime dixerint, quibus irascuntur; ut, Æn. vii. 452. *En ego victa situ, verique effœta senectus.* D.

3. *Non tu istuc, etc.*] *Non*, est hic interrogatio. D.

4. *Virgo conscissa veste lacrumans obticet*] Hæc omnia rixam esse (*fuisse*, vel, *rixatam esse*, vel *vitiatam esse*) significant. *Virgo obticet*] *Tacemus* consilia: ut, Æn. ii. 94. *Nec tacui demens. Reticemus* dolores: ut, *ne verere, ne retice. Obticemus* quorum nos pudet: ut in Phormione, *Heu quidnam obtices?* D.

5. *Eunuchus abiit*] Non *Chærea*, sed *eunuchus:* non *fugit*, sed *abiit* dixit. *Quamobrem? quid factum est? taces?*] Hæc ἀσύνδετα instantis dominæ vultum habitumque demonstrant. D.

7. *Quis fuit igitur?*] Hæc cunctative (*minative;* ex codd. vett.) pronuncianda sunt: aut quia invita indicat, aut dubitat de nomine ignoti: aut trepidat per timorem: aut, ut non videatur affuisse, cum fuerit actum: aut quia non libenter dicat ejus nomen, cui irascitur. Sed ego agnosco ancillarum consuetudinem, quæ obliviosæ sunt. D.

8. *Iste ephebus*] *Ephebus* nomen ad ætatem retulit, non ad facinus commissum. *Ephebus*] Cito ostendit, cur iste eunuchus creditur. D.

9. *Quid ais, venefica?*] Redit rursum ad iracundiam; aptum convicium et comicum in ancillas, *venefica, lupa, vipera*, et *sacrilega*, et cætera (An *excetra?* Certe Plautus hoc convicio utitur Pseud. i. 2. 82.). D.

10. *Quid is obsecro ad nos?*] Non rogantis est *obsecro*, sed dolentis. D.—Corrige, *Quid is obsecro ad me, aut quamobrem adductu'st? etc.* Nam, *me*, postulatur a sensu, quia Thais ædium domina est sola. Tum, *aut*, reperitur in omnibus nostris codd. præter unum, ubi, ut in Bembino, abest. Denique versus causa, *adductu'st*, uti habet ipse Bemb. B.

11. *Nisi amasse credo Pamphilam*] Deest *quod:* ut sit, *nisi quod.* D.

13. *Num id lacrumat virgo?*] Ut supra, *Id vero serio triumphat:* pro, ob id. *Id opinor*] Callide Pythias *opinor* dixit, cum sciat. *Quid ais, sacrilega?*] Αἴξησις. Nam primo *scelesta*, deinde *venefica*, postremo *sacrilega.* D.—*Quid ais, sacrilega? istucine?*] Quasi intendat crimen, quod neque custodierit virginem. At illa præcepto se paruisse respondet: *Quid facerem? ita uti justi, soli credita'st.* E.

14. *Istucine interminata sum*] Satis moraliter, *Istucine interminata sum:* pro, *Num istuc tibi comminata sum? Istucine interminata sum, hinc abiens tibi?*] Apparet hæc post scenam esse mandata. Nam supra non meminit (cur non? vide iii. 2. 52.): sed dixerat tantum, *Hos prius introducam; et quæ volo simul imperabo: postea continuo exeo.* D.

15. *Ita ut tu justi, soli credita est*] Dix-

TH. Scelesta, lupo ovem commisisti: dispudet,
Sic mihi data esse verba: quid illic hominis est?
PY. Hera mea, tace; tace obsecro, salvæ sumus:
Habemus hominem ipsum. TH. Ubi is est? PY. Hem ad sinistram,
Videsne? TH. Video. PY. Comprehendi jube, quantum potest.
TH. Quid illo faciemus, stulta? PY. Quid facias, rogas?
Vide amabo, si non, quum aspicias, os impudens:
Videtur: non est? tum quæ ejus confidentia'st!

erat enim prius Chærea, *Edicit ne vir quisquam ad eam adeat, et mihi, ne abscedam, imperat. Justi*] Συγγνωτὴ καὶ μεταπλασμὸς, pro *jussisti*. D.—*Ut tu justi*] Mss. R. *jussisti*. L.

16. *Scelesta, ovem lupo commisisti*] Bene dilatum tot occasionibus proverbium, personæ Thaidis ascriptum est; continet enim femineam reverentiam et meretricium sensum, reditque rursus ad minora convicia: quia videt se esse convictam. Et est proverbium, *Ovem lupo commisisti*. D.—*Ovem lupo commisisti*] Prædam, inquit, prædatori dedisti. *Dispudet*] Valde ego hic et vehementer erubesco. E.—*Scelesta*] Isidorus Different. p. 771. *Lupo ovem*] Herodot. lib. iv. τοσγαροῦν ἴφη αὐτὸν καταλείψειν ὃν ἐν λύκοισι. Plaut. Pseudolo, i. 2. 8. *Mavelis lupos apud oves linquere, quam hos domi custodes*. L.—Omnes quidem libri, Nonius, et Acron ad Horat. Carm. i. 3. habent *commisisti*. Sed ut versus sit salvus, leg. *commisi*. Nimirum Thais commisit jubendo, ut Pythias parendo. Hinc sequitur *mihi*, non, *tibi*. Atque se *scelestam* ipsa dicit, ut Heaut. v. 2. 17. Syrus: *Scelestus quantas turbas concivi insciens*. Deinde colloca, *ovem lupo*; ut sit utrumque in Arsi, et in pronunciatione fiat mora. B.

17. *Sic mihi data esse verba*] Videtur plura fuisse dictura, nisi supervenisset Chærea. *Quid hominis illic est?*] Per genitivum casum injuriose dicitur: per nominativum, honorifice. *Quid hominis illic est?*] Non continuo agnoscit hunc hominem meretrix. Quia etsi adhuc eunuchi veste indutus est, attamen exuit spadonis incessum: vultum, habitumque mutavit: et præter vestem, totus in Chæream rediit. D.—*Sic mihi data esse verba*] Sic me esse deceptam. *Quid illic hominis est?*] Hic intelligitur, reverti Chæream, adhuc eunuchi veste indutum, sicuti post cognoscitur, et ideo miraculum fit: *Hera mea, tace obsecro, salvæ sumus*. E.—Recte Faernus pro *illic* probat *illuc* ob fidem cod. Bemb. et Victor. B.

18. *Hera mea tace; tace obsecro*] Blande ac puellariter arridet. *Tace*] Non silentium indicentis est, sed securam facientis: ut, *Tace, egomet conveniam ipsum*. D.

19. *Habemus hominem*] Mire *hominem* dixit, ut reum. D.—Versus gratia leg. *sinisteram*. B.

20. *Jube comprehendi*] Pro *comprehende*. *Jubere* enim *velle* significat. *Quantum potest*] Deest (*Hoc est* Z.) *cito*. D.—Cum omnibus fere nostris lego, *Viden'?* B.

21. *Quid illo faciemus, stulta?*] Subauditur *comprehenso*. *Quid facias, rogas?*] Moraliter expressit puellæ (forte, *poeta* Z.) stupentis verba, et non habentis quid respondeat ad ea, quæ dicta sunt. D.—*Illo*, præter Donat. et Bemb. habet unus veterrimus, et Priscianus, p. 1101. Cæteri, *illi*; nescio an rectius. Nam scen. seq. 10. occurrit, *faciet mihi*. B.

22. *Vide amabo! si non, quum aspicias, os impudens videtur*] Mire ab eo quod respondere cœperat, ad aliud transit, mirata confidentiam Chæream. Non est impudens, inquit; non est, nisi similis impudenti. Sic alibi, *Severitas inest in vultu, atque in verbis fides*. D.—*Vide amabo! si non, cum aspicias, os impudens*] *Amabo* dixit, quod semper inter poetas nulla significatione est. Sensus autem talis: vide impudentiam, vide aspectum, quemadmodum incedit. *Os* ergo *impudens* videtur, *cum aspicias* venire. Et quasi aliquid meretrix dixerit, ita subjungit, *Non est?* quasi, negas esse, quod dico? Et, hoc ut confirmet, adjungit, *Cur igitur tanta confidentia fretus incedit?* E.

23. Faerni libri omnia tribuunt Pythiæ, sed plurimi nostri verba, *non est*, Thaidi. Hanc rationem sequendam puto, sed deleto, *est*, ut intelligatur, *videtur*. Nam supra Thais *honestum* dixerat. B.

ACTUS QUINTI SCENA II.

CHÆREA. THAIS. PYTHIAS.

Apud Antiphonem uterque, mater et pater,
Quasi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire possem, quin viderent me: interim
Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam
Venit: ubi vidi, egomet in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam desertum: inde item
In aliud, inde in aliud: ita miserrimus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
Sed estne hæc Thais, quam video? ipsa'st: hæreo,
Quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
Th. Adeamus: bone vir Dore, salve; dic mihi,

1. *Apud Antiphonem uterque*] Rediens in viciniam suam, causam reddit Chærea, cur non mutaverit vestem. Oportuit autem, et de necessitate argumenti fuit, Chæream non mutasse vestem; ut cum meretrix virginem a Chærea vitiatam audiret, et eum cum turpi habitu incedentem intueretur, eum reum vitiatæ virginis putaret. *Apud Antiphonem* dixit, pro in domo ejus. *Uterque, mater et pater*] Non, uterque pater, et utraque mater, sed *uterque parens:* quia (*qui est* Z.) pater et mater. D.—*Apud Antiphonem*] Hæc scena injuriarum actionem tenet; reum facit Chæream meretrix injuriæ; at ille se veniali statu purgat dicens, se, quod fecerit, amore fecisse. At primo quidem loquitur, cur non mutata veste nunc venerit. E.

2. *Quasi dedita opera domi erant*] Non tam mirum, si domi erant: sed illud magis mirum, quod in ea domus parte, qua in ædes introeundum erat adolescentulo. D.

3. *Ut nullo modo introire possem*] Superius causa continetur, cur non mutaverit vestem: inferius autem, cur huc redierit. *Quin viderent me*] *Quin* modo, pro quo minus. D.

4. *Dum ante ostium sto*] Antiphonis scilicet. *Notus mihi quidam obviam venit*] An notus, qui me posset agnoscere? an qui me noverit, id est, amicus? D.

5. *Quantum queo*] Deest (*Id est* Z.) *velociter.* D.—Omnes libri vett. vitiose, *egomet*, pro, *ego me.* Nec magis probanda est Lolgii lectio Plautina, *egomed.* Nam hiatus hic est nullus. B.

6. *In angiportum*] Vide illum non vitasse sub una clausula bis *in* dicere, *in pedes, in angiportum. Angiportum* dicebant vicum non pervium, viam publicam (*Angiportus ergo est via publica*, edd. Ven. cum Ms. H. Sed forte, *Angiportum dicebant vicum pervium, vel viam non publicam*). *In angiportum quoddam desertum*] Deest, fugiens. D.—*In angiportum quoddam*] *Angiportum* dicimus et angustum et tortuosum * (In neutro Msto lacuna. Forte exciderunt verba; *quasi anguiportum*). Nam anguis modo flectitur. E.

7. *Ita miserrimus fui fugitando*] Id est, fatigatus, lassus, et languidus sum, dum fugio. Et honesta locutio est: ut, *miser amando, miser currendo.* D.

8. *Ne quis me cognosceret*] Nota improprie dictum, pro *agnosceret.* D.

9. *Sed estne hæc Thais, quam video?*] Jampridem ipse visus, nunc primum videt. *Hæreo*] Incertus remaneo atque defigor. Primus metus adimit consilium: sed recognitio (*recogitatio*) reddit confidentiam. D.

10. *Quid mea autem?*] Colligit se rursus ad impudentiam Chærea. Et vide, si non eadem est audacia in Chærea, quæ in suscipiendo facinore fuit. Et ἑλληνιστῶς, *quid mea autem? Quid faciet mihi?*] Opportune se confirmavit, quia si extimuisset et fugisset, nihil nuptiæ promoverentur. D.

11. *Bone vir, Dore*] Hoc totum figurate dixit, ut meretrix, et subtiliter. Nam scit Chæream esse quem alloquitur, non eunuchum. Et hic magna occasio datur meretrici adeundi adolescentis, qui habitum non mutavit, et adhuc quasi eunuchus et servus est. *Bone vir, Dore, salve*] Major objurgatio est, per hanc dissimulationem Thaidis adversus Chæream, quam si illum id, quod est, appellet. D.—*Bone vir, Dore*] Fingit adhuc meretrix illum eunu-

Aufugistin'? CH. Hera, factum. TH. Satin' id tibi placet?
CH. Non. TH. Credin' te impune habiturum? CH. Unam hanc noxiam
Omitte: si aliam admisero unquam, occidito.
TH. Num meam sævitiam veritus? CH. Non. TH. Quid igitur?
CH. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
TH. Quid feceras? CH. Paululum quiddam. TH. Eho paululum, impudens?
An paulum hoc esse tibi videtur, virginem
Vitiare civem? CH. Conservam esse credidi.
PY. Conservam? vix me contineo, quin involem in
Capillum: monstrum; etiam ultro derisum advenit.
TH. Abin' hinc, insana? PY. Quid ita vero abeam?
Credo isti quicquam furcifero, si id fecerim:

chum esse: uti (*ut in* Z.) sic salutatum facilius tanquam subjectum et sibi deditum invehi possit. E.

12. *Hera, factum*] Non potuit subtilius respondere Chærea, quam accommodare se interroganti. *Satin' id tibi placet?*] Hoc potest et non figurate dici, sed aperte. D.

13. *Unam hanc noxiam mitte*] Trisyllabo nomine *noxiam* dixit, quasi noxam. Alibi aliter, Heaut. ii. 3. 57. *dominum* dixit *extra noxam*. D.—Lectio, *impune abiturum*, a melioribus libris repudiatur. B.

14. *Si aliam admisero unquam, occidito*] Verba servorum, quibus nihil horribile est post præsentes plagas. Et non *cædito*, sed *occidito*: et non *alias* dixit (excidit, *sed aliam*), quasi illa Chæreæ dixerit, *at hic irrisor est ut fugitivus* (*Adhuc irrisor es* Ms. H. et Venet. Sed Wieling. putat, verba *Quasi—fugitivus*, rejicienda ad finem versus 21.). D.—*Si aliam admisero*] Cicero pro Q. Ligario x. *Ignoscite, judices, erravit, lapsus est, non putavit; si unquam posthac: ad parentem sic agi solet, etc.* L. —Pro, *Omitte*, in plerisque nostris et Faerni libris est, *Amitte*. Recte. B.

15. *Num meam sævitiam veritus es?*] Ut fugerea. D.—Versus causa leg. *Num meam sævitiam véritu's? Ch. Non. Th. Non? quid igitur?* Hoc pacto responsum Chæreæ in ictu exauditur. B.

16. *Hanc metui, ne me criminaretur tibi*] Perfecte imitatus est verba fugitivorum, quæ apud dominos faciunt comprehensi. D.—*Hanc metui, ne*] Hanc, inquit, Pythiam timui, ne me reum apud te faceret. E.

17. *Eho! paululum, impudens?*] *An paululum hoc esse tibi videtur, virginem vitiare civem?* Hic jam intelligimus, quod non eunuchum credat esse, cum quo loquitur meretrix. Verum adhuc latet, quis iste sit. Ita quamvis ille convictus est de vitiata virgine, adhuc tanquam servus proponit ut dicat, *conservam esse credidi*. E. —Ex Bemb. uno nostrum, et ratione versus pro *paululum* leg. *paulum*. Et pro *quiddam* corrige, *quid*; ut *paulum* acuat ultimam; veluti Gr. *μικρόν τι*. B.

19. *Vitiare civem?*] Bene intulit *civem*: quod plus est, quam *virginem vitiare*: *αὔξησις* gradatim facta. *Conservam esse credidi*] Locus erat ut diceret, *servam esse credidi*, sed admiraliter *conservam* dixit. Et hoc ipsum miserabiliter pronunciandum est: tanquam miserabiliter crediderit conservam esse, quæ civis erat, atque eam quasi conservam vitiare debuerit. D.—Ne, *conservam*, in repetitione variet accentum; deleto, *esse*, corrige, *meam conservam crédidi*. B.

20. *Conservam?*] Oportune stomachabatur Pythias, facta mentione conservæ. *Vix me contineo, quin involem in capillum*] Minæ istæ proprie feminarum sunt, et in se, et in alios unguibus sævientium: ut, Æn. iv. 673. *Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis*. Sed *involem*, ab avibus tractum est: ut apud Virgilium, Æn. iii. 233. *prædam pedibus circumvolat uncis*. Ergo hoc gestu, et dicto, et corporis motu, est adjuvandum. D.

21. *Involem in capillum*] Apparet more veterum intonsum esse. *Etiam ultro derisum advenit*] Mire nunc addidit accusationem, quod non saltem fugeret. D.

22. Bentl. cum Faerno legit et distinguit: *Quid ita? vero debeam*. Z.

23. *Debeam, credo, isti quicquam furcifero*] Subauditur *vero*, aut *εἰρωνικῶς* pronunciandum est (Leg. QUID ITA VERO? Abeam, subauditur; VERO autem *εἰρ.* etc.).

Præsertim quum se servum fateatur tuum.
TH. Missa hæc faciamus: non te dignum, Chærea,
Fecisti; nam si ego digna hac contumelia
Sum maxume, at tu indignus qui faceres tamen.
Neque ædepol, quid nunc consilii capiam, scio
De virgine istac: ita conturbasti mihi
Rationes omnes; ut eam non possim suis,
Ita ut æquom fuerat, atque ut studui, tradere;
Ut solidum parerem hoc mihi beneficium, Chærea.
CH. At nunc dehinc spero æternam inter nos gratiam
Fore, Thais: sæpe ex hujusmodi re quapiam, et
Malo principio magna familiaritas

Sane debere dicimur pœnas pro injuria ei, cui injuriam fecerimus: quas se non debituram Chæreæ ut furcifero dicit Pythias, si illi cædem intulerit in servili habitu constituto. *Si id fecerim*] Si involaverim in capillum ejus. D.

24. *Præsertim quum se servum*] Nihil est, inquit, quod metuam, si injuste, aut per injuriam aliquid fecero, *maxime quum hic servum tuum fateatur se esse.* E.

25. *Missa hæc faciamus*] Hæc scilicet jocularia et futilia. *Non te dignum, Chærea, fecisti*] Artificiose meretrix ab eo quod licuit, ad id quod oportuit, transit: nec tractat quid sit legitimum (*licitum*), sed quid honestum. Itaque totam illam partem facti accusandi omittit, et ab accidentibus (*succedentibus*, edd. Ven.) personæ adolescentis objurgat. Scit enim, uno verbo obstari posse, *licuit mihi*, in domo meretricia scilicet: ne videatur irrationabilis, audacia illa ingenui a poeta inducta est. *Non te dignum*] *Dignum*, pro digne; aut deest *facinus*: ut sit, *non te dignum facinus fecisti.* Mira accusatio mixta laudi et blandimento. D.—*Missa hæc faciamus*] Hic jam meretrix, sublata simulatione, accusat adolescentem injuriarum, dicens, quod non dignum factum adeo fecerit, etsi digna pati potuerit ipsa. Exprimit deinde quid incommodi sibi evenerit ex vitiata virgine, quod non possit suis illam, uti decreverat, reddere, et maximum beneficium et perpetuam gratiam collocare. E.

26. *Nam si ego digna hac contumelia sum*] Deest, *et*, ut sit ordo: *nam etsi maxime.* Et bene additum est *maxime*, ut appareat, quod etsi digna pati sit meretrix, non tamen maxime digna pati Thais est (Leg. *Quod, etsi maxime digna pati sit, ut meretrix, non tamen pati digna a tali*). D.—*Si ego digna hac*] Hieronym. advers. Rufin. *Nonne etiamsi ille dignus esset contumeliis, tu facere non deberes?* L.

27. *At tu indignus qui faceres tamen*] Recte dixit. Quatuor enim sunt modi in hujusmodi rebus: ita ut aut uterque indignus sit: aut alter dignus, alter indignus: aut contra. D.

28. *Neque ædepol, quid nunc consilii capiam scio de virgine istac*] Intelligit Thais amari virginem ab hoc: et ideo sic ait, ut conciliet nuptias. Nam satis signi est, quod eunuchi habitum propter hanc sumsit. Et vide quemadmodum ad captionem nuptiarum res eant: quod tamen dicere non audet Thais: sed ostendit (*transeat; ut, quod dicere non audet Thais, ostendat, etc.* edd. Venett.) adolescenti conjecturis, quem tentat, sciens amantem virginem: et viam ostendit petendæ sibi uxoris. D.

30. Pro *non*, repone *ne*, ob auctoritatem sex codd. vett. B.

31. Pro *atque* leg. *itaque.* Nam, *ita itaque*, sæpius. And. iii. 3. 18. B.

32. *Hoc mihi beneficium, Chærea*] Blande nomen repetitum est, Chærea. D.

33. *At nunc dehinc spero*] Nunc jam Chærea vera veris æquiparans, recedit a jocularibus. D.—*At nunc dehinc*] Defensionem adolescens sub promissione inchoat: dicit enim *æternam ex hac re futuram gratiam.* Hoc enim intelligi vult, quod illam sit ducturus uxorem. Denique adjecit: *sæpe ex hujusmodi re quapiam, et malo principio magna familiaritas conflata est.* Frequenter, inquit, ex tali re aliqua et initio non bono, ad familiaritatem maximam concordiamque perventum est. *Hujusmodi re quapiam*] Comico loquendi stilo *quapiam*, aliquam intelligimus. E.

34. *Sæpe ex hujusmodi re*] Hoc est, turbulenta. *Quapiam*] Quacunque, vel aliqua. D.

35. Etsi sex codd. habent, *ex malo*, tamen leg. *malo ex*; quia apud Terent. liquescunt sæpe vocales ultimæ, præsertim cum eædem geminantur. B.

Conflata'st: quid si hoc quispiam voluit Deus?
TH. Equidem pol in eam partem accipioque, et volo.
CH. Imo ita quæso: unum hoc scito; contumeliæ
Non me fecisse causa, sed amoris. TH. Scio.
Et pol propterea magis nunc ignosco tibi.
Non adeo inhumano ingenio sum, Chærea,
Neque ita imperita, ut quid amor valeat, nesciam.
CH. Te quoque jam, Thais, ita me Di bene ament, amo.
PY. Tum pol tibi ab istoc, hera, cavendum intelligo.
CH. Non ausim. PY. Nihil tibi quicquam credo. TH. Desinas.
CH. Nunc ego te in hac re mihi oro ut adjutrix sies:
Ego me tuæ commendo et committo fidei;
Te mihi patronam capio, Thais; te obsecro;

36. *Quid si hoc quispiam voluit Deus?*] Pleraque repentinis impulsionibus nata, mirisque proventibus, deo adscribi solent: ut, Æn. ii. 632. *Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes Expedior.* Et, Æn. iii. 715. *Hinc me digressum vestris deus appulit oris.* Et Sallustius, *ut tanta repente mutatio non sine deo videretur. Quid si hoc quispiam voluit Deus?*] Vult Amorem intelligi deum. D.—*Quid si hoc quispiam voluit Deus?*] Libanius progymnasm. contra homicid. p. 41. κάλλους τις ἡττηθεὶς ἀδικεῖ μὲν, ἀλλ' ἔχει παραίτησιν· ἐβιάσθη γὰρ ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ πρὸς τὸν Ἔρωτα δυναστείαν ἀνταίρειν οὐκ εὔπορον. Plautus Aulul. iv. 10. 7. *Deus mihi impulsor fuit, is me ad illam illexit.* L.

37. *Equidem pol in eam partem accipioque et volo*] Ut æterna inter vos sit gratia, et ex malo principio compleatur magna familiaritas. *Et volo*] Evenire subauditur: et est σύλληψις tertia. D.—*Equidem pol in eam*] Intelligit meretrix quid sibi ab adolescente dictum sit, et ideo adjecit, hoc quidem accipio ex dictis tuis, quod vehementer desidero. E.

38. *Imo ita quæso*] Utrum meretricem, an deos quæso? utrumque enim accipi potest. *Unum hoc scito*] Unde hoc sciat Thais, inepte quæritur, quum ipsa res clamet, nunquam hanc conditionem subiturum Chæream, ut pro eunucho etiam servo se fingeret, sine amoris impulsu. D. —*Unum hoc scito*] Hic illa defensio, quam venialem supra diximus. E.

40. *Nunc ignosco tibi*] Quod culpa non sit hominis, sed amoris. D.

41. *Non adeo inhumano ingenio sum, Chærea*] Hoc est, immitis non sum, quantum putas (*Tam im. n. s. quam tu p.*): ut, *Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni*, Æn. i. 567. D.—*Non adeo inhumano*] Quoniam meretrices ab amatoribus suis quasi quasdam exigant pœnas, ideo se purgat, ut, dicat, non tam inhumano ingenio se esse, ut, amor quid sit, ignoret. E.—Cum plerique codd. habeant, *sum ingenio*, reponendum censeo, *N. a. i. ego sum ing.* B.

42. *Neque tam imperita*] Id est, non experta. *Ut quid amor valeat, nesciam*] Non *inhumana*, quia homo; non *imperita*, quia meretrix. Et *neque tam imperita* inquit: quasi dicat, Neque tam pudica sum, ut, quid amor valeat, nesciam. D.

43. *Te quoque jam, Thais*] Bene *quoque*: non enim jam hanc ita amat, ut negligat illam: sed hanc illius causa. D.

44. *Pol tibi ab istoc, hera, cavendum*] Facete; tanquam qui soleat capillum et vestem ejus conscindere, quam amaverit. D.—Tres codd. vett. recte habent, *Tum pol ab istoc tibi, hera, cav. etc.* B.

45. *Non ausim*] Pro, *non audebo*: et est verbum hujus temporis tantum. *Non ausim*] Utrum propter ætatem? an propter fratrem suum Phædriam potius? *Nihil tibi quicquam*] Παρέλκον quartum; aut *nihil*, pro *non*. *Desinas*] Pro eo quod est, *desine*: aut deest *fac*; ut sit, *fac desinas*. D.—*Non ausim*] Quoniam Pythias dixerat, timendum esse dominæ Chæream, hoc est, ne quam vim pateretur, respondit ille, non audeo; scit enim fratris amicam esse. E.

47. *Ego me tuæ commendo et committo fidei*] Satis amatorie, ut appareat nunc maxime captum Chæream, ac mancipatum virgini. *Commendamus* nos cognitis: *committimus* ignotis. Ergo *αἴτησις* est majoris officii, fideique circa Thaidem. D.

48. *Te mihi patronam capio*] *Te* adjectum, vim habet, et ex animo supplicantis habitum adolescentis ostendit. D.—In quibusdam libris Donati est *cupio*; sed cum *capio* in omnibus Terentii codd. reperiatur, id retinendum censemus. B.

Emoriar, si non hanc uxorem duxero.
TH. Tamen si pater. CH. Quid? ah volet, certo scio:
Civis modo hæc sit. TH. Paululum opperirier
Si vis: jam frater ipse hic aderit virginis:
Nutricem arcessitum iit, quæ illam aluit parvolam:
In cognoscendo tute ipse aderis, Chærea.
CH. Ego vero maneo. TH. Vin' interea, dum is venit,
Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?
CH. Immo percupio. PY. Quam tu rem actura, obsecro, es?
TH. Nam quid ita? PY. Rogitas? hunc tu in ædis cogitas
Recipere posthac? TH. Cur non? PY. Crede hoc meæ fidei,
Dabit hic aliquam pugnam denuo. TH. Au, tace, obsecro.
PY. Parum perspexisse ejus videre audaciam.

49. *Emoriar, si non hanc uxorem duxero*] Vide amatorem adolescentulum, cui in ipso flore nihil dulcius vita est, ipsam despicere, si sibi uxor non datur. D.

50. *Tamen si pater*] Ἔλλειψις, aut ἀποσιώπησις secunda. *Quid? ah volet, certo scio*] *Quid?* deest *dicat*. Sed ista omnia ad confirmationem valent. D.—*Tamen si pater*] Pendens hæc oratio sensum plenum habet: tamen si voluerit pater. Sed continuo cum hoc intellexisset adolescens, respondit, *quid? volet, scio; civis modo hæc siet*. Apud Athenas (*Athenienses* Z.) dedecoris maximi erat, non civem ducere uxorem. Unde et in Andria Simo ita loquitur: *Adeon' est demens? ex peregrina?* E.—Distingue ita: *Tamen si pater quid. Ch. Ah volet, c. s.* ut And. v. 4. 47. *Patér* ultimam acuit, ob sequens Encliticon *Quid*. B.

51. *Civis modo hæc sit*] Mire hic in votum conversum est, quod timere potuit, non ducturus uxorem. D.—*Paululum opperirier*] Exspectare. E.

52. *Paululum opperirier si vis: jam frater ipse hic aderit virginis*] Adeo cito probari potest. D.

55. *Ego vero maneo*] Modo *vero* consentientis est adverbium, alias confirmantis, alias conjunctio, alias particula ironiam juvans: ut, Æn. iv. 93. *Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis Tuque puerque tuus*. D.—Alii libri cum habeant, *dum is venit*, alii, *dum venit is*; nos cum Faerno sequimur lectionem Bemb. ubi, *is*, plane abest. Cæterum *visne* melius putamus, quam *vin'*. B.

56. *Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?*] Non ignara illecebrarum meretrix, non solum Chæream retinet: verum etiam vocat, ubi virgo est. Et satis callide interrogat an velit: quasi nesciat velle. D.

57. *Immo percupio*] Amatorie, non *volo*, sed *percupio*. D.—*Immo percupio*] Cupit adolescens ut ingredi velit domum, quoniam illic ea puella est, quam videre desiderat. Sed hoc intellexit Pythias et propugnat dicens, *Quam tu rem actura, obsecro, es?* E.

58. *Hunc tu in ædes*] Pronomen in his plus valet, quam accusatio (*appellatio* Z.). *Hunc tu in ædes cogitas?*] Mire: cum illa jam velit, *cogitas* dixit, volens ut recogitet. *In ædes cogitas recipere posthac?*] Per ancillæ verba vult ostendere (forte, *poeta ostendit* Z.), quam sit tractandorum adolescentium perita meretrix. D.

59. *Posthac?*] Post hoc factum, post hanc audaciam. *Crede hoc meæ fidei*] Puellariter dixit, *meæ fidei*. D.

60. *Dabit hic aliquam pugnam denuo*] Pro stupro: ut, Æn. xi. 736. *At non in Venerem segnes, nocturnaque bella*. Ut, *Vereturque bella et ingens facinus*. Ut Lucilius, *Vicimus, o socii, et magnam pugnavimu' pugnam. Dabit*] Autem proprie pro inducet: ut, Virgil. Æneid. xii. 453. *dabit ille ruinas. Au, tace, obsecro*] *Au* interjectio est perturbatæ mulieris: ut apud Græcos *lov*. D.—*Dabit hic aliquam pugnam*] Proprium verbum est, et familiare ad exprimendum semper, (*celere* Z.) cum aliquid fieri dicitur. Ut, Virg. Ge. iii. 265. *imbelles dant prælia cervi*; et hic, *dabit aliquam pugnam*. E.—*Dabit hic aliquam pugnam*] Plaut. Bacchid. ii. 3. 39. L.—Bentl. collocat ita: *Dabit hic pugnam aliquam, etc.* Z.

61. *Parum perspexisse ejus videre audaciam*] *Parum elpwvela* est. Et non *sensisse*, sed *perspexisse* dixit: ut jam non sit experienda illius audacia, quæ sit perfecte cognita. D.—Lege, *Parum perspexe ejus mihi v. a.* Sic enim Plaut. Mil. i. 6. 72. ubi est, *despexe*, et ita *respexis* aliquoties occurrit. B.

CH. Non faciam, Pythias. PY. Non pol credo, Chærea,
Nisi si commissum non erit. CH. Quin, Pythias,
Tu me servato. PY. Neque pol servandum tibi
Quicquam dare ausim, neque te servare: apage te.
TH. Adest optume ipse frater. CH. Perii hercle: obsecro,
Abeamus intro, Thais: nolo me in via
Cum hac veste videat. TH. Quamobrem tandem? an quia pudet?
CH. Id ipsum. PY. Id ipsum? virgo vero. TH. I præ, sequor.
Tu istic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

ACTUS QUINTI SCENA III.

PYTHIAS. CHREMES. SOPHRONA.

QUID? quid venire in mentem nunc possit mihi?
Quidnam? qui referam illi sacrilego gratiam,

62. *Non faciam, Pythias*] Bene et moraliter appositum, *Pythias*. D.—*Non pol credo*] Verbis talibus fidem non habeo, neque, quod dicit, fieri credo, nisi fuerit factum. E.

63. *Non pol credo, Chærea, nisi si commissum non erit*] Joculariter, ut ille, *Pythias* dicit; ita hæc *Chærea*. *Quin, Pythias*] Iterum nomen vultuose est additum. *Quin*, pro imo. D.

64. *Neque pol servandum tibi quicquam dare ausim*] Totum garrule et gesticulose, ut puellam cum adolescentulo fabulari videas. D.

66. *Adest optume ipse frater*] *Optume*, oportune. Et non est additum, cujus frater; utpote in re manifesta. D.—*Perii hercle*] Ex (*Et* Z.) hoc exprimitur quod supra dixit, *Immo percupio*. Viso enim Chremete noto et nobili viro, vehementer erubescit, quod cum eunuchi veste sit. E.

67. *Nolo me in via cum hac veste videat*] Subtiliter adolescens, quia nihil profecerat dicendo, *percupio*, invenit causam, qua tandem ingredi possit. D.

68. *Quamobrem tandem?*] Pro *tamen*. Interrogatio hæc increpationem continet impudentissimi facti. *An quia pudet?*] Hæc interrogatio irrisionis plena est in eum, quem nihil pudet. D.

69. *Id ipsum?*] Hoc veluti molesto (forte, *mæsto*) vultu dicitur; adeo ut imitetur dictum vultumque ejus Pythias. *Virgo vero!*] *Vero ἐλρωνικῶς*: nam *ἐλρωνεία* est, ut, Æn. iv. 93. *Egregiam vero laudem. Virgo*] Quasi qui minime pudicitiæ statum ac verecundiæ virginalis veneretur. *I præ, sequor*] Manifestum est, cur meretrix docta capiendorum juvenum, præire velit Chæream, et in consequendo ipsa sit tardior. Vult enim liberum sine arbitris cum puella esse colloquium, et licitum amorem. Nisi forte putamus Terentium hæc sine causa fecisse, qui sit (*fuit*, uterque cod.) artificiosissimus poeta. Nam neque ipsa ingreditur cum Chærea, neque ingredi simul permittit Phædriam (*Pythiam*, recte in edd. vett.). D.—*Id ipsum? virgo*] Quidam intelligunt, confusus es quasi virgo: erubescis ex veste, et confusionem pateris, quam virgo patiatur, quam vitiasti. Et rursus est quasi admonitio, ut et pudori non sit, quod ista veste indutus est; siquidem vitiavit virginem. *I præ, sequor*] Antecede, ego te sequar. E.—Pro, *sequar*, leg. *sequor*, ob codd. et quod Thais una cum Chærea egreditur e scena. B.

70. *Tu istic mane, ut Chremem introducas*] Relicta est Pythias ob multas causas: et in primis, ut possit per eam delusus Parmeno pavore suo senem compellere, ingredi ad meretricem, et præsentem fieri ad confirmandas nuptias. D.

1. *Quid? quid venire in mentem*] In hoc loco cogitantis disputatio est apud seipsam Pythiæ, quatenus Parmenonem dolo possit ulcisci. D.—*Quid? quid venire*] Hæc scena consilium quærentis ancillæ tenet, quemadmodum se possit ulcisci. Deinde admonitionem, ut Chremes cum nutrice ingrediatur. E.

2. *Quidnam?*] Sic Cicero, Verr. iv. 3. *Sed earum rerum artificem, quem? quemnam?*

Qui hunc supposuit nobis? CH. Move vero ocius
Te, nutrix. So. Moveo. CH. Video, sed nihil promoves.
PY. Jamne ostendisti signa nutrici? CH. Omnia.
PY. Amabo, quid ait? cognoscitne? CH. Ac memoriter.
PY. Bene ædepol narras: nam illi faveo virgini.
Ite intro: jamdudum hera vos exspectat domi.
Virum bonum eccum Parmenonem incedere
Video: vide ut otiosus it, si Dis placet!
Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.
Ibo intro, de cognitione ut certum sciam:
Post exibo, atque hunc perterrebo sacrilegum.

recte admones, Polycletum esse dicebant. Qui referam] *Qui*, quomodo, vel ut. D.—Omnes fere codd. collocant, *referam sacrilego illi*. B.

3. *Qui hunc supposuit nobis?*] Proprie *supposuit*. Nam ut *subduci* dicuntur quæ nolumus amittere, ita *supponi* quæ non desideramus. Sic Plautus, Casin. Grex versu 7. *Ei, pro scorto supponetur hircus unctus nautea. Move vero ocius te, nutrix*] *Vero*, pro interjectione posuit stomachantis. D.—*Qui hunc supposuit*] Frequentes hujusmodi suppositiones ab antiquis introducuntur; sed frequentiores in comœdiis, quam tragœdiis. Ulpianus ad illum Demosthenis locum κατὰ Μειδίου. Τὰς ἀποῤῥήτους ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ, τὰς τοιούτου γονάς] Πλείους, inquit, εἰσὶν ἐν ταῖς κωμῳδίαις ὑποβολιμαῖοι, ἢπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις. Itaque sic in Plauti Truculento meretrix alienos dolores sibi supposuerat, Stratophanem militem dolis ut ductaret. In Capteivis. Caterv. ii.—*neque ulla amatio, nec pueri suppositio. Move vero ocius*] Sic κινεῖν apud Theocrit. Idyll. xv. ver. 29. —κινεῦ δή, φέρε θᾶσσον ὕδωρ. L.—Lege, *supposivit*, versus gratia. Plautus sæpe, *exposivit, deposivit*. B.

4. *Video, sed nihil promoves*] Hinc est illud Virgilianum, Æn. iv. 641. *Illa gradum celerans studio properabat anili*. Scilicet non re celerat, sed studio. *Promoves*] Proficis. D.—*Nihil promoves*] Expressit tardos gradus ancillæ ambulantis. Motum, inquit, corporis video, sed itineris nulla progressio est. E.—*Te, nutrix*] Ms. R. *move vero ocyus, genetrix*. L.

6. *Amabo, quid ait? cognoscitne?*] Exhibitum spectatori est, quid post scenam geratur, id est, agnitio puellæ. *Ac memoriter*] Plus intulit quam interrogabatur: nam magna sunt signa, in quibus anilis memoria non errat. *Ac memoriter*] Responsionis brevitas attulit compendium perquirenti, ne plura interrogaret. D.

7. *Nam illi faveo virgini*] Quasi dicat, illi faveo, non Chæreæ: et simul causa est, cur illum ulcisci cupiat; quia scilicet multum illi favet. D.

9. *Virum bonum*] Εἰρωνεία. *Eccum Parmenonem incedere video*] Res odio dignior, novitate scilicet incessus. D.

10. *Vide ut otiosus it*] Invidet illi securitatem, quem sollicitum redditura est: non enim ulla alia erit vindicta post, præter istam. *Vide ut otiosus it*] Vultu dicit, et gestu eum esse securum. Et mire poeta lætum describit, ut repente ostendat esse commotum. *Si Dis placet!*] Proprium est exclamantis propter indignitatem alicujus rei. D.—*Vide ut otiosus*] Attende, inquit, ut securus Parmeno ambulat, et otiosus. E.

11. *Spero me habere*] Pro *habituram*; aut *spero* pro *credo*, more suo. *Meo modo*] Id est, ut volo. D.—*Spero me habere*] Credo jam me repperisse consilium, quemadmodum istum tormentis afficiam, et cruciem pro mea voluntate. E.—Ut *meo* in ictu acuatur, sequor ordinem, *qui hunc excruciem meo modo*, qui reperitur in cod. vet. Prisciani, p. 1143. B.

12. *Ibo intro, de cognitione ut certum sciam*] Eleganter, defatigare Parmenonem non necessarium putat, sed ex occasione. Nam post eum (*Nam prius*, ed. Argent.) dicit se ire intro: exitura autem, ut ipsum in timorem conjiciat. D.—*Ibo intro*] Pergam intro, ut cognoscam an puella cognoscatur. E.—*De cognitione*] Cognitiones sive agnitiones crebræ in comœdiis: quod Placid. Lactantius observavit in Stat. Theb. lib. v. 718. *Mire*, inquit, *comœdiæ contigit agnitio filiorum*. Videnda Aristoteles περὶ ποιητικῆς. L.

13. Cum Faerno reponendum puto, *Post exeo*, ut supra iii. 2. 40. *Simul imperabo; postea continuo exeo*. B.

ACTUS QUINTI SCENA IV.

PARMENO. PYTHIAS.

Reviso, quidnam Chærea hic rerum gerat.
Quod si astu rem tractavit, Di vostram fidem!
Quantum, et quam veram laudem capiet Parmeno!
Nam ut mittam, quod ei amorem difficillimum, et
Carissimum ab meretrice avara: virginem
Quam amabat; eam confeci sine molestia,
Sine sumtu, sine dispendio: tum hoc alterum,
Id vero'st quod ego mihi puto palmarium,
Me reperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia et mores possèt noscere:
Mature ut quum cognorit, perpetuo oderit.
Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans:

1. *Reviso, quidnam Chærea, etc.*] *Astu*, pro *astute*, modo adverbium est, alias nomen: ut, *An in Astu venit?* D.—*Reviso, quidnam*] Hæc scena allocutionem tenet servi gloriantis, quod consilio tantum beneficium dederit, uti amorem ei difficillimum explicaverit; cujus partes enumerat, quod *eum confecit sine molestia, sine sumtu, sine dispendio.* Illud maxime providisse gloriatur, *ut adolescens meretricum ingenia moresque cognosceret, ut, quum cognovisset, semper odisset.* E.

2. *Di vostram fidem!*] Modo non invocantis est, sed admirantis: et est figura ἀπροσδόκητον per ἐκφώνησιν facta. D.—*Quod si astu*] Servius in Virgil. Æneid. xii. 694. L.

4. *Nam ut omittam, quod ei amorem difficillimum et carissimum*] Quum dicere deberet, *quod ei amorem et difficillimum et carissimum confeci:* primo quasi oblitus dicti superioris, transit ad virginem: deinde addit causam ex abundanti. Quod si dixisset, *amorem confeci;* posset intelligi *confeci*, expedivi, perfeci. At vero *virginem confeci*, quid intelligemus, nisi hoc unum, quod insultat Parmeno confectam virginem: quasi dicat superatam atque devictam? Nam proprie hoc verbum convenit gladiatoribus iis, qui gravissimis vulneribus occubuerunt. Sic Cicero in Catilinam, ii. 11. *gladiatori illi confecto et saucio.* Convenit ergo servilibus verbis, et velut jocose verniliterque jactanti, rem confectam esse in puella virgine, et non exhibere Chæreæ damnum vel negotium. D.—Pro *omittam* recte Bemb. et duo vett. e nostris habent *mittam.* B.

5. *Ab meretrice avara: virginem quam amabat*] Ἀνασιώπησις secunda. *Difficillimum*, quia virginem quam amabat: *carissimum*, quia a meretrice avara (Leg. Difficillimum, *quia a meret. avara.* Carissimum, *quia virginem quam amabat*). D.—Hunc et seq. versum emenda ita: *Carissimum, a meretrice avara virginem Quo amabat, eum confeci, etc.* Nam ita habes, quod Donatus de verbo, *confeci*, postulavit. Deinde Eugraphius quoque legit *eum.* B.

8. *Id vero est*] *Vero*, nisi ornativum esset, nihil significaret (cur non? nam signif. *haud dubie, nimirum*, et omnino habet vim affirmandi. Z.) *Palmarium*] Palma dignum. D.—*Puto esse palmarium*] Hoc est, quod ego arbitror mihi esse gloriosum, ibi palmam debere sumi. E.—*Puto palmarium*] Glossar. *Palmarium* ἀξιονικόν. Priscian. lib. ii. L.

10. *Meretricum ingenia*] Optime, non *meretricis* dixit, sed potius *meretricum.* D.

11. *Mature*] Cito et ante tempus. *Ut cum cognorit*] Suaviter non, *noverit*, sed *cognorit*, dixit: quod est plenæ perspicaciæ. *Mature ut quum cognorit*] Bene addidit *mature.* Fere enim cito cognovisse obfuit: sed id ad illecebram fuit quod • cognitus est cito (Forte, *Fere enim sero cogn. obfuit; quippe id ad ill. fuit, quod nimis cognitum est sero.* Z.). D.

12. *Quæ dum foris sunt*] Apud amantes scilicet. *Nihil videtur mundius*] Bene *videtur:* non enim sunt. D.

13. *Nec magis compositum quicquam*] Bona varietas. Nam hæc omnia per *magis* adverbium profert: nec omnia per comparativum gradum. *Nec magis ele-*

Quæ, cum amatore suo quum cœnant, liguriunt.
Harum videre illuviem, sordes, inopiam,
Quam inhonestæ solæ sint domi, atque avidæ cibi:
Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent.
Nosse omnia hæc, salus est adolescentulis.
PY. Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus,
Ulciscar; ut ne impune in nos illuseris.
Proh fidem deum! facinus fœdum: o infelicem adolescentulum!

gans] More suo, ne diceret compositius aut elegantius: ut supra, *hoc nemo fuit minus ineptus, magis severus.* D.

14. *Quæ cum amatore suo quum cœnant*] Unum *cum*, præpositio est; alterum conjunctio: et dicitur hæc figura Λειπτότης. *Liguriunt*] Ἀπὸ τοῦ Λιγυροῦ, quod secundum Græcos suave intelligitur. *Ligurire* dicitur, qui eleganter et more senum multo fastidio suaviora quæque degustat. D.—*Liguriunt*] Ut supra dixi, leviter cibos tangunt; cui contrarium *abligurrire*, quod significat absumere. E.—*Cum amatore suo quum cœnant, liguriunt*] V. C. *Cum amatores suos vocant, lig.* quæ lectio non mala. *Liguriunt*, Λιγυείουσι. Et *Ligurius, gulosus, catillo* Λίχνος. Gloss. L. —Illud *suo*, recte Faernus ejecit. Sed versum totum esse spurium multis de causis existimo. Primum enim *ligurrire* semper secudam producit, nec potest, qui est error Donati, proficisci a Gr. Λιγυρὸν, quod de suavitate soni tantum dicitur, nunquam de sapore. Deinde *ligurrire* significat, edacem esse, cibi avidum; quod vero a sensu hujus loci abhorret. Tum *cœnant* hic acuit ultimam, satis invenuste. Adde, quod *amatore suo*, stulte sit dictum pro *amatoribus suis*: illud enim de una dicitur, non de pluribus. B.—Meretricis foris cœnantis mores egregie expressit Lucianus in loco, quem dudum laudavit Daceria, in Dial. Crobylæ et Corinnæ: Ἦν δέ ποτε καὶ ἀπέλθῃ ἐπὶ δεῖπνον λαβοῦσα μίσθωμα, οὔτε μεθύσκεται, καταγέλαστον γὰρ, καὶ μισοῦσιν οἱ ἄνδρες τὰς τοιαύτας, οὔτε ὑπερεμφορεῖται τοῦ ὄψου ἀπειροκάλως, ἀλλὰ προσάπτεται μὲν ἅπαξ τοῖς δακτύλοις, σιτηρῷ δὲ τὰς ἐνθέσεις οὐκ ἐπ' ἀμφοτέρας παραβύεται τὰς γνάθους· πίνει δὲ ἡρέμα, οὐ χανδὸν, ἀλλ' ἀναπαυομένη. Cf. Heaut. iii. 1. 48. Z.

15. *Harum videre ingluviem*] Ordo erat, *Harum videre ingluviem, sordes, inopiam, quam inhonestæ solæ sint domi:* id est, cum solæ sint, ut inhonestæ, atque avidæ cibi: quæ quum foris sunt, cœnant scilicet. D. Pro, *ingluviem*, i. e. cibi aviditatem, legi debere *illuviem*, seu, *inluviem*, et codd. bonorum auctoritas, et sensus ratio suadet. Nam non modo *illuvies* et *mundities* sibi solent opponi, sed et cum sequatur *avidæ cibi*, ad vitandam tautologiam, præferendum est *illuvies*. B.

17. *Quo pacto ex jure*] *Ex* pro *cum* positum est, aut deest *madidum*, aut *maceratum*, aut *emollitum*. Nam apparet et sordidum esse, et quasi atrum durumque panem, qui ex jure hesterno sit comedendus. Cui contrarium Sallustius, Jug. 44. posuit, de deliciis militum loquens, *passes enim in dies mercari*, inquit. *Ex jure hesterno panem atrum vorent*] Hoc est, ut quidam volunt, ex antiquitate mucidum: quasi dicat, panem mucidum hesterno jure accipientes deglutiunt. D.—*Quo pacto ex jure*] Expressit meretricum sordes. Si quidem præter cætera et *jus* dixit *hesternum*, (quod significat aquam pinguem,) quod ab amatore tulerunt; aut domi fuerit ac remanserit, quod foris cœnaverint. E.

18. Lege, *saluti est*, uti suavitas soni, et linguæ ratio postulat. B.

19. *Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus, ulciscar*] Miro artificio poetæ, et ab initio non placatur Pythias, nec in gratiam redit Chæreæ. Et insuper nunc mire a Parmenone irritatur magis; ut per eam Parmeno terreatur, et per Parmenonem ingredi ad Thaidem cogatur senex; et demum per senem nuptiæ confirmentur. Hæc ergo artificibus et eruditis, cætera spectatoribus poeta exhibet. D.

20. *Ne impune in nos*] Ne sine pœna nobis injuriam feceris. E.—Dele, *in*, cum duobus codd. Sic enim *illudere* occurrit Heaut. iv. 4. 19. et Phorm. v. 8. 22. B.

21. *Proh fidem deum!*] Vim magnam ostendit, deorum implorans fidem: quasi in hoc negotio nihil possit (*prosit*, cod. uterque) humanum consilium. *Proh fidem deum*] Simulata perturbatione sui, Parmenonem terret Pythias. *Proh fidem deum*] Hæc singula pronuncianda sunt pavido et attonito vultu. *Fœdum*] Crudele. Sallustius, Catil. 15. *Fœdi oculi. O infelicem adolescentulum*] Plus est, miseriam adolescentis dicere (*Plus est, misereri jam adolescentis*, Ms. H. Si quid mutandum est, lege, *P. e. de miseria, etc.* Z.) Pythiam,

O scelestum Parmenonem! qui istum huc adduxĭt. PAR. Quid est?

PY. Miseret me: itaque ut ne viderem, misera huc effugi foras. Quæ futura exempla dicunt in eum indigna? PAR. O Juppiter, Quæ illæc turba'st? numnam ego perii? adibo: quid istuc, Pythias?

Quid ais? in quem exempla fient? PY. Rogitas, audacissime? Perdidisti istum, quem adduxti pro eunucho adolescentulum, Dum studes dare verba nobis. PAR. Quid ita? aut quid factum'st? cedo.

PY. Dicam: virginem istam, Thaidi quæ hodie dono data'st, Scis eam hinc civem esse, et fratrem ejus esse apprime nobilem?

PAR. Nescio. PY. Atqui sic inventa'st: eam iste vitiavit miser. Ille ubi rescivit factum frater violentissimus.

quam irasci ei. D.—*Pro deum fidem!*] Dum progreditur Pythias, fingit adolescentem Chæream intus captum, et pro mœcho deprehensum, quo facilius Parmeno terreatur. E.—Omnes libri, excepto Bembino, collocant, *Proh deum fidem:* recte. Servius ad Æn. ii. 502. sic laudat: *Proh deum atque hominum fidem.* B.—Ab hoc versu novam exorsa est scenam Daceria. Z.

22. *O scelestum Parmenonem!*] Ut verba sunt, periit profecto miser adolescens, quum in eodem peccato irascitur Parmenoni Pythias, non Chæreæ. D.

23. *Miseret me*] Hæc omnia quasi secum loquitur: et fingit se nescire, quod assistat Parmeno. D.

24. *Quæ futura exempla dicunt in eum indigna?*] Graves pœnæ, quæ possunt cæteris documento esse, *exempla* dicuntur. *In eum indigna?*] Modo per *indigna*, fœda, crudeliaque significat. Ut Virg. vi. 162. —*atque illi Misenum in littore sicco, Ut venere, vident indigna morte peremtum.* D. *Exempla*] *Exemplum* dicit gravem pœnam, scilicet quæ cæteris esse possit ad exemplum: nam alias dicit, *uterque in te exempla edent.* E.

25. *Quæ illic turba est?*] Quæ loquitur: aut quam ostentat ex vultu ac dictis (*An, quam loquitur? an, quam ostentat ex vultu?* Ms. H.), sed apparet, vultum (*ex vultu*, Ms. B.) Pythiæ turbam dicere; ut in Andria, *Sed quid Pamphilum exanimatum video? Vereor quid siet: operiar, ut sciam nunc, quidnam hæc turba tristitiæ adferat.* D.

26. *Rogitas, audacissime?*] Totum hoc terribile est in gestu ac vultu Pythiæ, et nimis usitatum et femineum. D.

27. *Perdidisti istum, quem adduxti, etc.*] Artificiose non accusat, quid peccaverit adversus Thaidem, quasi ex pœna adolescentis plus doleat, quam irascatur Parmenoni. D.

28. *Dum studes dare verba nobis*] Bene, *studes dare:* neque enim dedisti. *Quid ita?*] Deest *dicis:* ut sit, *Quid ita dicis?* D.

29. Collocatio, *hodie quæ*, codicibus probatur, et gratiorem efficit versum. B.

30. *Scis eam hinc civem esse*] *Eam*, abundat: quemadmodum supra, *Quam amabat virginem, eam confeci sine molestia. Et ejus fratrem apprime nobilem?*] Hæc ad terrorem et gratiam aucta sunt. Nam primo *virginem* posuit, post *civem*, ad ultimum *nobilis sororem.* D.—*Scis istam civem*] Ut vitiatori crimen increscat, dicit *virginem esse civem*, et ejus fratrem *adolescentem nobilem*, qui facile possit consurgere. Præterea dixit esse *violentissimum.* E.—Versus gratia repone, *Scis eam civem hinc esse?* Atque pro, *ejus*, sensus poscit, *eii*, quia Parmenoni, qui ne ipsam puellam quidem, quæ esset, sciret, frater ejus notus esse non potuit. B.

31. *Nescio*] Perturbatus Parmeno nec negare potuit, nec consentire voluit, sed quasi defensionis loco dixit, *nescio. Atqui sic inventa est*] Facile est ut credat, qui dicit *nescio.* Ergo Pythias non laborat, ut suadeat civem esse. *Atqui sic inventa est*] Magnum horrorem incutit audienti, non accusando, sed miserando Chæream. D.

32. *Frater violentissimus*] Hoc inventum est, quod daretur ad nobilem (*quo declararetur* adeo nobilem. Vide supra i. 2. 124.). D.—Omnes codd. præter Bemb. et unum e Regiis, *Ille ubi* id *rescivit.* B.

PAR. Quidnam fecit? PY. Colligavit primum eum miseris modis. PAR. Hem!
Colligavit? PY. Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.
PAR. Quid ais? PY. Nunc minatur porro sese id, quod mœchis solet:
Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim. PAR. Qua audacia
Tantum facinus audet? PY. Quid ita tantum? PAR. Annon tibi hoc maximum est?
Quis homo pro mœcho unquam vidit in domo meretricia
Prædendi quemquam? PY. Nescio. PAR. Anne hoc nesciatis? Pythias:

33. *Colligavit primum eum*] Mira tarditas, ad torquendum Parmenonem: simul etiam relictus ad succurrendum locus. D.—Illud *hem* a codd. vett. recte abest. B.

34. *Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide*] Adeo violentissimus. Et recte hoc additum, ne speret auxilium a Thaide. D.—Lege versus et sensus causa, *et quidem*. Nam, *equidem*, in priscis scriptoribus semper est primæ personæ. B.

35. *Nunc minatur*] *Minatur* ut succurri possit ei, qui non sit passus. *Minatur porro sese*] Deest *facturum*. *Quod mœchis solet*] Deest *fieri*. D.—*Id quod mœchis solet*] Hinc intelligimus quædam in mœchos esse supplicia, vel spadari, vel aliud quidlibet ad crudelitatem sive turpitudinem. Hæc Pythias reticet. E.—*Quod mœchis solet*] Puta abdomen adimere. Plautus Milit. scen. ult. Horat. lib. ii. Sat. 2. 45. *testes caudamque salacem Demeteret ferro.* Qua pœna affici postea κτηνοβδᾶται soliti. Matt. Blastares Hieromonach. ὁ μέντοι πολιτικὸς νόμος, οἱ ἀλογευόμενοι, φησὶ, ἤτοι κτηνοβδᾶται καυλοκοπεῖσθωσαν. Soliti etiam mœchi παραιλλᾶσθαι. Scholiast. Aristoph. in Plutum. Horat. lib. i. Sat. 2. 132. *Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo; Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama.* Vid. observationes Catullian. L.

37. *Quid ita tantum?*] Nimis (*Minus*, edd. vett.) callide Pythias hunc dicit violentum: et tamen injustum audacemque dici non patitur, sed defendit, ut magis terreat Parmenonem. D.

38. *Quis homo pro mœcho unquam*] Causa finalis (*sit talis*), virginem civem apud meretricem vitiavit: mercedem offert: petitur ad supplicium. D.—*Quis homo pro mœcho*] Et supra isto consilio usi sunt, ut impunitatis spem sibi in domo meretricis pollicerentur; ita et nunc arguit Parmeno, quod *pro mœcho in domo deprehensus sit meretricia adolescens.* E.—*Pro mœcho unquam vidit*] Ergo cum ejusmodi lupis impune erat voluptatem capere. Vid. Augustin. de Civit. Dei, xiv. 17. Lactantius divin. instit. vi. 23. *Ne quis esset, qui pœnarum metu abstineret alieno, lupanaria quoque constituit, et pudorem infelicium mulierum publicavit.* Asterius Episc. Amaseæ Homil. *An liceat homini dimittere uxorem*, p. 73. *οἱ τοῖς τοῦ βίου τούτου νομοθέταις προσέχοντες, ἀνεύθυνον καταλειπτοῦσι τῆς πορνείας τοῖς ἀνδράσι τὴν ἐξουσίαν.* Hieronym. in Epitaphio Fabiolæ: *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur, et, solo stupro atque adulterio condemnato, passim per lupanaria atque ancillulas libido permittitur.* Elegans hac de re locus Zenonis Episc. Veron. Homil. de Pudicitia: *Lubrici mariti humanarum legum iniquo impunitate decepti, justitiam veram nec ex sua ipsa voluntate noscentes, quod pati nolunt, libenter efficiunt; qui profanæ libidinis detestabili furto distracti, turpibus jam non contenti latibulis, aliquotiens, proh nefas! sub ipsis obtutibus matronarum vesana congressione desudant.* Hinc apud Quinctilian. vii. 4. quæritur, an deprehensus in lupanari cum alterius uxore adulter sit: quia non de appellatione, sed de vi facti ejus ambigitur, an omnino peccarit. Inter hæc autem scorta, cauponæ quoque mulieres, ministræque earum numerantur: L. fin. C. Si mancip. ita ven. et sane meretrices inter instrumenta cauponæ referuntur; lib. xlix. §. 9. ff. de ritu nuptiar. ideoque ab istis feminis pudicitiæ ratio non requiritur, quas vitæ vilitas dignas legum observatione non credidit. Imp. Constant. lib. xxix. C. ad L. Jul. de adult. Ulpian. lib. xiii. §. 2. ff. eod. Eclog. Basil. lib. lx. tit. 37. L.—Ne, *pró*, acuatur, et, *mœcho*, in Thesi deprimatur, repone, *Quis homo unquam pro moécho vidit, etc.* B.

39. *Nescio*] Quam astute dixit *nescio*: ne laborans ad contradicendum, amitteret fidem supplicis (*simplicis*, Ms. B.) perso-

Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium. PY. Hem,
Obsecro, an is est? PAR. Ne quam in illum Thais vim fieri
sinat.
Atque adeo autem cur non egomet intro eo? PY. Vide,
Parmeno,
Quid agas, ne neque illi prosis, et tu pereas; nam hoc putant,
Quicquid factum'st, ex te esse ortum. PAR. Quid igitur fa-
ciam miser?
Quidve incipiam? ecce autem video rure redeuntem senem:
Dicam huic, an non? dicam hercle: etsi mihi magnum malum
Scio paratum: sed necesse est; huic ut subveniat. PY. Sapis.
Ego abeo intro: tu isti narra omnem rem ordine, ut factum siet.

ACTUS QUINTI SCENA V.

LACHES. PARMENO.

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi:

næ, ac vera dicentis. Vult enim magis nuncii officio fungi, quam persuadentis. D.—Pro *Prehendi*, quod in probatis reperitur libris, versus gratia cum Faerno repono, *Prendi*. Deinde legendum est, *At ne hoc nesc*. B.

40. *Dico, edico vobis*] Αὔξησις, ut supra, *Ubi quæram, ubi investigem? Dico*] Tibi, Pythias. *Edico*] Omnibus tuis. Ergo ad universos utrumque refertur, et *dico* et *edico*. D.—*Dico, edico*] Uti iracundiam vel meretrix, vel quilibet alius temperare possit, maluit (*mavult* Z.), qui ille adolescens sit, confiteri, ne propter nobilitatem in eum aliquid constituatur. E.

41. *Obsecro, an is est?*] Insultantis; ut in Phormione, v. 7. 52. *Hicine eras?* Nam sciebat eum esse. *Ne quam in illum Thais vim fieri sinat*] Quam bene providet Pythias! (Forte, quantum ex litteris q. e. o. n. n. s. i. t. quæ in quibusdam libris sunt, conjicere licet, addenda sunt hæc: *Quæ equidem omnia narrat, ne servus irrumpat ad Thaidem*. Z.). D.—*Ne quam in eum Thais*] Bene adjecit *Thais*, quæ ejus fratrem habet amatorem. E.

42. *Atque adeo autem cur non egomet intro eo?*] Pythias, *Vide, Parmeno, quid agas, ne neque illi prosis, et tu pereas*. Totum hoc ad id addidit, ut senex intromittatur ad confirmandas nuptias: sed poeta hoc agit, personæ nesciunt. D.—*Cur non ego*] Credit jam se non (*nunc*) posse succurrere. Verum quoniam Pythias mentitur, metuit ne ingressus Parmeno aliud inveniat, ideo obsistit et prohibet ne ingredi vellet, quod illi potius irascuntur, quod credunt ipsius consilio cuncta perfecta. E.

44. Nostri fere omnes, *a te esse*. Recte: ut And. iii. 2. 9. et ii. 1. 35. B.

45. *Quidve incipiam?*] *Facimus* mediocria, *incipimus* ingentia. *Ecce autem video rure redeuntem senem*] Choragii est administratio, ut opportune in proscenium (Leg. *Choragi fit artificio, ut opportune in prosc. veniat senex*). D.—*Ecce autem video*] Supponit deliberativæ speciem, utrum indicet domino an non; ut oportuit, celeri consultatione, quid faciendum esset, elegit, dicens: *necessitatem esse dicendi*. Ita et honestum, et utile semper vincitur, si modo necessitas sit, ob quam aliter quam cogitur, fieri non potest. E.

46. *Dicam huic, an non?*] Hoc non esset verisimile, nisi dubitasset. Quid enim ad Chæream pertinet, dubitat. (Leg. DICAM H. A. N. DICAM HERCLE. *Hoc non esset verisimile, nisi dubitasset. Quod ad Chæream pertinet, non dubitat: quod ad se ipsum pertinet, dubitat*). D.—Ne versus, qui, ut cæteri, tetrameter esse debet, toto pede sit brevior, leg. *Dicam huic, annon dicam? dicam hercle: etsi, etc*. B.

47. *Scio paratum: sed necesse est*] Hæc causa dubitandi fuit: quod hinc Parmenonis, illinc adolescentis periculum cernitur. *Sed necesse est*] *Dicere*, subaudiendum est: ut sit, *sed necesse est dicere*, et ἀνυπέρθετος inferendum est quod sequitur. Deest enim *propterea*, vel quid tale. *Sapis*] *Sapis* dicit, non videns quid futurum sit: sed tantum derisisse contenta. D.

48. *Ut factum siet*] Ms. R. *sit*. L.—Pro *omnem rem*, cum uno cod. Faernus recte legit, *omne*. Nam ita et versui et sensui consulitur. B.

1. *Ex meo propinquo rure hoc capio*

Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias cœpit fieri, commuto locum.
Sed estne ille noster Parmeno? et certe ipsus est.
Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium?
PAR. Quis homo est? ehem, salvum te advenire, here, gaudeo.
LA. Quem præstolare? PAR. Perii: lingua hæret metu.
LA. Hem! quid est, quid trepidas? satine salve? dic mihi.
PAR. Here, primum te arbitrari, quod res est, velim:

commodi] Annotandum, quod hujus senis nomen apud Terentium non est: apud Menandrum Simon dicitur. *Ex meo propinquo rure hoc copio commodi*] Firmatur (*Formatur* Z.) status trepidantis senis, ut appareat, quam inopinato malo amens fieri possit: quod ipsum superius et in Parmenone servatum est. Imparatis enim mentibus mala majora sunt. Ergo nunc tam otiosus incedit senex, ut neque mores increpet, nec quicquam suspicetur mali, sed agat (*aiat* Z.) gratias proximæ villæ: cujus beneficio non scit, quid in urbe agerent filii. Et nunc adest, ubi opus est poetæ. Et vide hanc causam fuisse, cur non ad villam diverterit. Omnes villas comicas suburbanas esse (ordo debet esse hic: *Et vide, omnes villas c. s. esse, et hanc causam fuisse, cur, etc.*), commoditatem ipsam nunc explicat et ostendit. D.—*Ex meo propinquo*] Hæc scena narrationem continet, quemadmodum filius ejus (*senis* Z.) in domo meretricis pro eunucho captus: simul cum defensione et adolescentis qui captus est, et ipsius qui narrat, ne videatur ipse suis ad periculum consiliis dominum impulisse. *Ex meo propinquo*] Ex solo et vicino agro. E.—*Ex meo propinquo rure*] Charis. lib. i. L.

2. *Neque agri, neque urbis*] Tragicus apparatus. Delicias memorat, qui pericula cogniturus est. *Odium me unquam percipit*] Fastidium ex abundantia est (Hoc Scholio *satias* explicatur. Z.). D.

3. *Ubi satias cœpit fieri*] Suffecerant ad hanc sententiam duo superiores ii versus: sed ἐνέργεια est senilis eloquii, faceti et garruli simul. *Commuto locum*] Mira brevitate duas res explicuit simul. *Ubi satietas est*, deest *nam*: ut sit, *nam ubi satietas cœpit fieri*. Et *cœpit*, pro *cœperit*. *Satietas*, odium: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. D.

4. *Sed estne ille noster Parmeno? et certe ipsus est*] Et dubitavit, et firmavit postea: utpote senex, visu jam languido, atque oculis ætate defessis. D.—*Estne ille noster Parmeno*] In Ms. R. *est* omittitur. L.

5. *Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium?*] Nove (*Antique*. Nam apud Plautum idem occurrit Z.): non, *Cui præstolare*; sed, *Quem* dixit. Aliter Tullius in Catilinam, i. 9. *Qui tibi ad forum Aurelium præstolarentur. Præstolari*, est præsto esse et apparere, hoc est, obsequi. D.—*Quem præstolare*] Notandum quod hic per accusativum protulit, *quem præstolare*. At vero Cicero per dativum, Catil. i. 9. *Qui tibi ad forum Aurelium præstolarentur armati?* E.—*Quem præstolare*] Priscian. lib. viii. L.

6. *Quis homo est?*] Quare, *Quis homo*, quum providerit venientem? utrum non vult videri providisse, ne quid fallaciæ parasse videatur? Sic et in Andria, *quasi de improviso respice ad eum*. Vel quia perturbatur exanimatus, qui dum quid apud Thaidem geratur, auscultat, non videt senem propius accedere, quem longe viderat? An vero idcirco hoc fingit, quia quod parabat dicere de Chærea, postquam cominus ventum est, non audet loqui? D.—*Advenisse* recte habent omnes nostri, uno excepto. Deinde dele, *here*, quod a tribus probatis abest, præsertim cum idem nomen paulo post occurrat. B.

7. *Lingua hæret metu*] Virgilius, Æn. ii. 774. *et vox faucibus hæsit*. D.

8. *Quid est, quod trepidas?*] Instandum est seni ad audienda, quæ de facili nunquam fateretur Parmeno. *Satisne salve?*] *Salve*, integre, recte, commode. Plautus in Trinummo, v. 2. 53. *Benevolens tuus atque amicus'st. Le. Satin' salve? Satisne salve?*] Nunc adverbium est: producta est e litera. Sallustius, *Inde ortus sermo, percontantibus utrimque, satin' salve* (*salvæ* sc. res) *quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis agerentur* (augerentur). D.—Appone *Hem* versui priori: et in sequenti lege, *Quid est, quod tu trepidas?* Nam, *tu*, habent nostri plerique. B.

9. *Here, primum te arbitrari, quod res est, velim*] Quod ante narrationem confirmatio inducitur, contra morem et præcepta est: sed merito, quia perturbatus est, licet simul * ut non possit dicere (*quia pert. est ita, licet simulet, ut, etc.*). D.—*Primum te arbitrari*] Antequam crimen vel admissum aliquod facinus narraret, prius voluit, quod factum esset a se removere. *Ne me*, inquit; *spectes*, hoc est, ne

Quicquid hujus factum'st, culpa non factum'st mea.
LA. Quid? PAR. Recte sane interrogasti: oportuit
Rem prænarrasse me. Emit quendam Phædria
Eunuchum, quem dono huic daret. LA. Cui? PAR. Thaidi.
LA. Emit? perii hercle! quanti? PAR. Viginti minis.
LA. Actum'st. PAR. Tum quandam fidicinam amat hic Chærea.
LA. Hem, quid? amat? an scit jam ille quid meretrix siet?
An in Astu venit? aliud ex alio malum!
PAR. Here, ne me spectes: me impulsore hæc non facit.
LA. Omitte de te dicere: ego te, furcifer,

de me esse credas. Sed hoc stulte factum; nisi crimen vel facinus dixisset, purgare non debuit personam suam. Ideo senex interrogat *quid factum sit.* Et Parmeno, *Recte*, inquit; *oportuit rem prænarrasse me.* Hoc est, crimen, quod est admissum, prius oportuit dicere, et sic adhiberi in omnibus purgationem. E.—Plerique codd. *id quod res est:* ut supra, iv. 6. 10. B.

10. *Quicquid hujus factum est*] Absolute ut supra, *et quicquid hujus feci, causa virginis feci.* Aut deest *rei:* ut sit, *hujus rei.* Stomachose. D.

11. *Quid?*] *Quid*, interrogat; quis enim ante, crimen, quam objiciatur aut proponatur, neget. *Recte sane*] Docte Terentius ipse se reprehendit. Nam ordine factum non est præ timore et conscientia. D.

12. *Emit quendam Phædria eunuchum*] Vide narrationem a necessariis et urgentibus cœptam, non in se continere, nisi quod rei conditio cogit fateri. *Emit*, inquit, *quendam eunuchum, quem dono huic daret*] Non dixit, cui dono daret; aliter ab amoris mentione cœpisset. Deinde τὸ *quendam* ἐξουθενισμὸν significat, et εὐτέλειαν ἀνδρός. D.—*Emit quendam Phædria eunuchum*] Cum Æthiopissam etiam, tamen de eunucho tantum narrat, quia ipse pertinet ad causam, et ne dominum in muneribus onerare videatur. E.

13. *Huic*] *Huic* more suo dixit potius, quam *meretrici.* Quinetiam interrogatus, *Thaidi* potius dicturus est, quam ut nomen dicat, quo offenditur senex. *Eunuchi* autem solius mentio necessaria est; quia dicturus est, *pro eunucho deductum Chæream.* D.

15. *Actum est*] Desperantis verbum. *Tum quandam fidicinam amat hic Chærea*] Mire et necessario variavit: ille *emit*, ut eunuchum mittat ad Thaidem: hic *amat*, ut deduci se pro eunucho velit. *Quandam fidicinam*] Extenuatio criminis est: non (excidit, *dicens*, Z.) quod virginem, quod civem vitiaverit. D.—Pro *hic*, repone *hinc*, h. e. eadem Thaidis domo. Sic occurrit, *amat a meretrice, a lenone.* Vide ad v. 4. 5. B.

16. *Hem, quid? amat?*] Hæc singula pronuncianda sunt, ut stuporem nimiæ indignationis ostendant. *An scit jam ille quid meretrix siet?*] Quia fidicina, meretrix est. D.—*Hem! quid? amat? an scit jam*] Licet breviter supra Parmeno utrumque narraverit, vel ipsum emisse • (Etsi Westerhovius negat, se in Mss. lacunam invenisse; nomen tamen, *Phædriam*, excidisse videtur Z.) meretrici, vel Chæream amare cœpisse; tamen utriusque calamitatis sensus (lege *sensu*, vel *sensu perturbatus* Z.), senex graviter indignatus conqueritur: *scit jam ille, quid meretrix?* Sed ita non adolescenti crimen instituit, quod vir sit; sed quod *scit, quid meretrix siet.* An quia (*Aut cujusdam jam* Z.) quodam astu et calliditate, mala hæc mihi ingeminata sunt, ut *aliud malum ex alio* nasceretur. Aliud enim malum computat eunuchum; aliud, quod minor filius cœperit amare meretricem. E.—Ne, *amat*, quod in repetitione acui debet, in Thesi lateat, illud *Hem* appone priori versui. Deinde colloca, *an jam scit ille, etc.* B.

17. *An in Astu venit?*] *In Astu*, in urbem de Piræo. Sic Athenienses vocabant urbem suam: unde ipsi incolæ ἀστοὶ vocantur. *Aliud ex alio malum!*] Hoc separatim dixit senex, fixis in Parmenonem oculis. D.—*An in Astu venit?*] Asconius Pedian. in ii. Verr. Priscian. lib. xv. Acro ad xiv. Epist. Horat. Stephan. de Urbib. ἐλέγετο δὲ καὶ ἐξοχὴν πόλις (Alexandria) καὶ πολῖται ἐξ αὐτῆς· ὡς ἔστιν οἱ Ἀθηναῖοι, καὶ ἀστοὶ, καὶ ἀστικοὶ οἱ Ἀθηναῖοι, ὡς καὶ ἐπὶ Ῥώμης λέγεται οὕτω. L.

18. *Me impulsore hæc non facit*] Ipsum accusat conscientia: non enim quod levius est, dixit, *me sciente;* quum (*sed quo* Z.) plus inferat, *me impulsore.* D.—*Here, ne me spectes*] Narratio causæ redit ad defensionem suam, quam supra dimiserat. E.

19. *Ego te, furcifer, si vivo*] Modo om-

Si vivo: sed istuc quicquid est, primum expedi.
PAR. Is pro illo eunucho ad Thaidem deductus est.
LA. Pro eunuchon'? PAR. Sic est: hunc pro mœcho postea
Comprehendere intus, et constrinxere. LA. Occidi!
PAR. Audaciam meretricum specta. LA. Numquid est
Aliud mali damnive, quod non dixeris,
Reliquom? PAR. Tantum est. LA. Cesso huc introrumpere?
PAR. Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum;
Nisi quia necesse fuit hoc facere: id gaudeo,
Propter me hisce aliquid esse eventurum mali:

nis sævitia comica aut in comminatione est, aut in apparatu verborum. D.

20. *Si vivo*] Ἀποσιώπησις, *te ulciscar*; quia necessario sequitur. *Sed istuc quicquid est*] Inventa causa, cur supplicia differantur, donec uxorem ducat Chærea, et ipse purget Parmenonem: secundum argumenta, quæ sibi ipse prospexit, jussu coactuque fecisse, et imperio herilis filii sui, Chæreæ scilicet. D.

21. *Ad Thaidem deductus est*] Unde ductor ipse sceleratus (*Bene, deductor ipse siletur*: edd. vett. recte). D.—Pro vulgari illo, *Thaidem hanc*, lege, *Thaidem huc*; ut supra ii. 3. 60. Namque et hic et illic Parmeno ante Thaidis stat ostium. B.

22. *Pro eunuchon'?*] Non interrogat, sed exhorrescit. *Hunc pro mœcho postea*] Bene studuit Terentius *pro* bis numero dicere: et *pro* eunucho, et *pro* mœcho. *Pro mœcho* autem quasi excusans dixit. Nam vere in virginem Atticam, non *pro mœcho*, sed mœchus est. *Hunc pro mœcho postea*] Bene utrumque *pro*: quia neque eunuchus est, qui vitiavit virginem: neque mœchus, qui in domo meretricia. Et specta quam oratorie transtulerit mentionem vitiatæ virginis. *Pro mœcho*, inquit, ut culpam Chæreæ sub meretricis accusatione celaret. *Hunc pro mœcho*] Bene totum *pro*: quia neque eunuchus, qui ephebus; neque adulter, qui amator. D.—*Hunc pro mœcho*] Bene ita *pro mœcho* dixit, quia in domo meretricis mœchi crimen nullum est. E.

23. *Comprehendere intus, et constrinxere*] Quo dicto vim ingentem inferri significat Chæreæ. *Comprehendere*, significat strictim (lege, *strictum*, ob codd. et edd. vett.) aliquem in facinore deprehensum. D.—*Et constrinxerunt*] Hoc est, vinculis alligarunt. E.

24. *Audaciam meretricum specta*] Major ἔμφασις accusationis est per pluralem numerum, quam singularem. Sic alibi:—*an potius ita me comparem, non perpeti meretricum contumelias? Audaciam meretricum*] Oratorie avertit iram senis a se, et a Chærea; atque derivat in meretricem. D.—*Audaciam meretricum*] Jam servus meretrices accusare cœperat, et audaces dicere, ut exinde a crimine suo per accusationem (excidit *aliorum* Z.) avocet dominum. E.

25. *Numquid est aliud mali, damnive?*] Bene interrogat: quia omnia invitus servus dicere videbatur. Et cum damnum, malum sit, de proximo collatum discernitur: et *damnum* ad emtionem eunuchi, *malum* ad comprehensum pertinet et constrictum Chæream. D.—*Num quid est aliud mali damnive*] *Mali* pertinet ad hoc, quod Chæreas pro mœcho intus est deprehensus et ligatus: *damni* ad illud, quod est a Phædria emtus eunuchus. E.

26. *Cesso huc introrumpere?*] In tantam formidinem conjectus est senex, ut non miremur, quod tam cito nuptias firmet ephebi et virginis: et (*ut* Z.) quamvis non honeste, tamen quia ex (*est in* Z.) ingenti metu, vel indigno matrimonio filii vitam pacisci velit. D.—Ut versus stet, lege *Reliquïom*, ut quadrisyllabon. B.

27. *Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum*] Suave est, nescire personas, quid agat poeta. Ita non (lege, *Nam non*: aut, *Annon sit*, deleto puncto Z.) periclitaturus Parmeno. D.

28. *Nisi quia necesse fuit*] *Necesse*, est nomen. Nam *necessus*, *necessis*, et *necessitas*, et *necessum*, lectum est. *Id gaudeo*] Scilicet, ut succurratur Chæreæ periclitanti. D.—In Bemb. est, *necessus*. Præfero equidem, *necessum*, quod sæpenumero apud Plautum occurrit. B.

29. *Propter me*] Plus dixit, quam si *per me* diceret. *Hisce aliquid*] Meretricibus, non adolescentibus. Et item pluraliter suo more: ut, *Audaciam meretricum specta*. Et, *Non perpeti meretricum contumelias*. D.

Nam jam diu aliquam causam quærebat senex,
Quamobrem insigne aliquid faceret iis: nunc repperit.

ACTUS QUINTI SCENA VI.

PYTHIAS. PARMENO.

NUNQUAM ædepol quicquam jam diu, quod magis vellem evenire,
Mihi evenit, quam quod modo senex intro ad nos venit errans.
Mihi solæ ridiculo fuit, quæ, quid timeret, sciebam.
PAR. Quid hoc autem est? PY. Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.
Sed ubi obsecro est? PAR. Me quærit hæc? PY. Atque eccum video: adibo.
PAR. Quid est, inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin'? PY. Perii,
Defessa jam sum misera te ridendo. PAR. Quid ita? PY. Rogitas?
Nunquam pol hominem stultiorem vidi, nec videbo: ah,
Non possum satis narrare, quos ludos præbueris intus:

30. *Nam jam diu aliquam causam quærebat senex*] Nota *causam*, pro occasione. D.

31. *Quamobrem insigne aliquid faceret*] Manifestius hoc Menander explicat, jampridem infestum meretrici senem, post corruptum ab ea Phædriam: nunc demum se inventa occasione vindicaturum. *Quamobrem*] Quamvis dixisset *causam*, intulit *quamobrem*. *Insigne aliquid*] Magnum et nobile facinus. *Faceret*] Ἰδιωτικῶς dixit. D.—Cum ordo verborum in alio cod. alius sit, et, *aliquid mali insigne*, satis Latine dici nequeat; repone, *Quamobrem aliquid ægre fac*: ut supra iv. 1. 10. et Plaut. Cas. iii. 4. 17. ubi *ægre facere alicui* occurrit. B.

1. *Nunquam ædepol quicquam jam diu*] Pythias egreditur veluti irrisura Parmenonem, ut ipsa putat. Egredi autem a poeta cogitur, ut doceat populum, quid intus egerit senex. Ergo persona cachinnans inducitur, quærens Parmenonem: aspectuque ejus, ob nimium risum, vix loqui posse (*potest*). *Nunquam ædepol quicquam*] Rarum est evenire quod velis: et quod maxime velis, id rarum magis. D.—*Nunquam ædepol*] Hæc scena continet insultationem, quod cum ingressus esset senex in domum Thaidis, quasi timidus et sollicitus de filii pœna, invenerit eum indutum veste eunuchi, quod se Pythias per dolum fecisse laudat, ut Parmeno deciperetur, ac metu territus domino indicaret, quod celare debuerat. Pulchre autem factum, quod metu quodam compulsus senex ingressus est in domum meretricis, ut filio subveniret; et sic, dum illic Chremes est, frater quoque vitiatæ virginis adest, et Chæreæ promissio ad nuptias completur. E.

2. *Intro ad nos venit errans*] Non gressu errans, nec via; sed animo et opinione. D.

3. *Mihi solæ ridiculo fuit*] *Soli* regulariter dicitur: *solæ* non recte, sed antique; ut alibi, *Hoc ipsa in itinere alteræ dum narrat, forte audivi.* D.—Etsi *solæ* olim dictum est; non tamen unquam *solo* in mascul. pro *soli*. Cæterum *scibam* placet, pro *sciebam*. B.

4. *Quid hoc autem est?*] Ridentem miratur Parmeno. *Nunc id prodeo*] Propter id. D.

5. In vett. libris Faerni et nostris verba, *me quærit hæc*, affirmative leguntur. B.

6. *Quid rides? pergin'?*] Et hujus verbis ostendit (*ostenditur*), quam multum rideat petulans puella. *Perii*] Proprie hic (*hoc*) verbum est aptum, quasi sit lassa ridendo. D.—Ne claudicet versus, lege, *quid tibi est?* ut Creticus efficiatur. B.

8. *Nunquam ædepol hominem stultiorem vidi*] Postquam *rogas* dixerat, quasi narratura videbatur: et (*sed*) redit ad insultationem. D.

9. *Quos ludos præbueris intus*] Ex errore et metu nimio senis, credentis constrictum

At etiam primo callidum et disertum credidi hominem.
Quid? ilicone credere ea, quæ dixi, oportuit te?
An pœnitebat flagitii, te auctore quod fecisset
Adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares?
Nam quid illi credis animi tum fuisse, ubi vestem vidit
Illam esse eum indutum pater? quid est? jam scis te periisse.
PAR. Hem, quid dixti, pessuma? an mentita es? etiam rides?
Itan' lepidum tibi visum est, scelus, nos irridere? PY. Nimium.
PAR. Siquidem istuc impune habueris. PY. Verum! PAR. Reddam hercle. PY. Credo.
Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minitare.

filium se offensurum in domo meretricis. D.—*Non possum satis narrare*] Ms. R. *Non pote satis narrari.* L.—Lege, ordine paulum immutato, *Non p. s. n. quos præbueris ludos intus.* B.

10. *At etiam primo callidum ac disertum credidi hominem*] Hæc omnia sic in scena pronunciata sunt, ut risu interrumpi verba puellæ viderentur. Majorisque insultationis est, si is qui fatigat alterum (adde e codd. *risu*), dicat se ante de illo multo aliter sensisse. D.—*Callidum ac*, codd. et edd. vett. B.

11. *Ilicone credere*] Non ideo hoc dicit, quod personæ suæ fidem deroget: sed quod res incredibilis fuerit, quam illi persuaserit; aut certe si credendum fuerit, non statim, neque examinata, neque facta rei cognitione. *Ilicone credere*] Objurgatio de tempore. D.—*Quid? illicone*] Accusat Parmenonem stultitiæ, primum quod credit ea, quæ sibi ab ancilla, et ab amata (*amara* W. *alienata*, seu *acerbata*, seu, quod exquisitius est, *animata* Z.) dicerentur. Deinde quod ea, quæ celare debuerat, indicaverit domino. E.—Quidam, *Quid?* tribuunt Parmenoni, sed contra codd. vett. B.

12. *An pœnitebat flagitii*] Illud quod supra, a stulto: hoc quod nunc dicit, a malo fieri potuit. Illud, ab imprudente: hoc quod pejus est, a sciente. *An pœnitebat flagitii*] Parvum videbatur. Ipse alibi Heaut. i. 1. 20. *quantum hic operæ fiat, pœnitet.* Plautus in Truculento, *Pœnitetne te, quod ancillas jam?* (Locus integer Plauti ii. 6. 52. est: *Pœnitetne te? quot ancillæ sunt jam?*) Nimis erumpere * (*Nisi nimirum erumperes* Z.). D.—*An pœnitebat*] An, inquit, te pœnitebat ejus flagitii, quod factum esset ab adolescente * indicare patri et prodere (*ab adolescente, ni miserum insuper etiam indicares patri, et proderes* Z.), quo ejus facinus publicaretur? E.

13. *Ni miserum insuper etiam patri indicares?*] Duo objicit: unum, quod male consuluerit; alterum, quod male prodiderit consilia sua. Et bene *indicares.* Nam *indicium* dicitur ejus, qui una peccaverit (Donato convenit Asconius in divin. c. ii. *Index est*, inquit, *qui facinoris, cujus ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita*). *Ni miserum insuper etiam patri indicares?*] Ad invidiam Parmenonis, miserum dicit adolescentem: eo modo quo Juno accusans Venerem, ait, Æn. x. 89. —*an miseros qui Troas Achivis Objecit?* Sic enim agimus, quum ab his, qui falso rei sunt, in auctores culpam sceleris removemus. D.

14. *Nam quid illi*] Adolescenti scilicet. D.—*Quid illi credis animi*] Qualem, inquit, credis adolescenti fuisse animum eo tempore, quo se visum vidit a patre, quod eunuchi veste esset indutus? E.—Ne versus juguletur, repone, *Nam quid illi credis tum animi.* B.

15. *Quid est? jam scis te periisse*] Hoc non stupentibus, ac culpam patientibus dicitur (*Hoc obstupentibus ac culpam fatentibus*, recte legit Guido Juven.). D.—Lege *Quid? jam scis;* ut v. 11. *Quid? illicone.* B.

16. *Hem, quid dixti, pessuma?*] Nunc demum intelligit Parmeno, se esse delusum. *Etiam rides?*] Apparet eam ex hujus stomacho vehementius cachinnare. D. —Ut versus stet, aut *Hem* appone priori versui, aut cum Faerno, ex quibusdam libris, lege, *dixisti.* B.

17. *Nos irridere?*] *Nos* superbius dixit, quam si diceret *me.* D.—*Nos irridere, scelus*] *Tu scelus*, hoc est, sceleratus; sic enim res ipsa ponitur pro persona. Ut Sallustius in Catil. xiv. *omnium flagitiorum atque facinorum circum se, tanquam stipatorum, catervas habebat.* E.

18. *Siquidem istud impune habueris*] Subauditur, *tum nimium* (Forte *tum nimium*, aut, *tum nimirum.* Nam videtur pro *nimium* Donatus legisse *nimirum*, quod etiamnum in libris quibusdam Terentii esse fertur. Z.). *Verum?*] Irridentis interrogatio. D.

19. *Sed in diem istuc*] In longam dilati-

Tu jam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas
Flagitiis, et eundem indicas: uterque in te exempla edent.
PAR. Nullus sum. PY. Hic pro illo munere tibi honos est habitus: abeo.
PAR. Egomet meo indicio miser, quasi sorex, hodie perii.

ACTUS QUINTI SCENA VII.

GNATHO. THRASO.

QUID nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus? quid inceptas, Thraso?

onem; unde *dilatio* est dicta, diei prolatio. D.—*In diem istuc*] Videlicet, quod mihi minitaris supplicium, adhuc imminet et impendet: at tu jam punieris. E.—Faerni libri vett. et nostri plerique, *minare*. B.

20. *Tu jam pendebis*] *Jam*, nimiam velocitatem significat. D.—*Qui stultum adolescentem nobilitas*] Hoc est, peccatis notum omnibus reddis: eundem indicas. E.—Ut numeris et sententiæ consulas, repone hunc et seq. ita: *Tu jám pendebis, stúlte, qui adulescéntulum nobilitas Flagitiis, et patri indicas: utérque exempla in te édent.* Nam cur Chæream vocet stultum, nulla subest ratio, quem intus ipsa noverat rem bene gerere. Tum duo codd. *et eundem patri indicas:* unde vox advena domesticam expulit. Deinde nisi *patri* retineas, *uterque* est alienum. Denique omnes codd. et edd. vett. *exempla in te*. B.

21. *Nobilitas flagitiis, et eundem indicas*] Duas res significat simul: et cogis flagitia facere, et facientem indicas. *Uterque in te exempla edent*] Nova ac mira tormenta, quæ pro exemplis narrentur, aut quæ documenta sint cæteris, ne delinquant, *exempla* dicuntur. Et *edent*, et *edet* legitur. Si *edent*, figuratum est: si *edet*, recte. Et plus est *edet*, quam *dabit*. D.—*Uterque exempla in te edent*] Adolescens qui nobilitatus est flagitiis, et pater cui hoc est indicatum. E.

22. *Nullus sum*] Hoc secum Parmeno. *Hic pro illo munere tibi honos est habitus: abeo*] Εἰρωνικῶς et μεταφορικῶς, *pro munere*. Et honos rumigerulis (*munerigerulis*, recte conjicit Bentl. ut apud Plaut. Pseud. i. 2. 48. *Honos habetur, cum ei qui munus dat, tum et ei qui portat* Z.) haberi solet. D.

23. *Egomet meo indicio miser, quasi sorex, hodie perii*] Proprium soricum est, vel stridere clarius quam mures, vel strepere magis, quum obrodunt frivola: ad quam vocem multi se intendentes, quamvis per tenebras noctis, transfigunt eos. Plautus, Bacch. iv. 8. 46. *confossiorem te faciam soricina nævia. Egomet meo indicio*] Proverbium in eos, qui ipsi se produnt; quia sorex non facile caperetur, nisi emitteret vocem noctu. *Quasi sorex hodie perii*] Quia latere potuit, nec occidi, si taceret. D.—*Meo indicio miser*] Ausonius Symmacho: *Latebat inter nugas meas libellus ignobilis; utinamque latuisset, neque indicio suo tanquam sorex periret.* Hieronym. advers. Pelagian. *Suo quasi mus prodetur indicio, ampliora in vero certamine vulnera suscepturus.* Augustinus Episc. de Ordine i. 3. *Egomet meo indicio quasi sorex* (inquit) *non dictum est commodius apud Terentium, quam nunc dici a me de me potest. Sed sane illud ultimum fortasse in contrarium vertetur. Quod enim ait* HODIE PERII, *ego hodie forte inveniar.* L.

1. *Quid nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus?*] Reminiscere hunc esse, qui supra militi dixerat de Thaide, *Jamdudum te amat;* et rursus, *Jam tibi hæc aderit supplicans ultro.* Et hinc videbis, quos exitus habeat assentatio. Nam idem militi auctor est summæ desperationis. Et animadverte, quod semper a mensa Gnatho invitus abstrahatur: nam et supra, quum ad litem venitur, ex verbis Thrasonis manifestum est, et Gnathonem invitum sequi, ubi dicit, *Hancine ego ut contumeliam tantam, tam insignem in me accipiam, Gnatho? Mori me satius est.* Et bene, *qua spe*, et *quo consilio:* tanquam omnia expertus, et nec muneribus gratus, nec terroribus metuendus. *Quid nunc? qua spe*] Parasitus intelligit (pro, *qua spe paras. etc.* leg. *Non quasi minus parasitus intelligat* Z.) quid agat miles: sed ad hoc inducitur interrogare (forte, *interrogans* Z.) ipsum militem, ut populus audiat, quo consilio veniat ad Thaidem. *Quid nunc? qua spe*] Summa desperatio est apud mi-

THR. Egone? ut Thaidi me dedam, et faciam quod jubeat.
GN. Quid est?
THR. Qui minus, quam Hercules servivit Omphale? GN. Exemplum placet!
Utinam tibi commitigari videam sandalio caput!
Sed fores crepuere ab ea. THR. Perii! quid hoc autem'st mali?
Hunc ego nunquam videram: et jam hic quidnam properans prosiliit?

litem reconciliandæ amicæ, ad hoc (*adeo* Z.) ut æquo animo ferat admitti Phædriam, dum ipse quoque recipiatur. Nam non in fine fabulæ contristandus est. *Quid inceptas, Thraso?*] *Incipere*, magnorum facinorum est, et audaciæ. D.—*Quid nunc?*] Inducitur in hac scena miles Thraso ad Thaidem reverti velle ut recipiatur, quoniam se intelligit exclusum esse. Ejus autem posterior vis est, quamquam hoc dissuadet parasitus. Sed quoniam colax est, dat consensum. E.—Pro *inceptas*, Bentl. edidit *cæptas*. Z.

2. *Ut Thaidi me dedam*] Post indictionem belli et instructionem pugnæ quid sequatur, nisi deditio superatorum? *Et faciam quod jubeat*] Proprie: nam in deditione victores jubent, victi obsequuntur. D.—Pro, *est?* malim *ais?* nam est admirantis: *ais* monosyllabon, ut passim. B.

3. *Qui minus, quam Hercules servivit Omphale?*] Hic Terentius exprimit consuetudinem, in qua ignavis rationes criminum, et exempla suppeditant: nam sic et supra de Pyrrho. Omphale Lydiæ regina fuit, quæ Herculem sibi servientem etiam ad lanificium compulit: quum ipsa (*ipsi*, sc. Herculi corrigit Barthius ad Stat.) calathum, et colum, cultusque femineos, sagittis (*cum sagittis* codd.) et clava, leonisque tegmine mutasset. *Hercules servivit Omphale?*] Subauditur; *et ego serviam Thaidi?* D.—*Qui minus, quam Hercules*] Omphalen dicitur Hercules amasse vehementer, ita ut indutus muliebri habitu, opera quoque feminea faceret, et habitum suum amicæ eidem daret. Ergo miles, quoniam serviturum se esse meretrici dicere volebat, ne turpe videretur quod miles esset, et vir meretrici se subjiceret; exemplum ab Hercule suscepit. Ita enim gloriosi faciunt ut peccent, et peccandi tamen se habere profiteantur exempla. E.—*Hercules servivit Omphale?*] Quinctilian. lib. iii. c. 10. *Quædam vero etiam in defensionis speciem cadent, ut, si in laude Herculis permutatum cum regina Lydiæ habitum, et imperata, ut traditur, pensa orator excuset.* Vid. Apollodorus de Diis, et reliqui Mythologi. L.

4. *Utinam tibi commitigari videam sandalio caput!*] *Commitigari*, est tundendo deprimi atque deponi. *Sandalio caput*] Plus dixit *caput*, quam si aliam partem corporis diceret verberari. Et mire, calceamento caput verberari. D.—*Commitigari videam sandalio caput*] *Sandalium* genus calceamenti est. Utinam tibi comminui et percuti videam caput, ut vere servire videaris. Hoc quidem paululum summissiore voce parasitus dixit. E.—*Commitigari videam sandalio*] Lucian. in dialogo de histor. scribenda: *παιόμενον ὑπὸ τῆς Ὀμφάλης τῷ σανδάλῳ*. Locum Terentii imitatus est Augustin. Epist. contra Julian. Pelagian. iii. *5. timetis, ne capita vestra sandaliis mulierum commitigentur. Σάνδαλον galla* est: ut in illo dicto, *Gallam subigo:* et *σανδάλιον gallicula;* in vett. glossis. Sic interpretatur Rufinus Josephum Antiq. iv. 8. *ὑπολύσασα δ' αὐτὸν ἡ γυνὴ τ' ἀδελφοῦ τὰ σάνδαλα, καὶ πτύουσα αὐτοῦ εἰς τὸ πρόσωπον*: *solvens uxor fratris gallicolas illius viri, et exspuens in faciem.* Qui locus facit, ut alius ejusd. auctoris restituatur, v. 11. hactenus sic legitur: *ἐκέλευσε τῇ γυναικὶ ὑπολύσαι αὐτὸν προσελθοῦσαν κατὰ τὸν νόμον, καὶ πτύειν εἰς τὸ πρόσωπον*: sed scribendum, *καὶ πτύειν εἰς τὸ πρ.* in facili est agnoscere: neque aliter Rufinus. L.

5. *Perii, quid hoc autem est mali?*] Eunuchi habitu Chærea, sed virili confidentia prosilit, et militem velut novi rivalis terret aspectu. D.—Omnes libri *crepuerunt*. Ita versus, qui trochaicus est, constat, eliso ex *quid*, *d*. B.

6. *Hunc ego nunquam videram*] Ideo Chæream miratur. D.—Interpunge post *etiam:* h. e. adhuc: ut infra, v. 8. 62. Reliqua lege, *Quidnam hic properans prosilit?* Pro *hic* alii malunt *hinc*, alii, *huc*. Male. Nam *hic* est pronomen. B.

ACTUS QUINTI SCENA VIII.

CHÆREA. PARMENO. PHÆDRIA. GNATHO. THRASO.

O POPULARES, ecquis me vivit hodie fortunatior?
Nemo hercle quisquam: nam in me plane Di potestatem suam
Omnem ostendere; cui tam subito tot contigerint commoda.
PAR. Quid hic lætus est? CH. O Parmeno mi, o mearum voluptatum omnium
Inventor, inceptor, perfector: scin' me in quibus sim gaudiis?
Scis Pamphilam meam inventam civem? PAR. Audivi. CH. Scis sponsam mihi?
PAR. Bene, ita me Di ament, factum. GN. Audin' tu illum quid ait? CH. Tum autem Phædriæ
Meo fratri gaudeo amorem esse omnem in tranquillo: una'st domus.
Thais patri se commendavit in clientelam et fidem:

1. *O populares, ecquis me vivit hodie fortunatior?*] Hic persona Chæreæ est fervens gaudio, ut adolescentuli est in prosperis rebus. *O populares*] Non mirum, si insane exsultat nuptiis, qui jamdudum ob id solum, quod vitiaverat virginem, lætabatur. D.—*O populares*] Exsultationem hæc scena habet, quod Chærea consilium complere potuerit suum: est ergo hic allocutio gaudentis. Laudat ergo Parmenonem, se, atque fortunam. Parmenonem, quod consilium dederit; (excidit *se*) quod aggressus est; fortunam, quæ cuncta complevit. Mox ea quæ istic acta sunt narrat, et sibi esse sponsam, et illam cognitam civem: et meretricem tantum fratris esse Phædriæ, et militem exclusum. Idcirco Parmeno adjecit, *Fratris igitur Thais tota'st?* Hoc cum miles audisset, vehementer in amoris flammas incensus deliberat, quid facere debeat. Sumit consilium, ut hos roget. Ac primum allocutio. Rursus interponitur Phædria, qui exsultationem gaudii sui exprimit, et de suis facultatibus gaudet: gratias agit patri, quod festive et jocunde interveniens cuncta compleverit. E.—Lege cum codd. nostris, *me hodie vivit fort.* B.

2. *Nemo hercle quisquam*] Et interrogavit, et respondit sibi. *Nemo hercle quisquam*] Παρέλκον tertium. D.

3. *Cui tam subito tot contigerint commoda*] *Tam* qualitatis, *tot* quantitatis est. D.

4. *Quid hic lætus est?*] Inventa persona est, ad quam gesta hæc narret Chærea, ut populus et miles instruatur, quid intus gestum sit. D.

5. *Inventor, inceptor*] *Invenire*, sapientis est: *incipere*, audacis: *perficere*, constantis. Ergo plena laudatio est; et constat, hoc Chæream laudative dicere. Nam in subditis solum consilium attributurus est Parmenoni. *Scin' me in quibus sim gaudiis?* Ἀνάληψις. Et nota, *scin' me:* quum sufficeret *scin'*. Ergo *me* abundat: et est figura ἀρχαϊσμός. D.

6. *Scis Pamphilam meam*] Amatorie dixit *meam:* vel potius sponsam meam, vel quam amo. *Inventam*] Cognitam. *Civem*] Deest *esse*. *Scis sponsam mihi?*] Deest et *esse;* et est *sponsa* nunc participium. D.

7. *Audin' tu illum, quid ait?*] Hoc vultu mutato et turbato dicitur. D.—Lege ex codd. omnibus Faerni et nostris, *Audin' tu hic quid ait?* B.

8. *Amorem esse omnem in tranquillo*] Bene, *in tranquillo*, quia mari et tempestatibus amicæ mobilitas et instabilitas comparatur. Sic Horat. Carm. i. 5. 5. *Simplex munditiis? heu quoties fidem Mutatosque deos flebit: et aspera Nigris æquora ventis Emirabitur insolens, Qui nunc te fruitur credulus aurea, etc. Una est domus*] Post Pamphilæ nuptias. D.—Faerni libri et nostri comprobant hunc ordinem, *esse amorem omnem.* B.

9. *Thais patri se commendavit*] Hoc est quod profuit Phædriæ. *In clientelam et fidem*] *Clientelam*, ut ametur: *in fidem*, ut defendatur. D.—Primum nostri codd. omnes, præter unum, habent, *Thais se*

Nobis dedit se. PAR. Fratris igitur Thais tota'st? CH. Scilicet.
PAR. Jam hoc aliud est quod gaudeamus: miles pellitur foras.
CH. Tu, frater ubi ubi est, fac quam primum hæc audiat.
PAR. Visam domum.
TH. Numquid, Gnatho, dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim?
GN. Sine dubio, opinor. CH. Quid commemorem primum? aut laudem maxume?
Illumne qui mihi dedit consilium, ut facerem; an me, qui ausus sim
Incipere? an fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit;
Quæ tot res, tantas, tam oportune in unum conclusit diem?
An mei patris festivitatem et facilitatem? o Juppiter,
Serva, obsecro, hæc nobis bona. PH. Di vestram fidem! incredibilia
Parmeno modo quæ narravit: sed ubi est frater? CH. Præsto adest.

patri: recte; ut vel ipso accentu personæ dignitas intelligatur. Deinde interpunge, *commendavit: in clientelam et fidem Nobis. d. s.* B.

10. *Fratris igitur Thais tota est?*] Bene *tota:* ut ne ex parte quidem sit militis. D.

11. *Miles pellitur foras*] Sunt gaudia ex nostris bonis: sunt gaudia ex aliorum malis, hostium aut inimicorum. Ergo utrumque genus gaudiorum complexus est. D.—*Miles pellitur foras*] Ms. R. *pelletur.* L.—*Pelletur* omnes codd. præter quatuor, habent; satis concinne, et ad sensum numerosque apte. B.

12. *Visam domum*] Bene domi quæritur amator exclusus: nam neque ruri, neque in foro est. D.

13. *Perpetuo perierim?*] Quia illud *periisse* supra, temporale videbatur. *Quin ego nunc perpetuo perierim?*] Hic jam militi neque serviendi amicæ, ut apparet, præbetur locus. D.—Solus Bembinus post *Gnatho* recte habet *tu.* B.

14. *Sine dubio, opinor*] Quia non quis dicitur perpetuo periisse. Quid enim opus hac exceptione est, quando nemo ita perit, ut temporaliter pereat, et postea fiat non perditus? Correxit parasitus stulti dictum militis: non illum *perpetuo,* sed *sine dubio* periisse (adde, *se*) *opinari* respondens. Non est enim contrarium *opinor te periisse sine dubio,* pro certo periisse. Confirmatur periisse miles, ut post tanta munera ex desperato supplex, ex supplice patiens rivalis existat. *Quid commemorem primum?*] Διαπόρησις oratoria familiaris laudantibus. Cicero, *Unde igitur potius incipiam?* Hoc autem fit, ubi omnia et magna videntur et paria. D.

15. *Illumne, qui mihi dedit consilium*] Attribuuntur personis consilia, facta, casus, et orationes. Ergo hic laudatur consilium Parmenonis, factum Chæreæ, casus fortunæ, id est, eventus, oratio senis. *Illum, qui mihi dedit consilium*] Tria sunt in vita hominum, consilia, facta, successus. Consilium, animi est: factum, corporis: successus, fortunæ. *Illum*] Parmenonem scilicet. D.—Ne versus hiet, repone, *qui id ausus sum.* Certe *sum,* quod habet unus cod. requiritur ab Indicativis *dedit, fuit.* B.

17. *Quæ tot res*] Bene, *tot res:* quasi dicat, eunuchum pro quo duceretur, commendationem virginis, absentiam meretricis, occasionem vitii inferendi, patris interventum in nuptias. D.

18. *An mei patris festivitatem?*] Etiam patri laus impertienda est: nam non erat transeundum *festivitatem,* qua et festivus amatori non obstitit, quod ignovit ut facilis: unde *festivitas* in dictis, *facilitas* vero in animo et factis. *Festivitatem*] Lætitiam: ut, *festivus dies est.* D.

19. *Di vestram fidem!*] Cito intervenit Phædria, utpote qui domi erat. D.—*Di vestram fidem!*] Ingressus Parmeno Phædriæ narravit universa, quæ dixerat frater: ita cum fratrem continuo vidisset, nihil aliud dixit, quam gaudium et lætitiam se habere. Nam ostendit, se cuncta a Parmenone cognovisse. E.—Faerni codd. et nostri, *hæc bona nobis.* B.—A verbis Phædriæ scenam decimam orditur Daceria. Z.

20. *Quæ narravit*] Nimius affectus in

PH. Gaudeo. CH. Satis credo: nihil est Thaide hac tua, frater, dignius
Quod ametur: ita nostræ est omni fautrix familiæ.
PH. Mihi illam laudas? THR. Perii! quanto minus spei est, tanto magis amo.
Obsecro, Gnatho, in te spes est. GN. Quid vis faciam? THR. Perfice hoc
Precibus, pretio, ut hæream in parte aliqua tandem apud Thaidem.
GN. Difficile est. THR. Si quid collibuit, novi te: hoc si effeceris,
Quodvis donum et præmium a me optato, id optatum feres.

utramque partem defectus orationis amat: est ergo ἔλλειψις: deest enim *gaudeo* (Leg. *audio;* et illud *gaudeo* refer ad sequens Scholion). D.

21. *Satis credo*] Sic dici nota agentibus (*aientibus*) solet. Recte igitur huic dicitur, cui fiunt nuptiæ, *gaudeo:* et ille sic respondet, ut amicis gratulantibus decet, *satis credo. Credo*] Autem ideo, quia multi se fingunt gratulari, quum invideant; gaudere, quum doleant. D.—*Nihil est Thaide hac tua, frater, dignius, quod ametur*] Melius nihil quod amari possit. E.—Consensu codd. repone, *hac, frater, tua.* Tum ut omnes Trochaici fiant, *dignius* præpone sequenti. B.

22. Bemb. et unus e nostris habent *omnis:* minus recte. Tum colloca, *omni est:* atque auctoritate codd. et edd. et sensus fini appone, *Ph. Hui.* B.

23. *Mihi illam laudas?*] Scilicet amatori ejus. Et *mihi* pronunciatione juvandum est. *Perii! quanto minus spei est, tanto magis amo*] Hic vero est ardor insanissimus: ut Virg. Ecl. ii. 1. *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin, Delicias domini.* Et profecto sic est, Sapientes spe (forte, *ratione*) maxime ad amorem coguntur: stulti forma tantum. D.—*Mihi Thaidem illam laudas?*] Utique cum scias me amatorem, quodammodo supervacuum est, mihi illam quod laudas. *Perii! quanto minus spei*] Amorem etiam (*et minus* Z.) concitari manifestum est, et rursus, ut hic Terentius dixit, desperatione incendi; verum illa desperationis quadam spe ducatur * quod pervenire possit amor, minus incenditur. Denique hoc (*Primum enim illa desperatione, qua nulla plane spe ducatur ejus, ad quod pervenire possit, amor minus incenditur. Denique hic* Z.) miles, quoniam recipi se in partem sperat, idcirco *quanto minus spei est*, inquit, *tanto magis amo.* E.

24. *Obsecro, Gnatho, in te spes est*] Mire, quasi desperatis omnibus auxiliis, abjecta nimis supplicatio inducitur. Nam et, *obsecro*, et, *Gnatho*, id significant, et, *in te spes est. Quid vis faciam?*] Non est hoc interrogantis, sed ostendentis, non esse quid faciat. D.—*Perfice hoc precibus*] Hic persuadet Parmenoni (*parasito* Z.), ut, quocunque pacto hoc compleatur, ad meretricem possit admitti. E.

25. *Precibus, pretio*] Nihil militi superest præter precem, ut victo; et pretium, ut diviti. Nihil aliud optat, quam sic res eant, ut persona Thaidis conveniri possit. *Precibus, pretio*] Ἀσύνθετα, velut afflicta et lassa (forte, *ab afflicto et lasso*) pronuncianda sunt. *Pretio*] Varie: quia alibi dixit, *precario. Ut hæream*] Τὸ *hæream* ultimum genus beneficii est. *In parte aliqua*] Non enim *parte* dixit, ut æqua (*sed*, aliqua, *ut non æqua* Z.) intelligatur. *Tandem*] Et desperantis est, et difficulter credentis. *Tandem*, non est adverbium temporis: sed nunc *saltem* significat. D.

26. *Difficile est*] Vultu et pronunciatione (excidit forte, *sine* Z.) asseveratione firmandum est. *Si quid collibuit*] Ἔλλειψις: pro, si quid collibitum est, efficis. *Novi te*] Deest *perficis.* Sed ubique plura gestu significat miles, utpote infantissimus. D.—*Si quid conlibuit, novi te*] Εἰρωνεία est: quicquid conlibitum est. E.—Repone *conlibitum'st.* Nam in Bemb. et Donati cod. et edd. vett. est *collibitum.* B.

27. *Quodvis donum et præmium a me optato*] *Donum*, præmium est: et *munus*, præmium. Sed *donum*, præmium diis datur: *munus*, præmium hominibus. Nam separatim, donum deorum est: præmium virorum est fortium: munus hominum. Et donum munusque, tam ante factum, quam post factum datur: præmium non nisi post factum est. Donum, voluntarium: præmium, debetur. Alii ergo ἀσυνθέτως pronunciant, primo *donum*, et sic *præmium*, quasi unam partem orationis. *Quodvis donum et præmium*] *Donum*, ut a largo homine: *præmium*, ut a præclaro facinore. *Quodvis donum et præmium a me optato, id optatum feres*] Donum optato, ob quod præmium accipias. *Præmium a me optato*] Totum militariter. Nam et *optio* dicitur,

GN. Itane? THR. Sic erit. GN. Si efficio hoc, postulo ut mihi tua domus,
Te præsente absente, pateat: invocato ut sit locus
Semper. THR. Do fidem futurum. GN. Accingar. PH. Quem hic ego audio?
O Thraso. THR. Salvete. PH. Tu fortasse quæ facta hic sint nescis?
THR. Scio. PH. Cur ergo in his ego te conspicor regionibus?
THR. Vobis fretus. PH. Scin' quam fretus? miles, edico tibi,
Si te in platea offendero hac post unquam, quod dicas mihi,
Alium quærebam: iter hac habui: periisti. GN. Eia, haud sic decet.

et *optari* a militibus; ut alibi (excidit locus, et nomen auctoris), *Vir fortis optet quod volet præmium.* D.—*Quodvis donum, præmium*] Novi te: si hoc effeceris, quod vis donum præmio donasse (*donari* Z.), hoc, inquam, a me poscito: id cum optaveris, accipies. Atque ultra merita sunt *dona; præmium* vero est, quod quasi ob meritum datur. Proprium enim verbum est, ut: optet præmium vir fortis, quod volet. E.—Bentleius, *et*, omisit. Z.—Menander: Ἔδξαι τὶ βούλει, πάντα σοὶ γενήσεται. W.

28. *Si hoc efficio, postulo ut mihi tua domus te præsente absente pateat*] Proverbiale est *præsente absente*, ut, *sursum deorsum, ultro citro*, et cætera hujusmodi: *fanda nefanda, justa injusta, digna indigna, velit nolit.* D.—*Si efficio hoc, postulo*] Varia distinctio: quidam enim sic dicunt, sic distingunt (*esse distinguendum* Z.): *Si efficio hoc*, ut postea subjungant, *postulo ut mihi tua domus te præsente, absente, pateat.* Parasitus nil aliud desiderat præmii loco, nisi ut sibi cibus suppeditari possit: et sive præsens miles, sive absens sit, nunquam vocatus, semper tamen ad cœnam veniat. E.—Multi codd. *ut tua mihi domus*, concinnius, ut *mihi* sit in Arsi. B.

29. *Invocato ut sit locus semper*] *Invocato*, non vocato significat. *In* etenim auget et minuit dictionem. *Invocato*] Male intelligitur precibus vocato, quum sit *abτομάτῳ*, id est, etiam non invitando, quin ultro venire debeat suam domum. D.—*Invocato ut sit locus*] Plaut. in Capt. i. 1. 2. *Invocatus semper adesse soleo in convivio.* L.

30. *Do fidem*] Juro, confirmo, spondeo. *Accingar*] Non quia facile est, quod negavit supra, sed suis votis parasitus adductus est ad cœnandum (*conandum*): ideo et *accingar* dixit: sic enim dicimus in magnis rebus suscipiendis; ut, Æn. ii. 235. *Accingunt omnes operi.* D.—*Do fidem futurum*] Jam fidem promitto, spondeo. E.—Omnibus Faerni et nostris libris comprobatur ordo, *Quem ego hic audio?* Recte. Nam *quem*, in principio Anapæsti est in ictu. B.

31. *Salvete*] Supplex sine gratia et sine timore (*honore*), modo inimicus et infestus. *Tu fortasse, quæ facta hic sint, nescis?*] Hoc totum superbe ac minaciter inquit adolescens. D.—Faernus hunc et sequentem versum ex auctoritate codd. et consensu restituit ita: *O Thraso. T. Salvete. P. Tu fortasse quæ facta hic sient Nescis. T. Scio. P. Cur te ergo in his ego consp., etc.* B.

32. *Scio*] Compendium poetæ: ne rursus eadem dicerentur. *Conspicor*] Commune verbum est *conspicor.* D.—*Cur ergo in his*] Ms. R. et V. C. *Cur te ergo in his ego conspicio reg.* L.

33. *Vobis fretus*] Et hoc stulte: quis enim et rivalibus et inimicis fretum se esse dicat? Deinde *ἀνακόλουθον*, et vitiosa responsio est: nisi enim addideris *sum*, erit solœcismus conveniens loquenti, impolito homini et militi. *Scin' quam fretus?*] Est ab • ea subaudiendum est (*Esse debeas, subaudiendum est*). *Miles edico tibi*] Hoc contumeliose, et proprie ut militi: *Miles*, inquit, *edico tibi.* D.—*Scin' quam fretus?*] Etsi præsumis, inquit, de nobis, prædico, ut scias istam nos habere sententiam: quod, si te in hac platea aliquando invenerimus, ita accipieris, ut nunquam tibi subvenire possit ista defensio, quod alium quærebas, aut iter quod hac te habere dicas. E.—Fortasse leg. *Vobis fretum. Scin' quam fretum?* Nisi cum Donato solœcismum statuas. B.

34. *Si te in platea offendero hac*] Hoc est, Si vel casu invenero. Et in *platea*, inquit, non circa meretricis fores. *Nihil quod dicas*] *Nihil*, pro non: ut sit, non est quod dicas mihi: id est, nihil est quod dicas, pro, ut dicas mihi; ut sit, *quod*, pro *ut:* (excidit, *aut quod* Z.) pro quid dicas mihi. Certum est autem, sic veteres locutos esse. D.

35. *Alium quærebam*] Aut *alium* pro

PH. Dictum'st. GN. Non cognosco vostrum tam superbum.
PH. Sic erit.
GN. Prius audite paucis: quod quum dixero, si placuerit,
Facitote. PH. Audiamus. GN. Tu concede paululum istuc,
Thraso.
Principio ego vos credere ambos hoc mihi vehementer velim,
Me hujus quicquid facio, id facere maxume causa mea.
Verum si idem vobis prodest, vos non facere inscitia'st.
PH. Quid est? GN. Militem ego rivalem recipiendum censeo.
PH. Hem,

quendam posuit: ut sit, *quendam quærebam*, id est, aliquem; aut *alium*, hoc est, non quem tu putas: hoc est, alium, non Thaidem. Sed si *aliam* diceret, neque commode, neque *ἐμφάνως* (forte *εὐφάνως*, aut *εὐφυῶς* Z.) loqueretur; prævalet enim masculinum genus. *Peristi*] Ordo est, postquam in platea hac te offendero, peristi. *Eia*] Interdum hortantis est; ergo nunc *eia*, correctionem significat. D.

36. *Non cognosco vestrum tam superbum*] Locutio annotanda: mire laudavit, ut persuadere potuisset. *Vestrum tam superbum*] Non, *vestrum superbum*. *Vestrum superbum*] Absolute: ut, *Pol, Crito, antiquum obtines*. Ergo subaudiamus vel *ingenium*, vel *animum*, vel *morem*, vel *institutum*. D.—*Non cognosco vestrum*] Hoc quod respondisti, est *superbum*. Nam *vestrum* esse non cognosco, nec credo. E.—*Non cognosco vestrum tam sup.* h. e. non solebatis esse tam superbi; hoc tam superbum, non vestrum est, non vestri moris. Ut Plaut. Trin. ii. 4. 44. *Haud nosco tuum, etc.* B.

37. *Prius audite paucis*] Mira insinuatione agit: qui non, ut consentiant, sed ut audiant, paucis petit. Et bene *prius*, quasi non obstet, quo minus faciant quod velint. Tum deinde quo attentiores existant, addidit *paucis*; deinde, *si placuerit*: facilius enim flectitur, cum quo non pugnamus, ut consentiat. *Prius audite*] Fiduciam ostentat persuasoriam rem dicturi. D.—*Prius audite paucis*] Hoc deliberativæ species est. Deliberat Phædria an rivalem in partem meretricis recipiat. Est ergo principium ab .... (*ira* W. Forte, *a concessione sumtum*. Z.) collocatum, cum dixit, *si placuerit, facitote*. E.

38. *Audiamus*] Bene: non *faciamus*, sed *audiamus* dixit: nam prima oratoris impetratio in mala causa est, audiri meruisse. *Tu concede paululum istuc, Thraso*] Thraso hoc in bonam partem accepit; et ideo paret; putat enim vel turpe esse, si humiliter precetur suo nomine, seque audiente, parasitus: vel incongruum sibi, si in os præsens a Gnathone laudetur. *Istuc, Thraso*] Non ad se vocat: sed locum ostendit, quo abeat atque concedat. D.—Lege, *paulum istuc*. B.

39. *Principio, ego vos*] Videt neque se odio haberi, neque (*Videt non adeo se odio haberi, sed* Z.) offendi animos audientum in militis nomine. Hoc ergo oratorie: pro eo homine in quo offenditur, eum in quo non offenditur, posuit. D.—*Principio ego vos ambos, etc.*] In hoc principio rursus Gnatho, quoniam scit odio, sum (*odiose hunc* Z.) militem interponi, se utilitatis causa id facere confitetur. Verum ne sibi consulere intelligatur tantum, cum utique alienus sit qui (*quod utique alienum est, si quis* Z.) cupiat persuadere, adjecit, *Verum si id vobis prodest, vos non facere inscitia'st*. Exemplum deinde apponit ipsius sententiæ, per propositionem, *Militem ego rivalem recipiendum censeo*] Primum hoc deliberativum est, ut qui suadet, aliquam sententiam dicat: quemadmodum in Philippicis, *quare ita censeo*. E.—*Vehementer velim*] Ms. R. et vett. libb. *vehementer volo*. L.—Pro *velim* codd. habent *volo*. B.

40. *Me hujus quicquid facio, id facere maxime causa mea*] Deest *rei*, aut *est*: ut sit, *Me hujus quicquid est quod facio, id facere maxime causa mea*. Hic a persona discessit: et rem non odiosam pro odiosa posuit, id est, parasiticam, pro æmuli amore et commodo. D.—*Quicquid facio*] V. C. *q. faciam*. L.—Libri omnes cum edd. vett. *faciam*. B.

41. *Verum idem si vobis prodest*] Multum attulit ad persuadendum: non esse commodum militi admitti, et suum commodum ipsorum esse commodum. *Vos non facere, inscitia est*] Oratorie, et secundum insinuationis præcepta sic dixit. Nam remittendo et dubitando, magis flectit animos, quam si aperte ac pertinaciter asseveret. D.

42. *Militem ego rivalem recipiendum censeo*] Artificiose satis, semel intulit omne quod durum dictu ad persuadendum erat. Nam quod *militem* et *rivalem* dixit, ad eam rem valet, ut magis admittendus sit, quam excludendus: et

Recipiendum! GN. Cogita modo: tu hercle cum illa, Phædria,
Et libenter vivis; etenim bene libenter victitas.
Quod des, paululum est: et necesse est multum accipere Thaidem,
Ut tuo amori suppeditare possit sine sumtu tuo.
Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex usu tuo
Nemo est: principio et habet quod det; et dat nemo largius.
Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctesque et dies:

simul fiducia dicentis parat animos ad audienda quæ dicet. *Militem ego rivalem recipiendum censeo*] *Rivales* dicuntur æmuli de mulieribus, facta translatione nominis a feris bestiis: quæ sitientes cum ex eodem rivulo haustum petunt, in prælium contra se invicem concitantur. Sic Cicero pro Cælio, c. 8. *Sin erit ex illo fonte rivalis*, inquit. *Militem rivalem ego*] Considera quo vultu hoc dicendum sit: et intelliges et *militem*, et *rivalem*, et *recipiendum*, et *ego censeo*, quanta significent. Non enim dixit *Thrasonem*, sed militem: quod nomen ad stultitiam valet. Non *socium*, sed *rivalem*: quo ostendit, quandoquidem rivalis in meretrice capiendus est, hunc potius eligendum. Nec (dele *nec* Z.) non *excludendum*, sed *recipiendum* dixit: ut ostenderet adeo prodesse, ut etiam de industria retinendus sit. Non, *volo* aut *rogo*, sed *censeo*: ut consiliarius, non parasitus, videatur loqui. Nam quod *ego* addidit, eo dicto usus est, quo uti solent qui plus in negotio vident. Nam sic in Phormione Jurisconsulti, *Ego, quæ in rem tuam fuerint, ea velim facias. Ego sedulo hunc dixisse credo. Ego amplius deliberandum censeo. Censeo*] Vide virtutem poetæ; non enim dixit *peto*, sed *censeo*: tanquam illis modo consulat, neque pro milite agat. D.—*Quid id est*, recte codd. quinque cum edd. vett. B.

43. *Cogita modo*] *Modo*, aut tantummodo significat: aut temporis est adverbium. Et simul incerta distinctio est. D.—*Cogita modo, tu hercle*] Post sententiæ propositionem subnectit ea quæ utilia sunt Phædriæ, ut (excidit, *cum* Z.) libenter capiat victum, ipsum quidem non plurima dare, Thaidem contra plurima velle accipere. E.—Recte Faernus ait, *Recipiundum* tribui debere Chæreæ: et, *Hem*, solum Phædriæ; qui præ indignatione nihil respondeat, sed vultu consilium spernat. B.

44. *Et libenter vivis*] Id est, bonorum ciborum edax es. D.—Leg. et dist. *Ut libenter vivis (et enim bene libenter victitas)*. Nam, *ut*, quod reperitur in cod. Reg. signif. *prout*. Ut tu laute, sumtuose, cum ea vivis quotidie, necesse est ut illa multum accipiat; tibi vero paulum est quod des: cf. Heaut. i. 1. 116. B.

45. Tres codd. recte *paulum*, pro *paululum*. B.

46. *Suppeditare possit sine sumtu tuo*. Aut *suppeditare*, pro *suppeditari*: aut deest *se*. Ut, Æn. ii. 235. *Accingunt omnes operi*. D.

47. *Ad omnia hæc magis oportunus, nec magis ex usu tuo nemo est*] Locutio est ex negativis tertia: ut, *Agrum in his regionibus meliorem nemo habet. Magis ex usu*] Pro utilior; et *magis oportunus*, pro oportunior. *Nemo est*] Hoc est oportunus. D. *Nec magis ex usu tuo*] Hoc est, nec est aliquis qui magis sit ex tua utilitate, quia *habet quod det, et largius nemo dat*. Sed ne incidat quæstio, (adde *si*, vel, *an* Z.) forte datorem amare incipiat meretrix, subjunxit: *Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctes et dies: Neque istum metuas, ne amet mulier: facile pellas, ubi velis*. Ad ista omni genere aptus est miles; vel ut dona det, vel ut facile contemni possit. E. Ne ex Trochaico fiat Iambicus, priorem versum et hunc lege, *Ut tuo amori suppeditare possint sine sumtu tuo Omnia hæc; magis, etc.* Nam *suppeditare* hic est suppetere. Nisi malis cum duobus codd. legere *suppeditari*. B.

48. *Habet quod det*] Ut dives. *Et dat nemo largius*] Ut liberalis. D.

49. *Fatuus*] Inepta loquens. A fando *fatuus* dicitur: inde *fauni fatui*: et nymphæ *fatuæ* dictæ sunt. *Fatuus est*] Hoc ex usu tuo. *Insulsus*] Sine sale et sapientia: aut sine saltu et facilitate. *Fatuus est, insulsus*] *Fatui* sunt, qui verbis et dictis fatui sunt: *insulsi* vero, corde et animo. *Fatuus est, insulsus*] Sunt qui *fatuum*, animo putant: *insulsum*, dictis; sed male. Nam *fatui* quoque dii sunt, qui et *fauni* dicuntur: et non stulti, sed multum fantes, id est, loquentes. *Fatuus est, insulsus*] Hæc quæ nunc addidit, non ex superioribus pendent: sed cum superiora valeant plurimum: nam quia dives et liberalis, potuit obesse rivalibus: hæc omnia bona in milite corrumpuntur, quod fatuus, quod insulsus, et cætera, quæ ipse persequitur. *Fatuus est, insulsus*] Hæc bene adduntur: quia dixit, *et habet quod det, et dat nemo largius*. Ad rem eam valebat, ut amaretur miles a meretrice, et præponendus

Neque istum metuas, ne amet mulier: facile pellas, ubi velis.
PH. Quid agimus? GN. Præterea hoc etiam, quod ego vel primum puto,
Accipit hominem nemo melius prorsus, neque prolixius.
PH. Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opu'st. CH. Idem ego arbitror.
GN. Recte facitis: unum etiam hoc vos oro, ut me in vostrum gregem
Recipiatis: satis diu hoc jam saxum volvo. PH. Recipimus.

omnibus esset: sed ingrata sunt mulieribus, maximeque lascivis, hæc omnia quæ subjicit. *Fatuus est, insulsus*] Hoc pro acervo vitiorum, cum quadam vultus improbitate prolatum (*pronunciandum* Ms. B.) est, quo magis res in medio posita esse videatur. *Tardus*] In Venerem scilicet. *Tardus*] Corpore et membris: quamquam et intellectu *tardos* vocamus, qui stulti sunt. Sed melius est sic intelligi, ut ea vitia videatur dicere, quæ inamabilem faciant etiam divitem largumque amatorem. Nam aut verba commendant: ut, Æn. iv. 79. *Pendetque iterum narrantis ab ore.* Hic fatuus. Aut sapientia gratum facit: ut, Æn. iv. 3. *Multa viri virtus animo.* Hic insulsus est. Sed mihi videtur *fatuum* dicere, qui tantum glorietur, et blandiri amicæ nesciat. *Insulsum*, qui non sit salax, et cupidus coitus. *Tardum*, qui non facile explicet Venerem: quæ res meretricibus odiosa est. *Stertit*] Plus dixit quam *dormit. Noctesque et dies*] Plus significat quam si diceret, *diebus et noctibus*: ut hoc ipso nomine consiliarii auctoritas inesse videatur. D.—*Noctesque et dies*] Ms. R. *Noctes et dies.* L.—Pro *tardus*, quod minoris est contumeliæ, quam aut *fatuus* aut *insulsus*, repone *bardus*, h. e. secundum Glossas vett. ἀναίσθητος, βραδὺς, ἄφρων, ἀφυὴς, βλαξ. Deinde probati codd. non habent, *que.* B.

50. *Ubi velis*] Quando, vel quum. D.

51. *Quid agimus?*] Initium consensionis, dubitatio est ejus qui negaverit. *Hoc etiam*] *Deest* vel *abest* (*deest*, ei est, *vel* habet). *Quod ego*] Parasitus scilicet. *Primum puto*] *Primum puto*, quasi parasitus. D.—*Præterea hoc etiam*] Post ea, quæ supra commoda narraverat, adjungit quod etiam sibi maxime necessarium est, quod nemo melius accipiat, quam miles. *Accipit* autem pascit. Virgil. Æn. iii. 353. *Illos porticibus rex accipiebat in amplis.* E.—Verba, *Quid agimus?* sunt Chæreæ, quippe qui, cum Thaidis amore non teneretur, prior ad consentiendum erat. B.

52. *Accipit hominem*] *Accipit*, pascit, invitat: ut, Æn. iii. 353. *Illos porticibus rex accipiebat in amplis. Nemo melius prorsus, neque prolixius*] Horum alterum apparatum indicat, alterum copiam. D.—*Accipit homo nemo*] Serv. Æn. iii. 353. *Rex accipiebat in amplis.* L.—Lege, *homo nemo*, e fide codd. quorundam. Deinde ut ingratus evitetur sibilus, lege, *prorsum.* B.

53. *Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus est*] Facete dixit adolescens rei parcus, et qui putet amorem sine damno esse oportere, quique fefellerit meretricem: non solum ejiciendum non esse militem, sed etiam quovis modo sustinendum ac perferendum. *Mirum, ni illoc homine*] Obtinuit parasitus jam quod negabatur. Primo deliberatum: ut, *Quid agimus?* post concessum: ut, *Mirum ni illoc homine quoque pacto opus est. Mirum, ni illoc*] Hic, inquit, ejusmodi est, ut etiam cum mala conditione patiendus sit. *Idem ego arbitror*] Sane opus fuit consensione, præcipue Phædriæ, cujus res agitur: nam ita et servata persona est tarde consentientis amatoria. D.—*Mirum, ni illoc homine*] Sive quia *nemo melius accipiat, neque prolixius*, id est, abundantius: sive quoniam multa dona meretrici donare potest. Ad quæcunque hic homo necessarius est. E.—Muta personarum vicem, et prius da Chæreæ, posterius Phædriæ, qui, ut Thaidis amator, tardior ad consensum esse debet. Hæc ipsa videtur esse Donati sententia. B.

54. *Recte facitis*] Gratiarum actio est. *Unum etiam hoc vos oro*] Subtiliter etiam parasitus hic se adjungit, suasque partes circa hos agit. *Ut me in vestrum gregem*] Jam hos laudat: et nimis parasitus est, si recorderis eundem dixisse, *Facete, lepide, laute, nihil supra.* D.—*Ut me in vestrum gregem*] Etiam de se persuadere voluit, ut non excludatur, sed pariter cum his possit vivere, etiam horum auxilio. E.—*Me in vestrum gregem*] Serv. Æn. xi. 352. *Unum etiam donis.* L.—Ab omnibus codd. nostris et edd. vett. recte abest, *hoc.* B.

55. *Satis diu hoc jam saxum volvo*] Vide quemadmodum serpat paulatim etiam in eorum assentationem ex vituperatione militis. *Hoc saxum volvo*] Proverbium i eos, qui inextricabili labore afflicti su

CH. Ac libenter. GN. At ego pro istoc, Phædria, et tu, Chærea,
Hunc comedendum et deridendum vobis propino. CH. Placet.
PH. Dignus est. GN. Thraso, ubi vis accede. THR. Obsecro te, quid agimus?
GN. Quid? isti te ignorabant: postquam eis mores ostendi tuos,
Et collaudavi secundum facta et virtutes tuas,
Impetravi. THR. Bene fecisti: gratiam habeo maximam.
Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.
GN. Dixin' ego in hoc esse vobis Atticam eloquentiam?

Et bene *saxum* de stulto milite ait: et se ipsum Sisyphum fecit. *Hoc saxum volvo*] Velut Sisyphus apud inferos. D.—*Diu hoc jam saxum*] Olim cum isto milite laboro: quem silicem ob stultitiam appellavit, ut, Æn. vi. 471. *Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.* Ubicunque enim quædam (forte, *magna* Z.) stupiditas silici comparatur. E.—Concinnior est lectio codd. nostrorum, *satis diu jam hoc;* ut *diu* in Arsi sit et in mora. B.

56. *At ego pro istoc, Phædria*] Subaudiamus *et sum hic* (*subaudi, assum, elixum*): aliter non, ut parasitus ait (*Sic militem nunc, ut paras. ait* Z.). *Phædria, et tu Chærea*] Ambos nominat, quasi legibus paciscantur. D.

57. *Hunc comedendum*] Cum cæteris rebus, summus poeta etiam fidem ostendit amicitiæ parasiticæ, exemplo Gnathonis de milite loquentis hoc modo. *Propino*] Facete sic dixit, ut parasitus, et ut qui de convivio loqueretur. D.—*Deridendum vobis propino*] Ms. R. *præbebo.* Sed *propino* in plerisque libb. Sic Spartian. in Antonino Philos. *venenatam partem fratri edendam propinans.* Græci προπίνειν ἀντὶ τοῦ χαρίζεσθαι. Scholiast. Pindari Olymp. Od. vii. Philostr. de vita Apollonii lib. iii. προπίνω σοι, Ἴαρχος, ἄνδρα Ἕλληνα. Marcellinus in Hermogen. τοῖς πολεμίοις τὰ κοινὰ προπίνειν προαιρούμενος. L.—*Propino* recte Bemb. et codd. vett. pro *præbeo.* Deinde pro *deridendum* leg. *ebibendum.* Nam qualis propinatio, ubi nulla potus est mentio? et qualis utilitas in stulto homine *deridendo?* Ut taceam, *deridere* a vita parasitica esse alienum. Ad nostram correctionem commendandam facit Nonius v. Propinare: *Terentius Eunucho: Hunc vobis comedendum et bibendum et deridendum propino.* B.

58. *Dignus est*] Hæc verba ultima longi sermonis, ejusmodi sunt, ut miles hæc audiens, laudatum se esse, et approbatum existimet. *Ubi vis*] Honorifice revocat ablegatum cum injuria, dicendo *ubi vis:* quia *accede* imperativum erat: et *ubi*, nisi *quando* intellexeris, vitium est. D.

59. *Isti te ignorabant*] Figura ἀκυρολογία (δίλογία. Ms. B.). Ad utrumque enim pertinet (forte excidit TE Z.), et ad laudem, et ad mores. Et hoc ambiguum. D.

60. *Secundum facta et virtutes tuas*] Et hoc ἀμφίβολον. Nam *virtutes* εἰρωνικῶς pro vitiis posuit: ut, *Nescis qui vir siet:* et, *Ornatus esses ex tuis virtutibus. Facta et virtutes*] Proprie *facta* militibus adscribuntur. *Facta et virtutes*] Amarior est εἰρωνεία in vitiosos homines, quam veritas. D.

61. Repone, *bene fecistis.* Nam non coram Phædria et Chærea potest gratias agere Gnathoni. B.

62. *Nunquam etiam fui usquam*] *Nunquam* et locum et tempus significat: *usquam*, locum magis. *Nunquam*, pro non. Et *nunquam usquam*, τῷ ἀρχαΐσμῷ, pro *non usquam*, id est, nusquam. *Quin me omnes amarent plurimum*] Contrarium superiori. Quid est enim quod bene non fecerit quicquam, si in illo est, ut ametur? D.—Leg. *amarint*, fide codd. B.

63. *Atticam eloquentiam?*] Et hoc εἰρωνικῶς, ut illa quæ supra. *Atticam* dicit veram atque germanam; quia excultior eloquentia, dicitur *Attica:* et summi oratores, *Attici* appellati sunt. D.—*Dixin' ego in hoc*] Quidam intelligunt hoc versu de Terentio dici, qui et comœdiam scribit, ut is in se habeat *Atticam*, hoc est, Menandri *eloquentiam*, qui fuit Atticus. Quidam de milite, ut per εἰρωνείαν dictum sit, quasi ad præsentem, ut credat se esse laudatum. Dixin' ego quod miles habeat in se eloquentiam Atticorum? siquidem modo dixerat, *Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.* Ita usque ad extremum melius servata est militis gloriosi oratio. E.—Faerni libri vett. recte, *elegantiam*, h. e. leporem sermonis Attici. B.

PH. Nihil præter promissum est: ite hac. Ω. Vos valete, et plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

64. *Prætermissum*] Et hoc anceps est, intellectu gemino ad utrumque. *Ite hac*] Quo vocat parasitus? an ad meretricem? an ad cœnam militis, ut promisit? *Hunc ego comedendum et deridendum vobis propino. Ite hac*] Comessatum ad militem, vel ad Thaidem. Si cœnæ interfuit meretrix: quomodo post acta sunt omnia, cum mentio noctis non facta sit? Omnia post cœnam gesta sunt: et non completa per rixam cœna, superfuit plurimum temporis ad agendum. D.—*Nihil prætermissum*] Omnia quæ dixisti invenimus in milite: an (*aut* Z.) omnia quæ promisimus tibi implebuntur, et nihil est, vel erit, præter id quod diximus. E.—Faernus verborum, *Nihil præter p. e.* sensum ait esse hunc, qui expressus sit in glossemate libri Victorii, in margine: *Omnia promisso tuo respondent, et nihil extra illud est.* B.

ÆLII DONATI V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ COMMENT. IN TERENTII EUNUCHUM EXPLICIT.

CH. Ac liben
Hunc come
PH. Dignu
te, quid
GN. Quid
tuos,
Et collau
Impetravi
Nunqua
rimu
GN. Di

Et bene *sa*
ipsum Sisy
Velut Sisy
jam saxu
quem sili
Æn. vi. 1
Marpesia
dam (fo
compar
codd. 1
diu in
56.
diamu
aliter
nunc,
rea]
cantu
57
bus.
am
de
Fa
co
b
ir
1
d

C. SULPITII APOLLIN. PERIOCHA IN TERENT. HEAUTONTIMORUMENON.

In militiam proficisci gnatum Cliniam
Amantem Antiphilam compulit durus pater:
Animique sese angebat, facti pœnitens.
Mox ut reversus est, clam patrem divortitur
Ad Clitiphonem: is amabat scortum Bacchidem.
Quum arcesseret cupitam Antiphilam Clinia,
Ut ejus Bacchis venit amica, ac servolæ
Habitum gerens Antiphila, factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho: hic technis Syri,
Decem minas meretriculæ aufert a sene.
Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

JO. CALPURNII BRIXIENSIS VIRI CLARISSIMI IN P. SEXTI TERENTII HEAUTONTIMORUMENON PROLEGOMENA.

Hæc fabula, Menandri Græca: quæ facta a Terentio Latina, nomen idem observavit, ne Græci nominis euphoniam perderet: quod Terentius minus laudis existimavit propria scribere, quam Græca transferre. Nomen habet a sene se ipsum excruciante ob filii absentiam: quem amantem, duritia sua in militiam proficisci compulerat: *ἑαυτὸν τιμωρούμενος*, Latine, se ipsum excrucians interpretatur. Illud animadvertendum, omnes Terentianas fabulas ex utroque genere mistas, præter hanc. Nam comœdiæ aut *motoriæ* sunt, aut *stataria*, aut *mistæ*. Motoriæ, turbulentæ: statariæ, quietiores: mistæ, ex utroque actu consistentes. In hac, quæ plurimum delectat et actu et stilo, primæ partes sunt Menedemi et Chremetis: secundæ Cliniæ et Clitiphonis: tertiæ Syri: et sic deinceps. Hæc etiam, ut cæteræ, quinque actus habet, prologum concitatum. Nam et se purgat, et in lædendis adversariis est occupatus. Argumentum quoque non simplicis negotii habet, nec unius adolescentis, ut in Hecyra; sed duorum, ut in cæteris fabulis.

ARGUMENTUM EJUSDEM.

Chremes gravidæ uxori olim interminatus, si puellam pareret, nolle tolli. At illa clam anui Corinthiæ nutriendam dedit. Hanc adultam Clinia, invito patre, amare cœpit; cujus duritia et assiduis jurgiis in militiam proficisci compulsus est. Postea facti patrem Menedemum adeo pœnituit, ut omnia venderet, et agrum emeret, in

eoque se exerceret; ut sic filii injuriam ulcisceretur. Paulo post revertitur Clinia, et clam patre devertitur apud Clitiphonem, qui et ipse amabat scortum Bacchidem. Mittit arcessitum cupitam Antiphilam Clinia: cum qua et Bacchis una venit. Hanc adolescentes Cliniæ amicæ simulant Syri technis. Antiphila ad matrem deducitur; cujus occasione Syrus decem minas meretriculæ aufert a Chremete. Dehinc Antiphila Clitiphonis soror reperitur, et Cliniæ in uxorem datur. Chremes Bacchidem a Clitiphone amari animadvertit: irascitur: minitatur: sed, et Menedemo adhortante, filio ignoscit: et aliam illi dat conjugem. In *primo* actu agitur de conjunctione senum, scilicet Menedemi et Chremetis; simul et de amicitia et familiaritate adolescentium; in qua Clitipho ardentissimus ostenditur. *Secundus* actus continet, quemadmodum adolescentes amicas receperint; simul et Syri callidum consilium. *Tertius* actus exprimit Syri fallaciam in Chremem, ut Bacchidem credat Cliniæ esse amicam, et Antiphilam arrhaboni Bacchidi relictam esse putet pro argento, quod anum Corinthiam meretrici debere finxit. In *quarto* actu agitur de recognitione Antiphilæ, et de extorsione argenti, quod Bacchidi Clitipho promiserat. *Quintus* actus continet omnium rerum conversionem ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum: et quemadmodum Antiphilam uxorem Clinia duxerit; Clitipho vero, dimissa Bacchide, aliam acceperit.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

ANTIPHILA *meretrix.*	CLITIPHO *adolescens.*	PHRYGIA *ancilla.*
BACCHIS *meretrix.*	DROMO *servus.*	SOSTRATA *matrona.*
CHREMES *senex.*	MENEDEMUS *senex.*	SYRUS *servus.*
CLINIA *adolescens.*	NUTRIX.	

Ex sententia Daceriæ scena est in pago suburbano. Quam si sequeris, multa loca lucem aliquam in hac fabula inde accipiunt. Veluti act. i. sc. 2. 17. Clitipho dicit patri se servulum misisse in urbem: Syrus iii. 3. 26. Clitiphoni ait, *Vah, quasi desit locus, abi sane isthac, istorsum, quo vis:* et iv. 4. 9. occurrit *villa*, quæ dicitur proxima *fundo huic*, ubi Bacchis erat, etc. Z.

PUBLII TERENTII

HEAUTONTIMORUMENOS.

ACTA LUDIS MEGALENSIB. L. CORNELIO LENTULO, L. VALERIO FLACCO ÆDILIB. CURULIB. EGERE L. AMBIVIUS TURPIO, L. ATTILIUS PRÆNESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI. GRÆCA EST MENANDRU. ACTA PRIMUM TIBIIS IMPARIBUS, DEINDE DUABUS DEXTRIS. ACTA TERTIO, M. JUVENTIO, M. SEMPRONIO COSS.

PROLOGUS.

Ne cui sit vostrum mirum, cur partis seni
Poeta dederit, quæ sunt adolescentium,
Id primum dicam: deinde, quod veni, eloquar.

1. *Ne cui sit vestrum mirum*] Prologus concitatus: nam et se purgat, et adversarium acriter terret. Actor quoque, ex commodo suo, cur hanc comœdiæ actionem susceperit, causas affert. *Partes seni*] Bene dixit, *partes:* nam quum comœdia quinque actus habeat, erat, ut inquit Pedianus, persona primarum partium, erat et secundarum, et sic reliquarum. Cic. in Divinat. cap. 15. *ut in actoribus Græcis fieri videmus, sæpe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium.* Erant igitur partes senum, erant adolescentum. Hinc tractum est, ut dicatur, meæ partes sunt, tuæ partes sunt. *Seni*] Per *senem* intelligit se ipsum, qui jam senio sit confectus. C.—Omnes hæ comœdiæ de Græco translatæ sunt, a Menandro quidem quatuor, duæ ab Apollodoro. Heautontimorumenos Menandri est; cujus prologus partitionem tenet, in qua docet, quid in quæstione sit, id ipsum ne populus miraretur, dissolvere. *Ne cui sit vestrum mirum, cur partes seni poeta dederit, quæ sunt adolescentium*] Duas partes proponit, unam quod contra consuetudinem senex prologus processit in publicum: solet enim istud officium adolescentibus dari. Ergo quoniam contra consuetudinem in prologum persona processit senex, idcirco hanc primam populo vult solvere quæstionem. E.—Contra morem hic Terentius prologi partes Ambivio ipsi, totius gregis domino et jam seni dedit. Etenim ex Ad. prol. 22. et Plaut. Trin. prol. 16. colligitur, prologos ab aliis esse pronunciatos, non ab actoribus, qui primi in scenam veniant, primasque agant partes. B.

3. *Quod veni*] Deest, propter. C.—*Deinde, quod veni, eloquar*] Altera hæc pars est. Simile autem mihi videtur huic esse principium Divinationis c. 1. Namque et illic, quod subito mutata voluntate ad accusandum descenderat, mirum dixit videri, vel judicibus, vel circumstantibus: ac propterea se primum id velle dissolvere. *Si quis vestrum, judices, aut eorum qui adsunt, forte miratur.* Vides hic verbum *noverit* semper (*mirum ab Cicerone* Z.) apponi: ita enim et hic dixit, *ne cui sit vestrum mirum.* Hanc igitur partitionem solvit, uti dicat, *cur partes seni poeta dederit, quæ sunt adolescentium.* Quod primo proposuerat, primo solvit: *Oratorem me esse voluit, non prologum. Vestrum judicium fecit, me actorem dedit.* Quod autem dixit,

Ex integra Græca, integram comœdiam
Hodie sum acturus Heautontimorumenon:
Duplex quæ ex argumento facta est simplici.
Novam esse ostendi, et quæ esset: nunc qui scripserit,
Et cuja Græca sit, ni partem maximam
Existimarem scire vostrum, id dicerem.
Nunc, quamobrem has partis didicerim, paucis dabo:
Oratorem esse voluit me, non prologum:

quod veni, eloquar, illud est: *nam quod rumores distulerunt malivoli, multas contaminasse Græcas, dum facit paucas Latinas, id esse factum hic non negat.* Ergo ut propositio collocata est, ita etiam solutionis est ordo servatus. Sed nunc ad interpretationem superiorum revertamur. E.—Errant Palmerius et Guyetus, qui, ut sensui consulatur, ordinem hic invertunt, *Id dicam deinde; primum quod veni eloquar.* Nam hic prologus non, ut alias, e scena abit, sed statim Chremetis partes agit. Itaque sensus est: *Id primum dicam*] Sc. cur poeta mihi, non juveni actori, partes prologi commiserit. *Deinde quod veni eloquar*] H. e. fabulam ipsam, ad quam agendam huc veni, post prologi recitationem, peragam. B.

4, 5. *Ex integra Græca*] Terentius Hecyram et Phormionem ab Apollodoro transtulit, reliquas quatuor a Menandro. C.—*Ex integra Græca integram comœdiam sum hodie acturus*] Quoniam Andria ex duabus comœdiis videtur esse confecta, quippe illic et Perinthia et Andria continentur; quod quidem criminis loco adversarius dederat. Ideo hic *ex integra*, inquit, *comœdia integram comœdiam acturus sum*; ne videatur ab altero tacta, aut ipse alteram tetigisse, sed unam comœdiam et integram ad Latinum sermonem interpretatione mutasse. Denique ideo adjecit: *Duplex, quæ ex argumento facta est simplici:* ut simplex argumentum sit, duplex comœdia: dum et Latina eadem et Græca est. E.—*Ex integra Græca*] Glossar. *Integra, id est, a nullo tractata Latinorum. Heautontimorumenon*] Horat. lib. i. Sat. 2. 19.—*vix credere possis Quam sibi non sit amicus: ita ut pater ille Terenti, Fabula quem miserum nato vivisse fugato Inducit, non se pejus cruciaverit, atque hic.* L.—In libri Bembini margine cum per alias comœdias glossemata e Donato adscripta sunt, tum passim in Heautont. multa visuntur, quæ speciem scholiorum Donati præ se ferunt: quorum aliqua ponere non gravabimur; ut ad h. l. EX INTEGRA GRÆCA, *a nullo tacta.* FAERNUS.

6. In libro Bemb. a manu prima fuit *duplici*, quod postea mutatum est in *simplici.* Quæ lectio quamquam est cæterorum codd. legendum est tamen *Simplex quæ ex argumento facta est duplici*, h. e. una fabula, sed argumentum duplex: senes duo, adolescentes duo, amicæ duæ: varii prorsus affectus et eventus, qui tamen arte poetæ sic copulantur, ut una et simplex existat fabula. B.

7. *Et quæ esset*] Id est, quo nomine vocaretur. C.—*Novam esse ostendi*] Propterea, cum a Græco tantum dicta est, et Latine nunc acta est. Nunc primum in scenam procedit, idcirco dicitur *nova*, et, quæ esset, supra dixit, *Heautontimorumenon.* E.—*Qui scripserit*] Sc. Latine, Terentius. *Cuja Græca*] Sc. Menandri. Nam etiam Latini scriptores nomen in prologo interdum dicebant: quem alioqui pars magna spectatorum ignoraverit. B.

8. *Cuja Græca sit*] Antique dictum. C.—*Et cuja Græca sit, ni partem maximam existimarem scire vestrum, id dicerem*] Duplex hic pronunciatio (*propositio* Z.) est, *qui scripserit, et cuja Græca sit, ni partem maximam existimarem scire, id:* ut post inferatur, *Nunc quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.* Illud quod supra positum est, videtur adjectum. Nunc redit ad partitionem supra collatam, cur *partes adolescentium senex sumserit.* E.

10. *Has partes didicerim*] Docet poeta, discit actor, edunt magistri. C.

11, 12. *Oratorem voluit esse me, non prologum*] Officium *prologi* ante narrationem rei semper est: verum tamen et post principium fabulæ inducitur, ut apud Plautum in Milite glorioso, et apud cæteros magnæ auctoritatis veteres poetas. *Oratorem*] Sic in prologo Hecyræ: *Orator ad vos venio cum ornatu prologi. Oratorem*] *Oratorem* audire oportere jus gentium est. *Oratorem* non licet injuriam pati. Ne igitur patiatur injuriam, non se *prologum*, sed *oratorem* nominat. Et *orator* est qui rogat: *exorator*, qui impetrat. Alibi Terent. *Orator ad vos venio, sinite exorator siem.* Et *orator* est, cui causa defendenda mandatur. C.—*Oratorem me esse voluit, non prologum*] Ut apud vos agerem causam potius, non officio fungerer prologorum. Prologi enim, sicuti jam

Vostrum judicium fecit: me actorem dedit.
Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
Nam quod rumores distulerunt malevoli,
Multas contaminasse Græcas, dum fecit
Paucas Latinas: factum hic esse id non negat,
Neque se pigere: et deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod malevolus vetus poeta dictitat;
Repente ad studium hunc se applicasse musicum,

dictum, aut argumentum narrant, aut poetæ personam commendant, aut audientiam postulant: nunc autem ego apud vos acturus sum causam, et defendam, si quod fuerit forte in Terentium ab adversario, loco criminis intentatum. Ideo enim dixit, *vostrum judicium fecit: me actorem dedit. Sed hic actor tantum poterit a facundia, quantum ille potuit cogitare commode, qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.* Poeta, inquit, *me actorem* esse voluit, qui tantum in facundia excellit, et prævalet ingenio, quantum et ego qui eandem comœdiam acturus sum, in agendo prævaleo: ita *hic actor*, hoc est, ego, *tantum potero a facundia*, hoc est, non degenerabo ab eo qui cogitavit. E.

13. *Tantum*] Quasi dicat: actor facundia tantum valebit seu poterit, quantum poeta inventione commoda. *A facundia*] Bene *facundia*, non *eloquentia*. *Facundus* dicitur, qui bene fari potest. *Eloquens*, qui et invenit, et dicit. C.—Ut vanitas tollatur, quæ ab officio prologi abhorret, pro *Sed* reponendum censeo *Si*, ut sit sensus: Dummodo mea facundia, h. e. vox, pronunciatio, gestus poetæ virtutem et industriam possit æquare, quæ expressa est in oratione Chremetis, quam ego postea sum recitaturus. B.

16. *Nam quod rumores distulerunt*] Id quod malevoli vitio dant sibi, sibi laudi ascribit: seque exemplo præstantissimorum poetarum defendit, qui idem factitaverunt. *Distulerunt*, divulgaverunt. C.—*Nam quod rumores malivoli*] Hic jam incipit causam dicere cur venerit, sicut supra diximus, ut purget quæstiones ipsas, et objecta ab adversariis solvat. *Malivoli* autem, quod dixit, vel numero plurali, ut malivoli rumores ipsi: vel singulari, ut sit hujus malivoli, hoc est, Luscii Lanvini. *Distulerunt*, id est, in diversum dissemiarunt. E.

17. *Multas contaminasse*] Hoc est illud quod diximus, quando hic prælocutus est, ut diceret, *ex integra Græca integram comœdiam sum acturus hodie:* ita et hic, hoc sibi crimen dicit objectum, quod Terentius multas Græcas contaminaverit comœdias, dum paucas Latinas facit. Hoc autem crimen Terentius *non negat factum*, sed *sibi licere* demonstrat, et licere scilicet per aliorum exempla. Quemadmodum Tullius dixit, Divin. cap. 2. *Adductus sum, judices, fide, misericordia, multorum exemplo bonorum.* Et hic, *Habet bonorum exemplum.* E.—Sensus videtur commendare lectionem Faerni, quam Bentleius quoque secutus est, *facit*, pro *fecit*. Z.

18. *Factum hic esse id*] Ms. R. *id esse factum hic.* L.—Lege cum omnibus nostris, et edd. vett. *id esse factum hic nón negat.* B.

19. *Autumat*] Opinatur, dicit, censet. C.—*Facturum autumat*] Facturum dicit et profitetur. E.—Pro *facturum*, corrige *factum iri.* B.

20. *Habet bonorum exemplum*] Videlicet Plauti, Nævii, Ennii, quos auctores Terentius habebat, ut in prologo Andriæ fatetur: *Qui quum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium accusant: quos hic noster auctores habet.* C.

22. *Tum quod malevolus vetus poeta*] A natura, *malevolus:* a tempore vel invidia, *vetus:* a signo æmulationis, *poeta*. *Vetus*, plerumque ad laudem refertur, interdum ad vituperationem. *Vetus*, id est, cariosus, et quasi rancidus. *Malevolus*, non criminibus, sed maledictis. C.—*Nam quod malivolus vetus dicit*] Aliud crimen est, quod objectum nunc proponit; quoniam Luscius Lanvinus dicit, Terentium non peritum artis musicæ, ad comœdias scribendas accessisse, præsumente potius ingenio amicorum, non suo. E.

23. *Hunc musicum*] Videlicet poetam elegantem. *Musicus*, Latine dicitur elegans; ἄμουσος vero Græce, inelegans.

Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium vestrum, vestra existumatio
Valebit: quamobrem omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquum possit, quam æquum oratio.
Facite æqui sitis: date crescendi copiam,
Novarum qui spectandi faciunt copiam,
Sine vitiis: ne ille pro se dictum existumet,
Qui nuper fecit servo currenti in via

Musicum] Quinctilianus, Instit. Orat. i. 10. *Nam quis ignorat, musicen, ut de hac primum loquar, tantum illis jam antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iidem musici et vates et sapientes judicarentur.* Et ille apud Aristophanem, Ἴππ. 188. dicit, se *musicam* nescire, præter literas. *Musicam* appellat orbem doctrinæ, literas, prima elementa. C.

24. *Amicum ingenio fretum*] Hoc idem refellit in prologo Adelphorum: *Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles Eum adjutare, assidueque una scribere; Quod illi maledictum vehemens esse existimant, Eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet, Qui vobis universis et populo placent. Amicum*] Pro amicorum, videlicet Lælii et Scipionis, quorum amicitia Terentius familiarissime usus est. C.—Lege cum omnibus fere nostris, et edd. vett. *Repente ad studium se applicasse hunc músicum.* B.

25. *Arbitrium vestrum*] Bene *Arbitrium.* Nam *arbiter* dicitur judex, qui totius rei habet arbitrium et facultatem: horum enim arbitrio et judicio comœdia commendari poterat. C.—*Arbitrium vestrum, vestra existimatio valebit*] Hoc locutionis genus satis mirum est, cum dicit, de hac re vos judicare poteritis, an id quod objicitur nobis, verum sit, ut Terentius non natura sua fretus, neque ingenio, sed amicorum potius, ad scribendas comœdias accesserit. Est namque rumor, quod (excidit, *quia* Z.) Terentius cum Scipione Africano familiarissimus fuit, semper istas comœdias cogitarit (*compilavit* Z.): hoc igitur prologus nititur solvere. Et quoniam non est erubescendum, tali viro fuisse conjunctum, idcirco minus curat hoc crimen dissolvere: dicit tantummodo, *vestrum judicium est, et vestra existimatio.* E.

26. *Quare vos omnes oratos volo*] Hic jam sequitur officium prologi, ut benivolentiam petat: quæ benivolentia et in adversarios odium concitat; quod adjecit: *Ne plus iniquum possit quam æquum oratio; date crescendi copiam novarum rerum, qui spectandi faciunt copiam sine vitiis*] Quoniam petitio generaliter fuerat collocata, uti novis poetis faverent auditores: adjecit *novis;* sed qui sine vitiis comœdias dant, illis Luscius Lanvinus novas comœdias profert, sed cum vitio (*convicio*) adjecit, *Ne ille pro se dictum existimet*] Et ne Luscius Lanvinus etiam pro se petitum arbitretur. E.—*Valebit*] Prisc. lib. vii. L.—Pro *quamobrem*, Bemb. et nostri libri vetustiores recte habent *quare.* B.

27. *Ne plus iniquum possit*] Justam rem petit: quæ quidem, nisi ab injustis, conceditur. C.

31. *Qui nuper fecit servo currenti*] In hoc notatur adversarius, qui decorum personæ non servaverit. Quid enim magis præter servi decorum, quam ut illi *populus in via decedat, et insano serviat?* C.—*Qui nuper fecit servo currenti in via decesse populum*] Proponit vitium quod admiserit poeta Luscius Lanvinus: quippe cum omnis comœdia aut errorem teneat ex amatoribus, aut injuriam meretricum, aut suppositionem filiorum, aut aliquid tale, quod ad moralitatem videtur esse conjunctum. Quod tale hic est, cum servus currit, cum populus decedit, quod domino insano obediat servus: ne potius aliena a comœdiis sint, aperte ait ac breviter ea, quæ sunt comœdiarum, explicemus. Omnis comœdia aut amoris habet agnitionem, aut suppositionem amoris (*liberorum* Z.) habet, ut ex Andria, quam quidem in (*at Andria, in qua quidem* Z.) agnitionem esse cognoscimus: nam cognoscitur Glycerium quia (*cuja*) civis sit. Suppositionem habet, ut apud Plautum qui est Truculentus: militi enim supponitur filius, ut exinde in meretricis affectum arctius et strictius colligetur. Ergo cum videamus hæc esse necessaria in comœdiis teneri, vehementer erravit Lanvinus, qui extra hæc comœdiam instituit: et servum currere, populum per viam discedere, quod insano serviat domino. Unde apertissimum vitium in comœdia reprehendit Terentius. E.—*Servo currenti in via*] Velut Plautus Amphit. iii. 4. Idem, Curculion. ii. 3. Proprie autem servilis ingenii character, per vias currere. Plautus Pœnul. iii. 1. 19. *Liberos homines per urbem modico magis par est gradu Ire: servile esse duco, festinantem currere.* Alexis apud Athenæum. Dipnos. lib. 1. Ἐν γὰρ νομίζω τοῦτο τῶν ἀνελευθέρων Εἶναι, τὸ βαδίζειν ἀρρύθμως ἐν ταῖς ὁδοῖς.

Decesse populum: cur insano serviat?
De illius peccatis plura dicet, quum dabit
Alias novas, nisi finem maledictis facit.
Adeste æquo animo: date potestatem mihi
Statariam agere ut liceat per silentium;
Ne semper servos currens, iratus senex,
Edax parasitus, sycophanta autem impudens,
Avarus leno, assidue agendi sint mihi,
Clamore summo, cum labore maxumo.
Mea causa causam hanc justam esse animum inducite:
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.
Nam nunc novas qui scribunt, nihil parcunt seni:
Si quæ laboriosa est, ad me curritur:
Sin lenis est, ad alium defertur gregem.

Dio Chrysost. ad Alexandr. p. 377. *Πολίους ἐγγὺς οὕτως ὑμῶν ζώντας ἐν ἐλευθερίᾳ, καὶ μετὰ πάσης ἀδείας, ἀλλὰ παρ' ἐκείνοις οὐδὲ τὸ δραμεῖν ἐν τῇ πόλει δοκεῖ μέτριον, ἀλλὰ καὶ τῶν ξένων ἐπιπλήττουσι τοῖς ἐπῇ βαδίζουσι.* Inde Severi Imp. dictum: *Ingenuum currere, nisi in sacro certamine, non debere.* Ælius Lamprid. in Severo. L.

32. Forte pro *decesse* leg. *dixisse*, ut hoc Lavinio vitio vertatur, quod populum in scenam induxerit, cum servo loquentem. Etsi enim in fabulis servus populum alloquatur, seu actor spectatores: nihil tamen ab illis responsi ferunt. B.

35. *Adeste*] *Adeste*, id est, intenti estote, et auxilium ferte, more advocati, qui clienti adest. *Date potestatem, mihi statariam agere*] Ut liceat ad exitum usque fabulæ perpetuo stare, ne videlicet aliqua turba fiat: ut fieri solet, aut ludis funambuli, aut gladiatorum; tunc enim necesse est relinquere comœdiæ actionem. Et bene dixit *Statariam*. *Agi* enim dicitur fabula, cum recitatur. *Stare* cum placet. Est etiam comœdiæ quæ dicitur *stataria* aut *motoria*, a statariis actibus vel motoriis. C.

36. *Statariam agere ut liceat per silentium*] Quidam *statariam* genus esse putant comœdiæ: alii, in quibus stantes, unde hanc *statariam* nominant. Mihi enim (*autem* Z.) videtur, *statariam agere ut liceat per silentium*, ideo dixisse, ut perpetuo et stabiliter agatur hæc comœdia, neque populi adversis suffragiis foras pellatur. Ideo adjecit, *ut liceat per silentium*, et subjungit: *Ne semper servus currens, iratus senex, etc. assidue agendi sint mihi, clamore summo, cum labore maximo.* Hæc autem, quæ nunc nominantur, propria videntur esse personarum. Nam servi officium est *currere*, senis *irasci*: parasitus autem *edax* est, *impudens* sycophanta, leno *avarus* est; ergo sunt hæc propria sermonis, quæ necesse habeo ex necessitate personarum complere. Debetis mihi potius favere, quam adverso suffragio conatus facere. E.—*Statariam agere*] Sc. fabulam, in qua non sunt magni labores, vehementiores commotiones. Nam ratione commotionum, seu *τῶν παθῶν*, comœdia, auctore Donato, dicitur vel *stataria*, ubi sedati et leniores dominantur affectus; vel *motoria*, quæ vehementioribus assurgit motibus; vel *mixta*, in qua utrumque illud temperatum est genus. Z.

37. *Ne semper servus currens*] Exprimit varias personas, quæ in comœdiis introducuntur, quibus ars comica valde nobilitatur. Inducitur autem *leno perjurus, amator fervidus, servus callidus, et amica illudens, et uxor inhibens, et mater indulgens, et patruus objurgator, et sodalis opitulator, et miles præliator, parasiti edaces, parentes tenaces, et meretrices procaces.* C.

41. *Mea causa causam hanc justam*] *Παροιμιακὸν.* C.—*Mea causa causam hanc justam in animum inducite, Ut aliqua pars laboris minuatur mihi*] Quantum ad eum, qui comœdiam scribit, pertinet: potuit enim secundum morem ingenio universa complere. Ergo quia hæc pronunciaturus sum, necesse habeo silentium. Ideo, inquit, propter me hanc mihi operam exhibete, ut cum silentio attendatis. E.

44. *Si qua laboriosa'st*] Justum etenim est seni in re laboriosa favorem præstare. C.—*Si quæ*, quod est in Bembino, exigitur a versu. Vulgo habent *Si qua*. B.

45. *Ad alium gregem*] *Gregem* cum contemtu dixit, alios actores parvi faciens. *Gregem* appellat scenicorum turbam. Plautus in prologo Asinariæ, versu 2. *Quæ*

In hac est pura oratio: experimini,
In utramque partem ingenium quid possit meum.
Si nunquam avare pretium statui arti meæ,
Et eum esse quæstum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vestris commodis:
Exemplum statuite in me, ut adolescentuli
Vobis placere studeant potius, quam sibi.

ACTUS PRIMI SCENA PRIMA.

CHREMES. MENEDEMUS.

QUAMQUAM hæc inter nos nuper notitia admodum'st,

quidem mihi atque vobis res vertat bene, Atque huic gregi. C.—*Si lenis,* habent Bembinus et alii. B.

46. *Est pura oratio*] Hoc est, nitida, quæ facile assensum auditorum ineat. C. —*In hac pura est oratio*] Quoniam sicut (*supra* Z.) dixerat, laboriosas potius comœdias ad se deferri, leves ad alium: ne præjudicium huic comœdiæ fecisse videretur, quod ipse dicit illa aut exinde jam a superiori populo judicare posset (*dicit laboriosam, et ut exinde jam a superioribus populus dijudicare p.* Z.) adjecit, *in hac pura est oratio: experimini in utramque partem ingenium quid possit meum.* Non omnia æqualitas, modo utrumque possunt (*Non omnia æquabiliter; modo utrumque possum* Z.): et levia perferre, et gravia complere. Ita ait *in utramque partem:* quoniam semper in asperioribus comprobastis; nunc quoque levioribus nosse (*favere* Z.) debetis. E.

48. *Si nunquam avare pretium statui*] Per hæc verba Terentius demonstrat, quam gravis auctor sit, qui suas comœdias probet. Sic Horat. lib. ii. ep. 1. 81. *Et cum reprehendere coner, Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit.* C.

49. *Et eum esse quæstum*] Nonnunquam subauditur, *si*, ut sit, *et si eum quæstum.* C.

50. *Servire vestris commodis*] Plus dixit *commodis*, quam si diceret *voluptatibus.* C.

51. *Ut adolescentuli vobis placere studeant potius quam sibi*] Si mihi nunc honorem per silentium dederitis, facile eos (*eo* Z.) adolescentes compelletis, ut vobis placere potius velint, quam sibi: quoniam officium prologorum adolescentes sumunt, multa in comœdiis ipsi acturi sunt, ita (*ut, ita* Z.) factum cum mihi ex hac actione esse cognoverint, facile ipsi laborem hunc capere possint, ut vobis placeant. E.

52. *Vobis placere studeant potius, quam sibi*] *Sibi placens αὐθάδης, αὐτάρκης.* Ut Petron. cap. 126. *Nolo tibi tam valde placeas.* Martial. v. 57. *Noli tibi, Cinna, placere.* Sic apud Querol. *Sibi sufficiens, αὐτάρκης.* L.

1. *Quamquam hæc inter nos*] Bene ex arte comica senex opitulator inducitur, qui et miseria et tristitia alterius valde commoveatur. Simul amborum senum conjunctio et familiaritas, ad id quod secuturum est, non parum accommoda futura est. Simul exprimitur a poeta mutua miseratio, quæ inter senes esse solet, et oratio senilis prolixa. *Quamquam hæc inter nos*] Exordium est, et oratori congruum. Quod enim exigua notitia, aut nuper incepta, vel nulla consuetudo anteactæ vitæ facere prohibet, id vel virtus, vel propinquitas cogit. C.—*Quamquam hæc inter nos*] Hæc scena continet injustam accusationem, quod gravis senex de se exigat pœnas, defensionemque continet justam: memorat quippe ita se meritum, ut ipse de se exigat pœnas. Quare qualitatis esse intelligimus status; et non tam esse accusationem, quam objurgationem. Hujusmodi etenim in auctoribus, qui non apud judicem controversiam dicunt, vim debemus potius intelligere, quam controversiam: non enim judices præsunt. Sed quoniam talis est actio, ut videatur vim controversiæ continere, idcirco status hic est, et secundum istum cuncta dicuntur. Ergo in hac scena status qualitatis est absolutæ, utrum juste fecerit, vel faciat, quod de se senex exigat pœnas. Quam rem docet juste fieri, ex eo quod se meritum dicit, propterea quia ipse filium suum, amantem adolescentum more, miserit in militiam duram, sæpius accusando; inde sibi juste imponi has ipsas, quas implet, gravissimas pœnas. *Quamquam hæc*] Chremes vicinus, cum conspiceret senem, eundemque olim divi-

Inde adeo quod agrum in proximo hic mercatus es;
Nec rei fere sane amplius quicquam fuit:
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto,
Facit, ut te audacter moneam et familiariter;
Quod mihi videre præter ætatem tuam
Facere, et præterquam res te adhortatur tua.
Nam pro deum atque hominum fidem, quid vis tibi?
Quid quæris? annos sexaginta natus es,
Aut plus eo, ut conjicio: agrum in his regionibus
Meliorem, neque preti majoris nemo habet;
Servos complureis: proinde quasi nemo siet,

tem, graviter laborare, ac tota die in opere consistere vehementer, accedit interrogans: et, ut oportet apud ignotum, longa utitur oratione, simulque sibi etiam quæstionem facit, et quasi ipse sibi respondet. Quo pacto vim ostendit ejus qui interrogat, cum sit ignotus. Aliter enim senem in dolore positum, et calamitatibus pressum ad loc[o] (*utionem edet fabulas.* Sic ex Ms. lacunam Lindenbrogii supplevit West. qui recte pro *edet* corrigit, *et ad* Z.) provocare non posset, nisi secum in se interrogans illud ita loqueretur, uti adjiceret quæ ipse respondere potuisset. Ac primo purgat personam: quamvis antea familiaritas nulla fuerit, audeat tamen hodie accedere, et eum alloqui; dicit ergo, quod nimius labor, quem ipse de se exigat ille qui senex et dives est, in se taciturnitatem esse non permiserit, sed potius compulerit ad interrogandum; etiamsi parva amicitia fuisset atque notitia, ex hoc quod vicinum agrum non longe ante mercatus est. E.

3. *Nec rei sane amplius*] Nec aliquid inter nos fuit rei, ex quo facilius jungeremur. E.

4. *Vicinitas*] *Vicinia* non tam homines, qui eundem incolunt vicum, significat, quam qui prope domum tuam habitant. *Vicinitas* autem non homines, sed propinquitatem proprie vicinorum. C.—*Vel virtus tua me*] Quam honesto verbo usus: laborem et calamitatem virtutem potius nominavit[o] (adde, *quam miseriam et sordes.* Z.). E.—*Vel vicinitas*] Serv. Virg. Eclog. iii. 53. L.

5. *In propinqua parte*] Vicinitas agrorum et domorum, quasi quædam pars amicitiæ est. E.—Sive *amicitiæ* in genitivo accipias, sive dativo, commodum sensum non efficies. Igitur corrigendum puto locum ita: *Quod ego esse in aliqua parte a. p.* Certe Eugraphius videtur *aliqua* legisse. B.—Non putaverim emendatione opus, cum commodus efficiatur sensus, si *quod* ad utrumque et virtutem et vicinitatem retuleris, adeo ut hic contineatur causa, cur ob virtutem Menedemi et vicinitatem sustineat facere id, quod alias munus amicitiæ ac familiaritatis soleat esse. Itaque *propinqua pars amicitiæ* videtur esse res, seu munus, quod proxime accedit ad vim, naturam, et officium amicitiæ; res, quæ vicem seu locum tenet amicitiæ. Sic certe Græci dicunt ἐν μέρει τιθέναι. Z.

6. *Audacter moneam et familiariter*] *Audacter*, quod quædam dicturus est, veluti accusans: *familiariter*, quod ita accedit, quasi ex notitia præterita. E.

7. *Quod mihi videre, etc.*] Ipse partitionem suam persequitur: nam propter ætatem sic subjungit: *Annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut conjicio; agrum in his regionibus meliorem, neque pretii majoris, nemo habet. Meliorem* ad usum refert: *pretii majoris*, ad opinionem populi de ipso agro. E.

9. *Nam pro deum atque hominum fidem!*] Exclamatio vehemens est in eum, qui et senex et dives continuo se labore defatiget, et eo magis Chremes admiratur hujus laborem, nondum intellecta causa. C.—Conjunctio *aut*, post *fidem*, abest a melioribus libris. B.

11. *Ut conjicio*] Id est, conjecturam capio. Hinc conjectura dicta est a *conjectu*, id est, a directione quadam rationis ad veritatem. Unde etiam somniorum atque omnium interpretes, *conjectores* vocamus. C.—*Agrum in his regionibus*] Servius Æn. ii. L.—Deleo, *eo*, et lege, *Aut plus, ut conjicio.* B.

12. *Nemo*] Pro quisquam. C.

13. Lege vel cum Guyeto; *Servi complures*, vel *Servos non plures*, ut adeo particula *non* eodem dicatur modo, quo ante *neque*. Certe vulgaris lectio locum non habet, quia *complures* vim gradus compa-

Ita tute attente illorum officia fungere.
Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
Domum revertor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique
Nullum remittis tempus; neque te respicis.
Hæc non voluptati tibi esse, satis certo scio:
At enim dices, quantum hic operis fiat, pœnitet.
Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.
MEN. Chreme, tantumne est ab re tua otii tibi,

rativi non habet, qui a sensu exigitur. B.

14. *Tute illorum officia fungere*] Nunc dicimus *officiis fungeris*. *Fungor* idem est quod officium munusque ago: ut, *fungor magistratu, fungor legatione*. C.—Omnes nostri male, *Ita attente tute*. B.

15. *Nunquam*] Deest Nam. *Tam mane*] Modo adverbium: alibi nomen videtur: ut, Virg. Georg. iii. 325. *dum mane novum*. Pers. Sat. iii. 1. *jam clarum mane fenestras intrat*. C.—*Nunquam tam mane, etc.*] Hic est labor ille qui fit plurimus, quo cotidie . . . (*in alio*, addit Ms.) labore constitutus, quod *aut fodere* invenitur, *aut aliquid facere*. E.

16. *Quin te in fundo conspicer*] *Quin*, pro quod non, hoc in loco: alias pro cur non, pro etiam, pro quare, ponitur. *In fundo*] Superius dixit, *agrum in proximo hic mercatus es*. *Fundus* enim ab agro continetur. De quo Cicero in quodam joculari libello, *Fundum vero* (leg. *Varro*) *vocat, quem possit mittere funda, Ni lapis excideri, qua cava funda patet*. C.

17. *Denique nullum remittis*] *Nullum remittis*, ad illud pertinet quod dicit, *nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi domum revertor*. E.—*Fodere aut arare*] Sic Varro de re Rustica, lib. i. cap. 31. *vineas novellas fodere aut arare*. Tangit autem hunc locum Terentii Cicero de Finib. initio lib. i. *Etenim si delectamur, cum scribimus; quis est tam invidus, qui ab eo nos abducat? sin laboramus; quis est, qui alienæ modum statuat industriæ? nam, ut Terentianus Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult fodere, aut arare, aut aliquid facere denique. Non enim illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret: sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis injucundus labor*. Vid. Priscian. lib. viii. L.—Etsi Bentleius lectionem *aut aliquid facere denique*, quam reperit in uno cod. et vett. edd. et quæ a Donato ad Phorm. i. 2. 71. est expressa, sensus gratia præferendam putat: vulgaris tamen lectio, cum et Ciceronis auctoritate de Fin. i. 1. et sensus præstantia comprobetur, haud dubie retineri debet. Nam ferre aliquid, seu gestare laboribus rusticis probe convenit. Cæterum post *denique* interpungendum est. Nam Terentius hanc particulam solet in fine sententiæ ponere, ut Phorm. i. 2. 72. et Eun. i. 2. 78. Z.

18. *Remittis, neque te respicis*] Nihil significantius de eo qui nihil sibi parcit, nec sui miseretur. Nam qui aliis *remittit* aliquid, id est, condonat, is est facilis et mitis naturæ. C.—*Neque te respicis*] Ad illud, vel quod senex est, vel quod dives. E.

20. *At enim dices*] Anthypophoræ respondet. *Pœnitet*] Id est, parum videtur. *Pœnitet* enim eum qui parum putat. Alibi Terent. *Nostri nosmet pœnitet*. Virgil. in Bucol. ii. 34. *Nec te pœniteat calamo trivisse labellum*. Cicero ad filium, Off. i. 1. *Quoad te, quantum proficias, non pœnitebit*. C.—*At enim dices*] Optime, ut diximus, ratione, ipse sibi quæstionem facit, et utitur respondentis ratione, ut eum provocare possit ad loquendum, qui frequenter pressus dolore conticescit. *Sed dices mihi*, inquit, *pœnitet me, quantum hic operis fiat*: cui respondet, tanquam hoc sibi propositum sit: *Sed in opere faciendo quod consumis, si id consumas in exercendis servis, plus agas*. E.—Lege cum Mureto *At enim me, quantum hic operis fiat, pœnitet*. Nam præterquam quod *dices* sensum turbat, et in codd. incertam habet sedem, nec Servius ad Eclog. ii. 34. et Æn. i. 552. ubi *pœnitet* explicatur per *parum videtur*, illud verbum legit. B.

21. *Quod in opere faciundo*] *Opera* est actio, et persona ipsa quæ opus peragit. *Opus*, finis est et fructus operæ. Nonnunquam *opus* pro *opera* videtur accipi. Virgil. Æn. viii. 415. *Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit*. C.

22. *In illis exercendis*] Qui aliis præest, ut paterfamilias, aut imperator, plus efficit sua adhortatione quam opera. C.

23. *Tantumne est ab re tua otii tibi*]

Aliena ut cures; eaque, nihil quæ ad te attinent?
CH. Homo sum: humani nihil a me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta.
Rectum'st, ego ut faciam: non est, te ut deterream.
MEN. Mihi sic est usus: tibi ut opus facto'st, face.
CH. An cuiquam est usus homini, se ut cruciet? MEN. Mihi.
CH. Si quid laboris est, nollem: sed quid istuc mali est,

Difficilis, ut inquit Cicero, Officiis i. 9. *est cura rerum alienarum. Nam ea magis percipimus atque sentimus, quæ nobis ipsis, aut prospera, aut adversa eveniunt, quam illa, quæ cæteris: quæ quasi longo intervallo interjecto videmus: aliter de illis, ac de nobis, judicamus. Ab re tua*] Id est, a negotiis tuis familiaribus. Dicitur etiam *ab re tua*, contra utilitatem tuam; sicut *e re tua*, et *e republica*, id est, pro re tua, et pro republica. C.—*Tantumne est ab re*] Bene tanquam alienum alloquitur Menedemus, ut illi et otium esse dicat, et tantum otium a rebus suis, *ut aliena curet, et ea quæ ad se nihil attinent.* E.—*Tantumne est ab re tua*] Augustin. Epist. 51. *Hinc et ille comicus, (sicut luculentis ingeniis non defuit resplendentia veritatis) cum ab uno sene alteri seni dictum componeret: Tantumne ab re tua est otii tibi, aliena ut cures, eaque quæ nihil ad te attinent?*] *Responsum ab altero reddidit: Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Cui sententiæ ferunt etiam theatra tota, plena stultis indoctisque, applausisse.* L.—Colloca, *ab re tua'st.* Nam sic est non modo apud Cic. lib. xii. ad Atticum, sed et in Bemb. et aliis codd. B.

24. *Eaque nihil quæ*] V. C. *Ea quæ nihil ad te.* Menander: Ἃ μὴ προσήκει, μήτ' ἄκουε, μήτ' ὅρα. L.—Omnes nostri cum edd. vett. habent, *ea quæ nihil ad te attinent.* B.

25. *Homo sum: humani a me nihil alienum puto*] Hoc ex Platonis sententia, qui inquit: *Ortus nostri partem patriam vendicare, partem amicos.* Et ut Stoicis placet, *quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creantur.* Homines autem hominum causa generantur, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint. C.—*Homo sum: humani*] Cicero, lib. i. de Legib. *Quod si quomodo est natura, sic judicio homines humani, ut ait poeta, nihil a se alienum putarent.* Idem lib. de Officiis i. 9. *Difficilis cura rerum alienarum: quanquam Terentianus ille Chremes humani nihil a se alienum putat.* Seneca, Epist. 95. *Iste versus et in pectore et in ore sit*, Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Ambrosius de Officiis, lib. iii. cap. 7. *Homo nihil alienum a se debet credere, quicquid humanum est.* Pontius Paulin. Epist. 31. *Non enim sibi habentes habebant, sed nemo quicquam dicebat suum, et humani nihil a se alienum putabant.* Johan. Sarisber. Epist. 197. *Amentis est; non amantis, se et sua curare duntaxat, quæ aliorum sunt ducere aliena. Humanum, teste comico, nihil caritas a se reputat alienum.* Idem Epist. 229. L.—*Humanum* hic non ad errores et peccata esse detorquendum, qui est error vulgaris, sed de sensu, qui vel ex malo vel bono quod alteri evenit, percipiatur, et omnino de cura alienarum rerum, intelligendum, quæ est vera Ciceronis interpretatio, dudum ostendit Lindenbrogius. Cæterum Daceria ex loco quodam Augustini commemorat, hunc versum, cum recitaretur, spectatoribus tantopere placuisse, ut universum theatrum plauderet. Z.

26. *Percontari*] Id est, interrogare. *Percontari* suapte natura ad finem spectat coarguendi. Interrogamus, noscendi gratia: *Percontamur* vero, arguendi: quamvis tamen utroque indifferenter utamur. C.—*Vel me monere hoc, vel percontari*] *Monere*, si sciam quod faciat (*facias* Z.): *percontari* si nescit (*nesciam* Z.). E.

27. *Rectum'st, ego ut faciam*] Ad superiora pertinet sensus, ut intelligi possit; *vel percontari puta, si rectum est*; ideo quæro ut faciam; si non est rectum, ut te deterream. E.—Per interrogationem pronuncia; *Rectum'st? ego ut faciam; non est? te, etc.* Hoc enim est, quod *percontari* dixit. B.

28. *Usus*] Modo opus significat: alias utile: ut, opus est facto, pro facere. Sic Sallust. Bello Catil. i. *Nam et priusquam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est.* Ponitur igitur hic ablativus participii præteriti temporis pro infinitivo; sicut ibi *consulto*; i. e. consulere, et *facto*, i. e. facere. C.—*Mihi est usus*] Mihi sic expedit. E.

29. *Mihi*] Non repugnat sententiæ Chremetis, sed se solum meruisse dicit ut crucietur. C.

30. Etsi versus, uti in omnibus codd. reperitur, laborat metro: is tamen cum Guyeto non tanquam spurius et Terentio indignus est expungendus. Sed emenda vel, *Si quid labori est*: vel, quod magis placet, *Si quid laboris, nollem, etc.* Nam sequitur, *quid mali.* B.

Quæso? quid de te tantum meruisti? MEN. Eheu.
CH. Ne lacruma; atque istuc, quicquid est, fac me ut sciam:
Ne retice: ne verere: crede, inquam, mihi,
Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.
MEN. Scire hoc vis? CH. Hac quidem causa, qua dixi tibi.
MEN. Dicetur. CH. Istos rastros interea tamen
Adpone: ne labora. MEN. Minime. CH. Quam rem agis?
MEN. Sine, vacivom tempus ne quod dem mihi
Laboris. CH. Non sinam, inquam. MEN. Ah, non æquom facis.
CH. Hui, tam gravis hos, quæso? MEN. Sic meritum'st meum.
CH. Nunc loquere. MEN. Filium unicum adolescentulum
Habeo: ah, quid dixi, habere me? imo habui, Chreme:
Nunc habeam, necne, incertum'st. CH. Quid ita istuc? MEN. Scies.

31. *De te meruisti?*] Dicimus autem *mereo* et *mereor*. *Mereor de te*, est aliquid in te confero vel bonum vel malum. C.—Ut hianti versui succurras, pro *eheu* corrige *oiei*. Vide ad Eun. iv. 4. 47. B.

33. *Ne retice*] Bene *retice*: nam *reticemus* dolores: *obticemus* pudenda: *tacemus* secreta; ut, Æn. ii. 94. *Nec tacui demens.* In Eunucho, *Virgo conscissa veste lacrumans obticet.* C.—Post *crede mihi*, h. e. committe mihi id secretum, quod retices, interpunctione majori est opus. B.

34. *Aut consolando, aut consilio, aut re juvero*] His tribus adhibitis, quid amplius in vera amicitia exoptandum? C.—*Aut consolando, aut consilio, etc.*] Apponit causas, cur aliena incommoda queri (*quærere* Z.) videatur. Hoc enim quod interrogo, proderit tibi * (Supple e Ms. *Aut enim grande malum, et consolatione te adjuvero, si subveniri potest.* RE ADJUVERO) Ita boni amici ordinem custodivit, ut crederet se aliquo modo prodesse. * (Quæ hinc sequuntur usque ad ver. 47. hausta sunt e cod. quo Westerh. est usus. Z.). E.

35. *Hac quidem causa, qua dixi tibi*] Quum Menedemus tantum illud posuerat, uti diceret, *Scire hoc vis?* ille continuo repudiaret ad (*repudiavit hanc* Z.) causam, uti diceret, Non rem scire cupio, sed hac causa scire cupio, qua dixi, ut aut consolari te possim, aut consilio, aut re adjuvare possim. E.

36. *At istos rastros*] Dicimus *rastrum* in singulari et *rastri* in plurali. Dicti autem sunt a *radendo*, quod terram radant. C.—*Istos*] V. C. et Ms. R. *At istos.* L.—Omnium Faerni et nostrorum codd. consensu leg. *At istos rastros.* Deinde in versu sequenti meliores codd. habent *adpone*, h. e. *depone*, quod in quibusdam reperitur. B.

37. *Depone*] In tempore. *Ne labora*] Id est, noli te vexare, aut te ita labore conficere. Interdum *ne labora* significat, ne cura, noli curare. C.—Vulgo, inprimis ob verbum *labora*, opinantur, Menedemum rastris opus fecisse in præsentia. Sed valde placet Daceriæ sententia, quæ ait, illum ex agro redeuntem vesperi hic rastros humeris gestare. Nam præter picturam, quæ in cod. reg. Menedemum gestantem exhibet, sequentia quoque illam sententiam comprobant. Nam Menedemus quamquam negat, se laborem fugere et sibi parcere posse, tamen non pergit *opus facere*, sed *ire*, ut Chremes solus relinquatur. *Laborare*, ut Gr. πονεῖν, sign. sibi non parcere, se non respicere, dolere animo, aut duriter se habere. Certe *labor* in versu 30. non de opere faciendo intelligi debet, sed de ægritudine, seu de causa summæ ægritudinis. Denique Chremes in versu 17. dicens *ferre*, videtur hos ipsos rastros significare. Z.

38. *Sine, vacivom*] Ms. R. *Sine me, vac.* L.—Leg. *Sine me, vacivom, etc.* Certe *vacuum*, quod vulgo legunt, repugnat versui. B.

39. *Non sinam, inquam*] Hæc magis gestu exprimuntur. C.

40. *Hui, tam graves*] Aposiopesis: et admiratio ponderis rastrorum, quibus senex utitur. *Hui*] Miserantis exclamatio est. C.

41. *Filium ego adolescentulum habeo*] Hic narratio incipit, cur se senex puniat. E.

Est e Corintho hic advena anus paupercula:
Ejus filiam ille amare cœpit perdite,
Prope jam ut pro uxore haberet: hæc clam me omnia.
Ubi rem rescivi; cœpi non humanitus,
Neque ut animum decuit ægrotum adolescentuli,
Tractare; sed vi, et via pervolgata patrum.
Quotidie accusabam: Hem, tibine hæc diutius
Licere speras facere me vivo patre,
Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?
Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia.
Ego te meum esse dici tantisper volo,
Dum, quod te dignum'st, facies: sed si id non facis,
Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio.
Ego istuc ætatis, non amori operam dabam,
Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem; atque ibi

44. Est e Corintho hic advena anus paupercula] Et hæc narratio est ad personam declarandam ejus mulieris, quæ puellam tulit illam, quæ Chremetis filia est. Quæ nunc posita narratio ad illam superiorem conjungitur et adnectitur? E.

45. Perdite] Bene *perdite*. Nam *perditus* est, qui in omne scelus est traditus. *Perdite*] Adverbium, i. e. misere et nimis vehementer, et in perditionem morum suorum. C.—*Cœpit perdite*] Ms. R. *Virginem*. L.—Pro *perdite*, probanda est lectio codd. quorundam, *virginem*. Certe est nomen honestius, et tollit suspicionem vitæ meretriciæ. B.

47. Cœpi non humanitus] Hic jam se arguit, quod juste de se exigat pœnas: siquidem, cum animadvertisset filium amare mulierem, non humano modo, neque uti decuit, adolescentuli animum sic tractavit, sed aperte vi et more patrum cotidie accusavit. Subjungit deinde allocutionem, qua usus est cum accusaret filium: *Ego te meum tantisper dici volo, Dum quod te dignum est facies.* Dici te filium meum tam diu volo, quam diu facis quod te dignum est. Sin autem non feceris, ego inveniam quod in te dignum sit facere. E. —*Ubi rem*] Ms. R. *Ubi id. Humanitus*] Φιλανθρώπως. Diomed. lib. i. L.—Pleriqueque nostri, *Ubi id rescivi*. B.

48. Animum ægrotum] Pro *ægro* dixit. Nam animus, *æger*; corpus vero, *ægrotum* dicitur. Non tamen inconvenienter id quod corpori appropriatur, attribuit animo; provenit enim menti vel animo ægritudo ex carnis lascivia. C.

49. Et via pervolgata patrum] Patres bonis institutis, aliorum exemplis, nonnunquam minis, filios ad virtutem adhortantur. C.—*Via* hic est monosyllabon, ut Hec. i. 1. 16. B.

50. Hem, tibine hæc] Interjectio indignantis. C.

54. Tantisper volo] *Tantisper* postulat post se *dum*, pro donec sive quamdiu. Cicero, de Invent. ii. 50. *In carcere ductus, ut ibi esset tantisper, dum culeus, in quem dejectus deferretur, compararetur.* Sunt qui accipiant *tantisper*, pro tantummodo; sunt qui pro interea. Livius lib. i. 3. ab urb. cond. *Tamen id imperium ei ad puberem ætatem incolume mansit, tantisper tutela muliebri.* Et *tantisper* sine *dum* usus est. C.—*Ego te meum esse*] Multa hic efficta ad Plaut. Mercatorem i. 1. 49. ut illud,—*interdum mihi se colloqui, Abnuere, negitare adeo me natum suum.* Et mox post ver. 62. *Non, ut ego, amori neque desidiæ in otio Operam dedisse.* Quod geminum cum illo Terentii, *Ego istuc ætatis, etc.* L.

57. Otio] Id est, cessatione et requie ab operibus. *Diuturna quies vitiis alimenta ministrat.* C.—Ne *nimio*, quod præcipuam emphasin habere oportet, in Thesi occultetur, repone, *nisi nimio ex otio*. B.

58. Ego istuc ætatis] Id est, cum essem ea ætate, qua tu es. Dicit eodem modo Cicero in epistolis, *id ætatis*, pro, ea ætate. *Non amori operam dabam*] Bene senex juxta Horatii præceptum Art. Poet. 173. *laudator temporis acti* inducitur. C.

59. In Asiam] Quæ est tertia pars orbis, et provincia in ea parte ejusdem nominis. *Propter pauperiem*] Quia unusquisque cupit pauperiem fugere, tanquam magnum malum, ut inquit Horatius. *Prop-*

Simul rem, et gloriam armis belli repperi.
Postremo adeo res rediit: adolescentulus
Sæpe eadem, et graviter, audiendo victus est.
Putavit me et ætate et benevolentia
Plus scire et providere, quam se ipsum sibi:
In Asiam ad Regem militatum abiit, Chreme.
CH. Quid ais? MEN. Clam me est profectus; mensis tris abest.
CH. Ambo accusandi: et si illud inceptum, tamen
Animi est pudentis signum, et non instrenui.
MEN. Ubi comperi ex iis, qui ei fuere conscii,
Domum revertor mœstus, atque animo fere
Perturbato, atque incerto præ ægritudine:
Assido; accurrunt servi; soccos detrahunt:

ter pauperiem] *Paupertas* est mediocrium, *pauperies* mendicorum. C.

60. *Rem et gloriam*] Hæc duo potissimum a militibus strenuis comparantur. *Res* tria notat, imperium sive divitias, litem, et Venerem. *Armis repperi*] Alii codices non habent cum armis belli, et tunc armis belli intelligatur, i. e. per præclara gesta, quæ gessi in bello. C.—*Simul et rem, et gloriam*] Ut uno tempore militiæ labore proprio, et fortunas reperirem et dignitatem. E.

62. *Audiendo*] Scilicet sæpe eadem convicia et probra. *Victus est*] A proposito malo amoris deflexus. Et ita laudat filium, qui in malo non fuerit pertinax, ut multi sunt. *Victus est*] Non cessit aut paruit, sed, quod est oppressi, victus est. C.—*Sæpe eadem, et graviter*] His onerat causam suam, quod frequenter dixerit, et graviter. Tandem adolescens victus discesserit in militiam. E.

63. *Putavit me*] Clementissimus pater filium laudat, quod non pertinax in malis, ut multi, fuerit, C.—Etsi Bembinus videtur habere *sapientia*; tamen et codd. fide, et sensu probatur *benevolentia*. Nam ut *plus scire* refertur ad *ætatem*, ita *providere* ad *benevolentiam*. B.

65. *In Asiam ad Regem militatum*] Singula in pronunciatione sunt collocanda (elevanda Z.). Nam *in Asiam*, quod dixit, intelligere debemus in longinquum locum. *Ad Regem* vero hoc est, quasi ad servitutem. *In militiam*, ubi scilicet durus labor et periculum est. E.—*In Asiam ad Regem*] Etiamsi Daceriæ concedamus, Menandrum vixisse temporibus Seleuci Regis: non tamen reprehendi possunt, qui ob usum loquendi, Regem Persarum intelligunt. Nam sæpe argumentum fabularum petitur ex historia antiquiori. Z.

66. *Clam me est profectus*] Hic curavit quod facile illi poterat opponi: cur ergo non, cum eum videres proficisci, * (adde, *retinuisti?*) *Menses tres abest*] Hic dolorem suum exprimit, temporis longinquitate. E.—Magis animus paternus et affectus exprimitur, si legeris, *est profectus*: quam si cum Faerno deleveris *est*. B.

67. *Ambo accusandi*] Nec dum tota exposita est (deest, *causa* Z.) idcirco æqualem partem accusationis suæ posuit Chremes, quod dixit, *ambo accusandi*. Quamquam inclinavit ut adolescentem defendere videatur, cum inquit, *etsi illud inceptum* videtur esse *prudentis animi signum*, et non minus obsequentis. Hoc est enim quod dixit, *non instrenui*. E.

69. *Ubi comperi*] Hæc oratio tota pathetica est. Et bene *comperi*, compertum est mihi, et exploratum; idem est quod scio per investigationem. C.—Nostri omnes, *qui fuere ei conscii*. Recte. Quippe Trochæus in illa sede ne Græcis quidem ipsis placet. B.

71. *Atque incerto*] Fracto, ut dicimus. Certo animo, id est, forti et firmo. C.—Omnes nostri, præter unum, habent *conturbato*, quod plus est quam *perturbato*, Deinde cum, *incertus præ ægritudine*, h. e. dubius, quid faciat, utrum ægritudini se dedat, an iræ potius indulgeat ac vindictæ, non satis commodum efficiat sensum: forte leg. *inerti*, h. e. omnis consilii expertus, stupenti. Præsertim cum in cod. C. C. C. a manu prima ita legatur, et in vet. cod. Acad. *incerti* inveniatur. B.

72. *Assideo*] Id est, juxta aliquid sedeo. Nam componitur ex *ad*, quod est, juxta, et *sedeo*. Vel compositum pro simplici. *Assideo*] *Sedemus* sedia: ut, Virg. Æn. xii. 15. *sedeant spectentque Latini*. *Residemus* otio: ut, Virg. Æn. i. 722. *Jam pridem resides animos*. *Præsidemus* rei commissæ, ut provinciæ. *Assidemus* in re, quam frequenter agitamus. *Accurrunt servi*] Talc illud in Andria, *Accurrit*:

Video alios festinare, lectos sternere,
Cœnam apparare: pro se quisque sedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam.
Ubi video hæc, cœpi cogitare: Hem, tot mea
Solius solliciti sunt causa, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me vestiant? sumtus domi
Tantos ego solus faciam? sed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea'st,
Eum ego hinc ejeci miserum injustitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam; nam usque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas injurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quærens, parcens, illi serviens.
Ita facio prorsus: nihil relinquo in ædibus,
Nec vas, nec vestimentum: corrasi omnia.

mediam mulierem amplectitur. Soccos detrahunt] *Soccus* calcei genus est, dictus, ut aliqui volunt, quasi *saccus*, quia calcationi sit facilis, quas pedithecas vocant. Eo autem calceamento comœdiarum actores utebantur, quemadmodum *cothurno* tragœdi. Usque adeo, ut pro stilo comico poni possit, quemadmodum cothurnus pro stilo tragico. C.—*Soccos detrahunt*] Dixi jam comœdias istas esse palliatas, hoc est, ibi (*ubi*) personæ sunt Græcæ. Ideo ergo dixit, *soccos detrahunt* (Scholia, quæ inde usque ad ver. 89. sequuntur, Westerh. supplevit ex codd. Z.). E.—*Soccos detrahunt*] Diomed. lib. i. L.

73. *Lectos sternere*] Ex consuetudine antiqua: lectulis enim stratis antiqui cœnitabant. Unde triclinium a tribus lectis dictum. Horat. Serm. i. 4. *Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.* Terent. in Adelph. *Lectulos iligneos dedit faciendos in sole, ubi potetis vos.* C.—Si *videt*, cur versu abhinc tertio narrat, *Ubi video?* Itaque pro *video* reponendum esse censeo *inde*. B.

74. *Cœnam apparare*] Nihil significantius de sene dicere potuit, qui voluptates et commoda, quæ aspernatur gratia filii narrat. Nam *apparare* est ad dignitatem quandam ac verius pompam. *Præparare* vero, est quæ utilia sunt, aut fore creduntur. C.—*Pro se quisque*] Plautus Amphitr. i. 1. 76. *Pro se quisque, id quod quisque potest ac valet, edit, ferit.* Ovid. Metam. iii. 642. *Pro se quisque timet:* quomodo etiam Livius loqui amat. L.

75. Cum mox sequatur *lenirent*, leges linguæ postulant *faciebant*. B.

76. Distingue, *Ubi video, hæc cœpi*. B.

77. Leg. *solliciti sint*, propterea quod sequitur, *vestiant, faciam*. B.

79. *Sed gnatum unicum, quem pariter uti illis decuit, aut etiam amplius, eum ego ejeci hinc injustitia mea*] Quem oportuit his rebus uti, ita uti ego utor, pari modo, aut vero amplius, quod illa ætas magis ad hæc idonea sit. E.—Pro, *sed*, sententia postulat, *qui*, quia præcedit *faciam*, et sequitur *ejeci*. B.

82. *Eum ego ejeci*] *Eum* abundat. C.

83. *Malo quidem me dignum quovis deputem, si id faciam*] Si hoc faciam, uti utar solus bonis meis, quovis malo me arbitrer dignum. E.

84. *Nam usquedum ille vitam illam colet inopem*]Quamdiu ille in militia positus habebit vitam istam sine ope, patria carens propter injurias meas, tamdiu de me illi dabo supplicium, sic laborans et serviens. E.

85. Ne, *patria*, sine ullo accentu transmittatur, forte leg. *Inops, carensque patria*. B.

86. *Illi de me supplicium dabo*] *Dare alicui de se supplicium* significat, punire se ipsum illius vice. C.

87. *Parcens*] Id est, coarctans et constringens solitum victum, et tanquam parcus fortunis parcendo, et eas reservando. *Illi serviens*] Deserviendo, conquirendo et conduplicando undique illi divitias more boni servi. Hæc sunt illa, quæ senex sibi facienda decrevit. C.

88. *Ita facio*] Nunc ostendit, ad rem verba accessisse, seu esse collata. C.

89. *Corrasi omnia*] Omnia compilavi, vendidi. Huic contrarium est, *abradere:*

Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile sumtum exercerent suum,
Omnis produxi ac vendidi: inscripsi ilico
Ædis mercede, quasi talenta ad quindecim
Coegi: agrum hunc mercatus sum: hic me exerceo.
Decrevi tantisper me minus injuriæ,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser:
Nec fas esse, ulla me voluptate hic frui,
Nisi ubi ille huc salvos redierit meus particeps.
CH. Ingenio te esse in liberos leni puto,
Et illum obsequentem, si quis recte aut commode

et est per vim aliquid auferre. Cum autem dicere volumus, aliquem nihil omnino tam parvum reliquisse ex rebus suis, quod non alienaverit, recte dicemus, *omnia corrasit*, quasi etiam raserit parietem, etc. Si ex illis radendis aliquid commodi potuerit consequi. Interdum *corradere* significat difficulter comparare. Terent. in Adelph. *Minas decem corradet.* C.—*Conrasi omnia*] Hoc est, collegi universa quæ venderem. E.—*Nec vas nec vestimentum*] Probus in Catholicis. L.

90. *Opere faciundo facile sumtum*] Servos universos produxit et vendidit, exceptis his qui suo opere suos sumtus tolerare possent. E.

91. *Sumtum exercent*] Virgil. Æn. viii. 424. *Ferrum exercebant.* L.—Legendum esse, *sumtum exercirent*, h. e. qui laboris sui fructu alimenta sua compensarent, qui opere suo impensas domini pensarent et resarcirent, recte primus vidit Palmerius. Nam *sumtum exercere* intelligi nequit. Deinde in cod. Colon. apud Palmerium est a manu prima, *exercirent*, et in altero, *exercium*: in margine cod. Bemb. est, *exercerent*, *resarcirent*: et Paulus in Epitoma Festi: *exercirent*, *sarcirent*, id quod ex Terentii loco sumtum esse videtur. B.

92. *Produxi ac vendidi*] Bene *produxi*: nam *producere*, foras ducere significat. M. T. in Frumentaria, *nemo tuorum amicorum abs te productus, nemo interrogatus.* Hinc *productores* dicuntur, qui virgines abducunt, et eas ad quæstum exponunt. C.—*Inscripsi illico ædes*] Hoc est, ædes meas locavi. E.

93. *Talenta ad quindecim coegi*] Congessi, coadunavi. Hinc *coactores* argentariorum dicuntur, qui pecunias cogunt. Talentum Atheniense parvum constat ex LX. minis seu libris. Talentum vero magnum constat ex octoginta tribus, et quatuor unciis. C.—Verba *inscripsi ilico ædes mercede* Bentleius cum Eugraphio recte accipit de locandis ædibus, non vendendis. Nam Cuperus in Observatt. i. 17. ostendit, *mercedem* non esse pretium rerum venditarum, sed quicquid ex agris locatis, pecunia sub usura credita, et aliis rebus, quarum proprietas ad nos, usus ad alios pertineat, redigamus. Huc accedere, quod pretium rei vendendæ nunquam in tabula propositum fuerit. Cf. locus Digest. xix. 2. Locati et conducti, quem Bentl. laudat. Z.

94. *Hic me exerceo*] Non hic ad voluptatem positum *exerceo*, sed ad laborem; quemadmodum Virgil. Æn. iii. 182.—*nate Iliacis exercite fatis.* E.—Non male Daceria ait, imaginem Menedemi senis se ob absentiam filii cruciantis formatam esse ex Odyss. α'. 189. seqq. ubi Laertes ruri solus degit, miseram trahens vitam, ob Ulyssem absentem. Z.

95. *Decrevi*] Plus est *decernere* quam constituere. Et est proprie *decernere* de rebus magnis certam proferre sententiam. C.—*Decrevi tantisper me*] Hoc enim judicavi, me non tantam injuriam facere meo filio quem expuli, si et ipse miser sim. E.—*Decrevi tantisper*] Cicero, v. 10. de Finib. et Tuscul. iii. 27. L.

97. *Voluptate frui*] Si parentes pro filiis elaborant, quis clementior hoc sene, qui omnia commoda absente filio aspernatur? *Frui* proprie est delectationem capere ex usu. C.

98. *Meus particeps*] Id est, heres meus, quasi nunc partem capiens bonorum meorum; vel etiam *particeps*, cui debeam credere omnia consilia mea. C.

99. *Ingenio te esse leni in liberos puto*] *Liberos* multitudinis numero dixit, cum Menedemus unicum haberet filium. Constat enim antiquos oratores, historiasque aut carminum scriptores, etiam unum filium filiamve, *liberos* multitudinis numero appellasse. In Hecyra *liberos* in significatione unius filiæ dixit, *Qui illum decreverunt dignum, suos cui liberos committerent.* Sic Cicero, *En cui tuos liberos committas.* C.

100. *Si quis recte aut commode*] Supra

Tractaret: verum nec tu illum satis noveras,
Nec te ille: hocque fit, ubi non vere vivitur.
Tu illum nunquam ostendisti quanti penderes,
Nec tibi ille'st credere ausus, quæ est æquom patri.
Quod si esset factum, hæc nunquam evenissent tibi.
MEN. Ita res est, fateor: peccatum a me maximum'st.
CH. Menedeme, at porro recte spero, et illum tibi
Salvom adfuturum esse hic, confido, propediem.
MEN. Utinam ita Di faxint. CH. Facient: nunc si commodum'st,
Dionysia hic sunt: hodie apud me sis volo.
MEN. Non possum. CH. Cur non? quæso, tandem aliquantulum

accusaverat utrumque, cum diceret, *ambo accusandi:* modo utrumque defendit, quod hunc *ingenio levi* (*leni*) dicit, et illum *obsequentem*, si minus aliquid (*si modo aliquis*) recte et commode tractaret: alterum nam hoc factum esse dicit, quod neuter se noverit (Westerh. e cod. addidit, VERUM NEC. Hoc factum esse dicit, quod neuter alterum satis noverit. Z.). E.

101. Plerique codd. *neque tu illum.* Igitur ut *ille* et *tu* accentu eleventur, repone, *unum néque illum tú satis, etc.* B.

102. *Ubi non vere vivitur*] Ubi non integre vita ostenditur, ubi non nudatur, ut quis qualis sit, agnosci queat. E.—*Hocque fit*, quod et in Bemb. reperitur, efficit versum claudum. Alii codd. *hoc qui fit;* quidam, *hoc ibi fit.* Repone, *hoc quod fit*, h. e. id quod fieri solet, ubi non *vere*, h. e. recte, et ratione vivitur. Cf. Adel. v. 9. 31. B.

103. *Quanti penderes*] Quanti illum faceres. Tractum ab antiquis, qui ante signatam pecuniam, æs et argentum *pendebant.* Inde *pendere pœnas* dicimus, id est, dare seu luere pœnas. Nam antiquorum pœnæ erant pecuniariæ. Inde *pendere* dicimus æstimare seu liceri. Inde nihili pendere, id est, nihili facere. Inde parvi pendere, flocci pendere, magni pendere. C.—*Quanti penderes*] Quantum diligeres. E.

104. *Nec tibi credere ausus*] Adolescentibus gloriosum est, si modestia utuntur et pietate in parentes, ut nihil dicant aut faciant nisi consilio parentum. C.

105. *Quod si esset factum, hoc nunquam*] Si autem tu mores tuos, aut ille tibi qualis esset, ostenderet, facile ad hoc calamitatis genus non perveniretis. E.

106. *Ita res est*] Quoniam utrumque quodammodo accusaverat Chremes, quod neuter ibi (*sibi*, aut, *suos*, aut, *alteri* Z.) mores ostendisset, omne crimen potius derivat (addo, *in se* Z.) senex, ac dicit, *fateor, peccatum a me maximum est.* E.—*Peccatum a me*] V. C. *Peccatum meum.* L. —Bemb. Vatic. et omnes fere nostri habent *maximum*, præter cod. Victor. ubi, *maxime*, reperitur. B.

107. *Porro recte spero*] *Porro*, ejusdem significationis, cujus *vero* et *autem:* pro quibus *tamen* ponere non possis. Significat etiam apud poetas *longe, certe, postea, ultro. Spero* pro credo, usitatum est: sive de præsenti loquamur, sive de præterito. Similiter *confido* pro credo, tum in præterito, tum in præsenti, tum in futuro. C. —*Menedeme*] Ad personam: hoc ex illis quæ supra promisit, inveniet quid adferat, scilicet consolationem: siquidem dicit, *filium adfuturum hic confido propediem. Confido*, hoc est, fiduciam gero. E.—*Menedeme, at porro*] Rectius videtur, si sic distinguatur: *Menedeme, at porro recte spera; illum tibi Salvum adfuturum esse hic confido propediem.* L.

109. *Utinam Dii faxint*] *Faxo*, futurum tempus tantum: vel, ut alii, promissivum modum ostendit. C.—Omnes fere nostri, *nunc si est commodum:* magis ex more auctoris. B.

110. *Dionysia hic sunt*] Hoc est, Bacchanalia. *Dionysii* autem, qui et Bacchus dicitur, sacra, a plerisque Græciæ urbibus triennio quoque celebrabantur. C.—*Dionysia hic sunt*] Optume factum, ut post narratam calamitatem, cui quidem præter consolationem subvenire non poterat; tamen in eo quod ex ipso auxilio esse potuisset, vult eum ad cœnam vocare; quia dicit, *hodie Dionysia sunt*, quæ sunt sacra Liberi patris apud Athenas (*Atheniens.* Z.). E.—Prava distinctio sic est refingenda, *Dionysia hic sunt hodie: apud, etc.* B.

111. *Quæso*] Primam personam indicativi habet duntaxat. Licet *quæsere* lec-

Tibi parce: idem absens facere te hoc volt filius.
MEN. Non convenit, qui illum ad laborem impulerim,
Nunc me ipsum fugere. CH. Sicine est sententia?
MEN. Sic. CH. Bene vale. MEN. Et tu. CH. Lacrumas excussit mihi,
Miseretque me ejus: sed ut diei tempus est,
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad cœnam ut veniat: ibo, visam si domi est.
Nihil opus fuit monitore: jam dudum domi
Præsto apud me esse aiunt: egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro: sed quid crepuerunt fores
Hinc a me? quisnam egreditur? huc concessero.

ACTUS PRIMI SCENA II.

CLITIPHO. CHREMES.

NIHIL adhuc est, quod vereare, Clinia: haudquaquam etiam cessant:

tum sit apud Sallustium: cf. Priscianus Instit. Gram. x. et Tullium ad Fam. xi. 3. *Tandem*] Id est, uno verbo, quod tantam vim apud te habere velim, quantam, si diu interrogassem, et illud foret ultimum: hoc est, quod postulat Chremes. C.

113. Ne versus claudicaret, Faernus edidit *impellerim*. At ne tam deformem admittamus medicinam, reponamus, *qui illum ad laborem hinc pepulerim*. B.

115. *Lacrimas excussit*] Id est, lacrimas in sinubus oculorum meorum oboriri fecit, quæ ex oculis manarunt, ac si forent excussæ. Nam *excutere* significat commovendo aliquid ejicere. Ut, *excute te pulvere*, id est, te movendo vehementer dejice a te pulverem. C.—Daceria, quæ fere solet novas exordiri scenas, ubi vel nova persona in scenam prodit, vel quæ adhuc fuit inde abit, a verbis hic, *lacrumas excussit*, secundam vult esse scenam. Z.

116. *Ut diei tempus est*] *Tempus* supra horam significat. *Diei* archaismo abundat. C.

117. *Monere oportet*] In omnibus vett. codd. deest *oportet*. L.—Cum illud *oportet*, ab omnibus nostris libris, præter duo recentissimos, et cæteris antiquis, teste Lindenbrogio, absit; excidit haud dubie *tempu'st*, adeo ut leg. *tempu'st monere me hunc vicinum Phaniam*. Sic *tempus est concedere* occurrit Hec. iv. 2. 21. B.

118. Daceria opinatur, verbis *ibo, visam*, etc. indicari, Chremetem accedere ad fores Phaniæ vicini, sed statim, ubi a servo quodam obvio certior fuerit factus, Phaniam jam domi adesse, rediisse et dixisse, *Nil opus fuit monitore*. Non male. Nam ita scena non deserta relinquitur. Z.

119. *Nihil opus fuit monitore*] Hoc est, vocatore. Nam vocatores proprie dicebantur, qui ad cœnas vocabant. C.—*Nihil opus fuit monitore*] Jam in domo inventus est ille, atque mire: cupiebat illum vocare ad cœnam: *monitore* ergo *opus*, inquit, *non fuit*, nuncia (*nunciant*) illum in domo esse. E.

120. *Præsto sum*] Idem est quod adsum; nec alteri fere verbo cohæret, nisi verbo substantivo et huic simplici. Nam *præsto adsum*, magis poeticum est. *Egomet convivas moror*] Hoc est, in mora detineo. A quibusdam, *morari* pro exspectare exponitur; sed, mea sententia, magis poetice quam oratorie. C.

1. *Nihil adhuc est, quod vereare*] Hic Cliniæ, qui ex Asia redierat, ingens de amica sollicitudo exprimitur. Accedit et sodalis opitulator Clitipho, qui adventum amici mira voluptate patri narrat. *Nihil adhuc est, quod vereare*] Clinia miserat arcessitum Antiphilam: discrucisbatur quod non rediret. *Haudquaquam etiam cessant*] Id est, nondum differunt adventum. C.—*Nihil adhuc*] Hæc scena habet Cliniæ adolescentis suspicionem, quod amica sua, se absente, corrupta est. Sumit igitur per conjecturam argumenta, quæ suo loco plenius apertiusque narrabimus. Ac primum quasi quoddam argumentum, ser-

Et illam simul cum nuncio tibi hic ego adfuturam hodie scio.
Proin tu sollicitudinem istam falsam, quæ te excruciat, mittas.
CH. Quicum loquitur filius?
CL. Pater adest, quem volui: adibo. Pater, oportune advenis.
CH. Quid id est? CL. Hunc Menedemum nostin' nostrum vicinum? CH. Probe.
CL. Huic filium scis esse? CH. Audivi esse in Asia. CL. Non est, pater:
Apud nos est. CH. Quid ais? CL. Advenientem, e navi egredientem, ilico
Adduxi ad cœnam: nam mihi magna cum eo jam inde usque a pueritia
Fuit semper familiaritas. CH. Voluptatem magnam nuncias.
Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum esset hodie amplius;
Ut hanc lætitiam nec opinanti primus ei objicerem domi!
Atque etiam nunc tempus est. CL. Cave faxis: non est opus, pater.

vum qui missus sit non redire, cui jam multum temporis videatur assumtum. Unde efficitur consolatio a Clitiphone amico, cum dicit: *Nihil quod videaris esse solicitus, haudquaquam cessant*, hoc est, non diutissime tardant. Verum cum intus positum Cliniam allocutus esset, Clitipho egreditur, patrem prospicit, ei commendat officium suum, ne videatur nescio quem adolescentulum recepisse, ut merito hoc effecisse declaret. Sumit igitur exordium, quod commendat adolescentem sibi olim jam fuisse cognitum, ac se coactum amicitia eum recepisse: ideo adjecit, *nam mihi cum eo magna ex pueritia familiaritas*. E.—Versus est trochaicus tetrameter acatalecticus. B.

2. *Tibi hic ego affuturam*] In V. C. omittuntur ista, *hic ego*. L.—Verba, *hic ego*, cum versum perturbent, et absint a cod. Reg. et vetere Lindenbrogii, delenda esse censeo. B.

3. *Sollicitudinem istam*] Bene *sollicitudinem* dixit: nam *sollicitudo* est quæ inhæret mentibus: *sollicitatio*, quæ ab alio fit. C.—*Mittas*, pro *omittas*, comprobatur consensu codd. et versus hic similis primo efficitur. B.

4. Versus trochaicus dimeter catalecticus. B.

6. Versus et codd. probant *Quid id est?* pro *Quid est?* B.

7. *Audivi, in Asia esse*] Recta ejusmodi est oratio per infinitum. Nam non Latine dicitur, *Audivi quod in Asia est*. C.—Distingue, *audivi esse: in Asia*. Præsertim cum in libris vett. Faerni *esse*, ponatur post *Asia*. B.

8. *Apud nos est*] Recte, et non *penes nos*. Nam *penes nos* est quicquid a nobis possidetur, et in nostra potestate est, ut, *penes principem salus nostra est*, id est, in ejus potestate. *Quid ais?*] Interrogat id quod audivit admirabundus, neque facile credens. Non est interrogantis, sed admirantis. C.—*Quid ais?*] V. C. *Quid vis? Advenientem e navi*] Priscian. lib. vii. L.

9. Leg. *Abduxi*, quod probatur cod. Bemb. et aliis. Tum, ut versui consulatur, dele verbum, *magna*, quod abest a codd. nostris vett. nec a sententia postulatur. B.

10. *Voluptatem magnam nuncias*] Ut Cicero in Epistolis, ad Div. ii. 9. *voluptatem habui nimiam*. C.—*Voluptatem magnam*] Scit enim Chremes vehementer patrem esse sollicitum. Quod audit ergo reversum adolescentem, dicit sibi natam magnam voluptatem. Denique hujus voluptatis causam in animo habens subjunxit: *Quam vellem Menedemum invitatum amplius, ut hanc lætitiam nec opinanti prius objicerem domi*. Uti non suspicanti, amplius etiam quam speret, hanc lætitiam domi objiceret. E.

11. *Hodie* et a melioribus codd. abest, et versum turbat. B.

12. *Nec opinanti*] Insperatum enim gaudium majus esse solet: quemadmodum et dolor acerbior, si *non opinanti* objicitur. C.—Ordo, *primus objicerem ei domi*, consensu codd. comprobatur. B.

13. *Atque*] Hoc est, ut aliquando prius

CH. Quapropter? CL. Quia enim incertum'st etiam, quid se faciat: modo venit.
Timet omnia, patris iram, et animum amicæ se erga ut siet suæ;
Eam misere amat: propter eam hæc turba atque abitio evenit. CH. Scio.
CL. Nunc servolum ad eam in urbem misit, et ego nostrum una Syrum.
CH. Quid narrat? CL. Quid ille? se miserum esse. CH. Miserum? quem minus credere est?
Quid reliqui est, quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona?
Parentis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias?
Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:
Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.
CL. Immo ille fuit senex importunus semper: et nunc nihil magis
Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit, pater.

diximus, extra Donati sententiam. *Cave faxis*] Volebat Chremes nunciare Menedemo rediisse filium: sed Clitipho prohibuit, quod Cliniæ nondum patris voluntas esset perspecta. C.—*Cave faxis*] Cave facias; nec enim necesse est. Nescit namque a patre filium desiderari, ideo prohibet patrem suum aliquid facere, quo vindicetur adolescens reversus. E.—Leg. *Satis tempori est*, h. e. sat tempestive, mature: ut Plaut. Captiv. i. 2. 80 et 88. Nam, *satis tempus est*, significat *satis sero*, ut Hec. iv. 2. 21. Horat. Ep. ii. 2. 215. Sensus autem hic poscit *satis cito*. B.

15. *Animum amicæ*] Id est, timet, ne amica eum postergaverit, ac ne ex ejus animo effluxerit. C.

16. *Scio*] Scilicet, propter eam discessisse et id patri molestum esse. C.—*Atque abitio*] Hoc est, discessio. E.

18. *Miserum! quem minus credere'st?*] *Minus*, hoc loco pro *non*, ponitur. Non est, inquit, credendum Cliniam esse miserum. Hoc ad sequentia respicit, scilicet, *Quid reliqui est, quin habeat, quæ quidem in homine esse dicuntur bona? Minus credere'st?*] Pro, non credendum est. Virg. Eclog. x. 46. *Nec sit mihi credere tantum.* Hujusmodi locutio parum Latinis usui est. C.—*Miserum! quem minimum*] Quoniam ille dixit, *miserum esse* adolescentem; vel quod ipse se adolescens miserum putet; negat esse hic miserum, si quidem omnia habet, quæ quidem in homine dicuntur bona. Et subjungit: *Atque hæc perinde sunt, ut illius animus est, qui ea possidet*] Atque hæc talia sunt, qualis animus illius est, qui hæc tenet. Nam qui scit uti his omnibus, bona sunt; illi vero qui non utitur recte, utique mala sunt. Simul et disjectionem collocavimus, et intellectum didicimus, *Ne quid in illum plus satis faxit pater*] Hoc amplius vereor, ne aliquid amplius habeat. Quicquid satis est faciat pater (*vereor, ne quid amplius præ ira, quam quod satis est, faciat p.* Z.), ideo injustum est patri ostendere. Siquidem poeta negat esse contemtum * eacus ad hunc (*contemtum patris, sed metum, quo* Z.) laboret filius. E.—In sermone lex et mos est, ut verbum repetitum eodem, quo ante, accentu proferatur. Recte igitur codd. quos vidi, omnes collocant, *miserum se esse*. B.

19. *Quæ quidem in homine dicuntur bona?*] Scilicet a vulgo. Quum tantum *animi bona*, secundum philosophos, appellanda sint. Et hoc, illud quod supra dixit Chremes, affirmat, scilicet *Cliniam non esse miserum*. C.—*In homine dicuntur*] Ms. R. *esse in homine dicuntur*. L.—Bentleius edidit *Quid reliquist*. Z.

20. *Parentes, patriam*] Priscian. lib. vii. D.

23. *Senex importunus*] Quod dici solet, male generosus: quasi non opportunus. C.—Contracto *nihil* in unam syllabam, octonarius optime stat. B.

24. *Pater*] Vel hic *pater* est nominativi casus, et sic refertur ad Menedemum, vel est vocativi casus, et refertur ad Chremetem. C.

CH. Illene? sed reprimam me: nam in metu esse hunc, illi est utile.
CL. Quid tute tecum? CH. Dicam: ut ut erat, mansum tamen oportuit.
Fortasse aliquantum iniquior erat præter ejus lubidinem:
Pateretur; nam quem ferret, si parentem non ferret suum?
Huncine erat æquom ex illius more, an illum ex hujus vivere?
Et quod illum insimulat durum, id non est: nam parentum injuriæ
Uniusmodi sunt ferme: paulo qui est homo tolerabilis,
Scortari crebro nolunt; nolunt crebro convivarier;
Præbent exigue sumtum; atque hæc sunt tamen ad virtutem omnia.
Verum ubi animus semel se cupiditate devinxit mala,

25. *Ille ne?*] Chremes sermonem, quem cœperat, repressit; ut exemplo Cliniæ filius terreretur. *Illene?*] Hoc clara voce pronunciandum. *Illene?*] Id est, dicis, te timere, ne ille senex faciat aliquid in illum? Deinde Chremes se repressit per ἀποσιώπησιν, ne confirmaret Cliniam, videns bonum esse, ut in timore foveatur. *Sed reprimam me*] Scilicet, non ostendendo ejus patris teneritudinem in eum. *Sed reprimam me*] Hæc submissa voce protulit, ne audiret filius. C.—*Illene?*] Hoc utique intelligitur propterea dictum, quia scit Chremes animum Menedemi. Hæc ne proderet repressit se, et reliqua verba contexuit, dicens hanc causam, quod, in metu esse filium, patri vehementer est utile. E.

26. *Quid tute*] Quia dixerat Chremes *reprimam me*, submissa voce et apud se, interrogat filius. *Ut ut erat*] Quam bene tuetur patrum partes, qui omnino a filiis tolerandi sunt. *Mansum*] *Mansum* pro infinitivo. Ut, *curabo adductum Pamphilum*, pro adducere, ut prius visum est. C.—*Utut erat, mansum*] Qualiscunque, inquit, fuit, tamen oportuit patrem sustinere. E.

27. *Præter ejus libidinem*] Vult causam Cliniæ videri deteriorem: ut ostendat parentes filiis, ob vitia eorum, asperiores esse. C.—Alii legunt *aliquanto*, alii, *aliquando*. Sed recte Bemb. *aliquantum*; quia in hujusmodi formula comparativus non auget, sed minuit. Cf. Eun. i. 2. 51. ubi est, *aliquantum avidior*. B.

28. *Pateretur*] Id est, pati debebat, vel pati debuisset. Ut, faceres sæpe, pro, facere debuisses. Nisi mavis ad patrem referre, q. d. debebat pater ejus pati libidinem. Sed superior sententia melior, propter id, quod sequitur, *nam quem ferret, si. Nam quem ferret, si parentem non ferret suum?*] Tale est illud, *cujus saluti consulet, qui suam negligit?* C.

29. *Hunc*] Scilicet Cliniam. *Erat æquum*] Ab æquo suscipit paternam defensionem. C.

30. *Quod illum insimulat durum, id non est*] Aliud objectum refellit: et a statu definitivo censet patrem non esse appellandum durum, qui filios a vitiis sua severitate deterret. *Insimulat*] *Insimulare* significat incusare, id est, mores malos reprehendere. Ut, *insimulo illum superbiæ*, id est, incuso. C.—*Nam parentum injuriæ, etc.*] Præter hunc morem qui est innatus parentibus, hic, *ferme paulo est tolerabilis, præbent exigue sumtum et modice.* E.—Bembi codex dicitur habuisse *insimulant*. Recte; nempe non solum Clinia, sed et Clitipho: v. 23. B.

31. *Paulo qui est homo tolerabilis*] In libro Bemb. hæc interpretatio adscripta est, *Aut* ei *subauditur, aut* eum: *si* ei, *sic intelligimus, uniusmodi sunt ei, qui est homo tolerabilis: aut eum scortari crebro nolunt, ut sit, filium, qui sit tolerabilis: aut singularem numerum pro plurali posuit, id est, qui sunt tolerabiles.* Posteriorem rationem præferendam puto. B.

32. *Scortari*] Est frequenter scorta ductitare. *Scortari*] Id est, ductitare. *Scortari* enim, ut Varro inquit, est *sæpius meretriculam ducere*, quæ meretrix a pelle *scortum* appellatur, quod ut pellicula subigatur. *Scortes* enim pelles sunt arietinæ; et *scortea*, ut Festus inquit, et similiter Varro, appellantur omnia ex pellibus facta seu coriis. *Convivarier*] *Convivor* deponens verbum aut significat celebrare convivium, aut ad convivium invitare, aut etiam frequentare convivia. Nonius etiam dicit inveniri *convivo* pro *convivor*, pro eo, quod est ad convivium invito. Pomponius Munda: *si Calendis convivant, Idibus cœnant foris.* C.

34. *Verum ubi animus*] Demosth. Olynth.

Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia.
Scitum'st, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.
CL. Ita credo. CH. Ego ibo hinc intro, ut videam nobis quid cœnæ siet.
Tu, ut tempus est diei, vide sis ne quo hinc abeas longius.

ACTUS SECUNDI SCENA PRIMA.

CLITIPHO.

QUAM iniqui sunt patres in omnis adolescentis judices!
Qui æquom esse censent, nos jam a pueris ilico nasci senes:
Neque illarum affines esse rerum, quas fert adolescentia.
Ex sua libidine moderantur, nunc quæ est, non quæ olim fuit.
Mihi si unquam filius erit, næ ille facili me utetur patre:

iii. Ὅποι ἄττα ἂν τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν ἀνθρώπων ᾖ, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ τὸ φρόνημα ἔχειν. L.—Multo venustius est, quod codd. multi, *Verum animus ubi*. B.

35. *Consequi consimilia*] Nam cujus animus in re mala semel corruptus est, indies fit pejor. C.—*Hoc scitum est*] Optima occasione senex, dum aliorum mores et facta demonstrat, occasionem filii corrigendi repperit, ut moneret. *Scitum est*, inquit, et perelegans *ex aliis periculum facere*, hoc est, tentamentum, quod tibi vehementer expediat. E.—Bentleius in fine addidit *hoc*. Unde, nescio. Z.

36. *Periculum ex aliis facere*] Aliquando videtur pro consilio capio. Cicero ad Trebatium, vii. 8. *Cornelio nihil audeo dicere, cujus periculo tu stultus es*. C.—Versus causa lege, *periculum*; et pro *quod* cum codd. reg. *quid*. Nam *quod* ad ipsum illud periculum modo respicit, *quid* ad alia similia, atque etiam contraria. B.

37. *Nobis quid cœnæ*] Minus dixit, quam si dixisset, *quæ cœna*. Sic illud, Eunuch. iii. 4. 8. *Quid hoc hominis est?* aliter exprimitur quam si diceremus, quis hic homo est? C.—Si retines *quid cœnæ*, est genitivus; sin cum nostris libris præfers *nobis cœnæ quid siet*, est dativus. Sic Plaut. Truc. iii. 1. 2. *ut bubus glandem prandio depromerem*. B.

38. *Tu, ut tempus est diei*] *Tempus* non solum summum est, sed et pars partis est; sicuti hic posuit, *diei tempus*, cum temporis dies esse videatur. E.—Quæritur, cur Chremes non statim secum Clitiphonem ad cœnam abduxerit, cujus tempus sub scenæ superioris finem adesse, jam dixerat? Daceria haud male conjicit, cum ante cœnam hanc fuerint sacra quædam facienda, et forte etiam cum convivis æqualibus confabulandum, patrem noluisse his rebus interesse filium. Z.

1. *Quam iniqui sunt patres*] Solus Clitipho promansit, qui de patre conqueritur, ut mos est adolescentium, qui paterna præcepta moleste ferunt. C.—*Quam iniqui*] Remansit solus Clitipho, et secum conqueritur de patris hortatione. Ordo est: Quam iniqui sunt judices patres in omnes adolescentes! E.—*Quam iniqui*] Ita in omnibus scriptis codd. hi actus distinguuntur: quod tamen aliis displicuisse video. *Iniqui sunt patres*] Plutarch. in Puer. educatione. L.

2. *Jam a pueris*] Pro adverbio ponitur, i. e. a pueritia, vel ab ineunte ætate, vel statim ut pueri sumus, aut cum primum pueri evadimus. C.—*Nos a pueris ilico*] Qui arbitrantur justum esse in pueritia moribus senum nasci. E.—Etsi *jam* a Bemb. et aliis Faerni libris abest: tamen idem et codd. nostrorum consensu, et sententiæ ratione satis comprobatur. B.

3. *Quas fert adolescentia*] Ms. R. *Quas adolescentia sinit*. L.

4. *Ex sua libidine*] *Libido* est quæque voluntas temere suscepta. Apud Sallustium in Catil. cap. 7. tamen in bonam partem capitur: *magisque in decoris armis, et militaribus equis, quam in scortis et conviviis libidinem habebant. Nunc quæ est*] Huic illud contrarium, *sed nunc ea me exquirere, Iniqui patris est. Nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet. Dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret suum*. C.—*Ex sua libidine etc.*] Modum imponunt adolescentibus de moribus suis, quos nunc habent in senectute, non quos in adolescentia habuerunt. E.

5. *Mihi si unquam filius*] Si aliquando mihi

Nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccatis locus;
Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.
Perii! is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinora!
Nunc ait, periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet.
Astutus: næ ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.
Magis nunc me amicæ dicta stimulant, Da mihi, atque affer mihi:
Cui quid respondeam, nihil habeo; neque me quisquam est miserior.
Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ.
Mea'st potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis.

filius contingat. *Facili me utetur patre*] Id est, valde me utetur bono et facili patre. E.

6. *Cognoscendi et ignoscendi*] Ex affectu eorum loquitur, qui cum alicui obnoxii sint, alium habent animum quam haberent, si liberi essent. *Dabitur*] Nam qui alias erraverit, ignoscere errantibus non renuit, et eorum errata excusare. C.—*Næm et cognoscendi, etc.*] Facile, inquit, filio meo hanc facultatem dabo, ut universa ejus facta cognoscam; tamen si peccarit, ignoscam. E.—Pro *peccatis*, leg. *peccati*. Sic Plaut. Amph. i. 1. 100. *ignoscamus peccatum suum*. B.

7. *Per alium ostendit suam sententiam*] Superius, *sed reprimam me: nam in metu esse hunc, illi est utile*. C.

8. *Ubi adbibit*] Id est, bibit. Nihil plus significat, nisi aliquatenus augeat præpositio, uti dicit Donatus. Quam petulans sit filius in parentem, ostenditur: cujus præcepta contemnit. C.—*Ubi adbibit plus paullo*] Plutarch. de sui laudat. Ambros. de Jejunio, cap. 13. *Ibi unusquisque pugnas narrat suas, ibi fortia facta prædicat, narrat trophæa. Vino madidi et somnolenti nesciunt mente, quid lingua proferat*. L.

9. Lege, ut scena superiori 36. B.

10. *Næ ille*] *Næ* pro certe ponitur. *Fabulam*] Nam fabulæ loco habeo ejus sermonem. C.—*Surdo narret*] Hieronym. de vitand. suspecto contuber. Aristen. i. epist. 28. Παρὰ κωφὸν ᾄδειν. L.

11. *Da mihi atque affer*] Verba sunt amicæ, quæ magis Clitiphonem stimulant, quam patris præcepta. C.

12. *Cui quod respondeam*] Expressit inopiam; siquidem non solum dixit, cui quidem nihil habeo, verum ad respondendum verba desunt. E.—*Nec me quisquam*] Charis. lib. ii. L.—Pro *quid* leg. cum libris aliquot, *quod*. B.

13. *Satagit*] Genitivo jungitur. *Satagit*, id est, anxius est et curiosus suarum rerum. C.—*Suarum rerum satagit*] Etsi is quoque de suis rebus plurimum cogitat. E.—Pro *satagit attamen* olim lectum esse *sat agitat tamen*, patet e Charisio, p. 193. *Satis*, inquit, *pro intente; Cato dierum dictarum de consulatu suo: Jam apud vallum nostri satis agebant. Terentius in Heaut. Etsi suarum rerum satis agitat, tamen habet bene et pudice eductam*. Rectissime. Nam sic Plaut. Bacch. iv. 3. 23. *nunc agitas sat tute tuarum rerum*. Deinde post *etsi* nunquam sequitur *attamen*, sed *tamen*. B.

14. *Pudice eductam*] Quod nos *educare* dicimus, antiqui *educere* dixerunt. C.—Vix ferre possum *artis* posteriorem hic acuere, cum prior sit longa. Quare inducor ut credam ab auctore esse *rei meretriciæ*, adeo ut *res* omnes meretricum comprehendat artes. B.

15. *Procax*] Instans in petendo. Virg. Æn. i. 536. *procacibus austris*, i. e. improbis et importune flantibus. *Procare*, ut Pompeius inquit, poscere est. Unde *procaces meretrices*, ab assidue poscendo. Et *proci*, uxorem poscentes in matrimonium. Itaque *procax*, id est, petax, dispoliatrix. *Magnifica*] *Magnifice* instructa supellectili, *magnifice* induta, *magnifice* epulans, et lauta quærens convivia. Quæ omnia magnum auri pondus poscunt. *Sumtuosa*] Multa impendens, et propterea multa petens. *Nobilis*] Id est, insignis, in malam partem, id est, multis nota, quia videlicet frequentes habeat amatores. C.—*Mea est potens*] Ad hoc positum, ut ex nobilitate plurimum audeat postulare. *Procax* a petendo dictum est; unde et *proci* dicuntur nuptiarum petitores. *Sumtuosa*] Ut et necessitatem sibi petendi propter suos sumtus faciat. *Nobilis*] Ab omnibus nota. E.—Pro *potens* repone *petax*. Nam primum *potens* male a *magnifica* et *nobili* separatur, et procax alienæ significationis intervenit. Deinde idem verbum in Atticam meretriculam, quæ non est ista Lais Corinthia,

Tum quod dem ei, recte'st: nam nihil esse mihi, religio'st dicere.
Hoc ego mali non pridem inveni: neque etiamdum scit pater.

ACTUS SECUNDI SCENA II.

CLINIA. CLITIPHO.

Si mihi secundæ res de amore meo essent, jam dudum, scio,
Venissent: sed vereor, ne mulier me absente hic corrupta sit.
Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant:
Occasio, locus, ætas, mater, cujus sub imperio'st, mala:

non cadit. Denique Donatus ad Hec. i. 2. 84. ex nostro loco *petax* sumsit, qui ait, *Procax, despoliatrix, et petax.* Fulgentius Mythol. ii. 1. *Vita ornatus petax, habendi insatiata,* et 3. *Omnis vita potentiæ petax.* B.

16. *Religio*] Metus vel sollicitudo. Terent. in Andria, *dignus cum tua istac religione es odio.* Inde *dies religiosi,* infames vel infausti dicti: quos ex contraria causa propter hominis diritatem relinquam. C. —*Nam nihil esse mihi religio est*] Dicere, me hoc non habere, maxima mihi religio est. Ut Virgil. Æn. ii. 715. *Religione patrum multos servata per annos.* E.—*Religio est*] A. Gellius, iv. 9. L.—*Recte'st*] Hæc forma utuntur studiosi urbanitatis, si palam negare non audent. Z.

1. *Si mihi*] Hic mira amantis sollicitudo exprimitur, cui exspectanti hora, dies, annus videtur. *Si mihi*] Amor res est suspicionis plena. Torquetur igitur Clinia mora et dilatione amicæ Antiphilæ. C.—*Si mihi secundæ*] Hic illud est, quod supra diximus, quod per conjecturam Clinia credit, amicam se absente corruptam. Ac primum argumentum fecit ex eo, quod missus servus nondum redit. Deinde proponit ipsam suspicionem: *sed vereor ne me absente hic corrupta sit.* Adjungit et opiniones et argumenta a tempore, quod est *occasio:* occasionem autem hic intelligimus, quod absens fuit ipse. Deinde ponit *locum* Athenas, ubi magna hominum multitudo est et civium, variis moribus viventium. Adjungitur *ætas,* hoc est a persona, et a tempore; quod adolescentula, ac propterea varia ingenio. Deinde addidit, *mater.* Hoc nomen parum est; nam adderetur (*nisi addatur* Z.) *mala.* Sed ne rursus suæ voluntatis et judicii.. (adde, *esset mulier* Z.): ideo adjecit, *cujus sub imperio est: Cui nihil jam præter pretium dulce est.* E.

2. *Venissent*] Mulier et servus. *Sed vereor, ne mulier*] Bene amantis exprimit affectum: qui semper omnia in deterius suspicatur. *Vereor*] *Vereri* dicitur, qui rationabiliter terretur; formidare, qui sine ratione. C.—Pro *venissent* repone *veniret:* ut infra, v. 9. *adesset.* B.

3. *Mihi animum exaugeant*] *Augeri* dicitur *animus,* quando multa concurrunt, quibus flectitur in eam partem, in quam inclinatur. C.—In margine Bemb. Faernus hoc scholion reperit: *Quæ mihi animum exaugeant, quæ me terreant: animum autem dicit, quam illi præsens efficit metus sollicitam cogitationem.* Versum ego ita reponendum esse æstimo: *Concúrrunt multa, opinionem hanc quæ mihi animo exáugeant.* Cum *exaugere animum, ἀέξειν,* non ægritudini, sed gaudio conveniat, Palmerius et alii dudum emendarunt *exangeant.* Sed melius est legere *animo.* Nam Latine dicitur, augere damno, commodis, honoribus, lætitia, etc. Deinde mutatio *τοῦ opiniones* propterea est necessaria, quod quæ sequuntur ad opinionis rationem non possunt recte referri. *Augere suspicionem* occurrit Eun. iii. 1. 46. B.

4. *Locus, occasio, ætas*] Hi loci ex arte rhetorica etiam ad majoris rei confirmationem valerent. *Locus, occasio, ætas, mater*] Argumenta deducuntur aut a rebus aut a personis. Hæc enim, causa, tempus, locus, occasio, instrumentum, modus, et cætera rerum accidentia, a personis deducuntur hoc modo. Nam similes parentibus aut majoribus suis filii plerumque creduntur: et nonnunquam ad honeste turpiterque vivendum. Similiter a natione quoque, patria, ætate, educatione, et disciplina sumuntur. *Locus, occasio, ætas, mater, cujus sub imperio est, mala*] Subdit ea, quæ augent animum, ad id credendum, videlicet, *locus,* quia scilicet est in eo loco, ubi aliæ sunt petulantes, et ideo contagione facilis lapsus est. *Occasio,* ut corrumpatur, quia formosa, et multis forte juvenibus placens ac nota. *Ætas,* quia juvenilis et flore juventutis nitens, quæ ple-

Cui nil jam præter pretium dulce'st. CLIT. Clinia. CLIN. Ei misero mihi!
CLIT. Etiam caves, ne videat forte hinc te a patre aliquis exiens?
CLIN. Faciam: sed nescio quid profecto mihi animus præsagit mali.
CLIT. Pergin' istuc prius dijudicare, quam scis, quid veri siet?
CLIN. Si nil mali esset, jam hic adessent. CLIT. Jam aderunt.
CLIN. Quando istuc erit?
CLIT. Non cogitas, hinc longule esse? et nosti mores mulierum: Dum moliuntur, dum conantur, annus est. CLIN. O Clitipho, Timeo. CLIT. Respira: eccum Dromonem cum Syro, una adsunt tibi.

ACTUS SECUNDI SCENA III.

SYRUS. DROMO. CLITIPHO. CLINIA.

AIN' tu? DR. Sic est. SY. Verum interea dum sermones cædimus,

rumque lubrica est. *Mater, cujus sub imperio est, mala.* Juvenal. Sat. vi. 239. *Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos, Atque alios mores, quam quos habet? utile porro Filiolam turpi vetulæ producere turpem.* C.

5. *Hei mihi!*] *Hei*, dativo jungitur. Ut Virg. Æn. ii. 274. *Hei mihi, qualis erat. Heu* vero, accusativo: ut alibi Terentius, *Heu me miserum.* C.

6. Pro *hinc* omnes codd. et edd. vett. recte habent *hic*. Nam *a patre* non est a meo, sed tuo, Menedemo. B.

7. *Mihi animus præsagit mali*] Sic fieri consuevit, ut, quoties aliquid exspectamus, ea occurrant potius quæ mentem nostram ad cogitandum aliquid mali trahant. C.

8. *Pergin' istuc prius*] Perseveras ante hoc quasi certo judicio tenere, quam scias quid in vero sit. E.—Pro *scis* leg. cum nostris et edd. vett. *scias*. Hinc, ut versus poscit, *veri* muta in *rei*. Cf. infra, iv. 7. 2. B.

9. *Quando istuc erit?*] Non potest credere ex nimia suspicione venturam amicam. C.—*Si nihil mali esset*] Ad consequentiam argumentum cepit ex eo, quod non redit missus servus. Certa mihi, inquit, suspicio est, illam esse corruptam: nam hic adessent. *Quando istuc erit?*] Illud enim quod dixit, *Jam aderunt*, hoc amanti tardum est: ideo adjecit, *Quando istuc erit?* E.—*Jam hic adessent*] Ms. R. et V. C. *adesset. Clit. Jam aderit.* L.—Lege ex nostris pene omnibus cum edd. vett. *adesset, aderit.* De amica enim sola sollicitus est, non de servulis. Corrige quoque *Quando istuc jam erit?* B.

10. *Non cogitas hinc longius abesse?*] Clitipho removet suspicionem ex animo Cliniæ, et locorum intervallo, et ex cultu mulierum, quæ majorem temporis partem in se ornando conterunt. C.—Etai vulgo habent *longius*; tamen Bembini *longule* est præferendum, h. e. aliquantum longe. B.

11. *Dum moliuntur*] Molles carnes amantur. Quare consuetum mulieribus erat, se ad tactum unguentis præparare. *Annus est*] Scilicet integer, et plus exspectanti ex affectu. Vel numerus determinatus pro indeterminato ponitur. *Clitipho, timeo*] Vide nulla re arceri posse suspicionem ex pectore amantis. C.—*Dum conantur*] Ita potissima scriptorum codd. para: in Regio tamen exemplari *comantur* erat. Sed alterum rectius puto, ad moram mulierum notandum. Alii libri: *Dum moliuntur, dum comantur annus est.* Vid. Servius, Æn. iv. ver. 133. *Reginam thalamo cunctantem.* L.—Alii *comuntur*, pauci *comantur*. Servius ad Æn. iv. 133. videtur legisse *cunctantur*. Sed Bemb. Basilic. Victor. et optimi quique *conantur*. Satis eleganter: dum ituræ sunt, et non eunt: dum movent, sed nil promovent. B.

12. *Eccum Dromonem cum Syro*] Δευτικῶς: et cum gestu nimiæ lætitiæ pronunciandum est. C.—Distingue ita: *cum Syro una: adsunt tibi.* B.

1. *Ain' tu?*] Hæc scena plena est ti-

Illæ sunt relictæ. CLIT. Mulier tibi adest; audin', Clinia?
CLIN. Ego vero audio nunc demum, et video, et valeo, Clitipho.
SY. Minime mirum; adeo impeditæ sunt; ancillarum gregem
Ducunt secum. CLIN. Perii! unde illi sunt ancillæ? CLIT. Men' rogas?
SY. Non oportuit relictas: portant quid rerum? CLIN. Ei mihi!
SY. Aurum, vestem: et vesperascit, et non noverunt viam.
Factum a nobis stulte est: abi dum tu, Dromo, illis obviam:

moris et suspicionis: sed persona servilis utrique succurrit. Servi autem in fronte scenæ ex abrupto colloquuntur, tanquam pergentes in incepto colloquio, quod ultro citroque in via conferebant. *Ain' tu?*] Hoc sic lege, ut intelliges multa verba præcessisse. Περιγραφὴ dicitur, quando poeta significat, sermonem alterius personæ præcessisse. Quid autem dixerit Dromo, non est curandum: nam iste est abruptus sermo ex communi viæ colloquio. *Sermones cædimus*] *Cædere*, ut vult Nonius, ultra cæteras significationes interdum significat commiscere, allegatque Lucilium dicentem, *tineæ omnia cædunt*, i. e. commiscent, ut ipse interpretatur. Nostro autem hic proposito maxime convenit. C. —*Ain' tu?*] Hæc scena exsolvit illam suspicionem, quam Clinia habuit. Et hæc conjectura deinde rursus habet aliam causam, quod amicam Clitiphonis adduxerit servus, ita ut in domo patris esse possit. Quæ res an fieri possit, deliberationis vim tenet. Ita prior causa in controversia est, secunda in deliberativa: aut controversia est ex conjectura. Ergo partibus tractabitur, hoc est, uti dicta et affectus, quod πάθος Græce dicunt, suggerant argumenta; sicut suis locis explanabimus. *Dum sermones cædimus*] *Cædere sermones* dicitur, qui frequenter et plurimum loquitur. E. —*Dum sermones cædimus*] Vel *serimus*. Vid. Servius Æn. vi. 160. *Multa inter sese vario sermone serebant*. L.—Bentleius verba *Verum—relictæ* ipsi quoque Dromoni tribuit. Sane idem mihi videtur. Nam primum alienum est, Syrum interrogantem, *ain' tu?* repente interrumpere respondentis orationem. Deinde Dromo, vel tædio narrandi, vel cura amicæ herilis, melius illa proferre putandus est. Ut taceam sequentem responsionem Syri, *Minime mirum, etc.* Z.

2. *Mulier*] Non *Antiphila*, aut *amica*: sed sic dixit, quasi illi qui desperaverat redituram. C.—*Mulier tibi adest*] Quia ita locutio servi fuerat, ut diceret, *relictæ mulieres*. E.

3. *Ego vero audio*] Verba sunt respirantis, et ad se redeuntis. *Ego vero audio nunc demum*] Cum prius languerem præ timore, et consternatus essem, mei sensus non recte sua exercebant officia. C.—Pro *video* repone *vivo*. Nam non modo nondum Antiphilam, pone relictam, viderat, sed et *vivit* et *valet* sæpenumero apud Plautum conjunguntur. Cf. nostrum infra iii. 1. 21. B.

4. *Minime mirum*] Servi non videntes adolescentes pergunt in sermone incepto. Mulieres a natura tardæ in incessu sunt: sed hic additur causa tarditatis, scilicet *ancillarum gregem ducunt secum*, ac si duceretur unus grex ovium. *Minime mirum*] Scilicet si relictæ sunt. C.—*Minime mirum: adeo impeditæ*] Mirandum non est, quod impeditæ sunt mulieres, quæ et *ancillarum gregem ducunt secum*, et plurima comportant. E.—*Ancillarum greges*] Sic οἰκέτων ἀγέλας dixit Chrysostom. in Paul. ad Ephes. cap. 5. Hom. 20. Indecorum nimirum jam olim visum matronis, sine comite in publicum prodire. Quæ res in tantum luxum excrevit, ut parum esset, nisi (ut loquitur Ammian. Marcell. lib. xiv.) familiarum agmina, tanquam prædatorios globos post terga trahentes, conspicerentur. Videnda. Plautus Mercator. ii. 3. lib. i. §. 2. lib. xv. ff. de injur. eò famos. Aristenæt. lib. i. epist. 9. Sed hac de re alibi fusius. L.

5. *Perii!*] Cliniæ suspicio, quod amica corrupta sit, ab ancillarum grege oritur. Has enim ab aliis amatoribus esse putat. C.—*Perii! unde illæ sunt?*] Crescit error Cliniæ, ut magis credat esse corruptam, quod *ancillas* habeat et *aurum*. Hæc omnia meretricis, non illius mulieris sunt. Sed adhuc ignorat adolescens. E.

6. *Portant quid rerum?*] Ob hoc non est securus Syrus, quod mulieres relictæ sint. C.

7. *Et vesperascit, et non noverunt viam*] Causa cur non oportuit relictas. Quis enim tutus, si quid portat, et in nocte, et in incerto itinere? C.—*Et vesperascit*] Hoc est, nox fit: a *vespere* factum verbum est. E.

8. *Abi dum*] *Dum παρέλκον*. C.

Propera: quid stas? CLIN. Væ misero mihi, quanta de spe decidi!

CLIT. Quid istuc? quæ res te sollicitat autem? CLIN. Rogitas quid siet?

Viden' tu? ancillas, aurum, vestem? quam ego cum una ancillula

Hic reliqui: unde esse censes? CLIT. Vah! nunc demum intellego.

SY. Di boni, quid turbæ'st? ædes nostræ vix capient, scio.

Quid comedent? quid ebibent? quid sene nostro erit miserius?

Sed video eccos, quos volebam. CLIN. O Juppiter! ubinam est fides?

Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci

Collocupletasti te, Antiphila, et me in his deseruisti malis:

Propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus sum obsequens:

Cujus nunc pudet me et miseret, qui harum mores cantabat mihi,

Monuisse frustra: neque potuisse eum unquam ab hac me expellere:

9. *Væ misero mihi*] Magis suspicatur Clinia quod a Syro aurum et vestem audierit. C.—Nostri plerique omnes, et Victor. et Faerni aliquot recte habent *Propere*. B.

10. Lege *Qui istuc?* ut Eun. iv. 6. 7. et alibi. B.

12. *Unde ea esse censes?*] Unde essent ista, tanquam notum esset, non explicuit. C.

13. *Quid turbæ est?*] Persona servilis, utpote fidelis heri impensis timet. *Quid turbæ est?*] *Turba* primum perturbationem significat; inde *turbo turbas, perturbo, deturbo*. Dehinc multitudinem, quæ fere turbatione non vacat. *Capient*] Alias deligent significat. Virg. Æn. i. 396. *Aut capere, aut captas jam despectare videntur*. C.

14. Pro *seni*, omnes nostri et Faerni habent *sene*. Colloca *Quid séne erit nostro miserius?* B.

15. *Eccos quos volebam*] Eccum eccam, eccos eccas, ellum ellam, ellos ellas, ab ecce composita sunt: et per adverbia resolvuntur, non per nomina. *Eccum*, ecce hic: subintellige *virum* de quo agebamus. *Eccam*, ecce hic: subintellige feminam. Ita ellum, intellige, ecce illic virum, etc. *O Jupiter!*] Sic exclamat, dum putat ab amica esse se deceptum. C.—*O Jupiter! ubinam est fides?*] Nec dum soluta sibi suspicione, quærit (*queritur* Z.) adolescens, se esse desertum, . . . (excidit, *et Antiphilam*) omisso amore amatoris sui in meretricios mores esse delapsam. E.—Lege ordine inverso, *Sed eccos video quos vol.* ob consuetudinem Terentii. B.

16. *Propter te*] Quia tua causa a patre sum exclusus verborum increpationibus. *Errans*] Hinc *errones* dicuntur. C.—*Interea loci*] In libro Bemb. adscriptum est: *Loci παράλογον: nam* loci *omni significationi addi solet. Ennius:* Flamma loci postquam conclusa'st turbine sævo. FAERN.

17. *Collocupletasti*] Divitem fecisti. E. Male in prima syllaba acuitur *Antiphila*. Ergo ex omnibus fere nostris leg. *Collocupletasti, Antiphila, te et me*. B.

18. *In summa*] In querela amatoria consueverunt amatores ab amica decepti commemorare, quæ adversa causa illius acciderint. C.—Omnes nostri, deleto *sum*, habent *minus obsequens*. Male. B.

19. *Pudet me, et miseret*] Recte: quia post pudorem solet consequi misericordia. *Pudet*, verecundiæ est. *Piget*, pœnitentiæ. Terent. in Adelphis, *fratris me quidem pudet, pigetque*. Et bene *pudet*, de filio in patrem. In Andria, *tum patris pudor. Cantabat*] Hoc est, frequenter dicebat. Et significantius dixit *cantabat*. Et antiqui *canere* pro *eloqui* dixerunt. C. —*Cujus nunc me pudet*] Patris me pudet et miseret, qui frequenter harum mores dixit mihi, et frustra monuit. E.—*Mores cantabat mihi*] Plautus Trin. ii. 2. 10. *Hoc tibi quotidie canto ut caveas*. L.

20. *Ab hac*] Sic dixit, quia nondum

Quod tamen nunc faciam: tum, quum gratum mihi esse potuit, nolui.
Nemo est miserior me. SY. Hic de nostris verbis errat videlicet,
Quæ hic sumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque est, accipis:
Nam et vita'st eadem, et animus te erga idem ac fuit;
Quantum ex ipsa re conjecturam cepimus.
CLIN. Quid est obsecro? nam mihi nunc nihil rerum omnium'st,
Quod malim, quam me hoc falso suspicarier.
SY. Hoc primum, ut ne quid hujus rerum ignores; anus
Quæ est dicta mater esse ei antehac, non fuit:
Ea obiit mortem: hoc ipsa in itinere alteræ
Dum narrat, forte audivi. CLIT. Quænam'st altera?
SY. Mane: hoc quod cœpi, primum enarrem, Clitipho:
Post, istuc veniam. CLIT. Propera. SY. Jam primum omnium,

appulerat: etsi superius, *me deseruisti*, dixerit. C.—*Monuisse frustra*] Ms. R. et V. C. *Monuisse frustra, dolet.* L.—Recte, ob versum, omnes collocant, *neque eum potuisse unquam.* Tum *expellere* e loco, domo, urbe, finibus, quidem recte dicitur; at nunquam, ab amica. Ergo corrige *aspellere*, h. e. abigere, arcere, ut Plaut. Trin. iii. 2. 46. Merc. i. 2. 5. et alibi. Glossarium vetus, *aspellit*, ἀπωθεῖ. B.

21. *Tum, quum gratum mihi esse potuit*] Quia tunc fuissem patri obsecutus, et ejus morem gessissem voluntati. C.

22. *Hic de nostris verbis*] Superius, *portant quid rerum, et aurum et vestem* dixit. *Videlicet*] *Scilicet* et *videlicet* idem significare videntur quod *certe:* sed habent usum suum per amaritudinem cum derisu permixtam. Virg. Æn. iv. 379. *Scilicet hic superis labor est.* Quintil. *Hoc videlicet exspectasti.* C.

24. *Nam et vita'st*] Prima propositione volens servus solvere errorem suspicionis Cliniæ dicit, *et vita est eadem amicæ, et animus ille qui circa te fuit.* Verum meminisse debemus duas res esse propositas, ut et *vita eadem* probetur, et *idem animus.* Potuit enim in eadem muliere castitas perseverare, ut esset eadem vita, non tamen idem animus: potuit namque oblivisci amatoris sui, et non eum desiderare. Ideo adjecit: *et animus te erga idem ac fuit.* E.

25. *Ex ipsa re*] Ex signis quæ dicturus est. C.—Solus Bembinus pro *cepimus* recte legit *fecimus.* Nam *conjecturam facere* sæpe apud nostrum et Plautum occurrit. B.

28. *Anus quæ dicta est mater*] Hoc contra illud est quod supra dictum a Clinia, *mater, sub imperio cujus est, mala.* C.—*Ne quid hujus rerum*] Quod nunciet servus anum periisse, quæ ei mater esse dicebatur, ad causam minime pertinebat. Ideo adjecit: *Hoc primum tibi dico, ne aliquid harum rerum ignores.* E.

30. *Ea obiit mortem*] Hoc dictum ne ab illa corruptam amicam suspicetur. *Alteræ dum narrat*] Antiquum est: nos *alteri* dicimus. C.—*Alteræ dum narrat*] Hic jam præmissio alterius narrationis effecta est. Nata est suspicio ut quæreretur, quæ sit altera: cujus narrationem differt. Prior enim est de amica Cliniæ narratio. E.—*Hoc ipsa in itinere*] Priscian. lib. vi. *Hæc ipsa in itinere.* L.—Lege, *ex ipsa in itere hoc, alteræ.* Nam vulgare *itinere* ob metrum habet in secunda accentum: quod est contra morem veterum, apud quos quadrisyllaba eaque brevia fere primam acuunt. Igitur hic et Phorm. iii. 3. 63. Terentius posuit *itere*, ab *iter.* Alii veteres a nom. *itiner* dixerunt in gen. *itineris.* B.

31. *Quænam est altera?*] Interrogat: quia nondum intellexerat amicam adventare. C.

32. *Mane: hoc quod*] V. C. *Sine.* L.

33. *Propera*] *Properat* qui festinanter aliquid ait vel dicit. Virg. Georg. i. 260. *Multa, forent quæ mox cœlo properanda sereno, Maturare datur. Jam primum omnium*] Sic incipit, ut multa pudicitiæ signa narraturus. Livius in primo ab Urbe cond. cap. i. *Jam primum omnium satis constat.* Hic *jam primum omnium* est in

Ubi ventum ad ædis est, Dromo pultat fores:
Anus quædam prodit: hæc ubi aperuit ostium,
Continuo hic se conjecit intro: ego consequor.
Anus foribus obdit pessulum: ad lanam redit.
Hinc sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio vitam suam te absente exegerit,
Ubi de improviso est interventum mulieri:
Nam ea res dedit tum existumandi copiam
Cotidianæ vitæ consuetudinem;
Quæ, cujusque ingenium ut sit, declarat maxume.
Texentem telam studiose ipsam offendimus.
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anuis causa, opinor, quæ erat mortua:

primis vel in principio. Nam principium est primum omnium. Vel sic intelligas, *jam primum omnium*, i. e. ecce primum omnium, quod sequitur. C.

34. *Ubi ventum ad ædis*] Hic ergo breviter omnia argumenta, quæ a summo ad imum sunt, colligamus. Ac primum collocetur: Casta est mulier, et eadem quæ fuit ante, perseverat: quod *anus processit:* quod *ostium aperuit:* quod *continuo ingressus est servus:* quod, postquam ingressus, statim *anus pessulum* rursus *foribus obdit:* quod *ad lanam redit:* quod *texentem telam studiose ipsam invenerit:* quod *mediocriter vestitam;* quod *sine auro:* quod *ita ornatam, quemadmodum sibi ornatur;* quod *nulla mala re expolitam muliebri:* quod *capillus ab ea rejectus circum caput fuerat negligenter:* quod *cum ancilla ea texebat, pannis ipsa contexta.* Hæc sunt quæ vitam probant. Rursus subjungitur, an idem animus circa Cliniam perseveret. Ideo interrogavit: *Quid ait, ubi me nominas?* Subjungit ille: *Ubi dicimus rediisse te, etc.* Ergo et hic conjectura est, an idem animus perseveret. Probamus autem quod perseveret ex eo, quod ubi te nominavimus, *mulier telam deserit continuo, et lacrumis opplet os totum sibi, ut facile scires, desiderio id fieri tuo.* Completa igitur omni re, ad alteram narrationem necessario cito devolvitur, ut ostendat quæ illa altera sit mulier, de qua ante dixerat. E.

35. *Anus quædam prodit*] In Eunucho de vilissima persona, *Prodi foras, male conciliate.* C.—*Anus quædam prodit*] Solitæ inter reliquum famulitium ancillæ quædam in ætate graviores esse: quarum officium erat, de capillamento dominæ in consilium ire, ut recte disponeretur, ac de forma ejus judicare. Lucian. in Amoribus, *γραῖς δὲ καὶ θεραπαινίδων ὁ σύμμορφος ὄχλος ἐν κύκλῳ παρεστᾶσι, ποικίλοις φαρμάκοις καταφαρμακεύουσαι τὰ δυστυχῆ πρόσωπα.* Juvenal. Satyr. vi. 497. *Est in consilio matrona, admotaque lanis, Emerita quæ cessat acu: sententia prima Hujus erit: post hanc ætate atque arte minores.* Ergo in Bacchidis quoque familia anus est, qua illa sive pro cosmeta utebatur, sive pro scortationum sequestra et internuncia; vel ut illa est, de qua Apuleius Miles ix. L.

36. Versus gratia leg. *hic se intro conjicit*, et priori versu leg. *aperit.* B.

37. *Ad lanam redit*] Hæc signa sunt pudice vitam agentis. Sic in Andria, *Primum hæc pudice vitam, parce, ac curiter agebat, lana et tela victum quæritans.* C.

38. Pro *Hinc* Bemb. et alii recte *Hic.* Nam sequitur *alibi.* Pro *aut nusquam*, quod unus tantum e nostris habet, duo *haud nusquam:* cæteri sat multi *haud usquam.* B.

39. *Vitam exegerit*] Aliter dicitur *exigere vitam, exigere fabulam, et exigere opus:* significat enim traducere, expellere, et finire. Exemplum primi est hic; secundi ut in Andria, *an exigendæ sint vobis prius;* tertium est operis, i. e. finire opus inceptum. C.

41. *Existimandi copiam*] Judicandi. *Æstimare* enim est considerare, *existimare* vero, judicare. Nam prius consideramus ea quæ judicanda sunt. C.—Meliores numeri efficiuntur, si cum cod. Reg. leg. *Nam ea tum res dedit existumandi.* B.

43. *Quæ cujusque ingenium*] In Andria, *Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi, etc.* C.

44. *Telam*] *Tela* dicitur omnis pannus tam laneus, quam lineus. *Offendimus*] Reperimus. *Offendere* fere idem est quod reperire. C.—Victorius Var. Lect. ix. 15. ex Politiano laudat versum Menandri: *Ἐξ ἰσταρίου ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ.* W.

46. *Ejus anuis causa*] M. Varronem, et

Sine auro tum ornatam, ita uti quæ ornantur sibi:
Nulla mala re esse expolitam muliebri:
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter. CLIN. Syre mi obsecro,
Ne me in lætitiam frustra conjicias. SY. Anus
Subtemen nebat: præterea una ancillula

P. Nigidium, viros Romani generis doctissimos, constat non aliter locutos esse et scripsisse, quam *senatuis* et *domuis*, qui est primus casus ab eo, quod est senatus et domus. C.—*Ejus amuis*] A. Gellius, Noct. Attic. iv. 16. Probus in Catholicis. Charis. lib. i. Priscian. libb. vi. et vii. *Quæ erat*] V. C. *quæ tum erat.* L.

47. *Ornantur sibi*] Non ut placeant anatoribus. Honestæ enim mulieres rejiciunt vestium sordes, honesteque sibi vestiri cupiunt. C.—*Ornantur sibi*] V. C. *formantur.* Hieronym. ad Gaudent. φιλόκοσμον *genus feminarum est, multasque etiam insignis pudicitiæ quamvis nulli virorum, tamen sibi scimus libenter ornari.* Ideo nimius mundus et cultus meretrici potius, quam castæ convenit. Marcellinus in Hermogen. τὸ μὲν γὰρ ἁπλῶς κάλλωπίζεσθαι, οὕτω σημεῖον πορνείας· ἡ δὲ συνέχεις ποιεῖ τὴν ὑποψίαν. L.

48. *Nulla mala re expolitam*] Hoc est, non fucatam. *Mala* enim a similitudine mali, hoc est, pomi, nomen assumsit. Nam id est quod præeminet inter nasum, oculos, et buccam, quod rotundum est, et in speciem mali. *Muliebri*] *Res muliebris* est fucus, quo mulieres molles utuntur ad expurgandam cutem, ne rugescat, seu solvatur in rugas, quod senescentibus contingit. C.—*Nulla mala re*] Plerique omnes, quos vidi, scripti codd. *Nulla malam re, etc.* atque explicatur *mala*, id est, *maxilla.* Plaut. Mostel. i. 3. 101. *Quid cerussa opus est? Ph. Nam qui malas oblinam.* Ergo genuina erat Antiphilæ, non fucata aut purpurisso lita facies. *Res muliebres* vocat pigmenta et reliquas offucias, quibus mulieres sese ungere consueverunt, ut pulchriores videantur. Nam ut ait Pomponius IC. lib. xxi. §. 1. *Etiam quo elegantiores sint et mundiores, unguntur feminæ:* Zeno Veron. Sermone de Continentia, *colorem de pyxide mutuantur, etc.* Ideoque inter mundum muliebrem referuntur unguenta, vasa unguentaria, et si quæ similia. Ulpian. lib. xxv. §. 10. ff. de auro, argento. Lucianus in Amoribus, Καθάπερ ἀπ φαρμακοπόλου πυξίδων ὄχλον, ἀγγεῖα μετὰ πολλῆς κακοδαιμονίας· ἐν οἷς ὀδόντων σμηκτικαὶ δυνάμεις, ἡ βλέφαρα μελαίνουσα τέχνη θησαυρίζεται. Videndus totus locus: nam unus omnium rectissime hanc muliebris formæ interpolationem describit: et Zeno Veronens. Serm. de pudicitia, de Spiritu et corpore. Hieronym. Epist. ad Paulin. p. 118. L.—Sex ex vetustioribus *malam:* duo cum edd. vett. omittunt *esse.* Guyetus delendum ut spurium, versum putabat; nos, corrigendum ita: *Nulla mala re interpolatam muliebri.* Per *malam rem muliebrem* intelliguntur pigmenta, ut cerussa, stibium, purpurissum, etc. vid. Ovid. Rem. A. 351. Lucret. iv. 1168. Plaut. Trin. ii. 4. 153. *Interpolare* autem, auctore Nonio, est novam formam e vetere fingere. Hoc verbum apud Plautum de pigmentis adhibetur. Most. i. 3. 105 et 116. Cf. Plaut. Amph. i. 1. 161. Ubi est: *Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.* B.

49. *Capillus*] *Capillum* dicit more suo crinem incultum. *Capillus passus*] Id est, sparsus. Virg. Æn. i. 484. *Crinibus Illiades passis.* Sunt quædam verba, quæ a diverso veniunt præsenti: sed in præterito confunduntur: sicuti a patior, ita a pando, passus descendit. Ideo legendum est in Passione Christi, *qui expassis manibus*, non *expansis.* C.—Pro *passus* leg. *sparsus*, quod non modo aliquot codd. habent, sed et auctoritate Ausonii Idyll. xii. firmatur: *Totum opus*, ait, *hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ: pax.* Et Propert. ii. 1. *Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos.* Tum pro *prolixus* rep. *promissus.* Vid. Festus in *Promissus Capillus*, et Nonius v. Promittere. B.

50. *Pax!*] Adverbium Græcum, ut ait Priscianus. C.—*Rejectus negligenter*] Priscianus *Rejectus negligenter; pax!* quæ vera est lectio: ut hinc scire possimus, cur Ausonius in Technopægnio dixerit: *Totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ; pax!* ad hunc enim Terentii locum omnino respexit. L.—Leg. *Rejectus negligenter, pax.* Dictioni *pax* in Bemb. margine hoc scholion adscriptum est: *Tranquillantis, admirantis, et sollicitudinem admittentis.* Male. Nam pax est silentium imponentis. B.

52. *Subtegmen*] I. e. filium, quod in tela texenda stamen intercurrit. C.—Pro *Subtegmen* libri antiqui recte habent *Subtemen;* quod in Scholio Bemb. explicatur, *subtemen dictum ab eo quod subeat stamen.* B.—Terentius fere ad verbum expressit hic illud Menandri, quod laudat Victorius V. L. ix. 15. Καὶ θεραπαινὶς ἦν μία· Αὕτη συνύφαινεν, ῥυπαρᾶς διακειμένη. W.

Erat; ea texebat una, pannis obsita,
Neglecta, immunda illuvie. CLIT. Si hæc sunt, Clínia,
Vera, ita uti credo, quis te est fortunatior?
Scin' hanc, quam dicit sordidatam et sordidam?
Magnum hoc quoque signum'st, dominam esse extra noxiam;
Quum ejus tam negleguntur internuncii:
Nam disciplina est eisdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.
CLIN. Perge, obsecro te, et cave ne falsam gratiam
Studeas inire: quid ait, ubi me nominas?
SY. Ubi dicimus redisse te, et rogare uti
Veniret ad te: mulier telam deserit
Continuo, et lacrumis opplet os totum sibi:
Ut facile scires desiderio id fieri tuo.
CLIN. Præ gaudio, ita me Di ament, ubi sim nescio.
Ita timui. CLIT. At ego nihil esse sciebam, Clinia.

53. *Pannis obsita*] Sic in Eunucho, *pannis annisque obsitum*. Ita *pannis obsita* dicitur, ut ager obsitus spinis. C.

54. *Immunda illuvie*] *Proluvies et illuvies* significantiam habent parem, et immunditia est. Virg. Æn. iii. 216. *Fœdissima ventris Proluvies*. C.

55. *Ita uti credo*] V. C. *ita ut hic dicit*. L.

56. *Sordidatam et sordidam?*] *Sordidus* a natura dicitur. *Sordidatus* vero fit urgente necessitate. Vel habitu *sordidatam* et veste, corpore *sordidam* et illuvie *sordidatam*, refertur ad illud, *pannis obsita*. *Sordidam*, ad illud, *neglecta, immunda illuvie*. C.—*Scin' hanc*] Ms. R. *Scin' tu hanc*. L.

57. *Extra noxam*] Hoc est culpam. *Noxa* etiam significat damnum. Sueton. in Cæsare, cap. 81. *Spurinamque irridens, et ut falsum arguens, quod sine ulla sua noxa Idus Martias essent*. C.

58. *Internuncii*] *Internuncii*, qui nuncia ferunt ad amatores, et referunt ad amatas. Quos aliqui gynægogos dicunt, a ducendis mulieribus. Utrum bene, nec ne, ipsi viderint. C.—Scholiastes Bembini, *Internuncios pro servis posuit; sed sententia hæc ita est, qui non negligerentur, si essent internuncii*. Cæterum omnes nostri, præter unum, ita verba collocant: *Quum tam negliguntur ejus internuncii*. Corrige, *negligitur ejus internuncius*. Nam servos nullos habuit domina. B.

59. *Nam disciplina est*] Præceptum in Arte Amandi, i. 351. ut amatores prius ancillas corrumpant. C.—Dubitant interpretes de *iisdem*. Forte leg. *Nam disciplina est secta*. Gellius xx. 1. *Scies enim me pro disciplina sectæ quam colo, inquirere potius, quam decernere*. B.

60. *Affectant*] *Affectare* est pronum animum ad faciendum habere. Ut dicit Festus. Laurentius dicit, *affectare* esse affectu et conatu alterius virtutem æmulari, quam assequi nequeas, refragante natura. Servius autem hic interpretatur *affectant*, viam præparant; quemadmodum et illud Virgilianum, Georg. iv. 562. *viamque affectat Olympo*, interpretatur, ille præparat sibi divinos honores, seu disponit. C.—*Ancillas primum*] Hieronym. ad Gaudent. *solent lascivi comtuli juvenes blandimentis, affabilitate, munusculis aditum sibi per nutrices ad alumnas quærere*. Vid. Ovid. de arte amandi. Lysias in Apol. *Qui affectant*] Servius Æn. iii. 670. Junius Philarg. Georg. iv. 562. L.

61. *Falsam gratiam*] Scilicet mentiendo. Nam ipso rescito gratia inita frustaberis. C.

64. Placet cum Bemb. legere *desinit* pro vulgari *deserit*. Nam *deserere telam* est abire, aufugere a tela; sed *desinere* est intermittere. B.

65. *Opplet os*] Nam ex nimio gaudio interdum lacrymæ provenire solent. Apuleius, Metam. i. *Tunc ego sensi naturaliter quosdam affectus in contrarium provenire. Nam ut lacrymæ sæpicule de gaudio prodeunt; ita et in illo nimio pavore risum nequivi continere*. C.

66. Ne syllaba huic versui supersit, corrige *scias*, et pronuncia, ut monosyllabon. B.

68. Verbum *sciebam* Scholiastes Bemb. interpretatur, *quod timebas*. FAERN.

Agedum vicissim, Syre, dic quæ illa'st altera.
SY. Adducimus tuam Bacchidem. CLIT. Hem! quid, Bacchidem?
Eho sceleste, quo illam ducis? SY. Quo ego illam? ad nos scilicet.
CLIT. Ad patremne? SY. Ad eum ipsum. CLIT. O hominis impudentem audaciam! SY. Heus,
Non fit sine periclo facinus magnum et memorabile.
CLIT. Hoc vide: in mea vita tu tibi laudem is quæsitum, scelus:
Ubi si paululum modo quid tete fugerit, ego perierim.
Quid illo facias? SY. At enim. CLIT. Quid enim? SY. Si sinas, dicam. CLIN. Sine.
CLIT. Sino. SY. Ita res est hæc nunc, quasi quum. CLIT. Quas, malum, ambages mihi

69. *Agedum*] *Age* singularem numerum desiderat: *agite* pluralem: *agedum* vero utrumque. *Quæ est illa altera?*] Interrogat non immemor verborum Syri, *O Clitipho: post istuc veniam.* C.

70. *Hem! quid?*] *Hem* interjectio est novas res nec opine audientis. C.—*Adducimus tuam*] Quo facilius blandiri adolescenti possit, adjicit *tuam.* E.—Etsi Donatus ad Adel. iv. 4. hic legit *abducimus;* tamen ob consensum codd. retinendum putamus *adducimus.* B.

71. *Eho*] Interjectio admonentis attentionem, et ut sistatur gradus, poscentis. *Quo illam ducis?*] Hoc cum timore pronunciandum. Timet ne pater illius amicam cognoscat. C.—*Quo illam ducis?*] V. C. *abducis.* L.

72. *O impudentem audaciam!*] Bene *audaciam:* quæ proprie est temeritas. C.—Ut versus quadratus et plenus sit, leg. cum codd. omnibus nostris et edd. vett. sub finem, *Heus tu!* B.

73. *Heus tu! non fit sine periculo facinus*] Sententia generalis, quæ et servis convenit. C.—*Heus! non fit sine periculo*] Quoniam interrogatus servus, quo duceret Bacchidem, respondit, *ad patrem.* Quod ægre ferens adolescens, cum indignatione audacem servum pronunciavit: continuo ille respondit, *facinus magnum et memorabile fieri nunquam posse, sine aliquo periculo.* Ita in hoc quoque periculum est, cum, patre præsente, in domo futura sit meretrix. Tamen studet, ut nihilominus celari possit. E.—*Non fit sine periculo*] Contra Juvenal. Satyr. xiv. 224. *Nullus enim magni sceleris labor.* Ubi Scholiastes hunc Terentii locum laudat. L.—Pro *memorabile* leg. *commemorabile;* quia in codd. quibusdam legitur *nec memorabile.* Nam olim *com* et *con* una litterula, C nempe inversa scribebatur. Igitur facile potuit excidere. Cæterum huc pertinet illud Menandri apud Gellium ii. 23. *μέγα καὶ περιβόητον ἔργον.* B.

74. *Hoc vide!*] Sic dicere solemus his, qui res maximas aggrediuntur. C.—*Hoc vide: in mea vita*] Scelus, quam astutus ad gloriam. Siquidem meo periculo tu tibi comparare vis laudem! E.—Post *scelus* signum interrogandi figendum est. B.

75. *Ubi si paululum*] Verba proprie alicujus committentis alteri cum periculo vel res suas vel salutem. C.—*Parum modo fugerit*] In quo negotio si te fefellerit aliqua consilii pars, ego continuo perierim. E.—Pro *tete* Bentleius edidit *te.* Z.

76. *At enim*] Aliquid supplendum. Syrus dicere volebat, aut in ea re non esse periculum; aut se effecturum quod intendit. Sed illius sermonem Clitipho interrupit. C.—*Quid illo facias?*] Quid deinde facturus es? *At enim*] Pendens oratio hac intercessione efficitur adolescentis: qui non patitur eum ambagibus circuire. Ideo enim dicit, *Quid enim?* E.—Lege *Quid illa facias?* h. e. Bacchide. Quid cum meretrice agas in domo patria? Tum leg. *si sinis, dico.* Duo codd. enim habent *dico.* B.

77. *Ita res est hæc nunc, quasi quum*] Hæc oratio imperfecta est: utpote a Clitiphone, qui impatiens audiendi est, interrupta. Recusat enim Clitipho pericula: et vult amica sine his potiri, quod Syrus fieri posse negat; quia necesse est, si amare vult, ut admittat pericula. Ergo subintelligendum est, quod hic velit compos esse voti sui sine periculo: quemadmodum si aliquis sine belli periculo velit consequi victoriam, aut aliquid tale:

Narrare occipit? CLIN. Syre, verum hic dicit; mitte: ad rem redi.

SY. Enimvero reticere nequeo: multimodis injurius,
Clitipho, neque ferri potis est. CLIN. Audiendum hercle est: tace.
SY. Vis amare: vis potiri: vis, quod des illi, effici:
Tuum esse in potiundo periculum non vis: haud stulte sapis:
Siquidem id sapere'st, velle te id, quod non potest, contingere.
Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt.
Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide:
Etsi consilium, quod cepi, rectum esse et tutum scio.

ut sit proverbium usitatum in ignavos, qui sine labore consequi volunt quod optant. *Ita res hæc*] Aut comparationem quandam voluit inducere, et non patitur Clitipho, qui negotium audire et rem solum vult; aut, quia simile quærebat, et extra rem est, ideo ille ambages dicit; aut quia hoc secus ac contemnens dicit. *Hæc*] An Bacchis, an Antiphila, incertum. Est enim hic oratio imperfecta, a Clitiphone interrupta. Nunc *quasi* quid velit dicere, nescitur, interruptione impediente. Et ideo liberum est unicuique subintelligere, quod placeat. *Malum*] Adverbium est interpositæ indignationis. C. —*Ita res est*] Hic nunc voluit servus quasi quandam similitudinem dare, ut sic ostenderet, quale sit illud consilium quod ipse disposuit. Sed quoniam similitudo cum datur, quidam est in oratione circuitus, idcirco adjecit (adde, *Clitipho*, aut, *adolescens* Z.). *Quas, malum, mihi ambages narrare occipit?* Denique et alter adolescens hoc intellexit, unde adjecit: *Syre, verum hic dicit; mitte ista, quæso.* Scilicet externa et per similitudinem translata. Unde admonuit eum, quod dixit, *atque ad rem redi.* E.

78. *Mitte: ad rem*] V. C. *mitte ista: atque ad.* L.

79. *Enimvero reticere nequeo: multimodis injurious, Clitipho, es*] Unde jam tacere non possum. Bene indignationem suam servus extulit, quo facilius sibi adolescentem per suam iracundiam præpararet. E.—Scribe *injuriu's.* B.

80. *Neque ferri potis est*] Pro, non potest. C.—*Audiendum hercle est: tace*] Ms. R. *Audiendum hercle'st, tace.* CLIT. *Quid est, vis:* fors fuat an legendum: *Quid est, vis amare, etc.* L.—Post *tace* nostri omnes addunt, CLIT. *Quid est?* nisi quod unus id habeat loco τοῦ *tace.* Sed vulgaris lectio est retinenda. Nam Clinia, qui ex vultu videt Clitiphonem esse interpellaturum, silentium præberi jubet. B.

81. *Vis potiri*] *Potior* a potis descendit: ideo illi in significatione est simillimum. Dicitur enim, sum *compos animi, aut rationis*, quod hæc habeo. *Vis, quod des illi, effici*] Pro invenire positum. C.

82. *Haud stulte sapis*] Εὖφρυικῶς. Id enim velle sine periculo, quod fieri non potest, est insipientis. C.—*Haud stulte sapis*] Non stulte, inquit, sapis, et cum ames, et potiri desideres, et pecuniam dari, interea tu nullum periculum velis sustinere. Hoc autem stultitia est protinus *velle id, quod non potest contingere.* E.

84. *Aut hæc*] Scilicet pericula. *Cum illis*] Invidiose *illis*, cum in una sit. Sic in Eunucho, *Non perpeti meretricum contumelias.* C.—*Aut hæc cum illis sunt*] Aut enim debent fructum et potiundi utilitatem cum periculo sustinere: aut pariter et commoditas omittenda est, si periculum devitatur. E.—Versus probat lectionem Bembini, *mittenda* pro vulgari *amittenda.* B.

85. *Harum duarum conditionum*] Hoc sic infert Syrus, ut tandem velit consilium suum anteferri. *Harum duarum conditionum*] Aut velle pericula cum amica, aut amittere eam una cum periculis. *Condictio*, est actio in aliquem, vel denunciatio: *condicere* enim prisca lingua, est denunciare. *Conditio* vero sine *c*, ut hic est legendum, est conventio certam legem in se continens. Alibi Terent. *Accepit conditionem, dehinc quæstum occipit.* Dicitur etiam *bonæ conditionis:* ita ut referas ad fortunas, non ad mores, id est, dives est. Est enim *conditio* inter plura eligenda, sortis oblata electio. *Conditionum*, id est, optionum, electionum. C.—*Harum duarum nunc*] De duabus illis propositis conditionibus aut periculum aut fructum capiat, aut si periculum fugiat, utilitatem etiam pariter contemnat. Ex his, inquit, quamlibet conditionem eligat. E.

86. *Scio hoc consilium*] Incitare adolescentem cupit, ne frustra operam per-

Nam apud patrem tua amica tecum sine metu ut sit, copia'st.
Tum, quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via:
Quod ut efficerem, orando surdas jam auris reddideras mihi.
Quid aliud tibi vis? CLIT. Siquidem hoc fit. SY. Siquidem, experiundo scies.
CLIT. Age age, cedo istuc tuum consilium: quid id est? SY. Adsimulabimus,
Tuam amicam hujus esse. CLIT. Pulchre: cedo quid hic faciet sua?
An ea quoque dicetur hujus, si una hæc dedecori est parum?
SY. Imo ad tuam matrem abducetur. CLIT. Quid eo? SY. Longum'st, Clitipho,
Si tibi narrem, quamobrem id faciam: vera causa est. CLIT. Fabulæ:
Nihil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi expediat metum.
SY. Mane: habeo aliud, si istud metuis, quod ambo confiteamini
Sine periclo esse. CLIT. Hujusmodi, obsecro, aliquid repperi. SY. Maxume.
Ibo obviam hinc: dicam, ut revortantur domum. CLIT. Hem!

diderit, quod meretricem adduxit; itaque ostendit tutum consilium esse, quod suscepit, *ut apud patrem amica sit sine metu*, et argentum, quod promissum est, inveniri possit. E.—Nostri, *Etsi hoc consilium*. Sed ut *consilium* syllaba ultima cum *hoc* coalescat, repone *Etsi consilium hoc, quod, etc.* B.

89. *Quod ut efficerem*] Superius, *vis, quod des illi, effici*. Id *efficimus*, quod cum magno conatu et molimine facimus, vixque per nos finem accipit. C.

90. *Siquidem*] Syrus repetit verbum Clitiphonis, quod per id eum dubitare videat. C.—*Siquidem hoc fit*] Quam cito est motus adolescens, quando utrumque est (*esse servus*) dixit præparatum, ut et amica in domo patris sine metu sit, et argentum ei quod debitum est reddi possit. *Experiundo scies*] Ipsa actione expertus agnoscea. E.—Ne *siquidem* in repetitione diverso accentu proferatur, repone, *Quid alid tibi vis? Siquidem hoc fiet. Siquidem experiundo scies.* Nam *alis* pro *alius* vetuste dictum vett. grammatici docent omnes: *alis* in Catullo occurrit: *alid* pro *aliud* sæpe in Lucretio. Tum *fiet* sensu ipso comprobatur. B.

91. *Adsimulabimus tuam amicam*] Callide Clitiphonis amica, Cliniæ esse simulatur, ut Antiphila ad Sostratam deducatur, quæ postea agnoscetur filia Chremetis: qua cognita, et altero consilio invento a Syro, extorquebitur argentum a Chremete, quod Clitipho Bacchidi promiserat. C.

93. *Dedecori est parum?*] Turpe est habere unam amicam, nedum duas. C.

94. *Quid eo?*] Cum interrogatione: quasi dicat, Quid tum, si ad matrem deducetur? C.—Lege cum codd. *deducetur*. B.

95. *Fabulæ!*] Recte *fabulæ*: quia neque veræ sunt, neque verisimiles. C.

96. *Nihil satis firmi*] Nullam rationem video firmitatis in consilio, ut debeam talem metum suscipere, ut apud patrem amica mea sit. E.

97. *Mane: habeo aliud*] Hoc irridens dicit; vult enim obvius ire meretrici, et dicere ut domum revertatur (*revortantur*, ed. Leidensis). Aliter enim incitari adolescentis animus non potest, qui fastidiosus cœpit esse per copiam, nisi id quod cupit denegetur. E.—Versus et sententiæ gratia repone: *Mane, habeo aliud, si iste est métus, quod a.* B.

98. *Hujusmodi, obsecro, aliquid*] Quam stulte amans inducitur credere Syrum, qui jocatur, jam habere aliquid, quo potiatur amica sine periculo. C.—*Hujusmodi, obsecro*] V. C. *Istiusmodi*. L.

99. Pro *hinc*, quod est ineptum, re-

Quid dixti? SY. Ademtum tibi jam faxo omnem metum;
In aurem utramvis otiose ut dormias.
CLIT. Quid ago nunc? CLIN. Tune? quid boni est. CLIT. Syre, dic modo
Verum. SY. Age modo: hodie sero, ac nequicquam voles.
CLIN. Datur: fruare dum licet; nam nescias
Ejus sit potestas posthac, an nunquam, tibi.
CLIT. Syre, inquam. SY. Perge porro, tamen istuc ago.
CLIT. Verum hercle istuc est: Syre, Syre, inquam, heus heus Syre.
SY. Concaluit: quid vis? CLIT. Redi, redi. SY. Adsum, dic quid est?
Jam hoc quoque negabis tibi placere. CLIT. Imo, Syre,
Et me, et meum amorem, et famam permitto tibi.
Tu es judex: ne quid accusandus sis, vide.

scribe, *huic*, h. e. Bacchidi. Sic quoque extat in cod. Meadino. Tum lege *revortatur*. Nam Antiphila non potest una intelligi; alioqui Clinia non tacuisset. B.

101. *In aurem utramvis*] Loco proverbii, in eos, qui securi et otiosi vitam ducunt. Talis sententia et apud Menandrum, quæ Latine sic exprimitur: *In aurem utramque, quum quidem dotata est, cubet.* Per aurem dextram dextrum latus designat, per sinistram vero latus sinistrum. C.—*In aurem utramvis*] Basilius Magnus πρὸς τοὺς νέους· ἐπ' ἄμφω καθεύδουσι. Plaut. Pseudol. i. 1. 121. *De isthac re in oculum utrumvis conquiescito. Ca. Oculum utrum, anne aurem? Ps. At hoc pervulgatum est minus.* L.—Menander apud Gellium, ii. 23. Ἐπ' ἀμφοτέραν ἵν' ἐπίκληρος ᾖ, μέλλειν καθευδήσειν. Ita nos locum corruptum emendandum censemus. Z.

102. *Quid ago nunc?*] Dubius et circa pericula, et circa amicam, quærit consilium. *Quod boni est*] Nam *boni* est velle abscedere lascivas mulieres. Et hoc totum dicit ridendo eum. C.—*Tune? quid boni*] Præcisa hæc oratio ordine tali: *Tune? quod boni est, fruare, dum licet.* Rursus alia præcisa: *Nam nescias*] Cujus ordo est; *ejus sit potestas, posthac nunquam.* E.

103. *Age modo*] Sic pronunciandum est, ut Syrus discedat, et dicat amicæ Clitiphonis, ut domum revertatur. *Ac nequicquam*] Id est, frustra voles, quoniam statim revocabis voluntatem, et impedies, quo minus dicam verum, ut prius fecisti. Vel si *ne* et *quicquam* sint duo verba, tunc sic construe, *ac ne*, i. e. non voles, non permittes, *quicquam* scilicet dici a me. Nam impedies, ut prius. C.

106. *Syre, inquam*] Interea Syrus ad mulieres se conferebat, quem abeuntem Clitipho primo paululum revocat; deinde ipso calescente magis ac magis amore, et Syro pergente, vehementissime revocat. *Syre, inquam*] Trepide Syrum revocat jam decedentem. *Tamen istuc ago*] Quod cœpi, scilicet ut dicam amicæ, ut domum redeat. C.

107. *Verum hercle istuc est*] Verba creduli et trepidi amantis, et concedere nolentis Syro, ut quod constituerit peragat. C.—Totus locus sic est constituendus inde a versu 102. *Clit.* Quid ago nunc? *Clin.* Tune? quod boni—*Clit.* Syre, dic modo Verum. *Syr.* Age modo: hodie sero ac nequicquam voles. *Clin.* Di dant, fruare, dum licet: nam nescias—*Clit.* Syre, inquam. *Syr.* Perge porro, tamen istuc ago. *Clin.* Ejus sit potestas posthac, an nunquam tibi. *Clit.* Verum hercle istuc est. Syre, Syre, inquam, heus heus Syre. Addidi notam—ut verba Cliniæ interrumpi indicarem, totamque ejus orationem sic oportere continuari: *Quod boni Di dant, fruare dum licet: nam nescias, ejus sit potestas posthac an nunquam tibi.* B.

108. *Concaluit*] Bene de amore *concaluit*. In Eunucho, *Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.* *Concaluit*] Id est, amoris igne ardescit, quapropter me sic revocavit. *Adsum*] Hoc dicit, postquam paululum rediit, ac prope Clitiphonem fuit. C.—*Concaluit*] Calore subito concitatus est. E.

111. *Ne quid accusandus*] *Ne quid*, deest *ob* vel *propter*. Et est admonitio aliquid alicui trepide committentis. C.—Cum intelligi nequeat, quomodo Syrus sit *judex*, aut cur *videat, ne accusandus sit;* quis enim accusare solet judicem suum? pro *judex* reponendum esse existimo *in-*

SY. Ridiculum est, te istuc me admonere, Clitipho;
Quasi istic minor mea res agatur, quam tua.
Hic si quid nobis forte adversi evenerit,
Tibi erunt parata verba: huic homini verbera.
Quapropter hæc res neutiquàm neglectu'st mihi:
Sed istunc exora, ut suam esse assimulet. CLIN. Scilicet
Facturum me esse / in eum jam res rediit locum,
Ut sit necesse. CLIT. Merito te amo, Clinia.
CLIN. Verum illa ne quid titubet. SY. Perdocta'st probe.
CLIT. At hoc demiror, qui tam facile potueris
Persuadere illi, quæ solet quos spernere!
SY. In tempore ad eam veni, quod rerum omnium'st
Primum: nam quendam misere offendi militem

inlex, h. e. tu me in hoc periculum illicis; cave ne accusandus sis, neve quid præter opinionem accidat. Sic Plaut. Asin. i. 3. 68. *Esca est meretrix, lectus inlex est, amatores aves.* B.

113. *Quasi istic minor mea res agatur*] Securius committimus his ad quos non minus pertinet quod agendum, quam ad nos. *Quasi*] Quasi dicat, videris ita admonendo me putare, quod minus mihi ex ea re impendeat periculum quam tibi. Vel quod minus ad me spectet, quam ad te, id caute fieri. Nam cum Horatius lib. i. ep. 18. 84. inquit, *Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet*, intelligitur sic, tibi imminet periculum proxime ardente te vicino pariete; vel negotium de incendio parietis vicini ad te pertinet. Nam *res* in eo dicendi genere capitur pro negotio. Præterea hæc particula *quasi* hic capitur ironice, ut sæpe, præcipue cum jungitur cum *vero*, etiam sine *vero*. Exemplorum plena sunt omnia. C.—*Quasi ista minor*] In hoc consilio magis mihi periculum propositum est, quam tibi. *Nam si aliquid adversi contigerit, tibi verba sunt præparata, mihi vero verbera.* Unde hanc rem negligere omnino non possum. E.—Repone, *Quasi istic mea res minor agatur*. B.

115. *Huic homini verbera*] Amabant veteres de proximo similia dicere. Cic. in Verrem iv. 12. *Minus carum putavit fore quod de armario, quam quod de sacrario fuisset ablatum. Homini huic*] Δεικτικῶς hæc dixit, se ipsum ostendens. *Homini huic*] Id est, mihi. Nam *hic* dicitur de persona loquentis; *iste* de persona audientis; *ille* de persona remota ab utroque. C.

116. *Hæc res*] Immo est maxime mihi curæ; nam res mea agitur, et in ea periculum mihi commune tecum impendet. C.—*Neglectu'st mihi*] Ms. R. *neglectui*. L.

118. *In eum jam res rediit*] Intelligit Clinia, cum apud illum sit hospes, necessitatem sibi impositam, uti hoc quod ab eo / petitur, negare (excidit *non* Z.) possit, ut assimulet amicam suam esse meretricem. E.—In ordine verborum variant codd. Sed unus recte habet, *in eum res rediit jam locum*. B.—Menander: Τρία γάρ ἐστι δέοντα, δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, Ἡ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ γε τρίτον ἔθει τινί. W.

119. Pro vulgari *necesse*, Bembinus habet *necessus*. Igitur, quia in illa sede spondæus trochæo est potior, repono *necessum*. B.

120. *Ne illa quid titubet*] Subaudi timeo. *Titubare* proprie est pedibus non valentis insistere, quales sunt ebrii. Ad animum quoque transfertur quoties ab animo verba dissentiunt. Veretur igitur Clitipho, ne quid temere effundat quo se indicet. *Perdocta'st probe*] Aut *per* poetice abundat, aut *probe*. C.

122. *Quæ solet quos spernere!*] *Quos*, id est, quales amatores. Virg. Æn. iv. 536. *Quos ego sum toties jam dedignata maritos*. C.

123. *In tempore ad eam*] In occasione. Ut, Æn. iv. 423. *Sola viri molles aditus et tempora noras*. E.—*In tempore ad eam*] Auson. in Pittaco: *Romana sic est vox, Venito in tempore: Vester quoque ille comicus Terentius Rerum omnium primum esse tempus autumat, Ad Antiphilam quo venerat servus Dromo. Nullo impeditam, temporis servans vicem.* Dromoni attribuit partes Ausonius, quæ Syri sunt, memoriæ, ut puto, lapsu. L.

124. *Miserum quendam offendi*] Recte *miserum* dixit, ut ostenderet non admissum, arte, scilicet meretricis. C.—*Quendam offendi militem*] Hæc fuit occasio, quod voluit miserum militem de negatione sua in amorem amplius suscitare. E.—*Misere offendi*] Ms. R. *miserum offendi tibi militem*.

Ejus noctem orantem: hæc arte tractabat virum,
Ut illius animum cupidum inopia incenderet:
Eademque ut esset apud te hoc quam gratissima.
Sed heus tu, vide sis, ne quid imprudens ruas:
Patrem novisti, ad has res quam sit perspicax:
Ego te autem novi, quam esse soleas impotens:
Inversa verba, eversas cervices tuas,
Gemitus, screatus, tussis, risus abstine.
CLIT. Laudabis. SY. Videsis. CLIT. Tutemet mirabere.
SY. Sed quam cito sunt consecutæ mulieres!
CLIT. Ubi sunt? cur retines? SY. Jam nunc hæc non est tua.
CLIT. Scio, apud patrem: at nunc interim. SY. Nihilo magis.

L.—Scholiastes Bemb. *misere*, explicat, *nimis: quia omne nimium non bonum. Alibi*: *eam misere amat.* FAERN. Equidem legendum puto; *nam miserum quendam offendi ibi militem.* Nam omnes nostri sic legunt, sed sine *ibi*, quod tamen reperitur in aliis, ubi *misere* est. Certe *miserum*, h. e. parcum, tenacem, ut infra iii. 2. 15. sensus postulat. Nisi enim parcus esset, cur *arte* tractaret? Si prodigus, meretrix statim noctem dedisset. B.

126. *Inopia*] Scilicet sui. Ovidius, Amor. iii. 4. 17. *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.* C.

127. Recte Faernus probat Bembini *gratissimum* pro vulgari *gratissima*. Cui *eadem* adverbialiter sumendum videtur, uti quoque a Scholiaste Bemb. explicetur, *eademque, antique posuit pro una.* Sic Scaurus apud Charisium tradit, *eadem* apud veteres sine adjectione τοῦ *via* esse adhibitum. B.

128. *Heus!*] Hic *heus* admonentis. C.

130. *Impotens*] *Impotens* est suorum appetituum minime moderator. Nam is *impotens* dicitur, qui suis affectibus ac animi passionibus non potest modum adhibere, ac eas cohibere, sed ab illis victus trahitur quocunque ferant et rapiant eum. C.

131. *Inversa verba*] Omnia ponit quæ ab amante vecorde fieri solent. *Inversa verba*] Id est verba præpostere et in contrarium pronunciata. Est enim *invertere*, quasi in contrarium vertere et præpostere verba pronunciare: ut pro lavo vola. *Eversas cervices*] *Cervix* seu *cervices* posterior pars colli, ubi origo est omnibus nervis: unde homo *duræ cervicis* dicitur, quasi indomabilis, et quasi duri capitis, et duræ mentis. *Eversas cervices*] Contrarium est, *erectas cervices.* Et significat illum flecti et domari ab amica. *Cervices* numero multitudinis dixit. Quinctilianus, Instit. Or. viii. 3. *Cervicem videtur Hortensius primus dixisse. Nam veteres pluraliter appellant. Eversas*] Cervix enim est posterior pars colli. Ponitur pro superbia seu contumacia quadam ac rigore mentis, ut, vir *duræ cervicis*, i. e. indomabilis, et mentis rigorem præ se ferens, tanquam nemini caput inclinare velit. *Evertere* interdum significat destruere, ut, evertere urbem, i. e. destruere et eam demoliri ac dissipare, ac etiam subvertere. Interdum evertere significat prosternere, et facere, ut, quod stabat, nunc prostratum jaceat. Et ab hac significatione manavit præcedens; nam evertitur urbs, cum mœnia, quæ prius stabant, diruuntur. Item mulier quærens drachmam evertit totam domum, i. e. inquirendo illam omnia quæ in domo sunt, jacit huc et illuc, et a suo ordine dimovet. Item in jure sæpe dicitur. C.—*Eversas cervices*] Quod jactantis et superbi est penitus. E.—*Inversa* Scholiastes Bemb. explicat, *antiqua, figurata.* Et *eversas, dejectas.* FAERN.

132. *Screatus*] A screo, as, are, quod significat screatus pectoris et præcordiorum ejicere ex ore. *Tussis*] Id est, tusses, hoc est, contusiones. C.—*Gemitus, screatus*] Hæc omnia adolescentuli faciunt, quotiescunque videre, aut videri volunt ab his, quas desiderant; ita sub quodam metu, ut quasi, dum aliud necessitate conficiunt, sic impleant voluntatem (Faernus sic edidit: *Hæc adolescentuli faciunt, quotiescunque amicam suam videre et ab ea videri volunt; ut per hæc signa, quæ res necessitatis sunt, impleant voluntatem.* Z.). E.

133. *Vide sis!*] Vultuose pronunciandum est. C.

135. *Cur retines?*] Impatientia amantis ostenditur. Nam visa amica, Clitipho verba Syri oblivioni tradiderat. C.

136. *Apud patrem*] Observabo id quod me admonuisti. *At nunc interim*] Ἀνακύκλησις amantis: ut sit, sine interim paulisper cum amica ludere. *Nihilo magis*]

CLIT. Sine. SY. Non sinam, inquam. CLIT. Quæso paulisper. SY. Veto.
CLIT. Saltem salutare. SY. Abeas, si sapis. CLIT. Eo. Quid istic? SY. Manebit. CLIT. O hominem felicem! SY. Ambula.

ACTUS SECUNDI SCENA IV.

BACCHIS. ANTIPHILA. CLINIA. SYRUS.

ÆDEPOL te, mea Antiphila, laudo et fortunatam judico:
Id quum studuisti, isti formæ ut mores consimiles forent:
Minimeque, ita me Di ament, miror si te sibi quisque expetit.
Nam mihi quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et quum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero,
Omniumque adeo vostrarum, volgus quæ ab se segregant:

Vult Syrus eum perpetuo modestum, ne si inceperit, non possit se abstinere, etiam patre vidente. C.

138. In duobus antiquissimis libris Faerni, Bembino et Vaticano est *sapias*, quod versui bene convenit. Nostri omnes mendose *sapis*. B.

139. *Quid istic?*] *Istic* pro *ista*. C.

1. *Ædepol te mea Antiphila*] Non potuit melius conditionem meretriciam exprimere, quam per eam quæ meretrix esset: quæ tamen nomini meretricio favet, cum alibi reprehendantur meretrices, nihil aliud ex amore adolescentium quærere, quam pecuniæ extorsionem, hic quoque jocunda amantium congressio signantissime exprimitur. *Ædepol*] Per Castorem, et Pollucem, ornativa sunt jurandi, apta feminis. C.—*Ædepol te, mea*] Hæc scena comparationem continet earum mulierum quæ amicæ sunt, ita ut uni serviant, et earum quæ plurimis sui corporis exhibent potestatem. Et ne videantur meretrices injustæ, defensio est, et quasi forma quædam hic controversiæ continetur. Res (*reæ* Z.) enim fiunt meretricis (*meretrices* Z.) quum injustæ sunt amatoribus suis et adversæ, dum plurimum petant. Quam rem purgans meretrix, dicit se hoc, quod faciunt, facere necessitate, ne, cum ætas abierit, et senectute extincta pulchritudo discesserit, inopia maneat, nisi antea quæsiverint lucrum, quo possint sustentare decrepitam ac miseram senectutem. *Laudo, et fortunatam judico*] Vehementer te beatam felicemque judico, cum id egisti, ut mores tuæ formæ convenirent. Ut oportuit, jam defensionem suam videtur meretrix exorsa; siquidem scit quod oporteat fieri, et laudat eam, quæ cum pulchritudine tenet integram castitatem. E.

2. *Formæ ut mores consimiles forent*] *Mores* enim pudici, gratiores esse solent in pulchro corpore. Virgil. Æn. v. 344. *Gratior et pulchro veniens in corpore virtus.* C.

3. *Sibi quisque expetit*] Recte *expetit*, cum eam a pudicitia commendet. *Expetimus* enim tantum ea, quæ honesta sunt, et plane bona. Unde de rebus *expetendis* a philosophis scriptum; quæ scilicet peti debent. C.—*Minimeque, ita me Di*] Etenim non valde miror, si, cum his moribus et hac sis pulchritudine, ne (dele, *ne* Z.) non sit aliquis qui te diligat, et te sibi petat. E.

4. *Oratio*] Quod dixeris, cum uno velle ætatem traducere. Antiqui etiam pauca verba orationem dixerunt. C.—*Nam mihi, quale*] Namque mores tuos mihi sermonibus indicasti. E.

5. *Et quum egomet*] Hic jam reparat accusationis defensionem, quæ in se esse posait; dicitque merito, hujusmodi mulieres, quæ uni serviunt, hoc est, quæ se separant a vulgo, recte scilicet et bene facere: nec minus mirabile esse, quod meretrices malæ sunt. Hoc enim dixit: *Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile est.* Vobis enim cum sit voluntas cum uno viro semper esse, debetis servare bonitatem: nos autem bonas esse non sinunt hi, cum quibus rem habemus. Nam propter pulchritudinem nostram amatores esse volunt, qui continuo mutant voluntatem, si fuerit forma mutata. Ergo, nisi prospectum ante fuerit, *desertæ* et cum inopia in senectute *vivimus*. Unde sic purgatum, quod male audire potuisset, non juste malas esse meretrices. E.

6. *Volgus quæ ab se segregant*] Hoc

Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile est.
Nam expedit bonas esse vobis: nos, quibuscum est res, non sinunt:
Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt.
Hæc ubi imminuta est, illi suum animum alio conferunt.
Nisi si prospectum interea aliquid est, desertæ vivimus:
Vobis cum uno semel ubi ætatem agere decretum'st viro,
Cujus mos maxume'st consimilis vostrum, hi se ad vos applicant:
Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini,
Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas.
ANT. Nescio alias: me quidem semper scio fecisse sedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum. CL. Ah!
Ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis.

est, neque promiscue quoeque recipiunt. C.

8. *Nam expedit bonas esse vobis*] Quia cum solo vivitis. Nec potest esse verus amor, nisi inter duos qui sibi invicem fidem servent: juxta illud, Seneca in Agam. v. 259. *Nec regna nec tæda socium pati volent.* Ubi notanda est hæc structura: *mihi expedit esse bonum*, et, *mihi expedit esse bona.* C.—Quamquam omnes libri habent *bonas*; consuetudo tamen linguæ requirit *bonis*, ut Phorm. v. 2. 1. B.

9. *Quippe forma impulsi*] Et hic amor est gratia voluptatis tantum. Et bene *impulsi*: nam hæc omnia nox, vinum, amor, adolescentia, ab *impulsionis* parte dicuntur, non a ratiocinationis. *Amatores colunt*] Bene *amatores*. *Amator* fingere potest: *amans* vere amat. *Colunt*] *Colere* est inferioris personæ ad superiorem: nonnunquam superioris ad inferiorem. Virg. Æn. i. 16. *Posthabita coluisse Samo.* C.

10. *Imminuta* habet Bemb. Sed omnes nostri *immutata*. Recte; quia in tali sede spondeus trochæo est melior. B.

11. *Nisi si prospectum*] *Prospicimus* futura: *dijudicamus* præsentia. *Desertæ vivimus*] Ab his, qui ob amorem frequentes erant. C.—Lege, *Nisi prospectum interea a nobis est, des. v.* Nam *si* abest a plurimis: et pro *aliquid*, quod hic plane ineptum est, repone *a nobis*, quod reperitur in quibusdam libris. B.

12. Pro vulgari *simul* rescribe *semel*. Tum post *viro* interpunge. Nam hic est sensus: ubi decrevistis in matrimonio vos victuras, non in quæstu meretricio, hi se ad vos applicant, cujus (sive quorum) mos est consimilis. Mutatio est numeri; ut Eun. Prol. *Si quisquam est—in his*: notante et ibi hoc laudante Donato. B.

13. *Consimilis vostrum*] Moribus vestrum, pro, moribus vestris. Sic enim antiquis loqui placuit, mores vestrum, pro, mores vestri, ut recentioribus placet. C. —*Cujus mos maxime'st*] Verum his moribus se sociant vobis, qui habent hunc morem et similem voluntatem. E.

14. *Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini*] Quasi diceret: sic ambo obligatis vos mutuo beneficio intemeratæ fidei servandæ. Et hoc dictum est illi simile: *uterque utrique sunt cordi*, Ubi Laurentius affirmat ab oratoribus potius esse dicendum, *uterque alteri est cordi.* C.

15. *Incidere possit calamitas*] In Eunucho, *nostri fundi calamitas*. Proprie *calamitatem* rustici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc est, culmum ac segetem. C.—*Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas*] Ut semper inter vos amor valeat, neque senectute aut ullo morbo discidium possit existere. E.

16. *Nescio alias*] Verba mulieris commendantis se a fide in virum. C.—*Nescio alias: me quidem*] Quid agam vehementer ignoro: illud certum est, nunquam meum me commodum sine illius commodo comparasse. E.

17. *Compararem*] Constituerem. Ut alibi: *Quam inique comparatum est. Ah!*] Clamosa interjectio hoc in loco ad gaudium spectat. Nec potuit vox accommodatior dari, amatori præ nimio amore fere insanienti ad primum cum amica congressum. C.

18. *Reducem*] Id est, incolumem, post varia pericula, quæ subii eundo in Asiam et redeundo. Nam, ut Servius inquit, *reduces* dicuntur proprie, qui pericula evadunt. Facis itaque me *reducem*, i. e. defunctum periculis revertentem in patriam. C.—*Ergo, mea Antiphila*] Adolescens ve-

Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cœpi, leves:

Præterquam, tui carendum quod erat. SY. Credo. CL. Syre, vix suffero.

Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui?

SY. Immo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit.

BAC. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? ANT. Ah, retine me, obsecro.

BAC. Amabo, quid tibi est? ANT. Disperii, perii misera. BAC. Quid stupes,

Antiphila? ANT. Videon' Cliniam, an non? BAC. Quem vides?

CL. Salve, anime mi. ANT. O mi exspectate, salve. CL. Ut vales?

nientem amicam intuetur, et secum loquitur, quod ejus amore factum sit, ut in patriam reverteretur. E.

19. *Nam dum abs te absum, omnes mihi*] Cum enim abs te discessi, universos labores leves arbitratus sum, excepto hoc, quod te carebam. E.

20. *Credo*] Syrus non se loco moverat, respondet verbis Clitiphonis, quicum loquebatur, ut eum aliquo ambulatum abire cogeret. *Vix suffero*] *Vix*, difficultatem significat. Et aliquando pro *non* ponitur. Ovid. Heroid. i. 4. *Vix Priamus tanti, totaque Troja, fuit.* Lucilius, *Carcer vix carcere dignus. Suffero*] Sustineo, alias suppono. C.—Tan. Faber verba, *Syre—frui?* Clitiphoni, qui in postscenio scilicet auscultans, introrumpat in scenam, osculaturus Bacchidem, tribuenda censet. Sed satis absurde. Nam *hoc ingenium*, h. e. puellam tali ingenio præditam, Clitipho non potest vocare meretricem, cujus forma quidem, sed non ingenio erat percussus. Deinde quod Syrus respondet, *ut vidi patrem tuum esse habitum*, de Menedemo, non Chremete dicitur. B.

21. *Hoccine me miserum non licere meo modo ingenio frui*] Sibi bonum ingenium inquit puellæ habere: mihi et (*autem* Z.) non sinit pater. Ita hoc ingenio bono amicæ meo modo frui non licere, vehementer ingemisco. E.—*Ingenium* pro *ingenio* antique dicitur. Nec adeo est, quod plurium codd. lectionem *ingenio* sequamur. Cæterum *ingenium* hic eodem sensu dicitur, quo supra And. i. 5. 40. B.

22. *Immo, ut patrem tuum vidi esse habitum*] Cum non possit per se Syrus Clitiphonem abigere, ad minas patris confugit, quem fingit iratum. *Vidi esse habitum*] Vario modo homines *habiti* atque affecti esse possunt: quibus secundum Academicos aliud atque aliud videtur. *Etiam duras dabit*] Subintelligendum est vel *lites* vel *partes*. In Eunucho, *Duras partes fratris prædicas.* Et *partes duras μεταφορικῶς* ab actoribus scenicis. Vel *duras dabit*, hoc est, durum se præbebit. Vel absolute *duras*, ut dicimus *bonas* ei dedit, vel dabit pœnas. Cic. *Quamprimum adveniens dedit.* C.—*Diu etiam duras dabit*] Diu etiam durus ..... (*adhuc*) existet. E.—In margine Bemb. teste Faerno, ad verba *duras dabit*, hæc adscripta est interpretatio: *Hoc est, durum se præbebit, vel absolute, duras, ut dicitur bonas ei dedit, vel dabit pœnas. Cicero: Quam primum adveniens dedisti: et in Verrinis: Verum illa est præ* [illegible]. *Habitum*, si locus est sanus, intellige *valentem, corpulentum, diu victurum.* Verum talis habitus Menedemo labore et mœrore tamdiu macerato non convenit. Præterea quid sit *duras dabit?* aqua omnibus interpretibus hæret. Nos versum non, uti Guyeto visum est, ut spurium delendum putamus, sed corrigendum ita: *Immo, ut patrem tuum vidi, partes diu etiam duras dabit.* B.

23. *Intuitur nos?*] Ab eo, quod est intueor, intuetur, et intuor intuitur. *Ah! retine me*] Antiphilæ præ nimia lætitia, viso Clinia, animo male esse cœpit. Nam et animus una cum corpore nonnunquam deficit nimio mœrore, sic et interdum nimio gaudio. C.

25. *Videon' Cliniam, an non?*] Tanta lætitia erat Antiphilæ, ut etsi amatorem agnosceret, de eo tamen dubitaret. C.

26. *Anime mi*] Mollis oratio, et feminea, multis implicata blandimentis. *Mi*, vim blandimenti habet, nam significat meus. *Clinia, salve*] Illa ad majorem

ANT. Salvum advenisse gaudeo. CL. Teneone te,
Antiphila, maxume animo exoptata meo?
SY. Ite intro: nam vos jam dudum exspectat senex.

ACTUS TERTII SCENA PRIMA.

CHREMES. MENEDEMUS.

LUCISCIT hoc jam, cesso pultare ostium
Vicini? primum e me ut sciat sibi filium
Rediisse; etsi adolescentem hoc nolle intellego.
Verum, quum videam miserum hunc tam cruciarier
Ejus abitu, celem tam insperatum gaudium;
Quum illi nihil pericli ex indicio siet?
Haud faciam: nam, quod potero, adjutabo senem.
Ita ut filium meum amico atque æquali suo
Video inservire, et socium esse in negotiis;
Nos quoque senes est æquom senibus obsequi.

gratiam, amantem proprio nomine appellavit. *Salve*, modo admirantis interjectio est. C.—Verba *Salve, anime mi*, priori versui sunt apponenda. Tum cum omnibus nostris codd. leg. *O mi exspectate Clinia, salve.* B.

27. *Teneone te?*] Præ nimio amicæ desiderio, cum dubitatione loquitur. Sunt qui legant, *Teneone te?* ut referatur ad fidem, ita ut dubitet, an a se alienata sit, an in fide persistat. C.—*Salvum advenisse*] Ms. R. *venisse.* L.

28. *Animo exoptata*] Ms. R. *exspectata.* L.—Pro *exoptata*, recte *exoptatam* legendum putat Faernus, qui ait, sæpe a librariis litteram, syllabam, et verbum prius esse omissum, si idem statim esset secutum. B.

1. *Lucescit*] Veri amici officium pulcherrime a Terentio in hac scena exprimitur; in qua amicus amico simul, et gaudii insperati, maximo cum affectu, nuncium, et consilium affert. *Cesso*] Aliquis *cessare* dicitur, id est, tardare ad aliquid celeriter peragendum. Virgil. Æn. vi. 51. *Cessas in vota precesque? Cessat* desidiosus: requiescit defessus. C. —*Luciscit hoc jam*] Notandum ex hac comœdia, quod in nulla alia licet reperiri, ut biduum tempus in comœdia sit. Omnes enim uno die actus suos explicant, ex eo ipso quo cuncta effici possunt, ut aut nuptiæ celebrentur, aut cognitio fiat expo .... (supple, *siti, aut horum* Z.) aliquid: at hic bidui rationem versari intelligimus. Ergo dixit *Luciscit hoc.* Habet hæc scena allocutionem, in qua ostendit se properare, uti Menedemo nunciet filium redisse: quamquam hoc nolit adolescens, cum patris sui nesciat voluntatem. E.—*Hoc*, inquit Faernus, absolute ponitur pro cœlo. *Luciscit* habet cod. perantiquus; cæteri *lucescit.* B.—Daceria quod contendit hinc reliquam comœdiam actam esse postridie mane, nec exemplis idoneis, nec rei natura potest comprobari. Z.

2. *E me* Bemb. sed omnes nostri *ex me.* Recte. B.

4. *Miserum hunc*] Cum affectu. Nam proprium veri est amici lætari rebus prosperis amici, et dolere adversis. C.—Pro *cruciarier* Bentleius edidit cum Faerno *excruciarier.* Z.

6. *Quum illi*] Deest, præsertim. *Ex indicio*] *Indicium* proprie est oris et linguæ. C.—*Cum illi nihil periculi*] Ut celem tam insperatum gaudium, cum ipsi adolescenti nihil periculi sit ex eo, quod indicatur. E.—Nostri omnes *Quum illi pericli nihil ex, etc.* B.

7. *Nam, quod potero*] *Quod* pro quantum. *Senem*] Plus habet affectus, quam si diceret Menedemum. C.—*Quod potero*] V. C. *qua potero, adjuvabo senem.* L.—*Quod*, h. e. quantum, habent optimi libri, pro *quam*, quod in quibusdam reperitur. B.

8. In duobus antiquissimis libris Faernus reperit *Item ut.* Sed nostri omnes *Ita ut.* B.

10. *Nos quoque senes est æquom senibus obsequi*] Juxta illud proverbium usitatissimum, *Pares cum paribus facillime congregantur.* Naturaliter enim adolescentes

MEN. Aut ego profecto ingenio egregie ad miserias
Natus sum; aut illud falsum'st, quod volgo audio
Dici, diem adimere ægritudinem hominibus.
Nam mihi quidem cotidie augescit magis
De filio ægritudo: et quantò diutius
Abest, magis cupio tanto, et magis desiderq.
CH. Sed ipsum foras egressum video: ibo, alloquar.
Menedeme, salve: nuncium apporto tibi,
Cujus maxume te fieri participem cupis.
MEN. Num quidnam de gnato meo audisti, Chreme?
CH. Valet atque vivit. MEN. Ubinam'st, quæso? CH. Apud me domi.

adolescentibus, senes vero senibus potius inserviunt et obsequuntur. C.

11. *Aut ego profecto*] Id est, ex his duobus necesse est alterum tantum (*tamen*) esse verum. Sed senex ex nimio filii desiderio dubitat de eo quod omnibus approbatissimum est. *Ingenio*] Hoc est, natura. *Ingenium* naturalis est sapientia. Sallust. in Cat. cap. 8. *Ingenium nemo sine corpore exercebat. Ingenium* quoque veteres dixerunt ex sua sponte vel natura. Virg. Ge. ii. 177. *Nunc locus arvorum ingeniis; quæ robora cuique. Egregie ad miserias*] *Egregium* dicitur, quod ex grege eligitur. Sed hic *egregie*, valde, nimis. Non est ergo ad laudem positum. C.—*Aut ego profecto*] Hæc scena persuasionem habet, quemadmodum pater filium suscipiat, et falli se per servos sinat; neque tanta facilitate utatur, ne corruptis filius moribus vivat, si semel facilitatem erga se patris agnoscat. Tenebit ergo divisiones, ut omnis deliberativa ab utili et honesto similiter fieri possit: quæ omnia suo loco plenius explicabimus, ne tantum ea quæ obscura sunt dicamus. E. —In Bemb. est *egregio ad miserias*. Nostri omnes, excepto uno, *miseriam*. Hoc præferendum puto, ut intelligatur mœror, ægritudo; sin *miserias* legeris, una egestas, morbi, et aliæ calamitates comprehenduntur. B.

13. *Diem adimere ægritudinem hominibus*] Servius Sulpicius ad Ciceronem, ad div. iv. 5. *Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat.* C.—*Diem adimere*] Diphilus: Λύπης δὲ πάσης γίνεται λυτρὸς χρόνος. Sulpicius ad Ciceron. lib. iv. epist. 5. *Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat.* Sed in primis scitum Epicteti dictum apud Stobæum Serm. 240. τοὺς ἄφρονας ὁ χρόνος, τοὺς δὲ φρονίμους ὁ λόγος τῆς λύπης ἀπαλλάττει. Hinc Tullius Epistol. ad Titium, lib. v. 16. Familiar. *Quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit: id nos præcipere consilio prudentiaque debemus.* Et Seneca ad Lucill. Epist. 67. *Finem dolendi qui consilio suo non fecerit, tempore inveniet.* Symmach. lib. ii. epist. 6. *Solet quidem ægritudines animi ratio mitigare. Sed fortunæ nostræ tantum vulnus est, ut ei ne tua quidem delinifica et suada facundia cicatricem possit obducere. Fors fuat an dies longa quandoque hebetet lazatum dolorem. Siquidem malis omnibus finis de tempore venit.* Ovidius ad Gallion. lib. iv. 11. 13. de Ponto: *Finitumque tuum, si non ratione, dolorem Ipsa jam pridem suspicor esse mora.* L.—Vix credibile est, *diem*, quod in emphasi esse debet, sine accentu quasi mutum transmissum esse a poeta. Fortasse locus constituendus est ita: *Aut ego profecto ingenio egregio ad miseriam Sum, aut illud falsum'st, vulgo quod dici audio, Diem tandem adimere ægritudinem omnibus.* Certe *ingenio sum* occurrit Phorm. i. 3. 20. B.

17. *Adibo* alii; minus recte; præsertim cum *ad* mox sequatur, ut infra, *Syrus est prendendus, atque adhortandus mihi.* Ad quem locum Bemb. glossema: *Prehendendus, deest* ad: *sed ideo prætermisit, quia dicturus erat*, adhortandus. FAERN.

18. *Nuncium apporto tibi*] *Nuncius* et res ipsa et *nuncius* dicitur. C.—*Nuncium apporto*] Bene generaliter in nuncio votum futurum esse promisit, ut animus cupidus probari possit, cum non aliud suspicatur, quam quod in desiderio fuerat collocatum. Deinde subjungit: *Num quidnam de gnato meo audisti, Chreme?* E.

19. *Cujus maxume*] Bene *maxume*. Quis enim nuncius illi gratior esse poterat, quam filii? C.

20. *Num quidnam de gnato meo*] Quia omnis illius sollicitudo circa filium erat, idcirco statim de eo suspicatus est, nondum facta mentione. C.

21. *Valet atque vivit*] Prothysteron in

MEN. Meus gnatus? CH. Sic est. MEN. Venit? CH. Certe.
MEN. Clinia
Meus venit? CH. Dixi. MEN. Eamus, duc me ad eum, obsecro.
CH. Non volt te scire se redisse etiam; et tuum
Conspectum fugitat propter peccatum: hoc timet,
Ne tua duritia illa antiqua etiam adaucta sit.
MEN. Non tu ei dixisti, ut essem? CH. Non. MEN. Quamobrem, Chreme?
CH. Quia pessume istuc in te, atque in illum consulis,
Si te tam leni et victo animo esse ostenderis.
MEN. Non possum: satis jam, satis pater durus fui. CH. Ah!
Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis,

sensu est. Si enim *valet*, necessario *vivit*: non, si vivit, valet. Ergo *vivit et valet* dicendum erat. Et bene utrumque junxit. Nam multi vivunt, sed non bene valent. C.——*Valet*] Temperavit primo nuncium, ut cresceret gaudium. Nam primo *valet atque vivit*, inquit, quod utique diversum esse manifestum est. Nam *valemus* cum integra salute sumus: *vivimus* cum spiritum ducimus. *Ubinam est?*] Parum credit gaudii, quod sibi salus filii nunciatur. Nunc de loco quæritur. Ipse quippe qui ejus absentiam dolere videatur * (*Nunc de loco quærit ipse: quippe qui ob ejus absentiam dolore cruciatur maxime.* Z.). E.—*Apud me domi*] V. C. *Apud me domi est.* L.—Omnes nostri, *Hic apud me domi.* Repone: *Apud me hic domi.* B.

22. *Meus gnatus!*] Magis cum admiratione quam cum interrogatione legendum. *Clinia meus venit!*] Addidit et nomen: quod fieri consuevit in his quos diu optavimus, et nondum venisse credimus. C. —*Meus gnatus?*] Cum iterum quod cupiebat senex audisset, tanquam parum credat, interrogationem repetit. Denique percussis omnibus cum confirmationem nuncii audisset, perseverat gaudium: ideoque adjecit, *duc me ad eum, obsecro.* E.

23. *Dixi*] Denunciatio est confirmandæ sententiæ, nec mutandæ, translata de foro et causidicis. Cicero, in Verrem ii. 30. *Præco* DIXISSE *pronunciat. Dixi*] Hoc verbum in fine additum, superiora confirmat. Et est proprium his qui peroraverunt causam. Quinctilianus, Instit. i. 5. DIXERE *quoque, quamquam id Antonius Rufus ex diverso ponit exemplum, de pluribus patronis præco pronunciet. Dixi*] Sic dixit, quasi jam obtunderetur a Menedemo. C.

24. *Et tuum conspectum fugitat*] Plus est quam *fugit.* Et *fugitat* dixit, ut ostenderet filium vehementer timere. C.

25. Corrige pravam distinctionem ita: *Conspectum fugitat: propter peccatum hoc timet.* B.

26. *Adaucta sit*] V. C. *siet.* L.—Bemb. et Victor. *antiqua illa.* Quæ Faerno elegantior videtur collocatio. Nostri omnes, *illa antiqua.* Nescias utrum malis. B.

27. *Non tu ei dixti, ut essem?*] *Ut*, aliquando certam qualitatem significat, et nonnunquam incertam. Alibi, *ut erat gesta.* C.—*Num tu ei dixti, ut essem?*] Num tu ei dixisti, quemadmodum nunc essem? E.

28. *Quia pessume istoc*] Consilium et parentibus omnibus et filiis salubre: patres enim nimia largitate et clementia liberos corrumpunt. Illi vero, nimia licentia deteriores facti, patribus mœrori, sibi vero detrimento sunt. C.—*Quam pessime in te*] Hic jam incipit suasoria illa, quæ animum patris componit, ut circa filium temperet lenitatem, aut largitatem nimiam, aut parcitatem. Utroque genere peccas, dum aut (*nunc* Z.) nimium largus es, ut ante nimium parcus. Ex hoc (excidit *fit* Z.), ut in unum malum ex diversis moribus venias. E.—Ex *illum* eliditur unum l, ut sit dactylus in quarta sede senarii. B.

29. *Si te tam*] V. C. *Qui te tam.* L.—Recte Faernus collocat, *et victo esse animo*, ne *animo* in Thesi delitescat. B.

30. *Non possum*] Hoc est animi victi et clementis. Interdum ad nimiam indignationem spectat: ut illud Satyrici, Juvenal. Sat. iii. 60. *Non possum ferre, Quirites, Græcam urbem. Satis jam satis*] Hæc reduplicatio magnam habet vehementiam. *Ah! vehemens*] Bene dixit, *vehemens*, de eo qui non servaret modum. *Ve* enim particula, sicuti quædam aliæ, tum intensionem, tum minutionem significat. Ergo *vehemens*, a *mentis vi* atque impetu dicitur. C.

31. Lege, quo meliores fiant numeri, *Vehémens utramque in pártem.* B.

Aut largitate nimia, aut parsimonia.
In eandem fraudem ex hac re, atque ex illa incides.
Primum, olim potius, quam paterere filium
Commeare ad mulierculam, quæ paululo
Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruisti hinc: ea coacta ingratiis
Postilla cœpit victum volgo quærere.
Nunc quum sine magno intertrimento non potest
Haberi, quidvis dare cupis: nam, ut tu scias,
Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet:
Primum, jam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro: satrapes si siet
Amator, nunquam sufferre ejus sumtus queat,

33. *In eandem fraudem*] *Fraus* pro dolo et pœna ab antiquis accipiebatur. C.

34. *Primum olim potius*] Hoc tibi initium mali fuit, quod non filium permisisti ad mulierculam commeare. (Hoc crimen;) quod tunc paulo videbatur esse contenta, cum omnia grata esse potuerunt, quæ filius faceret. At tu injustitia cum adolescentem tuis sermonibus terruisti, exinde illa, coacta necessitate, ingratiis cœpit victum sibi quærere. E.

35. *Mulierculam*] Minus est, quam si diceret, aut *mulierem*, aut *meretricem*, utpote quæ erat contenta parvo. Et *muliercula* dicitur cum contemtu, quasi paupercula. C.—Pro *commeare* pone frequentativum *commetare* versus gratia. Hoc obsoletum verbum occurrit Plaut. Capt. i. 2. 82. et apud Nonium. B.

37. *Coacta ingratiis*] Hoc est, invita. Et bene *coacta* et *ingratiis*. Nam aliquis *ingratiis* dicitur aliquid facere, qui invitus et coactus præter voluntatem facit. C.

38. *Postilla cœpit victum volgo quærere*] Sic in Andria, *Lana ac tela victum quæritans*. Et recte *victum*, et non *cibum* protulit. *Cibus* est enim, qui delicatis præbetur: *victus*, in parvis aridisque alimoniis est constitutus. Virg. Æn. iii. 649. *Victum infelicem, baccas lapidosaque corna*. *Postilla*] Antiquum est: nos autem dicimus *postea*. *Quærere*] Melius dixisset *quæritare*. *Quærit* enim, qui ad plenum et perpetuum reponit: *quæritat*, qui vix quotidie inquirendo victum invenit. C.

39. *Sine magno intertrimento*] Id est, damno. *Detrimentum*, secundum Varronem, a detritu dicitur: quod ea quæ trita sunt, minoris pretii sint. *Intertrimentum* ab eo quod duo quæ inter se trita et diminuta. A quo etiam *intertrigo* dicta. C.—*Nunc quum sine magno intertrimento*] Unde modo sine magno damno haberi non potest. *Intertrimenta* autem sunt, quæ intus terendo damna perficiunt. E.—*Sine magno intertrimento*] Glossar. *Intertrimentum* ἀνωφελὲς. Scævola *intertrituram* dixit: lib. xliii. §. i. ff. de pign. act. L.—*Intertrimento*] Scholiastes Bemb. *Inter et De tantundem significant ad augmentum ostendendum. Hinc dicitur, interfectus.* FABRN.

40. *Quidvis dare cupis*] Et hoc est nimiæ largitatis. C.—*Quidvis dare cupis*] Scio enim quodcunque desideras dare. E.

41. *Nunc*] Pro *multo*, alias pro *minime* est, et sic dixit quod supra *vehemens in utramque partem*. Ergo accipi potest pro qualitate sententiæ. C.—*Quam ea nunc instructa*] Verum ut possis intelligere, quemadmodum nunc illa meretrix instructa sit adversus illium tuum, et ad quam perniciem adjecta. E.

42. *Primum, jam ancillas*] Et hoc est signum illam probe instructam ad expilandum amatores. *Plus decem*] Dixit quemadmodum dicimus, *magis decem*, in quibus *magis* et *plus* sunt adverbia. Solemus tamen sæpius apponere *quam*, ut, *adduxit secum plus quam decem*. Verum auctorum usus semper est sequendus. C.

43. *Satrapes*] *Satrapes* a Græcis provinciæ præfectus dicitur. C.—*Oneratas veste atque auro*] Parum dixerat, *ancillas decem*, quæ res tantum in numero collocata videbatur: adjecit *oneratas veste atque auro*, ut pudori sit ancillas tales ita vestitas levi cibo pascere, aut certe servili. *Satrapes siet*] Apud Babylonios satrapæ appellantur ditissimi, et satellites regum. E.—Scribe *satrapa*. Nam primum cod. 900. annorum habet *satrapas si siet*, ut Eun. iv. 7. 19. idem, *armas sapientem decet*. Deinde ob analogiam linguæ, v. c. a Ποιητὴς fit Lat. *poeta*. Hinc Glossarium vetus Cyrilli: Σατράπης, *satrapa*. B.

Nedum tu possis. MEN. Estne ea intus? CH. Sit rogas?
Sensi: namque ei unam cœnam atque ejus comitibus
Dedi: quod si iterum mihi sit danda, actum siet.
Nam, ut alia omittam, pytissando modo mihi
Quid, quid vini absumsit! sic hoc, dicens: Asperum,
Pater, hoc est; aliud lenius sodes vide.
Relivi dolia omnia, omnes serias:
Omnes sollicitos habui: atque hæc una nox.

45. *Nedum tu possis*] *Nedum*, hoc loco negative ponitur: ut *Non crederem tibi obolum, nedum pro te effunderem sanguinem.* Jam Chremes Bacchidem credit Cliniæ esse amicam. Et observa Terentianam consuetudinem, qui inducit nihil sapere eos qui falluntur. Est argumentum a majori ad minus, nam si non possit major, idem nec minor. C.

46. *Sensi*] Hoc cum dolore dicere solemus in his, in quibus detrimentum ingens passi sumus. C.—*Sensi*] *Cum gemitu pronuncia.* Schol. Bemb. Cæterum ob consensum codd. et versus rationem leg. *Sensi: nam unam ei cœnam.* B.

47. *Actum siet*] *Actum* est dicitur de ea re, de qua jam lata sit sententia, et est verbum desperantis. C.

48. *Pytissando modo*] Bene *pytissando.* Nam *pytissare* proprie est parce vinum gustare, quasi tentandi gratia. Tale est verbum quo Plautus, Mænech. ii. 2. 29. utitur, *cyatisso*; tale est et *græcisso.* *Pytissando*, id est, expressis labris expuendo, dum saporem vini probat. C.—*Pytissando modo mihi*] Quantum vini absumserit vide, dum pytisat. Proprie autem *pytissare* dicitur, quod gustare, (excidit *et*) quasi cum quadam probatione exspuere. Denique adjecit: *Sic hoc dicens, Asperum pater, hoc est; aliud lenius, sodes, vide.* E.—*Pytissando*] Diomed. lib. ii. L.—*Pytissando*] Scholiastes Bemb. *Expressis labris spuendo, dum saporem vini probat.* Cæterum alii per duplex s scribunt: nos vero sequendam putamus scripturam Bembini et cod. 900. annorum, per unum s; quoniam versus certe ita ad Græcorum numeros accedit. B.

49. *Sic hoc dicens, Asperum*] Id est, austerum. Secundum Plinium tria vini sunt genera, *austerum, dulce*, et *tenue.* C.—*Pater*] Scholiast. Bemb. *Et hoc ei displicet, quod cum meretrix Patrem appellat.* Cæterum recte Faernus ordinem verborum hunc esse ait, *dicens*, sc. Bacchis, *sic hoc*, sc. est; quia *sic hoc est* dicere soleamus, cum quid vel improbemus vel mediocre esse ostendamus. B.—Pro *Quid, quid*, Bentleius cum Faerno recte non nisi unum *quid* edidit. Z.

50. Malè pro *aliud* quidam malunt *illud.* Omnia enim dolia relinuntur, dum *aliud* quæritur: at si *illud*, jam habet, quod placet; nec plura dolia sollicitantur. Cæterum pro *vide*, Nonius v. Asperum, *para* habet. Male. Nam *vide*, ex tua cella; *para*, ex taberna pete. B.

51. *Relevi dolia*] Ut inquit Plinius H. N. xiv. 20. *In Italia resina vino condendo maxime probatur Brutia: circa Alpes ligneis vasis condunt, circulisque cingunt. Picantur autem protinus a canis ortu: dehinc perfunduntur marina aqua aut salsa, ac levi cinere sarmenti asperguntur. Dum igitur vina aperiuntur, dolia relinuntur. Relevi*] Id est, perforavi: quæ perforatio fieri non poterat, nisi prius auferreretur aut lutum, aut limus, aut argilla, aut pix, aut resina, aut gypsus, quibus linebantur dolia, aut picabantur seu incrustabantur. *Linere* est picare, id est, pice aliquid linere seu ungere, seu mavis incrustare, et alicui rei supposito aliquid superducere, ut parietem linimus calce aut gypso, id est, incrustamus; dolium linimus pice, etc. Et quemadmodum retegere significat tegmen auferre, sic *relinere* significat bitumen amovere, quo aliquid prius linitum erat. Et ita *relevi dolia omnia* significat, abstersi lutum vel terram tenacem ab omnibus doliis, ut in ea cœna vinum varium apponeretur. Præter autem prædictam significationem *linere* significat etiam deturpare. Inde *litura, æ*, id est, deturpatio facta atramento ducendo lineam per falsa scripta, ut fieri solet. *Omnes serias*] *Seria*, dolium: et proprie vas fictile de limo oblongum. Persius, Sat. ii. 10. *Et o si Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro Hercule!* Inde *Seriola.* Persius, Sat. iv. 29. *Seriolæ veteris metuens deradere limum.* C.—*Relivi dolia omnia*] *Linire* est contegere et operire: contrarium est *relivi*, id est, aperui. E.—*Relivi dolia*] Ita Diomedes hunc locum legit lib. ii. L.—Bentleius cum Faerno *relevit* edidit. Rectius. Nam nisi certe legas *relisi*, forma *relivi* videtur abhorrere ab analogia linguæ. Z.

52. *Sollicitos habui*] Variis officiis et ministeriis distractos: nihil significantius dicere potuit. Quid enim aliud est *solli-*

Quid te futurum censes, quem assidue exedent?
Sic me Di amabunt, ut me tuarum miseritum'st,
Menedeme, fortunarum. MEN. Faciat quod lubet:
Sumat, consumat, perdat: decretum'st pati;
Dum illum modo habeam mecum. CH. Si certum'st tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut nescientem sentiat te id sibi dare.
MEN. Quid faciam? CH. Quidvis potius, quam quod cogitas;
Per alium quemvis ut des: falli te sinas
Technis per servolum: etsi subsensi id quoque,

citare, quam suo loco movere? Solum autem quin significet locum, quis dubitat? quum exules quoque dicantur ex solo patriæ suæ pulsi. *Sollicitos* igitur *habuit* omnes domesticos, qui hinc et inde ad ministrandum distinabantur. C.—*Omnis sollicitos habui*] Hoc est, ebrios. Significat enim *sollicitos*, id est, solo citatos, quod ebriis contingit, quibus non sunt firma vestigia, sed motu corporis citi sunt. E. —Pro *habui*, et sententiæ et versus causa repono *habuit*, sc. Bacchis, et me et totam familiam fastidio suo et elegantia sollicitos et exercitos habuit. B.

53. *Quem exedent?*] Plus dixit, quam si, *cujus res*, dixisset. C.—*Quem assidue exedent?*] Quem quotidie comedent, vel certe frequenter. E.

54. *Sic me Di amabunt*] Pro ament. *Vt me tuarum miseritum est*] Bene *miseritum*. Nam secundum nonnullos, *miserari* est flere et lamentari: *misereri* vero, miserationes alienis casibus exhibere. C.—*Ut me tuarum fortunarum*] In meo damno magis misericordiam pro te passus sum, et pro fortunis tuis. E.—Pro *ita* in omnibus codd. est *sic*. Verbum *amabunt* a Schol. Bemb. explicatur per *ament*. B.

55. *Faciat quod lubet*] Indulgentissimus pater, et qui vehementissime filium desiderabat; licet damna audisset, tamen omnia se dicit filio permittere velle, dummodo ipsum habeat in potestate. E.

56. *Sumat, consumat, perdat*] Quis hoc patre indulgentior? Sed hoc contingere solet dum unicus est gnatus. *Sumat*] Accipiat. Alias *sumere* est eligere. Sallustius in Jugurth. cap. 85. *Sumat aliquem ex populo monitorem officii sui. Perdat*] Quod majus est, et quod finem consumendi habet, tertio loco posuit. C.

57. *Si certum'st tibi*] Hic jam persuadet, ut illud quod supra diximus, velit adolescentis animo veluti nesciens dare, cum artibus servi inductam pecuniam dat, et ad luxuriam ministrat. Denique ipsum consilium suum quod sit, proponit: *falli te sinas technis per servum*. An fieri possit, adjungit: *subsensi illos hoc quoque agere*. Ex eo enim quod jam agunt et præparant, fieri potest. Deinde ab utili adjunxit: *et tibi perdere talentum hoc pacto satius est, quam illo minam*. Melius est velut insciens (*Melius est, ut insciens vel* Z.) plurimum perdas, quam sciens minimum; cum ex hoc filius quod licentiam agnoverit, jam ei lubebit majora committere. Dein adjungit ab honesto, *Nunc de pecunia agitur*] Ostendit honestum, et utile declaravit. Denique perseverat circa id ipsum, ut dicat: Cum enim intellexerit animum tuum, te prius vitam tuam proditurum, et omnem pecuniam, quam abs te filium dimittas: vide *quam fenestram* ad turpitudinem, ad luxuriam, nequitiamque patefeceris, hoc est, quantam januam dederis, peccatorem perire (*quantam januam dederis peccatorum, tu rem perire, et*). *Ipsum non poteris pati*] Statim tu interire bona, et filium vivere luxuriose et malis operibus non patieris. E.

58. Pro *id* versus poscit *illud*, quod in probatis reperitur codd. B.

59. Vel leg. cum Palmerio et Guyeto *Ut ne scientem sentiat*; vel, *Ut nescientem censeat*. B.

61. *Per alium quemvis ut des*] Quod salubrius præceptum parentibus dari potest? Nulla enim re adolescentes magis corrumpuntur, quam nimia parentum indulgentia. C.

62. *Technis*] Id est, fallaciis. *Subsensi*] Bene *subsensi*. Nam *sub*, est temperamentum plenæ pronunciationis, ut, *subtristis, subridet*: non ad plenum tristis, aut ridet. Et quum quinque sint sensus: duo sunt, visus et auditus, quod nos magis sensibiles habemus, quam pecora. Cicero, *Non solum videam, sed etiam audiam*. Duabus ergo rebus scimus, aut ratione aut sensu: quibus maxime præstamus cæteris animalibus. Ergo senex dicit se sensu sensisse servulos fraudem parare. C.

Illos ibi esse, et id agere inter se clanculum.
Syrus cum illo vestro consusurrat: conferunt
Consilia adolescentes: et tibi perdere
Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
Non nunc de pecunia agitur: sed illud, quomodo
Minimo periculo id demus adolescentulo.
Nam si semel tuum animum ille intellexerit,
Prius prodituram te tuam vitam, et prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium: hui!
Quantam fenestram ad nequitiem patefeceris?
Tibi autem porro ut non sit suave vivere.
Nam deteriores omnes fimus licentia.
Quodcunque inciderit in mentem, volet: neque id
Putabit pravom, an rectum siet, quod petet.
Tu rem perire, et ipsum non poteris pati.
Dare denegaris: ibit ad illud ilico,
Quo maxume apud te se valere sentiet;
Abiturum se abs te esse ilico minabitur.
MEN. Videre verum, atque ita uti res est, dicere.

63. Conjunctionem *et* codd. optimi et versus et sententia repudiant. B.

64. *Conferunt consilia*] Συγκρίνουσι τὰ βουλεύματα Plaut. Rudent. ii. 3. 8. *Omnes sapientes conferre decet.* L.—Omnes libri antiqui recte habent *consusurrant*, i. e. Syrus et ille vester. B.

65. Versus et sensus commendant lectionem cod. Bemb. *Consilia ad adolescentes*, h. e. una ferunt, referunt ad adolescentes. B.

70. Ad hunc versum Schol. Bemb. egregie ita: *Minor est pecunia quam vita; sed in oratione potiora nobis sunt, de quibus agitur.* FAERN.

71. *Quam abs te amittas filium*] *Amittas* pro *dimittas* dixit. Nam quod nos dicimus *dimittere*, antiqui etiam dicebant *amittere*, ut Virg. Æn. ii. 148. *Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Graios.* Sallustius, Fragmentum, *pactione amissa, publico consilio.* C.

72. *Ad nequitiam*] Bene de adolescente, *nequitiam* dixit: *nequitia* enim est luxus vitæ prodigus atque effusus. Ovidius, Fast. i. 414. *Nequitia est, quæ te non sinit esse senem.* C.—Sensus postulat pronomen. Igitur leg. *Quantam eii fenestram.* B.

74. *Nam deteriores omnes sumus licentia*] Sententia proprie seni conveniens. Et *deteriores*, signantissime protulit. *Deteriores* enim homines licentia a bono ad malum vertuntur. Est enim pejus a malo, quod in usu est, et creberrime frequentatur: *deterius* vero, a bono: ut minoris sit meriti quam quod placet. Virgilius tertio Georg. (e memoria laudavit locum, qui est Æn. viii. 326. *Deterior donec paulatim ac decolor ætas.* C.—Pro *fimus* Bentl. edidit *sumus.* Minus eleganter. Z.

75. *Quodcunque inciderit*] Ms. R. et V. C. *Quod cuique cunque.* L.—Hunc et sequentem versum tanquam spurios repudiandos esse censeo. Nam non modo magna variarum lectionum seges in illis est, ut fit in nothis; sed et a serie orationis abhorrent. B.

76. *Putabit*] *Putamus* enim instantia: *reputamus* præterita. *Putare* proprie purgare est. Et *arbores* et *vites* dicimur *putare*: hinc *putare* est cogitare; quia cogitando superflua mente recidimus. Est autem *putare* ejus, qui simplicitate pectoris aberravit. Cicero, Orat. pr. Ligar. cap. 10. *Lapsus est: non putavit. Rectum sit*] Nam, ut inquit Cicero ad Herenn. lib. iii. cap. 2. *rectum est, quod cum virtute et officio fit.* C.

78. *Ibit illico ad illud*] Sibi veluti remedium suscipiet, et (*ut*) abiturum se esse minitetur, maxime cum scit apud te se plurimum valere. E.—Pro *denegabis* optimi libri habent *denegaris.* B.—*Quo maxime*] Ms. R. *Qui maxime.* L.

80. *Minabitur*] *Minatur* etiam filius parenti, dum se carum animadvertit, et discessum simulat. C.—*Minabitur*] Ms. R. et V. C. *minitabitur.* L.—Convenientius versui nostri omnes *minitabitur.* B.

81. *Videre verum atque ita*] Videre mihi

CH. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quæro, tibi qui filium restituerem.
MEN. Cedo dextram: porro te idem oro ut facias, Chreme.
CH. Paratus sum. MEN. Scin', quid nunc facere te volo?
CH. Dic. MEN. Quod sensisti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere: cupio illi dare,
Quod volt: cupio jam videre. CH. Operam dabo:
Syrus est prehendendus atque adhortandus mihi.
A me nescio quis exit: concede hinc domum,
Ne nos inter nos congruere sentiant.'
Paululum negoti mihi obstat: Simus et Crito
Vicini nostri hic ambigunt de finibus:
Me cepere arbitrum: ibo ac dicam, ut dixeram
Operam daturum me, hodie non posse iis dare.
Continuo hic adero. MEN. Ita quæso. Di vostram fidem!
Ita comparatam esse hominum naturam omnium,

verum dicere, et ita quemadmodum res est. E.—Liber Bemb. habet *vera*; cui adscriptum est, *Vera, utilia: Sallustius.* Sed locus Sallustii vetustate detritus est. FAERN.

82. *Somnum oculis non vidi*] Somnum oculis meis non cepi, quærens quemadmodum filium reddam. E.

83. *Qui*] Quomodo: et est sermo comicus. *Restituerem*] *Redditur* cupientibus, ut domino servus. *Restituitur* cupiens, ut patriæ civis. Et *redditur* et *restituitur* cupiens cupientibus: ut patri filius. C.

84. *Cedo dextram*] *Cedo* est verbum defectivum duas tantum personas habens secundas in singulari et in plurali, quod significat, *da* vel *date*. Probat Nonius, nitens dicto Enniano, cujus hæc verba sunt: *Cedite manus vestras, measque accipite, et junctis manibus confirmetur fœdus.* Quod exemplum clarius possit adduci illo: *cedo* igitur *dextram*. Nos enim aut oraturi aut confirmaturi quicquam alicui ejus dextram poscere solemus. C.—Nostri libri meliore ordine, *porro te oro idem ut.* B.

86. *Incipere fallere*] V. C. *incipere velle fallere.* L.

88. Bentleius edidit *cupio ipsum jam videre.* Certe sensus egregie commendat illud *ipsum.* Z.

89. *Apprehendendus*] In And. *tuus pater me modo apprehendit. Prehendendus*] Deest *ad.* Sed ideo prætermisit, quia dicturus erat, *adhortandus.* C.—Illos tres versus, *Syrus est—sentiant*, ad finem hujus scenæ apponendos puto. Nam primum non apparet ratio, cur Menedemus in scena restiterit, jussus domum abire (verba enim, *operam ut tibi darem* ad Menedemum dicuntur). Deinde nec intelligitur causa, cur Syrus, qui, secundum ordinem vulgarem, exiit priusquam Chremes abiret, tamdiu in scena otiosus et mutus fuerit. Denique plane contra morem Terentii est, Menedemum statim post verba, *operam ut tibi darem*, injussum a Chremete, a se nihil causæ dicentem, abire domum. B.

91. Pro *congruere*, h. e. concorditer vivere, quod et versus et sensus condemnat, repone *consentire.* B.

92. Leg. ex nostris omnibus et edd. vett. *Paulum hoc negoti.* Nam statim narrat, quid illud *hoc* sit. B.

93. *Vicini nostri hic ambigunt de finibus*] Litem vicini habent de limitibus. E.—*Hic ambigunt*] V. C. *hinc ambigunt.* L.

94. *Me cepere arbitrum*] *Arbiter* dabatur his, qui de finibus regendis ambigerent. Dicitur enim *arbiter* judex: quod totius rei habeat arbitrium et facultatem. Boethius: *Regendorum finium arbitri esse dicuntur, qui finalia litigia discernunt. Ut si fuerit orta contentio de finibus, eorum dirimatur arbitrio. Cepere*] Id est, elegerunt: ut Cicero: *aut capiendus auxilio locus.* C.—*Me cepere arbitrum*] Me judicem esse voluerunt. E.

96. *Ita, quæso*] Dictum abeunte Chremete. C.—Cum illud *adero ita* efficiat versum proseleusmaticum, nostro insolentem, præsertim cum inter duos colloquentes dividatur: pro *adero* lege *adsum*; ut alibi, *post continuo huc exeo.* B.

97. *Itan' comparatam esse, etc.*] Sensus hic est: Satis miror cur prudentius sapit Chremes. An ita natura hominum comparata est, ut melius videant ea quæ alie-

Aliena ut melius videant et dijudicent,
Quam sua? an eo fit, quia in re nostra, aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine?
Hic mihi quanto nunc plus sapit, quam egomet mihi?
CH. Dissolvi me ocius, operam ut tibi darem.

ACTUS TERTII SCENA II.

SYRUS. CHREMES.

HAC illac circumcursa, inveniendum'st tamen
Argentum: intendenda in senem est fallacia.
CH. Num me fefellit hosce id struere? videlicet
Ille Cliniæ servus tardiusculus est:
Idcirco huic nostro tradita'st provincia.

na sunt, quam quæ sunt sua? An hoc ideo fit, quia, dum nos in re nostra sumus, aut gaudio impedimur, aut ægritudine animum occupatum ad prehendendas vel respuendas res adhibere non possumus? E.—*Ita comparatam esse hominum*] Lactantius Firmian. de falsa sap. cap. 4. *Nemo potest de se recte judicare, quod nobilis poeta testatur:* Ita enim comparatam esse hominum naturam omnium, ut aliena melius videant et dijudicent, quam sua? L.

98. *Aliena melius ut videant et judicent quam sua?*] Huic illud Cic. libro primo Officiorum, cap. 9. contrarium est: *Est enim difficilis cura rerum alienarum: quamquam Terentianus ille Chremes, humani nihil a se alienum putat. Sed tamen, quia magis ea percipimus, atque sentimus, quæ nobis ipsis aut prospera aut adversa eveniunt, quam illa, quæ cæteris; quæ quasi longo intervallo interjecto videmus: aliter de illis, ac de nobis, judicamus.* C.—Menander: Οὐδεὶς ἐφ' αὑτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε, Σαφῶς, ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται. W.

99. Colloca *re in nostra.* B.

101. Melior accentus fit, ubi cum libris collocas, *Hic mihi nunc quanto plús.* B.

102. *Dissolvi*] Excusavi: quasi qui foret promissione ligatus sua. C.—*Dissolvi me ocius*] Cito revertens ab eo quo ierat Chremes, dicit se ex eo negotio solutum, et amico operam traditurum. E.—Pro *ocius* lege cum optimis libris *otiosus*, et distingue post *me.* B.—Faernus, qui versus trajectos esse non vidit, pro *tibi* correxit *huic.* Z.

1. *Hac illac circumcursa*] Jucundus error, in quo herus a servo decipitur, quem credit alteri fallaciam intendere, dum sibi tenditur: et sic eum aggreditur de fallacia in alterum. *Hac illac*] Hoc dicit servus admonens se ipsum. C.—*Hac illac circumcursa*] Servus argentum desiderans, quod dare meretrici possit, tamen hoc quod loquitur, non videtur domino præsenti esse suspectum. Quoniam enim supra dixerat servus, Syrum quasi in Menedemum dolos tendere, uti argentum meretrici per fallacias quæreretur, ideo in senem generaliter dictum. Denique hoc suspicatus Chremes, quod si (*quasi* Z.) in Menedemum ita fiat, dixit: *Num me fefellit hosce id struere?* fortasse *ille Cliniæ servus tardus est,* ideo noster Syrus hanc provinciam sumsit, hoc est, istud officium suscepit, ut ipse quærat argentum. E.—Argentum ipsum compellat Syrus, vernili facetia. Ergo emenda, *Hac illac circumcúrsa: inveniendum ést tamen.* Cf. infra, iv. 2. 1. B.

2. *Intendenda*] Verbum a venatoribus translatum, qui retia *intendunt* ad feras capiendas. Quia ergo parat senem fallere, *intendenda* dixit. Vel a sagittis atque arcu. *In senem*] Cum stomacho servili *senem* dixit. In Andria, *Quantum intellexi modo senis sententiam.* C.—*Intendenda in senem*] Hoc pluribus verbis Plautus extulit, Bacchid. iv. 4. 42. *Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina, Ut senem hodie doctum docte fallas, aurumque auferas.* L.

3. *Num me fefellit*] Idem superius: *etsi subsensi id quoque, illos ibi esse.* Et hic est error, credi senem Menedemum, dum Syrus de Chremete ipso intelligit. C.

4. Versus gratia scribe, *Ille Clíniaï sérvos tardiúsculu'st.* Sic alibi, *hospitaï, Phædriaï.* B.

5. *Provincia*] Onus dicitur cujuslibet

SY. Quis hic loquitur? perii! numnam hæc audivit? CH. Syre.
SY. Hem.
CH. Quid tu istic? SY. Recte equidem: sed te miror, Chreme,
Tam mane, qui heri tantum biberis. CH. Nihil nimis.
SY. Nihil narras? visa vero'st, quod dici solet,
Aquilæ senectus. CH. Heja. SY. Mulier commoda et
Faceta hæc meretrix. CH. Sane. SY. Idem visa est tibi?
Et quidem hercle forma luculenta. CH. Sic satis.
SY. Ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona:
Minimeque miror, Clinia hanc si deperit.
Sed habet patrem quendam avidum, miserum, atque aridum,
Vicinum hunc: nostin'? at quasi is non divitiis
Abundet, gnatus ejus profugit inopia.
Scis esse factum, ut dico? CH. Quid ego nesciam?

rei gerendæ. Nam acquisitæ bello longe ab Italia regiones *provinciæ* dictæ sunt, a *porro*, vel a *procul vincendo*: ad quas prætores quia cum officio mittebantur, officia quoque *provinciæ* nominantur. C.

7. *Recte*] Joco vult Syrus deflectere orationem in aliud, et subterfugere heri reprehensionem. C.—*Te miror, Chreme*] Te valde miror mane vigilare, qui heri tantum biberis. E.—Ex nostris libris leg. *Recte: equidem te demiror. Recte* est hic *nihil*: ut Eun. ii. 3. 50. Hec. iii. 2. 20. B.

8. *Tam mane*] Ἔλλειψις, deest, *vigilare*, aut tale quid. C.—*Nihil nimis*] Non multum. E.

10. *Aquilæ senectus*] Plinius, lib. x. cap. 3. Natur. Historiæ, de aquilis hæc refert: *Oppetunt non senio, nec ægritudine, sed fame, in tantum superiore accrescente rostro, ut adunctitas aperiri non queat.* Igitur aquila, tantum in senectute bibit, vel de præda sanguinem sugit: ex quo proverbium in senes, qui plus bibunt quam comedunt. Plinius, N. H. xiv. 22. de ebrio inquit: *Hinc pallor et genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus.* Divus Hieronymus de aquila inquit: *Aquila cum senuerit, gravantur ipsius pennæ et oculi, quæritque fontem et erigit pennas, et colligit in se calorem, et sic oculi ejus sanantur, et in fontem se ter mergit, et ita ad juventutem redit. Eja!*] *Eja* interdum hortantis est, nunc correctionem significat. *Mulier commoda*] A commendatione meretricis incepit, ut melius persuadeat Cliniam deperire hanc, cum sit amica Clitiphonis. C.—*Aquilæ senectus*] Aiunt aquilam in senectute, quod ei rostri superior pars vetustate et incremento curvata foramen includat, ad cadavera accedere, et sic sanguinem in potum sumere, et quodammodo bibendo vivere. Hoc igitur ait servus domino, quasi bibendo totum tempus hesterna cœna egerit, *visa vero est quasi aquilæ senectus*. E.—*Aquilæ senectus*] Ἀετοῦ γῆρας. Zenob. et reliqui adagiographi. L.

11. *Faceta*] Bene de meretrice *faceta* dixit. Nam *facetus* est, qui facit verbis quod vult. Potest etiam referri ad formam corporis, ut significatio vocabuli indicat. C.—Etsi Bemb. legit *tibi*; tamen ob codd. omnes cæteros lege *idem visa est mihi*, et tribue ipsi Chremeti. B.

12. *Forma luculenta*] Non solum *commoda* et *faceta mulier*, et (*sed et* Z.) speciosa forma, *ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona*. Hic intelligi datur, quod senex sciat eandem ante fuisse castam, ante pauperem, nunc vero meretricio more viventem. Ideo adjecit servus, non quemadmodum antea bona, sed uti nunc sibi ipsi compararetur, sane bona. E.

13. *Ita non ut olim*] Præterita semper præsentibus præferuntur, et magis commendantur. C.—Palpatur seni, temporis acti laudatori, quasi illo juvene formosiores fuissent homines, quam nunc sunt. B.

14. *Deperit*] Id est, ardenter amat. Nam amator ejus amore, quam amat, *perire* dicitur. Nam *perditus est*, qui insano est captus amore. Inde dicimus, *depereo illam*. C.

15. *Aridum*] Translatio a terra, quæ nihil profert. C.

16. *At quasi is non divitiis abundet*] Ex more inopiam male meritis adjecit. E.

17. *Profugit*] Superius, *In Asiam ad Regem militatum abiit*. Hinc *profugus* dictus proprie, qui procul a sedibus suis vagatur. C.

18. *Quid ego nesciam?*] Ut facilius servum dominus incitare posset, quod cupiebat servo adjutorem eum esse, ad tendendam in Menedemum fallaciam propter

Hominem pistrino dignum. SY. Quem? CH. Istunc servolum
Dico adolescentis. SY. Syre, tibi timui male.
CH. Qui passus est id fieri. SY. Quid faceret? CH. Rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Unde esset adolescenti amicæ quod daret,
Atque hunc difficilem invitum servaret senem.
SY. Garris. CH. Hæc facta ab illo oportebat, Syre.
SY. Eho quæso, laudas qui heros fallunt? CH. In loco
Ego vero laudo. SY. Recte sane. CH. Quippe quia
Magnarum sæpe id remedium ægritudinum est:
Jam huic mansisset unicus gnatus domi.
SY. Jocone an serio illæc dicat, nescio:
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
CH. Et nunc quid exspectat, Syre? an dum hinc denuo
Abeat, quum tolerare hujus sumtus non queat?
Nonne ad senem aliquam fabricam fingit? SY. Stolidus est.
CH. At te adjutare oportet adolescentuli
Causa. SY. Facile equidem facere possum, si jubes:

argentum, fingit se irasci servo Cliniæ, *Hominem*, inquit, *pistrino dignum*: cui jungitur, *qui passus id fieri*. Callide servum, tanquam ignoret quid fieri debuisset, incusat, ut majorem suscipiat voluntatem. Qui fallendi, dominum hunc ipsum cum • (ex cod. Westerh. et conjectura locum ita restituendum puto, *ab eo fallaciæ argumenta collegerit, cupiditate incensus est* Z.) denique sibi hoc præparans, sic postea dixit, *Laudas, qui heros fallunt?* E.—Ut sententia et sermo sit sanus, pro *nesciam* ego cum Palmerio legendum censeo, *ni sciam?* h. e. *Quidni ego sciam?* Cf. Adel. iv. 5. 28. B.

19. *Hominem pistrino dignum*] Ambigue, an de Dromone, an de Syro, a quo bene annotarentur senum vitia. Et secum hæc dixit. C.

20. *Syre, tibi*] Et sic secum. Id est, ne quid mali accideret tibi: nam jam mihi nescio quid præsagit animus mali. C.

24. *Difficilem*] Morosum. *Servaret senem*] Bene *servaret* dixit de eo qui penitus se perderet, et continuis excruciaret laboribus. C.

26. *Eho! quæso*] *Eho* modo interjectio est interrogantis, alias admirantis, alias ad se vocantis. *In loco*] Opportune. C.—*In loco vero laudo*] Bene adjecit *in loco*, ne perpetuam malefaciendi licentiam servis daret. E.

27. *Quippe quia magnarum*] Nam quia fallunt tempore, maximum sæpe remedium est, ne gravior ægritudo videatur. E.—In antiquissimis libris est *quippe qui*. Recte. Schol. Bemb. ait, Παρέλκον: *abundat qui*. B.

28. *Quia magnarum sæpe id remedium ægritudinum'st*] Ipsum fallere in tempore, quidam de officiis scribentes, rectum putaverunt. Nam medici ægrotos sæpe fallunt. C.

29. *Jam huic*] V. C. *Nam huic*. L.—Versus causa repone, *Huic jam mansisset*. B.

30. *Jocone an serio illa*] An consilio isthæc dicat, an joco, intelligere non possum: unum tantummodo intelligo, quod mihi ad hoc, quod disposui, cumulat voluntatem. E.—Lege cum duobus nostris *ille hæc dicat*. B.

31. *Quo lubeat magis*] Id est, magis placeat heros a servis decipi, quod ut viderit, sæviat in me, et me in pistrinum dedat. C.

32. *Et nunc quid exspectat*] Hic jam dum accusat adolescentis servum, hortatur suum dominus, qui ipse hos dolos tendat. Denique adjecit: *At te adjutare oportet adolescentuli causa*. E.—Pro *At nunc* rectius Bemb. et alii vett. habent *Et nunc*. B.

33. Pro *Abeat* repone *Abigat* sc. herus filium, sententia postulante. Et pro *hujus* nostri omnes, *illius*. B.

34. *Aliquam fabricam*] Translatio ab his, qui expugnaturi oppida, machinamenta belli ad id præparant. *Stolidus est*] Superius, *Ille Cliniæ servus tardiusculus est*. Et proprie *stolidus* est, qui proxime accedit ad naturam sensumque pecudum. C.

36. *Facile equidem facere possum, si ju-*

Etenim quo pacto id fieri soleat, calleo.
CH. Tanto hercle melior. SY. Non est mentiri meum.
CH. Fac ergo. SY. At heus tu, facito dum eadem hæc memineris,
Si quid hujus simile forte aliquando evenerit,
Ut sunt humana, tuus ut faciat filius.
CH. Non usus veniet, spero. SY. Spero hercle ego quoque:
Neque eo nunc dico, quod quicquam illum senserim:
Sed si quid, ne quid: quæ sit ejus ætas, vides.
Et næ ego te, si usus veniat, magnifice, Chreme,
Tractare possim. CH. De istoc, quum usus venerit,
Videbimus quid opus sit: nunc istuc age.
SY. Nunquam commodius unquam herum audivi loqui,
Nec quum malefacerem, crederem mihi impunius
Licere: quisnam a nobis egreditur foras?

ACTUS TERTII SCENA III.

CHREMES. CLITIPHO. SYRUS.

QUID istuc, quæso? qui istic mos est, Clitipho? itane fieri, quæso?

bes] Peritiam suam circa hujusmodi rem declaravit servus: sed dixit, metuere domini voluntatem, et posse se facile, si ipse voluerit imperare. E.

37. *Calleo*] Id est, callide scio. C.—*Calleo*] Peritus et doctus sum. E.

38. *Non est mentiri meum*] In promissione dicit, non in fallendo. C.

39. *At heus tu!*] Jam providet fallaciæ, quam mente conceperat: quo facilius mereatur veniam, si quid struxerit in herum. C.—*Facito dum eadem hæc*] Jam præparat sibi dominum: monetque ut meminerit, si quando hæc omnia evenerint, sicut humana sunt omnia, uti et filius ejus possit ista perficere. E.

42. *Non usus veniet*] Non hoc continget, neque fieri potest. E.

43. *Neque eo nunc dico*] Bene purgat id (*purgavit*) quas immiserat suspiciones, ne vero jam credat adolescentem filium pater talia vel facere vel cogitare. Dixitque se servum ex suspicione ista metuere, quod ejus ætas jam talis, uti si necessitas ut Chremetem ita ducat et tractet, quemadmodum nunc senex videtur hortari. E.—Pro *quod* vulgari, recte liber Bembinus, *quo*. B.

44. *Sed si quid, ne quid*] Ἀποσιώπησις: quasi dicat, *Si quid evenerit. Quæ sit ejus ætas, vides*] Quæ amori est obnoxia. C.

45. *Et næ*] Pro *valde. Usu veniat*] *Usu venire* significat *evenire*, ut sæpe licet videre in Epistolis Ciceronis. *Magnifice*] Bene *magnifice* dixit, memor verborum Chremetis, qui supra dixit, *heros falli a servis aliquando esse remedium magnorum ægritudinum*. C.

46. *Tractare*] Superius, *quo pacto id fieri soleat, calleo*. C.—*De istoc, quum usus*] Si quid tale contigerit, tunc videbimus, quod necessitas coget facere. E.

47. Pro *quid* meliores nostri melius, *quod*. B.

49. *Nec quum malefacerem*] Nisi cum me senex adhortatur. E.—Pro *malefacerem*, quod reperitur in nostris, probanda est Mureti emendatio *malefacere*, deleto commate. Cæterum post verba *istuc age* domum abit Chremes; et tres sequentes versus per se scenam constituunt. Nam dum Syrus solus secum eos pronunciat, Chremes interim filium cum Bacchide deprehendit, et iratus in scenam redit, filio quoque evocato. B.

50. *Quisnam a nobis egreditur foras?*] Παρασκευὴ alterius scenæ. C.

1. *Quid istuc, quæso?*] In hac scena Syrus hero persuadet, quod multum facit ad extorquendum argentum. *Quid istuc?*] Viderat Chremes filium ludentem cum Bacchide, quam Cliniæ esse credebat. Et bene expressit objurgationem paternam sæpe repetendo. C.—*Quid istuc?*] Hæc

CL. Quid ego feci? CH. Vidine ego te modo manum in sinum huic meretrici
Inserere? SY. Acta hæc res est: perii! CL. Mene? CH. Hisce oculis, ne nega.
Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abstineas manum.
Nam istæc quidem contumelia est,
Hominem amicum recipere ad te, atque ejus amicam subagitare:
Vel heri in convivio quam immodestus fuisti! SY. Factum.
CH. Quam molestus!
Ut equidem, ita me Di ament, metui, quid futurum denique esset!
Novi ego amantium animum: advertunt graviter, quæ non censeas.

scena locum communem tenet in eum, qui hospitis sui amicam corrumpat. Pater tamen non sicuti cur tanquam communi • at (*Pater tamen non hic utitur tanquam communi loco, et* Z.) ita respondet filius tanquam negans, ut magis conjecturæ causa sit, quam communis locus. Verum patrem tanquam communem locum dicentem accipiamus, hoc primum generaliter cum invidia: deinde cum interrogatus esset, quidnam fecisset, ille continuo non factum sed vere factum protulit, dicendo, *Vidine ego?* ut a probatione exordiretur, et post ostenderet crimen, quod manum adolescens in sinum meretricis inserebat. E.—Bentleius cum Faerno recte edidit *itane fieri oportet?* Nam repetitum *quæso* minus gratum est. Z.

2. *Huic meretrici*] Plus intulit, quam si dixisset *mulieri*. C.—*Manum in sinum*] Plaut. Asinar. i. 3. 71. *papillam pertractare*. Et in Pseudol. i. 1. 66. *papillarum horridularum oppressiuncula*. Aristenet. lib. i. epist. 21. ἅπτεσθαι τῶν μαστῶν. Sic ex eadem disciplina Venereorum nepotulorum sunt molles manuum compressiones, incitamentum puta interioris voluptatis. Achilles Tatius Amor. lib. ii. τότε δὲ πράσσει τὴν δευτέραν μηχανὴν, θίγει χειρὸς, θλίψιν δάκτυλον, θλίβων στένασον. Hinc apud Plautum in Asin. iv. 1. 32. in lege, quam juvenis amasiæ suæ dederat, ita quoque cautum fuit: *Neque cum descendat, inde det cuique manum*. Ne amator forsan alius τοῖς ἐκείνης δακτύλοις τοὺς δικτροῦ περιπλέξας, vel sic saltem manu salaci libidinaretur. Aristenet. lib. i. epist. 9. Themist. Orat. iii. Laudat autem hunc Terentii locum Julius Rufinianus Rhet. in Epiplexi. L.

3. *Acta hæc res*] Verbum desperantis. Timebat enim Syrus, ne ob hoc fallacia ejus detegeretur. *Mene?*] More filiorum, quod commiserat, patri audacter negat. *Hisce oculis*] Δεικτικῶς et cum emphasi. C.—*Acta hæc res est*] Syrus servus credit senem invenisse filium amare meretricem, quæ res antea per dolum celabatur: ideo vehementer metuit. E.—Pro *inserere* Bemb. habet *ingerere*, quod minus placet. Certe Naso Amor. ii. 15. habet, *et lævam tunicis inseruisse manum*. B.

4. *Facis adeo indigne injuriam illi*] Bene pater, post objurgationem, ad admonitionem transit. C.

5. *Istæ quidem contumeliæ*] Supra quidem *injuria* dixerat, verum adjecit *contumeliæ sunt*. Est enim *injuria*, quasi cum violentia aliquid in corpus efficitur: *contumelia* vero, cum præter violationem corporis est. Et violatio opinionis, *ejus amicam subagitare*. Hoc est crimen quod supra posuit. *Subagitare* autem, perfectionem ipsam libidinis intelligimus. E.

6. *Amicam subagitare*] V. C. *subigitare*. Acro in Horat. lib. i. Sat. 2. L.—Veterrimi quique nostri scribunt, *subigitare*, h. e. lascivius contrectare. B.

7. *Vel heri*] Ingerit aliud malefactum inter admonitionem, ut solent patres. *Factum*] Fatetur servus, eum fuisse immodestum in vino. Nisi etiam capiatur *factum* sicut *actum est*, ut sit desperantis dictum. C.—*Vel heri in vino*] Hoc ex antecedentibus argumentum colligens dixit: *Novi ego amantium animos, advertunt graviter, quæ non censeas*. Ita enim mos est amatoribus (excidit *ut* Z.), ampliora suspicentur, quam tu haud poteris suspicari. E.—*In convivio*] Ms. R. *in vino*: quod non displicet. L.—Pro *convivio* Bemb. et nostri omnes *vino*. B.

8. *Ut equidem metui*] *Ut* pro *quantum*, vel pro *qualiter*. Virg. Ecl. viii. 41. *Ut vidi ut perii*. C.

9. *Advertunt graviter*] Quia in amore omnia suspecta sunt. C.—Leg. cum Palmerio *Novi ego amantis: ánimum advertunt*

Cl. At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum, pater.
Ch. Esto: at certe concedas hinc aliquo ab ore eorum aliquantisper.
Multa fert libido: ea prohibet facere tua præsentia.
Ego de me facio conjecturam: nemo'st meorum amicorum hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam:
Apud alium prohibet dignitas; apud alium ipsius facti pudet;
Ne ineptus, ne protervos videar: quod illum facere credito.
Sed nostrum est intelligere, utcunque atque ubicunque opus sit, obsequi.
Sy. Quid istic narrat? Cl. Perii! Sy. Clitipho, hæc ego præcipio tibi?
Hominis frugi et temperantis functu's officium. Cl. Tace sodes.
Sy. Recte sane. Ch. Syre, pudet me. Sy. Credo; neque id injuria:
Quin mihi molestum'st. Cl. Pergis hercle? Sy. Verum, dico quod videtur.

gróviter, quæ, etc. Nam *advertere* per se apud nostrum et Plautum non hoc sensu occurrit; at *animum advertere* passim. B.

10. *Mihi fides*] Arcta familiaritas, cum alter de altero in re Venerea nihil suspicatur. C.—Leg. cum uno e Regiis, ut Trochaicus sit æque ac cæteri, *At fides mi apud hunc est.* B.

11. *Esto*] Verbum concedentis. *Concedas aliquo*] Et hoc quærit Syrus, ut ahigatur Clitipho ab amica, ne Chremes ejus esse animadvertat. C.—*Esto: at certe*] Hic mandat pater, ut discedat a domo filius: aliter enim negat fieri posse, ut impudentia adolescentis comprimi possit. Dicit enim multa libidinem velle, eamque sub cujusque præsentia se minus audere complere. E.—Cum *cóncedás* secundum vulgarem lectionem duplici sit accentu, non satis venuste; leg. *at certe ut hinc concedas áliquo:* præsertim cum tres vett. habeant *certe ut concedas.* B.

13. *Ego de me facio conjecturam*] Patres conantur monere filios aut proprio exemplo, aut aliorum. C.—*Ego de me facio*] Hoc est, ita ex me suspicor: nam nemo est amicorum, apud quem universa velim exponere, atque narrare ea, quæ occulta habeo: quippe aut in summa honestate amicus, et id quodcunque cogito, ejus dignitate deterreor, ne indicem; aut ipsa certe res, propter sui turpitudinem, eam narrationem comprimit. Hoc est quod dicit, *ipsius facti pudet; ne ineptus, ne protervus videar*, si cum eo loquar, qui habet maximam dignitatem. E.—Si recepta lectio admittitur, est iambicus tetrameter hypercatalectus statuendus. Sed cum nullus ejusmodi alibi extet, nec musicæ rationes id patiantur; repone, *De me ego facio.* B.

15. Vulgo *piget*, sed Bemb. recte *pudet.* B.

16. *Ne ineptus, ne protervos*] *Ineptus* quoad dignitatem. Cicero in ii. de Oratore, cap. 4. *Nam qui aut, tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is* INEPTUS *esse dicitur. Protervus* dicitur importunus, qui alteri est impedimento, vel si per impotentiam mentis obvium cubito feriat, aut contumelia sibi cedere cogat. C.

17. Ne sententia hiet et sit sine cemento, repone, *Sed nóstrum est intellígere; atque útcumque, úbicumque opus est, óbsequi.* B.

18. *Quid istic?*] Syrus secum loquitur, timens suæ fallaciæ. C.

19. *Frugi*] Utilis et necessarius: a *frugibus*, quæ quod his fruantur dictæ sunt. Inde *fructus* et *frumentum. Frui* autem est vesci: a *frumine*, quæ est summa pars gulæ. *Sodes*] Est adverbium blandientis. *Tace sodes*] Ab illo consilio longe alienus Clitipho illum sermonem interrupit, nec audire voluit. C.

21. *Quin mihi molestum'st*] *Quin* pro *etiam. Mihi* habet emphasin. *Mihi*, qui non sum pater. *Pergis*'] Irascitur Cli-

CL. Nonne accedam ad illos? CH. Eho, quæso, una accedundi via est?

SY. Actum'st: hic prius se indicarit, quam ego argentum effecero.

Chreme, vin' tu homini stulto mihi auscultare? CH. Quid faciam? SY. Jube hunc

Abire hinc aliquo. CL. Quo ego hinc abeam? SY. Quo lubet: da illis locum:

Abi deambulatum. CL. Deambulatum! quo? SY. Vah! quasi desit locus.

Abi sane istac, istorsum, quovis. CH. Recte dicit: censeo.

CL. Di te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis. SY. At tu

Posthac comprimito manus. [pol tibi istas

Censen' vero? quid illum porro credis facturum, Chreme,

Nisi eum, quantum tibi opis Di dant, servas, castigas, mones?

CH. Ego istuc curabo. SY. Atqui nunc, here, hic tibi asservandus est.

CH. Fiet. SY. Si sapias: nam mihi jam minus minusque obtemperat.

CH. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti, Syre? aut

tipho servum adversus se loqui. C.—Nostri omnes *Pergin'?* Recte; modo *Hercle* Syro tribuas, et *Quin* apponas præcedenti versui. B.—Cuperus Observatt. i. 19. contendit ita legendum esse: *Pergin' hercle.* SYR. *Verum? dico quod videtur.* Quasi dicat, itane? et tu rogas hoc? Particulam enim *Verum?* elegantissime ita concise initio orationis poni, et idem valere, quod *itane?* ut And. iv. 4. 30. Z.

22. *Eho!*] Hoc loco admonentis est. *Una via*] Scilicet honesta: nec impudice agas. C.

23. *Actum'st*] Semper desperantibus hoc verbum datur. *Hic prius*] Hæc secum loquitur. C.—Vulgo *effero;* sed Bemb. recte *effecero*, h. e. confectum reddidero. B.

24. *Vin' tu homini stulto auscultare mihi?*] Quemadmodum in proverbio est: mihi si vis, stulto homini auscultare licet, hoc est, obsudire. E.

26. *Deambulatum! quo?*] Bene impotentia amantis exprimitur: nec pater, nec Syrus, nec deliberatio ante facta removere potuerant Clitiphonem ab amica. C.

28. *Eradicent*] Funditus ac radicitus te evellant, et te medio tollant. Dum hæc cum indignatione proferret, percussit Syrum. C.—*Istas posthac comprimito*] Quoniam pater dixerat, *vidi ego te manus modo meretrici huic in sinum inserere:* ideo servus ait, *istas ergo manus comprimito tibi.* E.—Hunc et sequentem versum sic constitue, *Di te éradicent, qui istinc me extrudás, Syre.* | *At tú tibi istas pósthac comprimitó manus.* Ita prior non est hypermeter. Illud *pol* in libris plane non reperi, et universi habent *istinc.* Et *extrudas* in uno vett. reperi, quod etiam est in cod. Palatino Fabricii. B.

29. *At istas comprimito manus*] Subticet percussionem: ne surgat in tragicum cothurnum. C.

30. *Quid illum porro*] Vel indignatus servus hæc dicit, vel servili more astute tractat senem. C.—*Censen' vero?*] Subblanditur domino per obsequium servus, cum de adolescente quasi quendam metum habere se dicit. Vide jam, inquit, qualis sit, qualem futurum putas, *nisi eum, quantum tibi facultatis numina concedunt, servas, mones, atque castigas.* E.

32. *Atqui nunc, here*] Bene præsens tempus in metu ponit, ut ille sciat jam filium, nescio quid, moliri. E.

33. *Minus minusque*] Et hoc pulchre videtur adjectum, quo si qua in culpa inventus fuerit filius, continuo jam videatur servus esse purgatus, quod ejus imperium filius contemnat. E.

34. *Quid tu?*] Bene amato filio de fal-

Repperisti tibi quod placeat, an nondum etiam? SY. De fallacia
Dicis? st, inveni nuper quandam. CH. Frugi es: cedo quid est?
SY. Dicam: verum, ut aliud ex alio incidit. CH. Quidnam, Syre?
SY. Pessuma hæc est meretrix. CH. Ita videtur. SY. Immo
si scias.
Vah! vide quod inceptet facinus. Fuit quædam anus Corinthia
Hic: huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuum.
CH. Quid tum? SY. Ea mortua'st: reliquit filiam adolescentulam.
Ea relicta huic arraboni est pro illo argento. CH. Intelligo.
SY. Hanc secum huc adduxit, ea quæ est nunc apud uxorem tuam.
CH. Quid tum? SY. Cliniam orat, sibi uti id nunc det; illam illi tamen

lacia erga Menedemum exquirit. *De illo*] Sic dicere solent, qui de re aliqua peragenda inter se loquuntur. C.

35. Pro *repperisti* repone *aut est*, i. e. habes. Nam seq. est, *Dicis? est*, quod reperitur in codd. bonis. Nam *st*, quod Faernus e conjectura posuit, prorsus ineptum videtur; quia, cum soli sint in scena, silentio opus non est. B.

37. *Ut aliud ex alio incidit*] Multa esse fingit, ut verisimilius sit quod finxerit. C. —*Verum aliud ex alio*] Hoc videtur obscurum quidnam sit, sed ex his quæ consequuntur, manifestum fiet. Nam interrogatus a domino quid esset, respondit, *Pessima hæc est meretrix*: ita quod hic pessime de meretrice pronunciatum est, supra contrario dictum, *commoda et faceta hæc est meretrix*. Ergo jure dictum, *aliud ex alio incidit*. E.

38. *Pessuma hæc est meretrix*] Contrarium illud quod superius dixit, *Mulier commoda et faceta, hæc est meretrix*. Sed hoc loco *pessumam* appellat: utpote quæ teneat virginem, quam Syrus *illi relictam arrhaboni* fingit; et hæc est valens causa ad extorquendum argentum. C.—*Immo si scias*] Vidit dominum servus quasi consensum commodasse, non quo verum indicium de meretrice * (*Videns hic dominum servus quasi consensum commodasse ad Menedemum fallendum, non quo verum indicium de meretrice prodatur* Z.) ideo adjecit: *vide quod inceptet facinus*. E.

39. *Inceptet*] *Incipere* et *inceptare* magnorum est facinorum et audaciæ. In Eunucho, *Quid inceptas, Thraso?* C.—*Fuit quædam anus*] Hoc consilium dicit se servus adversus Menedemum sumsisse, quo posset pecuniam ab eo exprimere, quæ meretrici daretur. Verum hoc consilium in hoc provenit, ut prosit vehementer Clitiphoni. Namque fingit nunc Antiphilam, quæ amica sit Clinia, apud meretricem ac quandam anum Corinthiam arrabonis nomine collocatam: et nunc velle ad Menedemum pergere, ut ab eo pecuniam accipiat, quæ data sit pro puella: ut si eandem redimeret, maxima inde lucra possit accipere. Sed hoc displicet domino consilium. Verum provenit ad adventum (*eventum* Z.) futurum. Nam cum cognita fuerit, quod filia sit Chremetis, jam fiet necessarium, uti meretrici hoc sine (*ab ipso* Z.) Chremete debeatur argentum. E. —Etsi plerique nostri habent, *Hoc vide*: tamen lectio Petrensis, *Vah! vide* est præferenda. Cæterum alii, *inceptat*, pro *inceptet*. Utrumvis probe. B.

40. *Drachmarum*] *Drachma* pondus est, constans, ut vult Priscianus, ex tribus scrupulis, seu decem et octo siliquis. Sumitur etiam pro genere quodam monetæ, propterea quod numismata antiquitus ponderabantur. *Mille*] Hic *mille* singularis est numeri et substantivum, de quo multa Gellius. Jungitur autem semper genitivo, propterea quia substantivum est. Sed *mille* adjectivum et numeri pluralis substantivo jungitur in similitudine generis, numeri, et casus. C.

42. *Arrhaboni*] Pignori, hoc loco intelligas. *Arrhabon* dicitur merces, corollarium: et est quod prius datur, ut reliquum reddatur. C.—*Arraboni*] Pignori. E.

43. Repone, *eam quæ est*. Alii habent *ad uxorem*; alii, *apud*; quod placet. B.

44. Locus *Quid tum?—facere cogitas*, interpretes valde torquet, et torquent ipsum iidem. Faernus quidem *poscit* interpretatur per *pollicetur* aut *offert*. Sed contra usum loquendi. Equidem legendum esse censeo ita: *Quid tum?* SY. *Cliniam orat, sibi ut id nunc det: illa illi tamen | Post datum iri mille nummum præs sit.* CH. *Et præs sit quidem?* SY. *Hui, | Du-*

Post daturam mille nummum poscit. CH. Et poscit quidem.
SY. Hui!
Dubium id est? CH. Ego sic putavi: quid nunc facere cogitas?
SY. Egone? ad Menedemum ibo: dicam hanc esse captam ex Caria,
Ditem et nobilem: si redimat, magnum inesse in ea lucrum.
CH. Erras. SY. Quid ita? CH. Pro Menedemo nunc tibi ego respondeo:
Non emo. SY. Quid ais? optata loquere. CH. Atqui non est opus.
SY. Non opus est? CH. Non hercle vero. SY. Quid istuc, miror. CH. Jam scies. –
Mane, mane, quid est quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?

ACTUS QUARTI SCENA PRIMA.

SOSTRATA. CHREMES. NUTRIX. SYRUS.

NISI me animus fallit, hic profecto est anulus, quem ego suspicor:

bium id est? ego sic putavi. CH. *Quid nunc facere cogitas?* Fingit enim Syrus, Antiphilam arraboni Bacchidi relictam esse pro mille drachmis: Bacchidem, quæ hic Cliniæ amica fingitur, eam summam a Clinia præsente pecunia petere: se, ut a Menedemo hanc summam auferat, porro ficturum esse, captam esse a Caria Antiphilam, ditem in sua patria et nobilem: si Menedemus pro captiva eam mille drachmis emerit, magnum fore mox lucrum, cum a parentibus vel cognatis redimeretur: eas mille drachmas Bacchidi dandas esse: et Antiphilam in domo Menedemi futuram, ubi filius familias Clinia facile et tuto cum ea consuescere posset. Igitur opus erat, ut Bacchis Antiphilam abalienaret, et Menedemo traderet. Ergo *illa*, i. e. Antiphila: *præs sit*, h. e. arraboni: *illi* sc. Cliniæ. Ex *pisit*, i. e. præs sit, culpa librariorum factum est *poscit*. Verba *ego sic putavi* sunt Syri, ut recte cod. Bemb. B.

45. *Mille nummum*] Tale et illud, *mille hominum occiditur*: et antiquum est. Cic. in vi. in Antonium, cap. 5. *Qui L. Antonio* mille nummum *ferret expensum. Hui!*] Et cætera hujusmodi generis sane sunt adversus eos, quibus irascimur. C.

46. *Dubiumne id est?*] Quod meretrix avara poscat. C.

47. *Ibo: dicam*] Se astutum fingit ad decipiendum Menedemum. Superius, *Etenim quo pacto id fieri soleat, calleo.* C.

48. Omnes nostri, *magnum in ea esse lucrum*. Repono, *magnum esse in ea re lucrum*, h. e. in redemtione, non in ipsa Antiphila. B.

49. *Erras*] In prædictis verbis Syrus fingit suam esse calliditatem, qua dixerat, se decepturum Menedemum. Quam fallaciam confutat Chremes. C.—*Menedemo nunc*] In Ms. R. *nunc* deest. L.

50. *Non emo*] Hoc est, cum sermonem facies ei de emenda ea, dicet, *Non emo. Quid agis?*] Q. d. dicit tibi Menedemus, cur loqueris mihi de hac re? vel Chremes interrogat Syrum, quid ad eam dicat responsionem. *Optata loquere*] Ita loquitur ille, qui cum alio loquitur, et cui is adversatur in consilio de re peragenda. *Optata loquere*] Potest dupliciter intelligi. Vel, *loquere* pro *loqueris* dicitur, et est sensus, Dicis quæ tu vis, et quæ sunt cordi, ut dici sæpe solet. Vel *loquere* est imperativum, et tunc est sensus, Dic ea, quæ ego opto, et accommoda tuos sermones meis optatis. C.—*Quid ais?* non est interrogantis, sed, ut passim, exclamantis et re inopinata percussi. B.

51. Lege ex aliquot nostris, *Non est opus?* Et pro *quid* repone *qui*. B.

52. Totus versus Syro est tribuendus, qui Chremen dicturum interpellat. Et ideo *a nobis*; non, ut dominus ædium, *a me*, dixit. B.

1. *Nisi me animus fallit*] Hæc scena Antiphilæ recognitionem continet: ex qua

At id omitto: misericordia, animus maternus: sino.
Quam bene vero abs te prospectum est! quid voluisti? cogita:
Nempe anui illi prodita abs te filia est planissume,
Per te vel uti quæstum faceret, vel uti veniret palam.
Credo, id cogitasti; Quidvis satis est, dum vivat modo.
Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum atque æquom sciunt?
Melius, pejus; prosit, obsit: nihil vident, nisi quod lubet.
So. Mi Chreme, peccavi, fateor; vincor: nunc hoc te obsecro;
Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior,
Ut meæ stultitiæ in justitia tua sit aliquid præsidi.
CH. Scilicet equidem istuc factum ignoscam: verum, Sostrata,

simulare re ipsa, sed verbis. Huic respondetur: *Quam bene abs te prospectum est, etc.* Unde epilogorum loco adjunctum est, quantum incommodi consecutum sit. E.

24. *Sino*] Concedo: quia animus maternus plurimum veniæ meretur. C.—*Animus maternus; sino*] Ma. R. *Animus maternus, sino, te devicit.* L.

25. *Prospectum est!*] Hic est impersonale passivæ vocis, ante se habens ablativum, mediante *ab* vel *abs*, et post casum sui verbi. Eodem modo in Epistolis Cicero loquitur. Ait enim (ad Fam. iii. 2. Edit. Ascens. *A te provisum.* Alii omittunt *A te:* vid. Interpp.) *Quod si meis rationibus a te prospectum esse intellexero.* C.

26. *Illi prodita*] Signantissime, *prodita.* Socii enim *deficere* dicuntur. Sallust. in Fragmentis: *post defectionem sociorum. Prodere* parentes. Virg. Æn. i. 251. *Unius ob iram Prodimur. Deserere* vero, patroni. Hinc milites *patriæ desertores* dicuntur, qui patriam deserunt, quam defendere deberent. Virg. Æn. xii. 15. *Desertorem Asiæ. Prodere*, Festus dicit, est dare et fallere. Et bene hic capi potest eo modo. Interdum *prodere* significat differre, sive elongare, ut ita dicam. Virgil. Æn. i. 252. *Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.* Interdum significat *indicare* quod deberet tegi, et per hoc fallere; ut *prodit me voce*, i. e. indicavit, et, quod dicitur, inepte incusavit me. Propterea *proditores* dicuntur, qui decipiunt indicando, quod celare deberent. Filia ergo abs te *prodita* est, quasi commissa est illi anui, et per hoc decepta. C.—Lege *Nempe illi anui.* Et vers. 29. *Quid cum illisce agas?* non *illis.* B.

29. *Quid cum illis agas*] Amatores designat, qui nihil pensi habent expertes juris et omnis æquitatis: ea sola recta putant quæ illis libuerint. C.—*Quid cum illis*] Sensus hic obscuritatem habet, qui talis est: Exposita tibi est filia, suscepta ab ea quæ pudorem filiæ tuæ venderet: sed tu cogitasti satis esse, dummodo viveret. Ego nunc cogor eam suscipere, sed defendere ejus pudorem non possum. *Quid cum illis agam*] Sibi dicit, violata filia, nullam esse posse vindictam. E.

31. *Peccavi, fateor*] Victa mariti argumentis, crimen suum fatetur: et quo magis mereatur veniam, simplicitatis opinionem inire tentat: et hoc per deprecationem. C.—*Chreme, peccavi*] Hic jam deprecantis venia supponitur, cum dicit: *Obsecro, quanto tuus animus, etc.* Quod tuus enim animus ætate major est pietate et clementia, stultitiæ meæ debet in tua justitia esse præsidium: id est, aliquid defensionis et auxilii. E.

32. *Quanto tuus est animus natu gravior*] I. e. peritior propter plures experientias, quas potuisti habere, plus quam ego. Et bene dicit, *gravior natu;* nam majores natu, i. e. seniores, debent esse *graviores*, i. e. moderatiores et constantiores, atque prudentiores, ob majorem experientiam. Potest enim hic capi *natu gravior*, q. d. tuus animus potuit plura videre quam meus, quum me nativitate præcesserit. Nam fere mariti sunt *natu graviores* seu majores uxoribus suis. *Ignoscentior*] In crimine sic confesso ultimum remedium confugere ad judicum misericordiam. C.—*Ignoscentior*] Ma. R. *Ignoscentior tanto sit.* L.—Cum versus hujus sententia quæ sit intelligi nequeat, corrige: *Quánto tu me es ánnis gravior, tánto es ignoscentior.* Posterius *es* modi imperativi est. B.

33. *In* abest ab omnibus nostris. Recte. Nam parit hic ambiguum, ut ab *injustitia* sono distingui non possit. B.

34. *Scilicet equidem*] Ambæ hæ particulæ capiuntur affirmative ad majorem comprobationem. C.—*Istuc factum ignos-*

Male docet te mea facilitas multa: sed istuc, quicquid est,
Qua hoc occeptum'st causa, loquere. So. Ut stultæ et miseræ omnes sumus
Religiosæ; quum exponendam do illi, de digito anulum
Detraho; et eum dico ut una cum puella exponeret;
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.
CH. Istuc recte: conservasti te atque illam. So. Is, hic est anulus.
CH. Unde habes? So. Quam Bacchis secum adduxit adolescentulam. SY. Hem!
CH. Quid ea narrat? So. Ea, lavatum dum it, servandum mihi dedit.
Animum non advorti primum: sed postquam aspexi, ilico
Cognovi: ad te exilui. CH. Quid nunc suspicare, aut invenis
De illa? So. Nescio; nisi ex ipsa quæras, unde hunc habuerit,
Si potis est reperiri. SY. Interii; plus spei video, quam volo:
Nostra est, si ita est. CH. Vivitne illa, cui tu dederas? So. Nescio.
CH. Quid renunciavit olim? So. Fecisse id quod jusseram.

cam] Hanc quidem veniam tibi dabo. Verum mea clementia multum ad peccata compelleris. E.

35. *Mea facilitas*] Recte: quia cito uxori veniam dedit. *Facilitas* illius est, qui cito iram deponit. *Clementia*, illius, qui nunquam irascitur. C.—*Sed istuc quicquid*] Peremta controversia, ad originem res ducitur, facto a generali ad speciale argumento. E.

36. *Qua hoc occeptum*] Quasi de magna re dixit. *Ut stultæ et miseræ omnes sumus*] Vituperatio a sexu: mulieres enim consueverunt esse imperitiores viris, et multis superstitionibus detineri. C.—Lege ex cod. Reg. *eloquere*, h. e. perge quod restat loqui. *Misera* tum erat Sostrata, quod a duro marito jussa erat filiam neci dare: et vulgare dictum est, stultos omnes et miseros esse superstitiosos. B.

37. *Religiosæ*] Superstitiosæ. *Religiosus* etiam appellabatur is, qui nimia et superstitiosa sese religione alligaverat: ut hoc loco. C.—*Quum exponendam do*] Cum dedissem puellam exponendam, annulum de digito mihi detraho, ut una cum puella exponeretur. Et subjungit causam, si moreretur ne aliena esse a nostris bonis potuisset. Neque enim liberos, etiam mortuos, fas erat fraudari bonis. E.

39. *De nostris bonis*] Et hæc erat superstitio. C.—*Ne expers partis*] V. C. *ne expertis*. L.

40. *Istuc recte*] Ἐλφυκῶς dictum. C.—Nostri, *Hic is est*, meliore accentu. B.

41. *Hem!*] Syrus timet, ne sibi præripiatur auferendi argenti occasio, agnitione filiæ. Itaque ingemit. C.

42. *Lavatum*] Secundum antiquos: nos dicimus, *lotum*. Ovidius Fastorum secundo, (Immo Fast. iii. 12. Legendum autem: *Sacra lavaturas mane petebat aquas*). *Mane lavaturas sacra petebat aquas*. C.

43. Libri meliores *Animum* habent pro *Annulum*. B.

44. *Exilui*] Ostendit nimiam lætitiam de inventa filia. Ideo non dixit *accessi*. C.

45. Vulgo *nisi ut ex ipsa*; sed rectius in Bemb. *ut* abest. Nam *nisi* hic signif. *sed*. B.

46. *Plus spei video*] Nolebat tam cito cognosci filiam: ne occasio præriperetur auferendi argentum. *Plus spei*] Melius est ut non ad Syrum referas, sed ad Sostratam. C.—*Plus spei video*] Hoc servus cum gemitu dicit: siquidem fieri potest, ut cognoscatur hæc Antiphila, quod filia domini sit. Quo facto vehementer metuit, ne incipiat Clinia amicam suam confiteri, et cognoscat pater, quod meretrix amica Clitiphonis sit. Denique ideo dicit, cum nomen dictum esset ejus, cui data esset puella ut exponeretur, *Mirum ni illa salva est, et ego perii*. E.

CH. Nomen mulieris cedo quod sit, ut quæratur. So. Philtere.
SY. Ipsa est: mirum ni illa salva est, et ego perii. CH. Sostrata,
Sequere me intro. So. Ut præter spem evenit! quam timui male,
Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollendo, Chreme.
CH. Non licet hominem esse sæpe ita ut volt, si res non sinit:
Nunc ita tempus est mihi, ut cupiam filiam: olim nihil minus.

ACTUS QUARTI SCENA II.

SYRUS.

NISI me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium:
Ita hac re in angustum oppido nunc meæ coguntur copiæ;
Nisi aliquid video, ne esse amicam hanc gnati resciscat senex.
Nam quod de argento sperem, aut posse postulem me fallere,
Nihil est: triumpho, si licet me latere tecto abscedere.
Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam desubito e faucibus.

49. Lege *mulieri*. B.

50. *Ipsa est*] Fatetur Syrus; et intererat ad quærendas puellas domum ejus (*ad quærendam puellam nomen ejus nosse*). *Mirum, ni illa salva*] Non potest credere, periisse anum, quod maxime vellet ob recognitionem Antiphilæ. *Ego perii*] Quia recognita est antequam auferrem argentum. C.

51. Omnes nostri *intro hac*. Nec aliter stabit versus. B.

53. *Si res non sinit*] Nam prudentis est, servire tempori. C.—*Non licet hominem*] Non licet nobis perpetuam gerere voluntatem, maxime cum res non permittat: ita mutamus cum tempore voluntatem. E.—*Non licet hominem*] Hom. Odyss. 18. Cicero: *Tales sunt hominum mentes, quales pater ipse Jupiter, etc.* L.

54. *Nihil minus*] Pro, *non*, quod auctus divitiis esset. C.—Lege et distingue: *Nunc ita tempus fert, ni ut cupiam filiam.* Vid. Adel. v. 3. 5. And. i. 2. 17. Hec. iv. 2. 18. B.

1. *Nisi me animus fallit*] Recognita Antiphila, Syrus anxius, novum quærit consilium de extorquenda pecunia. Et bene deliberantem de re aliqua exprimit. Est enim dialogismus acuti ingenii in multa cogitatione versantis. C.—*Nisi me animus*] Servus hic vehementer æstuat, quod animadvertit fieri posse ut puella agnoscatur: et ingemit quod sibi multum infortunium affuturum sit. *Non longe*] Hoc est, haud multum. E.—Ne versui syllaba deficiat, lege *haud permultum*, aut, *haud perlonge*; quam lectionem Eugraphius habuisse videtur. B.

2. *Ita hercle*] Q. d. Meus exercitus jam pene fusus est, nam coactus est et impulsus in angustias, ubi conteretur facile, h. e. mei conatus adeo repressi sunt hac re, h. e. hac agnitione puellæ, ut facile possint contundi ac conteri. Et est translatio sumta a re militari. *Meæ copiæ*] Translatio sumta est ab imperatore, qui jam pene fusus ab hostibus, se in aliquem tutissimum locum receperit. *Copiæ* numero multitudinis et ἐυκῶς de exercitu dicitur. Sallustius, Catil. 61. *Ex omni* copia *Catilinæ*. Virgil. Æn. ii. 564. *Et quæ sit me circum* copia *lustro*. Alii codices habent ita: *meæ copiæ coguntur*, i. e. constringuntur, *in angusto oppido*, i. e. in aliqua munitione, in quam me recipere necesse fuit. C.—*In angustum oppido*] Translatio facta est ab illo cum periclitatur exercitus, in angustum coactus. *Oppido*, valde significat. E.

3. Lege *aliqui video*, vel *aliqua*, h. e. aliqua via, ratione. B.

5. *Triumpho, si licet me latere*] Verba proprie servorum, quotiens vident se quod inceperant, perpetrare non posse. Et εὐπρωκῶς legendum. C.—*Triumpho, si licet*] Summum gaudium est, si tutus sine vulnere discedam: hoc est, *latere tecto* et custodito. Non ergo de argento cogitare debeo, quemadmodum id eripiam; sed quemadmodum tutus ipse discedam. E.

6. *Bolum*] Translatio ab animalibus

Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda 'st mihi.
Nihil tam difficile est, quin quærendo investigari possiet.
Quid, si hoc nunc sic incipiam? nihil est: quid, si sic? tantundem egero.
At sic opinor: non potest: immo optume: euge! habeo optumam.
Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum tamen.

ACTUS QUARTI SCENA III.

CLINIA. SYRUS.

NULLA mihi res posthac potest jam intervenire tanta,
Quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hæc lætitia oborta est.
Dedo patri me nunc jam, ut frugalior sim, quam volt.

quibus aufertur *præda*. *Bolus* apud Græcos si per *o* scribitur, significat *jactum retis*; si per *ω*, *glebam terræ*, vel frustum cujusque rei. C.—*Bolum*] Prædam. E.—*Tantum mihi erept.*] V. C. *esse erept.* L.—Lege ex duobus nostris, *Cruciór bolum mihi tántum*. B.

7. *Comminiscar?*] Fingam. Inde *commentum* dicitur. Alibi, *Atque illis hoc commentum placet. Ratio*] Nam inierat unam rationem, h. e. modum habendæ pecuniæ. Quæ via ubi non processit, aliam inire, h. e. excogitare necesse fuit. C.—*Quid comminiscar?*] Quid argumenti capiam? Et est *comminiscor*, invenio vel recordor, cujus simplex in usu non est. E.

8. *Nihil tam difficile*] Sententia generalis sine certo auctore, quæ servis etiam convenit. *Investigare* significat, quærendo invenire, ut probat Laurentius. Nunc enim incipit Syrus deliberare, et identidem proponit, et proposita refellit. Tandem inventa bona ratione erumpit in lætitiam. C.—*Nihil tam difficile*] Menand. ἀλλὰ τὰ γίγνετ' ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα. Philemo: Πάντ' ἐστὶν ἐξευρεῖν, ἐὰν μὴ τὸν πόνον Φεύγῃ τις, ὃς πρόσεστι τοῖς ζητουμένοις. L.—Menander apud Stobæum Tit. 29. πάντα τὰ ζητούμενα ἀεῖσθαι μερίμνης, φασὶν οἱ σοφώτεροι. W.

9. *Quid, si sic?*] Qui aliquid incepturi sunt, multa proponere solent; et affirmare, et refellere quod sit faciendum vel relinquendum. *Tantundem*] H. e. Tantum proficiam in hoc faciendo, quantum in alio præcedenti jamjam confutato. *Tantundem egero*] Hæc consultatio fit a Syro per ratiocinationem. C.—*Quid, si hoc?*] Cogitantis animo, quasi dum multa deliberando quærit, invenit quædam, non placita repudiat. Post id quod sit optimum invenisse se dicit, ut ad se illud argumentum revocare possit, quod omiserat. E.—Versus causa pro *egero* lege *ago*. B.

10. *Sic opinor*] Nam quæ *opinamur, putamus*: quæ *putamus* incerta sunt. *Immo*] Illa ratione aliquamdiu perspecta, cognovit eam esse bonam, et tunc se corrigit. *Euge!*] Vox lætantis ejus qui optimum invenerit consilium. C.

11. *Fugitivum argentum*] Facete et joculariter servili modo de *argento* tanquam de *homine* dixit. C.

1. *Nulla mihi res posthac*] Nimia Clinize lætitia exprimitur de recognita Antiphila, qua præpeditus vix potest adduci a Syro ut Clitiphoni succurrat. C.—*Nulla jam mihi res*] Allocutio est Clinize exsultantis gaudio, quod sua amica sit cognita. Ita dicit mentem suam oneratam gaudio, ut nulla res possit intercedere, quæ afferat ægritudinem. *Ægritudinem* dixit, pro ægrimonia, id est, tristitia vel infirmitate. E.

2. *Ægritudinem afferat*] Tale et illud, *Deorum vitam adepti sumus*. C.

3. *Dedo patri me*] Plus *dedere* hoc loco, quam *obsequi*. *Dedere* se vult *patri*, quemadmodum in hostium potestatem hostes se *dedunt*. In Andria, *Tibi, pater, me dedo*. Quasi qui vellet contraria. Et *deditio* in hoste fieri solet. *Frugalior*] Temperantior. Si *frugalis* non exstat, unde descendat, vide tu. C.—*Dedo patri me*] Uti frugalitatem, id est, parcitatem, quam in me voluit, compleam, quippe cum velit eam

SY. Nihil me fefellit: cognita est, quantum audio hujus verba.
Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor.
CL. O mi Syre, audistin' obsecro? SY. Quidni? qui usque una affuerim?
CL. Cui æque audisti commodi quicquam evenisse? SY. Nulli.
CL. Atque ita me Di ament, ut ego nunc non tam meapte causa
Lætor, quam illius; quam ego scio esse honore quovis dignam.
SY. Ita credo: sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim:
Nam amici quoque res est videnda, in tuto ut collocetur:
Ne quid de amica nunc senex. CL. O Juppiter! SY. Quiesce.
CL. Antiphila mea nubet mihi. SY. Sicine mihi interloquere?
CL. Quid faciam, Syre mi? gaudeo: fer me. SY. Fero hercle vero.
CL. Deorum vitam apti sumus. SY. Frustra operam, opinor, sumo.

me habere uxorem, quæ sit honestis moribus, scilicet Chremetis filia. Unde non mea causa lætor, sed potius ipsius puellæ, quam diligo. E.—Distingue, *Dedo patri me nunc iam, ut.* B.

6. *O mi Syre*] A blandimento incipit, ut faciunt qui quicquam speratum consecuti sunt. *Quidni?*] Quid nisi audierim? C.—*Qui usque una*] V. C. *qui usque nunc.* L.—Cum Bemb. lege *audiste*, ut sit Iambus in quarta. B.

7. Bemb. et Victor. *commode*, quod magis placet. Tum ne versus laboret, lege *Cuiquam æque audisti.* B.

8. *Meapte*] Cum ablativo παρέλκον additum, ut *nostrapte Cato* tamen posuit *mihipte*, pro *mihi ipsi.* C.

9. *Honore quovis dignam*] Amica etsi impudica est, dummodo amatori placeat, ab eo commendatur, amore eum impellente. C.

10. *Da te*] Duæ partes orationis. Cicero: *Da te homini. Dare* est quo repetas. *Dedere* est ad perpetuum. *Damus* est amicis. *Dedimus* tantum hostibus. C.—*Da te mihi vicissim*] Id est, quemadmodum nunc ego verba tua audivi, ita vicissim te mihi da; uti quod necessarium est facias, ne resciscat pater, amicam filii sui esse meretricem. E.

11. *Nam amici*] Justa petitio: succurrendum est amico, ne quid illi incommodi accidat. *Amici*] Plus gratiæ habet, quam si dixisset *Clitiphonis.* Et *amicus*, animi est: *amator* vero, corporis. Et *amator* est ad tempus: *amicus* qui perpetuo amat. C.—Lege et distingue, *Nam amici quoque res, est videndum, in.* B.

12. *Ne quid de amica*] Ἀποσιώπησις. *O Juppiter!*] Exclamatio terribilis pene ex nimio gaudio desipientis. Tanquam Syrus aliquid dixisset, quod videretur desipienti vergere in nuptiarum impedimentum. C.—*O Juppiter!*] Per προσφώνησιν omissis vocibus servi, secum Clinia gaudet. Parum credit sibi contigisse, quod efficitur in gaudio repentino, nisi aliquid procreatur. E.

13. *Nubet mihi*] Hinc omnis lætitia dependet. *Interloquere?*] Hoc loco *inter* non auget, quemadmodum in verbo *intercipit*, *interbibit.* Est autem *interloqui*, impedire et interpellare loquentem. *Interloquere?*] Quasi *loqueris inter me*, i. e. inter meum sermonem, illum interrumpendo et in ejus medium te interponendo. C.—*Siccine mihi*] Al. *Siccine me.* L.—Plerique libri, *Sicine me.* B.

14. *Fer me*] Id est, *tolera.* Tolerandus est, qui ex amore desipit, quia amor Deus est, et non voluntas: cogit enim hominem ad id quod vult. *Fer me*] Quia *amor* et *odium*, ut testatur A. Gellius, lib. i. cap. 3. *duæ sunt ferocissimæ affectiones. Hercle vero*] *Vero*, ut plurimum ironiæ convenit. Virg. Æneid. iv. 93. *Egregiam vero laudem, et spolia ampla refertis. Sane* et *vero* pronunciandi adjumento in verbis negationem habent, licet confessionem afferre credantur. C.

15. *Deorum vitam*] Quæ lætitiæ plena est et felicitatis, nulla admixta tristitia. Et hyperbolicus sermo ab affectione procedens. *Frustra operam, opinor, sumo*] Quod vulgo dicitur, *capio pœnam*, cum tamen pœna duntaxat dicatur de punitione. Nam, ut vult Priscianus, a *pœna*, æ diphthongo in u mutata, deducitur *punio*; et ideo non est dicendum, *sumsi magnam pœnam pro te*, sed potius *tua causa multos cepi* seu *sumsi labores*, aut *plurimum tua causa laboravi. Opera* au-

CL. Loquere; audio. SY. At jam hoc non ages. CL. Agam.
SY. Videndum est, inquam,
Amici quoque res, Clinia, tui in tuto ut collocetur.
Nam si nunc a nobis abis, et Bacchidem hic relinquis,
Senex resciscet ilico, esse amicam hanc Clitiphonis:
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc est.
CL. At enim istoc nihil est magis, Syre, meis nuptiis advorsum:
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? SY. Quidni?
CL. Quid dicam? quam causam afferam? SY. Quin nolo mentiare:
Aperte, ita ut res sese habet, narrato. CL. Quid ais? SY. Jubeo
Illam te amare, et velle uxorem: hanc esse Clitiphonis.
CL. Bonam atque justam rem oppido imperas, et factu facilem.
Et scilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet

tem dicitur *operatia, labor, industria.* Ideo sic intellige, *Frustra laborabo sermonem apud te facere, cum tu gaudio desipiens aures mihi non præbes.* C.—*Deorum vitam apti*] Πάρεσον sive παραβολὴ, quæ sunt species ὁμοιώσεως: se quasi Deum esse asserit, ut in Andria, *Deorum vitam propterea esse sempiternam arbitror.* Apti significat adepti. E.—*Deorum vitam apti*] Euripid. apud Stobæum, Serm. 254. Θεοῦ βίον ζῆν ἐξεστὶ ἀνθρώπου ὄν. L.—Nostri perperam *adepti.* Cæterum *apti* est a verbo *apiscor*, h. e. adipiscor. B.

16. *Hoc non ages*] Id est, *audies.* In Andria *hoccine agis? Inquam*] Verbum hoc vim interdum maximam habet ad adhortationem. Et *videndum est*, et *vide*, magna aggressuris dicuntur. Et *inquam* utimur nonnunquam in repetitione supra dictorum. C.—*Videndum est, inquam*] Persuadet servus Cliniæ, uti secum ducat meretricem ad domum patris, ne, si remanserit in domo, facile senex filii amicam possit agnoscere. E.

19. *Noster*] Cum stomacho. C.—Omnes libri, præter Bembinum, habent recte *Noster*, pro *Senex*, quod est illius interpretamentum. B.

20. *Si abduxeris*] Recte *abduxeris:* nam *abducitur* proprie quod alienum. C.

21. *At enim istoc*] Hæc res mihi videtur esse vehementer contraria. Nam quomodo rogabo patrem ut mihi filiam det, si sciat meam amicam esse meretricem? E.

22. *Quo ore*] Sic dicimus, quando aliquid pudendum committimus. *Appellabo?*] Si duxero Bacchidem. C.

23. *Quin*] *Immo.* Cautus servus ea admonet, quæ non erunt adversa nuptiis. C.—*Quin nolo mentiare*] Hoc ex consilio dicit servus, uti non mentiatur, sed continuo dicat, illam filiam Chremetis se uxorem velle, et esse hanc amicam Clitiphonis. Sic enim persuasurus est postea domino servus, tale repperisse se consilium, uti a Menedemo filius petat pecuniam, quo quasi dicat, se velle filiam Chremetis uxorem ducere, uti ad nuptias habeat necessaria: et hoc credat senex propterea adolescentulum petere, quo per fallaciam dari possit; ita ut, cum utrumque dixerit adolescens, per fallaciam dicere credatur. E.—Concinnius fuerit, *Quid dicam? quid causæ afferam?* B.

24. Concinnius est, pro *narrato* reponere *narrare.* Dicturus enim erat Syrus *jubeo:* sed Clinia admiratione percussus interpellavit, dicendo *Quid ais?* B.

25. Ne *uxor* hic primam corripiat, forte legi debet, *Illanc amare et velle te uxorem: esse hanc Clitiphonis.* B.

26. *Bonam atque justam*] Ἐμοιρικῶς legendum. C.

27. *Scilicet*] Hæc particula hic indignanter poni potest, ut si quis dicat, *Et quis est qui de me male loqui possit? Scilicet* hic ponitur ironice, quasi quod dici solet, *Deus sciat.* Ut alibi: *Id populus curat*, scilicet. Et Virg. Æn. iv. 379. Scilicet *is superis labor est. Ut celet senem vestrum*] Dicimus enim, *celo tibi hanc rem*, et *celo te de hac re.* Intelligendum, *celet* senem de Bacchide. C.—*Ut celet senem vestrum*] Nesciens adolescens (excidit *cur* Z.) hoc consilium adjecit. Et (*adjecit, dicit* Z.) fortasse hoc velis, ut celet patrem Clitiphonis noster senex, quod ipsius amica sit meretrix. E.

Senem vostrum. SY. Immo, ut recta via rem narret ordine omnem. CL. Hem!
Satin' sanus es, aut sobrius? tu quidem illum plane prodis.
Nam qui ille poterit esse in tuto? dic mihi.
SY. Huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice effero,
Qui vim tantam in me, et potestatem habeam tantæ astutiæ,
Vera dicendo ut eos ambos fallam: ut quum narret senex
Voster nostro, istam esse amicam gnati, non credat tamen.
CL. At enim spem istoc pacto rursum nuptiarum omnem eripis:
Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam.
Tu fortasse quid me fiat parvi pendis, dum illi consulas.
SY. Quid, malum, me ætatem censes velle id assimularier?
Unus est dies, dum argentum eripio: pax: nihil amplius.
CL. Tantum sat habes? quid tum quæso, si hoc pater resciverit?
SY. Quid si redeo ad illos, qui aiunt, Quid si nunc cœlum ruat?

29. *Prodis*] *Prodere* proprie ad parentes refertur: sed nonnunquam ad eum cui res alterius demandata est, et cujus consilio alter regitur. Alii legunt *perdis*. C.—Vulgare *prodis* melius est, quam Bembini *perdis*. Cf. supra iii. 1. 70. Hec. iv. 4. 50. B.

31. *Huic consilio palmam do*] Translatio a victoribus, quibus dabatur *palma*. Contrarium est huic illud: *do manus*. *Palmam do*] H. e. *assentio*. More paciscentium, qui assentientes *palmam* porrigunt. C.—*Consilio palmam do*] Id est, maximam victoriam et gloriam mihi concedo, *ut verum dicendo ambos fallam*. Secundum hoc quod supra diximus, ut non credat senex noster amicam filii sui esse meretricem, etiamsi audierit. Quod fit per figuram διασυρμὸν, quæ est elevatio, quando auditorem vera dicendo in errorem inducit. E.

32. Nescio an pro *tantæ* auctor scripserit *tantam*. B.

34. *Non credat tamen*] H. e. revera sciat contrarium, q. d. *in quo decipietur?* vel *erit pulcra*, ut dici solet, *deceptio!* ubi quis, ut credit, non decipitur. Quod ita erit in tuo patre, quem putas iri falsum. C.—Venustior collocatio est in Bemb. *esse istam amicam*, ut *istam* sit in accentu. B.

35. *At enim spem*] Si enim crediderit senex amicam filii sui esse meretricem, filiam suam mihi non dabit. E.

36. *Meam esse credet*] Necessario si Chremes Bacchidem gnati amicam non crediderit, Cliniæ esse crediderit. *Committet*] Bene de filia *committet* dixit; quia proprie magna *committimus*, et ea, secundum Donatum, quæ salutem in dubio habent. C.

37. *Parvipendis*] In Reg. exempl. *parum curas*: atque ita in aliis vett. codd. L. —Ne sit versus hypermeter, emenda, *Tu fors quid me fiat, etc.* B.

38. *Quid? malum!*] *Malum*, interjectio est irascentis. *Me ætatem*] *Ætatem* posuit pro *diu*. Alibi: *Jam dudum: ætatem lites facta inter eos*. C.—*Quid? malum!*] Credis hoc me velle simulare (excidit, *semper*, aut *diu* Z.). *Malum* autem interjectio nihil significat, sed exclamationis continet locum. Quomodo Cicero pro Scauro: *Quæ, malum, est ista ratio?* E.

39. *Unus est dies*] Assignat tempus pro ratione. Non vult Chremetem diu credere Bacchidem Cliniæ esse amicam. *Pax!*] Adverbium comicum, et significat *tantum*. C.—*Argentum eripio: pax!*] Plautus Pseud. v. 1. 33. *Itaque dum emitor, pax! jam pene inquinavi pallium*. Auson. Idyl. 12. *Totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ: pax!* Priscian. lib. xiv. *Pax παντελῶς, adverbium comicum, quo utitur Terentius, quod similiter Græcum est*. Erit ergo πάξ. Sed antea, ut Heysch. notat, πάξ ὑπόθημα, ἐννοοῦντος, designabat: Latini *baxeas* dixerunt. Plaut. Menæchm. ii. 3. 40. *Quis iste est periculus? qui extergentur baxeæ*. Apul. Flor. 2. *Baxeas istas de sutrina præstinare*. L.

40. *Pater resciverit?*] V. C. *senex resc.* L.

41. *Si nunc cœlum ruat?*] Verbum usitatum in eos qui subtimidi in re peragenda, semper dicere solent, *quid si hoc vel illud accideret?* Et ostendit suo responso, talia dicta esse ridicula, per hoc quod dicit, *Quid si redeo*. C.—*Quid si nunc cœlum ruat?*] Stultus metus est de cœlestibus metuere. Ergo stulte es in metu, et sic ponis, quod fieri omnino non

CL. Metuo, quid agam. SY. Metuis? quasi non ea potestas sit tua,
Quo velis in tempore ut te exsolvas, rem facias palam.
CL. Age, age, traducatur Bacchis. SY. Optume: ipsa exit foras.

ACTUS QUARTI SCENA IV.

BACCHIS. CLINIA. SYRUS. DROMO. PHRYGIA.

SATIS pol proterve me Syri promissa huc induxerunt:
Decem minas, quas mihi dare pollicitus est: quod si is nunc
Me deceperit, sæpe obsecrans me, ut veniam, frustra veniet:
Aut quum venturam dixero et constituero, quum is certe
Renunciarit, Clitipho quum in spe pendebit animi:
Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo pœnas pendet.
CL. Satis scite promittit tibi. SY. Atqui tu hanc jocari credis?

potest. Ut sit argumentum ab impossibili. E.

42. *Quasi ea potestas non sit*] Pulchre persuadet, ut faciat hoc quod monetur, cum dicit in potestate ejus futurum, quo velit tempore, ut se exsolvat. E.

43. *Rem facias*] V. C. *et rem facias.* L.

44. *Age, age*] Vox consentientis, et qui victus est rationibus callidi servi. *Optume exit*] Παρασκευὴ est alterius scenæ. C.

1. *Satis, pol, proterve*] Restat ad fallaciam et ad extorquendum argentum, ut Bacchis irata a Syro placetur, et ad Menedemum transeat. *Satis pol*] Meretricis conquestio exprimitur, cujus tota indignatio dependet ex non tradita pecunia. *Promissa*] Cicero, in Fragmentis, *Promissa tua memoria teneas.* Aliter accipitur, cum dicimus *promissa barba.* Nam *promittere* est polliceri: et ad magnitudinem nurtire. Plautus, Rud. ii. 3. 46. *capillum promittam. Promissa*] Dicitur *promissum* et *promissio. Promissio* et *pollicitatio* eandem vim habent: sed *pollicitatio*, majoris asseverationis est. *Huc induxerunt*] *Inducitur* aliquis, cum verbis alterius decipitur. In Andria, *Vide quo me inducas.* C.—*Satis, pol, proterve*] Satis aspere. E.—Noli post *induxerunt* pleniorem ponere distinctionem.

2. *Decem minas quas*, h. e. *decem minas quas.* Sic And. Prol. 3. et supra iv. 1. 41. B.—*Pollicitus*] *Pollicemur* magis sponte: *promittimus* rogati. C.—Repone ob versum, *dare est pollicitus.* B.

3. *Ut veniam, frustra veniet*] Pulchra permutatio ejusdem verbi per tempora, quæ convenit iratis. C.—Ratio versus requirit, ut dictio *me* præcedenti versui adscribatur. Uti codd. Faerni omnes habent. B.

4. *Aut quum venturam*] Immo potius vero me esse venturam * (forte excidit, *constituero* Z.). E.—Lege cum Goveano et Guyeto *certo*, pro *certe.* B.

5. *Spe pendebit animi*] Quod est corporis, ad cruciatum animi transtulit. Supra visum est, quam torqueantur amantes in amicarum exspectatione. C.—Lege *Renunciabit*, ut *pendebit.* B.

6. *Ac non veniam*] Mira meretricis calliditas exprimitur. Jam cogitavit, quemadmodum Syrus videatur apud Clitiphonem vanus et mendax, ex quo ab illo verberetur. *Mihi*] In meam ultionem. Virg. Æn. i. 136. *Post* mihi *non simili pœna commissa luetis. Pœnas pendet*] Persolvet. Virg. Æn. vi. 20. *tum pendere pœnas Cecropidæ jussi.* C.—*Tergo pœnas*] *Tergo*, id est, dorso. Siquidem *tergum tergi* dorsum; *tergus* vero *tergoris*, corium dicitur. E.

7. *Satis scite*] Hoc cum risu pronunciandum. *Scite*] *Pulchre.* In Andria, *Scitus puer. Promittit*] Scilicet, *venturam. Hanc credis?*] *Hanc*, et ad contemtum et ad odium dixit. Habent enim ista pronomina quandam emphasin. C.—*Satis scite promittit*] Id est, valde eleganter promissa tibi dabit; per utrique per . . . (*per risum id pronunciari, per se* Z.) intelligitur. E.

Faciet nisi caveo. BAC. Dormiunt: ego pol istos commovebo.
Mea Phrygia, audisti, modo iste homo quam villam demonstravit
Charini? PH. Audivi. BAC. Proxumam esse huic fundo ad dextram? PH. Memini.
BAC. Curriculo percurre: apud eum miles Dionysia agitat.
SY. Quid inceptat? BAC. Dic me hic oppido esse invitam, atque asservari:
Verum aliquo pacto verba me his daturam esse, et venturam.
SY. Perii hercle! Bacchis, mane, mane; quo mittis istanc? quæso,
Jube maneat. BAC. I. SY. Quin est paratum argentum. BAC. Quin ego maneo.
SY. Atqui dabitur. BAC. Ut lubet, num ego insto? SY. At scin' quid, sodes?
BAC. Quid? SY. Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, et tua pompa

8. *Dormiunt*] Otiosi sunt et negligentes. *Pol istos commovebo*] Bene *istos*, quasi odiosos. In Eunucho, *cum milite isto*. Virg. Æn. ix. 94. *aut quid petis istis?* Hæc enim pronomina spernentis sunt, odiumque monstrantis. C.—*Dormiunt: ego pol*] Vult excitare eos, qui sibi pecuniam promiserunt, nec dederunt: uti fingat se evocatam esse a nescio quo, et velle discedere. Itaque, consentiente ancilla, fingit mendacium. E.

9. *Mea Phrygia*] Hoc est proprium meretricis, ultro excludere amantem, et alium recipere, vel se ad alium conferre. *Phrygia*] Nomen a regione, sicuti *Lesbia, Andria, Samia. Quam villam*] *Villa*, domus in agris, quo rustici res vehunt, et evehunt. Virg. Ecl. i. 83. *Et jam summa procul villarum culmina fumant.* Uterer Varronis testimonio ex primo de Re Rustica (i. 2. *Villicus agri colendi causa constitutus atque appellatus a villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, et evehuntur, cum veneunt*) ad Fundaniam, nisi notum esset. C.—Recte Faerniani et nostri libri, *audistin'*. B.

10. *Ad dextram?*] Inducit memorem meretricem, nec oblitam ubi sit, et quid agat amans. Nam hujuscemodi mulieres nil aliud agunt, nil aliud curant, quam quomodo aliquid ab amantibus extorqueant. C.

11. *Curriculo*] Hoc loco adverbium, alias nomen. *Apud eum miles*] Hic est de quo superius Syrus, *Nam miserum quendam offendi ibi militem, Ejus noctem orantem; hæc arte tractabat virum. Dionysia agitat*] Aliter *agitat* accipitur, quum dicimus *agitat convivia et Dionysia*; et aliter quum dicimus, *agitat vitia.* Juvenalis, Sat. i. 52. *Hæc ego non agitem?* C.—*Curriculo percurre*] Propera et festina. E.

12. *Quid inceptat?*] Tanquam de magno facinore dixit. Nam *inceptare* et *incipere*, magnorum est facinorum. *Servari*] *Custodiri*: vel melius *suspiciose observari*: ut illud Virgilianum, Georg. i. 336. *Hoc metuens, cœli menses et sidera serva.* C.—*Quid inceptat*] Ms. R. et vett. libb. *Quid hæc inceptat.* L.—Omnes nostri, *Quid hæc cœptat?* Ita Phorm. iv. 3. 21. B.

13. *Verba his me*] Hoc est, me dicturam aliquid, unde decipiam illos. E.—*Et venturam*] V. C. *atque venturam.* L.

14. *Mane, mane*] Hæc singula verba, si diligenter notes, Syri magnam trepidationem indicant: ideo statim de argento mentionem fecit, in quo lis omnis pendebat inter Syrum et Bacchidem. C.

15. *Quin*] Pro *immo* hoc loco ponitur. *Quin*] Repetit Bacchis Syri verbum, ut mos est iratorum. C.—*Quin est paratum*] Intellexit servus callidus, quod idcirco se arcessiri diceret, quod argentum quæreret. Et hac ratione ei pollicetur. *Quin ego hic maneo*] Qui (*Cui* Z.) argentum dari posset, et nihilominus illud fieri, quod dispositum esset. Itaque et de tempore adjecit, *Atqui jam dabitur.* E.

16. *Num ego insto?*] Fingit se non magnopere curare, ut habeat argentum: quemadmodum faciunt hi qui defessi sunt diu petendo aliquid. *Sodes*] Blandientis adverbium. C.—Lege *Atqui jam dabitur.* Post verba *scin' quid sodes* subaudi *facias*, vel *facere te velim.* B.

17. *Tua pompa*] Id est, nobilis comita-

Eo traducenda est. BAC. Quam rem agis? scelus. SY. Egone? argentum cudo,
Quod tibi dem. BAC. Dignam me putas, quam illudas? SY. Non est temere.
BAC. Etiamne tecum hic res mihi est? SY. Minime: tuum tibi reddo.
BAC. Eatur. SY. Sequere hac: heus, Dromo. DRO. Quis me volt? SY. Syrus. DRO. Quid est rei?
SY. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos propere.
DRO. Quamobrem? SY. Ne quæras: efferant, quæ secum huc attulerunt.
Sperabit sumtum sibi senex levatum esse harunc' abitu.
Næ ille haud scit, paulum lucri, quantum ei damni apportet.
Tu nescis id, quod scis, Dromo, si sapies. DRO. Mutum dices.

tus, scilicet ancillæ decem, et cæteri comites qui venerunt. E.

18. *Eo*] Ridicule additum: ut sit *eo*, loci adverbium. *Quam rem agis? scelus*] In Andria, *Ubi est illic scelus*. Et ad intellectum, non ad verba redigitur. Nam et *scelus*, *scelestus* intelligitur. Et plus dixit quam, *scelestè*: ut, *Tu nihil nisi sapientia es*. Martial. xi. 92. 2. *Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium. Argentum cudo*] Joculariter dixit. *Cuditur* enim *pecunia*, dum imprimitur. C.—*Egone? argentum cudo*] Quæris cur te ad Cliniam transire volo? argentum cudo: id est, produco quod tibi dem. *Cudo* proprie est compono vel tundo, unde *incus*, ubi tunditur ferrum. E.—Bembini *Ego* cum deteriorem efficiat accentum *τοῦ σκέλους*; cum nostris lege *Egon'*. B.

19. *Quam illudas?*] In Andria, *Adeone vobis videmur esse idonei, in quibus sic illudatis? Illudo in te*, septimo casu: et *illudo te*, accusativo dicimus. Dicitur quoque *illudo tibi*. *Non est temere*] Sic dicitur quando aliquid fit non sine magna ratione. C.—*Quam illudas?*] Per accusativum casum hic dictum est. Virgilius, Æn. ii. 64.—*certantique illudere capto*: per dativum. Item ipse, Æn. ix. 634. *verbis virtutem illude superbis*. E.—*Non est temere*] Ms. R. *Non hoc temere est*. L.

20. *Hic*] *In hac re*, ut ad Menedemum traducar. Est enim cum interrogatione legendum, ita, ut neget, non venisse ea gratia. C.—*Etiamne* est adhuc, amplius, diutius. Non igitur ægre fert, quod cum servo sibi res sit; sed quod tam diu et frustra; cum ejus promissæ decem minæ non appareant. Respondet Syrus, *Minime*, diutius: reddo tibi *tuum*, h. e. quod tibi pollicitus sum. Cf. Adel. ii. 2. 41. B.

21. *Eatur*] Cito flectitur, et quia mulier et meretrix, quæ trahitur minimo lucello. Et *eatur* impersonaliter, q. d. *a me*, vel *a meis ancillis*. C.—*Sequere hac*] Ms. R. *sequere me hac*. L.

23. *Quamobrem?*] Dromo utpote tardiusculus non intelligit Syri consilium. De eo superius, *Ille Cliniæ servus tardiusculus est*. C.—*Et ferant*, quod omnes præter Bembinum habent, a sensu repudiatur, et ortum est ab antiqua scriptura, *eçferant*, i. e. efferant. B.

24. *Sumtum sibi levatum*] Cum discesserit tanta ancillarum multitudo, dominus credet sibi allevatum sumtum, id est, impensam: sed nescit ex ea re damnum ad se esse venturum, dum hac re maxime ab eo extorquebitur argentum. E.

25. *Damnum*] *Damnum* rei est; *malum* vero, hominis. Persolvet Chremes argentum ex fallacia Syri: quod erit majus *damnum*, quam si permansisset meretrix. C.—Bentleius ita edidit, *Næ ille haûd scit*, hoc *paulûm lucri quantum ei, etc.* Z.

26. *Tu nescis id, quod scis, Dromo*] In Eunucho, *Tu pol, si sapis, quod scis nescis*. Non possumus *nescire* quod *scimus*: sed ita, ut *concordia discors*. Virg. Æneid. xi. 695. *sequiturque sequentem. Nescis id, quod scis*] Hoc est quod dicitur, *quod scis, nescis*. Proverbiale est, et multum apud dialecticos tractatum: ut, *facio* et *non facio*, et *amicus sum* et *non sum*, et *audio* et *non audio*, et cætera hujusmodi. C.—*Tu nescis*] Id age, ut nescisse videaris; ille per *ὑπερβολήν*, *mutum me dices*. E

ACTUS QUARTI SCENA V.

CHREMES. SYRUS.

ITA me Di amabunt, ut nunc Menedemi vicem
Miseret me, tantum devenisse ad eum mali.
Illancine mulierem alere cum illa familia?
Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet:
Ita magno desiderio fuit ei filius.
Verum ubi videbit tantos sibi sumtus domi
Cotidianos fieri, nec fieri modum,
Optabit rursum ut abeat ab se filius.
Syrum optume eccum. SY. Cesso hunc adoriri? CH. Syre.
SY. Hem.
CH. Quid est? SY. Te mihi ipsum jam dudum exoptabam dari.

1. *Ita me Di amabunt*] Hic est transacta Syri fallacia, et tandem extorquetur argentum: et idem est Chremes, qui fuit in prima comœdiæ parte. Miseretur enim Menedemi, et ejus vicem dolet, credens Bacchidem amicam Cliniæ esse. C.—*Ita me Di*] Discedentibus ancillis senex ingemiscit, quod tanta ad Menedemum multitudo ventura sit: quam et ipse cum unam diem sustineret, magno se dixit affectum damno. Nam et domina pytissando, id est, leviter gustando et spuendo, multum vini absumit, et reliqua familia. Siquidem per χαρακτηρισμὸν, id est, futuræ rei descriptionem, argumentatur quid sit consequens: videlicet filii discessio: et est ἠθοποΐα, quæ fit, quando loquentem introducimus quamlibet personam. E.

2. *Tantum mali*] Proprius dixisset *damni*: nisi ad ægritudinem animi referas. C.

3. *Illancine mulierem*] Hoc est quod supra dixi, ista pronomina afferre contemtum et odium. *Cum illa familia?*] Cum stomacho dixit, id quod superius facete Syrus *pompam* appellavit. C.—*Illancine mulierem?*] Priscian. lib. xii. L.

5. *Ita magno desiderio*] Vix inprimis explebile desiderium illius rei est quam diu optavimus: sed ejus postea in dies paulatim nos satietas capit. C.—*Magno desiderio fuit*] Tantum desiderium filii absentis pater habuit, ut primis diebus damna a meretrice non sentiat. E.—Versum hunc spurium esse, et ex nota marginali huc irrepsisse puto; quia ab uno cod. abest, et *fuit* ineptum est pro *est*. Nam Cliniæ desiderium, quem nondum senex viderat, in horas jam crescit. Adde, quod versu abhinc tertio rursus veniat *filius*, et in fine itidem: nimis invenuste. B.

7. *Nec fieri modum*] Quod plus est, et ad prodigalitatem accedit. C.—Pro *Cotidianos* sensus requirit adverbium *Cotidiano*, h. e. cotidie; quod occurrit Plaut. Capt. iii. 5. 66. Cic. Verr. iv. 8. et Charisius in adverbiis, p. 177. *cotidiano* numerat ex Afranio et Frontone. B.

9. *Eccum!*] In Andria, *atque eccum, video*. Superius dixi, *eccum, illum* resolvi per adverbia, non per nomina: sed tamen secundum Donatum, ad And. iii. 3. 48. *eccum*, quasi *ecce eum*, veteres dixerunt. *Eccum, illum:* quod apertius significat *ecce eum, ecce illum. Cesso hunc adoriri?*] Quasi de improviso alloqui, aggredi. In Andria: *Hiccine me si imparatum in veris nuptiis Adortus esset? Adoriri* dicitur, qui ex insidiis repente invadit. Dictum ab eo, quod corpora aggredientium exurgant subito, atque increscant. *Hem!*] Interjectio læti, alias perturbati. C.

10. *Te mihi ipsum jamdudum*] Laurentius Valla, vir omnium nostræ ætatis eruditissimus, dicit, *dudum* et *jamdudum*, de parvo tempore dici, unius horæ, aut semihoræ, aut duarum horarum, vel ad summum quatuor. Sed Donatus illud Terentianum exponens, Eun. iv. 5. 8. *Jamdudum: ætatem. Lites inter eos factæ:* sic inquit, Quia *jamdudum* infinitæ moræ est, addit *ætatem* ut ostendat multum abiisse temporis: ut factum est. *Jamdudum: ætatem*, pro longinquo tempore. Lucilius, *Ut multos, mensesque dies que: Non tamen* ætatem. *Ætatem*, diu longinquoque tempore ac prolixo, ut est ætas, et quæ sequuntur. C.—*Optabam*, quod in Bemb. reperitur, ab antiquis correctoribus est. Lege *exopto*. Cf. And. i. 4. 1. B.—Daceria verba *Quid*

CH. Videre egisse jam nescio quid cum sene.
SY. De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi.
CH. Bonane fide? SY. Bona hercle. CH. Non possum pati
Quin tibi caput demulceam: accede huc, Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro ista re, ac lubens.
SY. At si scias, quam scite in mentem venerit.
CH. Vah! gloriare evenisse ex sententia?
SY. Non hercle vero: verum dico. CH. Dic, quid est?
SY. Tui Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem
Menedemo dixit Clinia; et ea gratia
Secum adduxisse, ne tu id persentisceres.
CH. Probe. SY. Dic sodes. CH. Nimium, inquam. SY. Immo si scias.
Sed porro ausculta, quod superest fallaciæ.
Sese ipse dicet tuam vidisse filiam:
Ejus sibi complacitam formam, postquam aspexerit:
Hanc cupere uxorem. CH. Modone quæ inventa est? SY. Eam.

est? ipsi quoque Syro tribuenda censet. Male. Melius conveniunt Chremeti cupienti audire, quid cum sene egerit. Z.

11. *Videre egisse*] Colligit hoc ex verbis Syri, a quo exoptaretur: credebat enim senex, se a servo non optari, nisi gratia fallaciæ in Menedemum. C.—*Videre egisse*] De eo quod tecum locutus sum, videris jam aliquid fecisse. Nam supra ait, *huic nostro tradita est provincia.* E.

12. *Ac factum reddidi*] Secure et cum magna audacia pronunciat: et plus est, quam si diceret, *feci.* C.—*Dictum ac factum*] Hoc est, cum dixisses, factum continuo reddidi. E.

13. *Bona hercle*] *Hercle* ornativa particula. In Andria: *puer hercle'st.* Hoc loco potest esse affirmativa. C.—Distingue sic; *Bonan' fide?* SY. *Bona.* CH. *Hercle non possum pati.* B.

14. *Caput demulceam*] Magni blandimenti signum, quod fit, quoties in re optata domino servus ex sententia obsequitur. C.—*Tibi caput demulceam*] Quod solet fieri his qui placent, ut manus per caput tractu ducta, quasi quædam videatur esse laudatio. E.

15. *Boni aliquid*] Non dicit quid: ut eum lætiorem reddat, et in spe magni boni detineat. C.

16. *Scite in mentem*] Ms. R. *scite mihi in mentem.* L.

17. *Gloriare evenisse?*] Hoc tibi pro voluntate contigisse gloriaris? E.

18. *Hercle vero*] Adverbia sunt confirmativa. *Non hercle vero: verum dico*] Negat se gloriari, et se veridicum fatetur: ut hi, qui re magna peracta, fingunt se non gloriari; ut sint majoris fidei et auctoritatis. C.

19. *Tui Clitiphonis*] Hoc est, quod superius Syrus, *Qui vim tantam in me, et potestatem habeam tantæ astutiæ, Vera dicendo, ut eos ambos fallam.* Inferius Chremes non credet Menedemo Bacchidem Clitiphonis esse amicam. C.—*Tui Clitiphonis*] Hoc est, illud consilium, quod supra significatum est, ut veritas dicta nihilominus implicare possit errorem: quippe cum dicit Clinia patri, *Clitiphonis amicam esse hanc:* ut hoc dum indicat servus, nihilominus dominus filii sui amicam meretricem esse non credat. E.

21. Deest *se*; cum prius non *se*, sed Bacchidem dixerit. Lege *se eam traduxisse:* ut iv. 3. 44. et iv. 4. 22. B.

22. *Immo sic satis*] *Sic* dixit, ut qui suspicaretur a Chremete dictum, nimium inquam, non serio, sed joco. C.—Omnes nostri *Immo sic satis.* Recte. Cum enim laudaret fallaciam Chremes *probe, nimium:* Syrus ficta modestia respondet, *Sic satis;* mediocriter. B.

23. *Superest fallaciæ*] V. C. *super fallaciæ est.* L.—Repone *quid super fallaciæ est.* B.

24. *Tuam vidisse filiam*] Neque hoc Menedemo crediturus est Chremes, dum dicet inferius, *Et illum aiunt velle uxorem.* C. —Lege *Se deinde dicit tuam, etc.* Nam *dicit* est in Regio, et duobus Faerni optimis. *Sese ipse* cum sit insulsum, quis enim alius hoc diceret; repone *deinde:* ut iv. 8. 24. it. Prol. 3. B.

Et quidem jubebit posci. CH. Quamobrem istuc, Syre?
Nam prorsum nihil intelligo. SY. Hui, tardus es.
CH. Fortasse. SY. Argentum dabitur ei ad nuptias,
Aurum, atque vestem, qui, tenesne? CH. Comparet?
SY. Id ipsum. CH. At ego illi neque do, neque despondeo.
SY. Non? quamobrem? CH. Quamobrem? me rogas? homini! SY. Ut lubet.
Non ego dicebam in perpetuum illam illi ut dares,
Verum ut simulares. CH. Non mea est simulatio:
Ita tu istæc tua misceto, ne me admisceas.
Ego, cui daturus non sum, ut ei despondeam?
SY. Credebam. CH. Minime. SY. Scite poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere jusseras,
Eo cœpi. CH. Credo. SY. Cæterum equidem istuc, Chreme,
Æqui bonique facio. CH. Atqui quum maxume
Velo te dare operam ut fiat, verum alia via.

27. *Jubebit posci*] Id est, *peti. Petimus* aliquid precario: *poscimus* imperiose: *postulamus* jure. C.—*Et quidem jubebit posci*] Et volet ut filiam tuam pater suus postulet: quam rem cum non intellexisset, cum simulata videretur, respondit ille, uti argentum filio dari possit ad nuptias necessarium. E.

28. *Prorsus nihil intelligo*] *Prorsus* pro eo quod est *omnino*. Sunt qui conjunctionem velint. Vel *prorsus, certe, recte, vere*. Et dicitur quasi *porro versus*. Nam *prorsum* est *porro versum*, id est, ante versum. Hinc et *prorsa oratio*, quam non inflexit cantilena. *Hui*] Interjectio mirantis. Et hoc cum gestu servili, et leviori personæ congrue dictum. C.—*Tardus es*] Servius ad Ecl. x. 19. L.—Omnes nostri *prorsus*: quod est melius. Nam *prorsus* abjecto *s* trochæus est, ad Græci metri morem. B.

29. *Argentum dabitur*] Scilicet a Menedemo. Inferius Chremes non immemor verborum Syri, Menedemo dicet, *Et illum aiunt velle uxorem: ut quum desponderis, Des qui aurum, et vestem, atque alia, quæ opus sunt, comparet.* C.

30. *Qui*] Pro *quo*. C.

31. *Nec spondeo*] Proprie dixit. *Spondet* pater puellæ: *despondet* pater adolescentis. In Andria, *placuit; despondi*. C.—*Neque despondeo*] Id est, non promitto: unde *sponsa* dicitur. Nam et sponsio et dos a patre puellæ dabatur. E.

32. *Fugitivo dabo?*] A conditione personæ Cliniam vituperat: nam *fugitivi* proprie *servi*. Unde in edicto Ædilium Curulium, titulus est servorum fugitivorum, *Si quis fugitivus, errove sit, noxave solutus non sit. Homini fugitivo*] Dicitur *homo fugitivus* et *servus, fugitivus*, non *fugitivus servus*, quia tunc est superfluum, ut testatur Quinctilianus: forte Instit. vii. 4. Ergo dicendum, *servus fugitivus*, vel *fugitivus*, sine additamento. C.—*Me rogas? homini!*] Ita Reg. exempl. sed mire variant alii scripti libb. Quidam, *me rogas? fugitivo dabo filiam, etc.* al. *homini fugitivo dabo?* L.—Pro *Non? quamobrem?* repone *Nam quamobrem?* Eun. v. 2. 58. *Nam quid ita? Rogitas?* B.

33. *Non ego perpetuo*] Virg. Æn. i. 73. *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.* Illa datur *perpetuo*, quæ omnes annos cum marito exigit. C.—Sensus postulat, *Non ego dicebam sério, ut illam illi dares.* In nostris est *perpetuo*. Sed in vetere scriptura, *pptuo, serio* satis sunt propinqua. B.

34. *Non mea est simulatio*] Boni et sapientis viri hic sensus est, ut nunquam audeat, quod nunquam sit facturus, polliceri. E.—Lege *Non meum'st simulatio*, h. e. mei moris, ingenii, officii: ut *Non est mentiri meum*. B.

35. *Tua misceto*] Verba probi viri, qui non vult adhærere consilio alterius in re non probabili. C.—*Ita tu istæc*] Ita igitur hæc efficito, ut sine mea persona hæc compleas. E.

36. *Cui daturus non sum*] Argumentum ab æquo. Non æquum, non leges ipsæ concedunt, ut quis pater filiam alicui spondeat, deinde deneget. C.

39. *Istuc Chreme*] In re non probabili vult inire opinionem optimi servi, qui domino bona fide morem gerat, et pro viribus obsequatur. C.

Sy. Fiat: quæratur aliud: sed illud quod tibi
Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nunc reddendum'st illi: neque tu scilicet
Eo nunc confugies, Quid mea? num mihi datum'st?
Num jussi? num illa oppignerare filiam
Meam me invito potuit? verum illud, Chreme,
Dicunt, jus summum sæpe summa est malitia.
Ch. Haud faciam. Sy. Immo, aliis si licet, tibi non licet:
Omnes te in lauta, et bene acta parte putant.
Ch. Quin egomet jam ad eam deferam. Sy. Immo filium
Jube potius. Ch. Quamobrem? Sy. Quia enim in hunc suspicio'st
Translata amoris. Ch. Quid tum? Sy. Quia videbitur
Magis verisimile id esse, quum hic illi dabit:
Et simul conficiam facilius ego, quod volo.
Ipse adeo adest: abi, effer argentum. Ch. Effero.

42. *Fiat: quæratur aliud*] Astute et callide, in omnibus assentitur hero; quia jam lenibus verbis extorquebit argentum. C.—*Quod tibi dixi de argento*] Quod supra nos diximus, ut eventus impleret consilium, hic nunc conficit: siquidem postea puella cognita est, pro qua jam debitor Chremes factus est, cum constet eam arrabonis nomine apud meretricem collocatam. E.

45. *Eo nunc confugies*] Id est, ad rationes, quas statim callide subjicit. Magna vis est persuasionis: quoniam non prius amovemus ea quæ is responderet, a quo aliquid petimus. C.—*Num mihi datum?*] Sane dominus hac responsione uti posset, ut non redderet argentum. Sed servus callidus occurrit: Non potes dicere, istud non te accepisse, neque jussisse, neque invito (excidit *te* Z.) filiam oppignerare potuisse. E.

47. *Me invito potuit?*] Hæc pro Chremete essent, et jure non teneretur reddere id argentum. C.—Pro *verum* repone *vere*; ut Adel. i. 3. *Profecto hoc vere dicunt.* B.

48. *Summum jus*] Id enim quod datum est, utique reddendum est. Sed jure cautum est, ut filia quicquid acceperit, vel filiæ nomine datum fuerit, quæ in familia est, non recte datum videatur. Itaque æquitas est, ut debitum solvi debeat; jus est ut sic datum reddatur. Sed ille renititur a causa quod non debeat, et fit controversia ex negotio. *Summum jus*] Vulgo dicitur, *Qui plus potest, pejus facit.* E.—*Jus summum*] Columell. prolog. lib. vii. *Nec sane est vindicandum nobis quicquid licet: nam summum jus antiqui putabant summam crucem.* Hieronym. ad Innocent. de muliere septies icta: *Et o vere jus summum, summa malitia; post tanta miracula adhuc sæviunt leges.* Menand. apud Stobæum, Serm. 185. *ὁ δ' ὀρθὸν τοὺς νόμους Λέων ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται.* L.

50. *In lauta*] Non decet eum, qui lautæ vitæ sit et splendidæ, in omnibus juris rigorem observare. Nam qui ad unguem jus servant, asperi, difficiles, et tenaces multis videntur. C.—*Omnes te in lauta*] Hoc a persona persuadet, potius reddere quam negare. E.—Versus causa repone, *Omnés te in lauta esse ét bene aucta ré putant.* Certe *Ēe* absorptum est ab *Et*, atque ex *re* factum est *pte.* Cæterum *bene aucta re* est, ex paupere aut mediocri divitem te factum esse. *Aucta* reperitur in uno Regio. B.

51. *Egomet*] Senex gloriæ cupidus, adeo flectitur verbis Syri, ut ad meretricem cum argento festinare cupiat. C.

55. *Simul et conficiam*] Hoc loco pro *efficiam* ponitur: quo sæpius in hac significatione Cicero utitur. Ab hoc, *confectum*, proprie verbum convenit gladiatoribus his, qui gravissimis vulneribus occubuerunt. Cicero in Catilinam ii. 11. *gladiatori illi* confecto *et saucio.* C.

ACTUS QUARTI SCENA VI.

CLITIPHO. SYRUS.

NULLA est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quam invitus facias: vel me hæc deambulatio,
Quam non laboriosa, ad languorem dedit!
Nec quicquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miser aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Ut te quidem omnes Di, Deæque, quantum est, Syre,
Cum istoc invento, cumque incepto perduint:
Hujusmodi mihi res semper comminiscere,
Ubi me excarnifices. SY. I tu hinc quo dignus es:
Quam pene tua me perdidit protervitas!
CL. Vellem hercle factum; ita meritu's. SY. Meritus! quo-
Ne me istuc ex te prius audivisse gaudeo, [modo?

1. *Nulla tam est facilis res*] Hic exprimitur amantis constantia, qui ob nimium amorem Syro in re sua irascitur: dehinc paulo momento illum demulcet. *Quin*] Pro, *quod non*. *Difficilis*] Huic illud contrarium, *Nihil difficile homini volenti*. C.—*Nulla est tam facilis*] Nunc adolescens Clitipho redit, graviter ferens, quod ab amica sit exclusus. E.—*Nulla est tam facilis*] Ambros. Hexaemer. lib. v. cap. 15. *Necessitas enim, quæ invito imponit obsequium, affert plerumque fastidium. Nihil est enim tam facile, quin habeat difficultatem, quod facias invitus.* Salvian. Massil. de gubern. Dei, lib. i. *Sicut nihil est tam leve, quod ei non grave sit, qui invitus facit: sic nihil est tam grave, quod non ei, qui id libenter exsequitur, leve esse videatur.* Vid. Hieron. de cereo pasch. L.

2. *Vel me hæc*] *Vel*, modo non est disjunctiva conjunctio, sed pro *etiam* posita. Ut apud Virg. Æn. xi. 259. *Vel Priamo miseranda manus. Hæc deambulatio*] Quæ facilis et non laboriosa. Nam *deambulatio* homini potius voluptatem quam laborem affert. C.—*Quam invitus facias*] Etiamsi facilis sit, ex animo facientis habet maximam difficultatem. E.

3. *Ad languorem dedit!*] Plaut. Asinar. iii. 2. 28. *Ubi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo validos lictores.* L.

6. *Ut te omnes quidem Di*] Improvidus adolescens non considerat quid a Syro in rem suam peractum sit; sed omnia ad voluptatem suam refert. C.—Illud *que*, cum versum turbet, dele. Vid. ad Eun. ii. 3. 10. B.

7. *Istoc invento*] Cum contemtu atque odio hæc pronunciantur. *Tuo istoc invento, cumque incepto*] Quasi de magno facinore. Nam *inceptum*, et *incepare*, et *incipere*, magnorum est facinorum. *Perduint*] Et antiquum est, et Plautinum. C.—Lege ex vetustissimo cod. *Cum tuo isto invento*. Certe *tuo* magnam hic elegantiæ partem facit, ut Adel. iv. 6. 1: v. 4. 38. B.

8. *Comminiscere*] Pro *comminisceris*, id est, *fingis*. Hinc *commentum*. Alibi, *atque ipsis hoc commentum placet*. C.

9. *Excarnifices*] Terribiliter *excarnifices* dixit, hoc est, *excrucies*. *Excarnificare* deductum est a *carnifice*. *Carnifex* est, qui carnes ex homine facit. Nam *caro* dicta est, eo quod careat anima. Et caro proprie dicitur mortuorum. Virg. Georg. iv. 255. *tum corpora luce carentum*. Vel *caro* sit dicta quasi *cado*. Virg. Æn. vi. 481. *belloque caduci Dardanidæ*. Quod jam scilicet sine anima sit, et cadat. *I tu hinc*] Et hic secure exclamat: quod jam extorserit argentum. C.—*Ubi me excarnifices*] Priscian. lib. viii. L.—Faernus edidit *In' hinc quo dignus es*. Sed ne ita versus sit una syllaba brevior, repone *Ibin' hinc quo, etc.* B.

10. *Protervitas!*] Importunitas vel petulantia. *Protervitas*, levior est quædam contumelia. *Procacitas*, major. *Petulantia* maxima. C.—*Protervitas*] Asperitas vel superbia. E.

11. *Ita meritus*] *Meretur* quis et bonum et malum. Et *mereri* et *promereri* est præstare beneficium. Virg. Æn. vi. 664. *Quique sui memores alios fecere merendo*. Et idem, Æn. iv. 334. *nunquam, regina, negabo Promeritam*. C.

12. *Ex te prius audivisse gaudeo*] Sic

Quam argentum haberes, quod daturus jam fui.
CL. Quid igitur dicam tibi vis? abisti, mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
SY. Jam non sum iratus: sed scin' ubi nunc sit tibi
Tua Bacchis? CL. Apud nos. SY. Non. CL. Ubi ergo?
SY. Apud Cliniam.
CL. Perii. SY. Bono animo es: jam argentum ad eam deferes,
Quod ei pollicitus. CL. Garris: unde? SY. A tuo patre.
CL. Ludis fortasse me. SY. Ipsa re experibere.
CL. Næ ego fortunatus homo sum: deamo te, Syre.
SY. Qua causa id fiat, cave quicquam admiratus sies.
Sed pater egreditur, obsecundato in loco:
Quod imperabit, facito: loquitor paucula.

fingimus, quando sumus collaturi beneficium in aliquem, et quicquam audimus, quod non placet, nec tamen nos infensos reddat. C.—*Ex te prius audisse*] Gaudeo quod istuc ex te prius audivi, unde (*quod is* Z.) me læsisti, antequam tibi argentum dedi, quod daturus fui. E.—Ut melior sit constructio, lege cum cod. Petrensi *Ne me istuc prius ex te audivisse.* B.

14. *Quid igitur dicam*] Quid enim possum tibi dicere, cum mihi amicam adduxeris, quam non liceat tangere? Bene . . . longe factus est adolescens ab injuria (*Bene cito remissior longe factus est adolescens ab iracundia* Z.), postquam comperit argentum jam paratum. E.—Nostri recte collocant, *Quid igitur tibi vis dicam?* Illud *abisti* cum sit ineptum; Syrus enim nusquam abierat: repone *adisti mihi manum.* Nam *adire manum alicui* est decipere, porrecta manu aliquid, quasi daturus sis, ostentare, et cum alter accepturum se putat, retrahere. Sic occurit Plaut. Cas. v. 2. 45. Aul. ii. 8. 8. Pœn. ii. 1. 11. B.

15. *Non liceat tangere*] Nimius est ardor in adolescente cum videat amicam, nec tamen *tangendi* facultas datur. C.

16. *Jam non sum iratus*] Non potest præ nimia lætitia diutius reticere quod fecerit. *Iratus*] *Iratus* est ex causa: *Iracundus* ex moribus. *Scin' ubi nunc sit?*] Hæc interrogatio gaudentis est, et cui omnia ex voto successerint. C.

18. *Perii!*] Hæc vox est amantis, aliquid mali suspicantis. Quia amantibus omnia sunt suspecta. *Jam argentum*] *Jam* nimiam velocitatem significat. *Deferes*] In alia significatione accipitur illud Olympiadis ad Alexandrum, *Amabo*, inquit, *mi fili, quiescas, neque deferas me.* Hinc *delator.* C.

19. *Garris*] Tanquam avis. Unde *garrulus.* Et *garrire* is dicitur, qui inaniter loquitur. C.—Plerique codd. recte addunt *es: Quod ei es pollicitus.* B.

20. *Experibere*] Antiquum est: nos dicimus *experiere.* Juvenalis, Sat. i. 170. *Experiar, quid concedatur in illos, etc.* C.

21. *Næ ego*] *Næ*, id est, *valde. Deamo te, Syre*] Id est, *valde amo. De*, hoc loco auget: alias diminuit. C.—*Deamo te*] Id est, valde amo. E.

22. *Qua causa id fiat*] Ut argentum habeamus quod ad Bacchidem deferas. *Obsecundato in loco*] *Obsecundare* est omnia ad alterius nutum facere. C.—*Qua causa id fiat*] Qua causa fiat, noli quærere, tantum obtempera et obsequere. E.—Cum Mureto transpone versus sententiæ causa ita: *Sed pater egreditur: cave quicquam admiratus sis, Qua causa id fiat: obsecundato in loco: Quod imperabit, etc.* B.—*Cave quicquam admiratus*] Id vide, ne præ nimio gaudio admireris, id tibi patrem præcipere: sed quasi nescius suspicionem ejus a te dolo amove. E.

24. *Loquitor paucula*] *Paucula* dixit, non *pauca:* et sic majorem vim admonitio ista habitura est. Nam *paucula* coram patre loquetur Clitipho. C.—*Loquitor paucula*] Ne ex sermonibus tuis nascatur ulla suspicio. E.—*Loquitor paucula*] Serv. Georg. i. vers. 187. *Contemplator.* L.

ACTUS QUARTI SCENA VII.

CHREMES. CLITIPHO. SYRUS.

Ubi Clitipho nunc est? Sy. Eccum me, inque. Cl. Eccum hic tibi.
Ch. Quid rei esset, dixti huic? Sy. Dixi pleraque omnia.
Ch. Cape hoc argentum, ac defer. Sy. Ii, quid stas, lapis?
Quin accipis? Ch. Cedo sane. Sy. Sequere hac me ocius:
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere:
Nam nihil est, illic quod moremur diutius.
Ch. Minas quidem jam decem habet a me filia,
Quas pro alimentis esse nunc duco datas:
Hasce ornamentis consequentur alteræ.
Porro hæc talenta dotis apposcunt duo.
Quam multa injusta ac prava fiunt moribus!

1. *Ubi Clitipho nunc est?*] Egreditur Chremes cum argento. *Eccum me! inque*] Syrus subjicit verba Clitiphoni, quæ patri respondeat. *Inque*] Raro alibi præter *inquam* et *inquit* reperies. *Inque*] Id est, *dic*. C.—Deleatur *est*. Nam *Clitipho* non potest ultimam corripere. B.

2. *Pleraque omnia*] Hic adjectio in primo posita est loco. Adjectiones vero, aut in prima parte orationis, aut in ultima adjiciuntur. Hic ergo *pleraque* ex abundantia positum est. *Omnia* necessario additum in ultimo, sicut *interealoci, interibi*. C.—*Dixi pleraque omnia*] Supra diximus in Andria *omnia* abundare, et *pleraque* significationem suam propriam continere. E.

3. *Quid stas? lapis!*] Hoc dictum in ignavum. Illa vero, *caudex, stipes, asinus*, in stultum. C.—Pro *ii*, quod est in Bemb. alii habent *ei*, alii *hei*. Lege cum Faerno *i*. B.

4. *Quin*] Pro, *cur non*. C.—*Sequere me*] Posteaquam argentum traditum est, continuo hunc adolescentem vocat servus, ne aliquid aut ex admiratione, aut locutione suspicionis pater possit accipere. E.

5. *Opperibere*] Antiquum est, sicut *experibere*. C.

6. *Nam nihil est, illic*] Pulchre adjectum, ut omnino suspicio tolleretur, non esse amicam Clitiphonis: siquidem non diu illic moraturus est. E.

7. *Minas quidem*] Inducitur senex circa rem sollicitus, qui conqueritur de damno, quod illi acciderat de inventa filia. C.—*Minas quidem decem*] Consuetudo patris semper est, ut de damnis cogitet, tametsi filiis det. E.

8. *Pro alimentis*] Nam crediderat anum illam oppignerasse filiam Bacchidi. C.—*Quas pro hortamentis*] Hoc est, nutrimentis. *Hortatores* enim dicuntur, qui equos nutriunt. Denique alia *hortamentis*, alia *ornamentis*, contulit. E.

9. *Alteræ*] Id est, *totidem*. C.—Recte Chremes opinatur, alteras decem minas pro ornamentis sive vestimentis Bacchidi a se esse solvendas. Nam in vendendis mancipiis primum nudi corporis, dein vestimentorum habebatur ratio. Hinc Parasitus, Plaut. Stich. ii. 1. 18. *Nunc si ridiculum quæret hominem quispiam, Venalis ego sum cum ornamentis omnibus*. Cf. Plaut. Curc. ii. 3. 65. B.

10. *Porro*] Modo adverbium ordinis: alias temporis. *Hæc adposcunt*] *Hæc* pluraliter pro *hæ*. In Eunucho, *Continuo hæc adornant, ut lavet*. In Phormione, *Hæc illæc erant itiones. Talenta duo*] In sequentibus dicet, *Duo talenta pro re nostra ego decrevi esse satis*. C.—*Porro hæc talenta*] *Talentum* genus est ponderis, quod habet in se LXII. aut LXX. libras. E.—Pro *adposcunt* quod est in Bemb. aut *adposcent*, quod cæteri habent libri, repone *adposcet*. Nam *hæc* non est pro *hæ*, sc. minæ, sed, mea filia jam reperta. B.

11. *Quam multa justa, injusta*] Siquidem nunc, relictis omnibus rebus, quærendus mihi est aliquis, cui meo labore inventa dare possim, ut filiam meam ducat uxorem. E.—Cum Eugraphio, et ex conjectura G. Fabricii, probante Guyeto, lege et distingue, *Quam multa, justa injusta, fiunt moribus?* Cf. Adel. v. 9. 33. Sensus est, Sive justa sive injusta sint, moribus fiunt, et in communi vita dominantur. B.

Mihi nunc, relictis rebus, inveniundus est
Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

ACTUS QUARTI SCENA VIII.

MENEDEMUS. CHREMES.

MULTO omnium nunc me fortunatissumum
Factum puto esse, gnate; quum te intelligo
Resipisse. CH. Ut errat! MEN. Te ipsum quærebam, Chreme:
Serva, quod in te est, filium, et me, et familiam.
CH. Cedo, quid vis faciam? MEN. Invenisti hodie filiam.
CH. Quid tum? MEN. Hanc sibi uxorem dari volt Clinia.
CH. Quæso, quid tu hominis es? MEN. Quid est? CH. Jamne oblitus es,
Inter nos quid sit dictum de fallacia,
Ut ea via abs te argentum auferretur? MEN. Scio.
CH. Ea res nunc agitur ipsa. MEN. Quid dixti, Chreme?
Erravi: res acta: quanta de spe decidi!
CH. Immo hæc quidem, quæ apud me est, Clitiphonis est

12. *Relictis omnibus*] Positis omnibus aliis negotiis. C.

13. *Labore inventa*] Proprie, *parta*. C.

1. *Multo omnium nunc me*] Hic est jucunda expositio erroris senis de verbis Syri, qui Menedemum credit decipi, dum ipse decipitur. C.—*Multo omnium*] Scena hæc actionem tenet: quippe Menedemus gaudet plurimum, quod filium videt et integris moribus, et uxorem eam velle ducere, quæ honestissimi viri filia sit, et quod dixit, *quum te intelligo resipisse*, quasi hoc nesciat, quod eadem puella sit quam amaverat, quæ nunc filia sit Chremetis: aut dissimulat, quod quasi a meretrice animum filii ad nuptias transtulerit: aut errat ex dolis servi. Credit Chremes interpellatum Menedemum esse a filio, non vere ut uxorem duceret, sed ut nuptiarum gratia argentum a patre susciperet. E.—Omnes nostri cum edd. vett. recte, *Multo omnium me nunc*. In Arsi enim debet esse *nunc*, h. e. cum te mutatum video. B.

3. *Ut errat!*] Virg. Ecl. viii. 41. *Ut vidi, ut perii*. C.

4. *Filium*] *Filium* prius nominavit, in quo omnis cura patris erat. C.—*Serva quod in te est*] Petens nuptias filio suo, posteritatem respicit totam. E.—*Me, et familiam*] V. C. *me et familiam meam*. L.

6. Omnes nostri, *Hanc uxorem sibi dari*. B.

7. *Quæso*] Modo objurgatorium est. *Quid hominis es?*] In Eunucho, *Quid istuc, inquam, ornati est?* Scire nos convenit, cum recto casu profertur interrogatio, non esse contumeliosum. Ut si dicas, *Quis hic homo est?* Si autem in obliquo, contemtum significari. Ut, *Quid hoc est hominis? quid mulieris? quid ornatus?* C.—*Quæso quid hominis?*] Redigere vult in memoriam Chremes Menedemo * (Haud dubie excidit, *quid inter ipsos dictum sit de fallacia* Z.). Arguit igitur quod veluti stultus non intelligat, quod de dolo nunc agatur. E.—Frustra oneratur versus. Nostri omnes rotundius: *Quæso, quid hominis es?* ME. *Quid?* CH. *Jamne, etc.* B.

10. *Ea res nunc agitur ipsa*] Et ex hoc credit eos inter se finxisse, Cliniam amare Antiphilam. C.—Pro *dixti* recte habet Bemb. *narras*. B.

11. *Sic res acta'st?*] Ut decipiaris. Et hæc quidem, cum contemtu interrogat. Nam et hoc fictum esse credit. C.—Hic versus plane est delendus, uti Faerno videtur, qui fictus est ex ii. 3. 9. Nam in contextu Vaticani tantum est prima dictio *Erravi;* et in Bemb. plane abest. Deinde sensus et orationis series repugnat. Nam Menedemus suum errorem demum versu 16. agnoscit. Igitur quicquid præcedit, pertinet ad dissensionem senum, utrius adolescentis sit amica Bacchis. B.

12. *Nempe hæc, quæ apud te*] Ut facile docere possit senem, non vere ad nuptias

Amica. MEN. Ita aiunt. CH. Et tu credis? MEN. Omnia.
CH. Et illum aiunt velle uxorem, ut, quum desponderim,
Des, qui aurum, ac vestem, atque alia, quæ opus sunt, comparet.
MEN. Id est profecto: id amicæ dabitur. CH. Scilicet
Daturum. MEN. Vah! frustra sum igitur gavisus miser!
Quidvis tamen jam malo, quam hunc amittere.
Quid nunc renunciem abs te responsum, Chreme?
Ne sentiat me sensisse, atque ægre ferat.
CH. Ægre! nimium illi, Menedeme, indulges! MEN. Sine:
Inceptum'st: perfice hoc mihi perpetuo, Chreme.
CH. Dic convenisse; egisse te de nuptiis.
MEN. Dicam: quid deinde? CH. Me facturum esse omnia:
Generum placere: postremo etiam, si voles,
Desponsam quoque esse dicito. MEN. Em, istuc volueram.

peti filiam suam, sed uti nuptiarum gratia adolescenti dari possit argentum, commemorat nempe, *Hæc quæ apud te est, Clitiphonis est amica:* uti ex his, quæ apud eam gesta sunt, sciat Menedemus esse fallaciam. E.—*Immo hæc*] Ms. R. *Et quidem:* deinde in vett. libb. ἀντὶ τοῦ *hæc*, legitur *isthæc*. L.—Sensus facile probat, quod Bentleius, præeunte Faerno, personarum rationem sic ordinat:—MEN. *Quid narras? Chreme? Immo hæc quidem quæ apud me est, Clitiphonis est Amica.* CH. *Ita aiunt: et tu credis omnia: Et illam aiunt velle uxorem, ut quum desponderim, Des, qui, etc.* Z.

13. *Ita aiunt*] *Ita aiunt*, de re dicimus, quam volumus esse falsam. C.

14. Pro *illum* repone *illam:* ut supra, iv. 3. 25. *Illam te amare et velle uxorem.* B.

16. *Id est profecto*] Fingit se credere amico, quem fidum cognoverat. C.—*Id amicæ dabitur*] Vel confirmantis pronunciatione accipi potest, vel quasi cum affirmatione interrogantis [ut juste conclusum sit]. Nam interrogatio interdum ad negationem, interdum ad affirmationem dirigitur. E.—Pro *vah* lege *ah*, quod et versus poscit, et dolenti magis convenit. Deinde pro *daturum* repone *datum iri*, uti præcedens *dabitur* postulat. *Scilicet* autem cum infinitivo jungi, veteres magistri docent. B.

17. *Gavisus*] Bene de filio *gavisus* dixit, quia *gaudemus* propriis, *gratulamur* alienis. *Miser*] *Miser* est, cui animæ miseria est. C.—*Scilicet daturum*] Licet damnum intelligat senex, et deceptus de gaudio sit, tamen memor doloris pristini et calamitatis, omnia vult sustinere, quam id quod passus est, rursus pati. E.

18. *Amittere*] Pro *dimittere*, more antiquo. C.

19. *Quid nunc renunciem?*] Quid ergo vis renunciem filio abs te esse responsum, ne intelligat me hoc intellexisse, quod non vere nuptias petit? E.

21. *Ægre!*] Sic distingue, ut Chremes hanc vocem Menedemi subrideat: quippe quod filius non sit ulla in re timendus. *Indulges*] Nullum magis proprium verbum invenire potuisset de patre, qui omnia filio permittit. C.

22. *Inceptum*] Nam quod semel *inceptum est*, non potest facile omitti. C.

23. *Convenisse*] *Convenire* interdum significat *pacisci:* ut, *Conveni tecum pro denario diurno.* Interdum significat *alloqui:* ut, *Te convenire cupio*, i. e. alloqui. Interdum significat, *casu invenire:* ut Cicero ad Lentulum, Fam. i. 9. *Quem cum convenisset*, i. e. casu invenisset. Quandoque etiam significat, *placere, neque in controversia esse:* ut, *Hoc convenit inter nos*, i. e. de hoc nulla inter nos est controversia. Item dicere solemus, *de hoc negotio tandem convenit*, i. e. placuit deliberantibus, *ut res in crastinum differatur.* C.

26. *Desponsam*] Et hoc est quod Cliniæ magis placiturum est. *Hem!*] Modo interjectio lætantis: alias irascentis. C.—*Desponsam quoque esse*] Petitionis uxorum nomina hæc sunt. Nam primum *inventa* dicitur, deinde *pacta*, tertio *desponsata*, quarto *uxor*. Ita ut vicinum nomen jam petitionis ostenderet circa nuptias, dixit, *postremo desponsam quoque esse dicito*, hoc enim vicinum ad uxorem. Nam supra *pacta* dicitur: ut est apud Virgilium x. 722.—*et pactæ conjugis ostro.* Denique primo Menedemus, cum audisset Chremetem, *Dic convenisse, egisse te de nuptiis.* Quoniam conventæ nomen dixerat, quod longe est positum, quæsivit, *quid deinde?* quasi hoc parum est: et pervenit usque ad appellationem prope uxoris. E.

CH. Tanto ocius te ut poscat, et tu id quod cupis,
Quam ocissume ut des. MEN. Cupio. CH. Næ tu propediem,
Ut istam rem video, istius obsaturabere.
Sed ututi istæc sunt, cautim et paulatim dabis,
Si sapies. MEN. Faciam. CH. Abi intro: vide, quid postulet.
Ego domi ero, si quid me voles. ME. Sane volo:
Nam te scientem faciam, quicquid egero.

ACTUS QUINTI SCENA PRIMA.

MENEDEMUS. CHREMES.

EGO me non tam astutum, neque ita perspicacem esse, certo scio.
Sed hic adjutor meus, et monitor, et præmonstrator Chremes
Hoc mihi præstat. In me quidvis harum rerum convenit,
Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus:

27. *Tanto ocius*] Quia si acceperit filius desponsatam Antiphilam, quam primum exposcet argentum ad exornamenta coemenda. C.

28. *Næ*] Pro *valde*. Et hoc proprie Terentianum est. *Propediem*] Temporis adverbium, et significat *cito*. C.

29. *Obsaturabere*] Id est, nimiam de filio capies satietatem. Quod est corporis, ad animum transtulit. Et sic plus hoc verbo intulit, quam si invenisset proprium verbum. C.—*Istius obsaturabere*] Facile ejus fastidium habere poteris. E.

30. *Sed ututi*] V. C. *Sed hæc ista ut sunt.* L.—In Vatic. recte legitur. *Sed hæc ut ut sunt.* B.

31. *Postulent*] Tanquam jure: quia jure aliquid *postulamus*. C.—Male vulgo legitur *postulent*. B.

33. *Te sciente*] Recte *sciente*. Nam *sciens* est, qui alicujus judicio rem cognoscit. *Prudens*, qui intelligentia sua aliquid sentit. Ergo *sciens* est per alios. C.—*Nam te sciente faciam*] Faciam te sciente, hoc est, non te ignaro. E.—Alii habent *Nam te scientem faciam*. Quod non est præferendum. B.

1. *Ego me non tam astutum*] Quia jam ad exitum properat fabula, fallacia detegitur per Menedemum, et Cliniæ Antiphila desponsatur. Et est operæ pretium, videre senem, qui antea monebat, indigere admonitione. Et senes se multis ludibriis illudunt ultro citroque, eousque donec aperte loquens Menedemus ostendit, Bacchidem esse Clitiphonis amicam, non Cliniæ. *Ego me*] Ut insultat senex, dum alterius stultitiam et tarditatem ludibrio habet. *Non tam astutum*] Hæc jactationis cujusdam species est, fingere se non *astutum*, dum videt alterum stultiorem. C.—*Ego me non tam*] Hæc scena conjecturalem statum continet, quoniam argumentis collectum est, Clitiphonem amicam habere meretricem. Hoc ut probari possit, argumenta dicentur. Denique sic sumsit exordium a persona sua et Chremetis: *Ego me non tam astutum*: hoc est, acutum et perspectorem rerum. E.—*Ita perspicacem esse*] V. C. *tam persp.* in eodemque libro *esse* desideratur. L.—Pro *certo* Bentleius edidit *id*. Z.

2. *Adjutor*] Cum risu hæc pronunciandа: et *adjutor* proprie in re bona, *impulsor* in re mala. C.

3. *Hoc mihi præstat*] In hoc me antecedit. SET HIC. * ITAPAIT POCAOYETA'... ponis eum tractat (*Sed hoc παρὰ προσδοκίαν dictum est. Nam præponit sibi eum, trahit autem.* Cf. vers. 5. Z.) in se multa maledicta. E.—*Quidvis harum rerum*] V. C. *quod harum rerum vis.* L.

4. *Caudex, stipes*] Ista injuriose dicuntur in stultum et hebetioris ingenii hominem, quemadmodum ignavum, *lapidem* appellamus. Quamvis tamen idem sit: sed non plus est. C.—*Caudex, stipes, etc.*] *Caudex* est truncus arboris, conversa O in AU, fit pro *codex caudex*, sicut pro *cote cautis*. *Stipes* similiter est truncus cujuslibet ligni, et declinatur *stipes stipitis*. *Stipes* vero *stipis* est præbenda militum. Hæc singula pronunciandа sunt per ὑστερίσμὸν, ut stulti vis exprimi possit. E.—

In illum nihil potest: exsuperat ejus stultitia hæc omnia.
CH. Ohe, jam desine deos uxor gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam: nisi illos ex tuo ingenio judicas,
Ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum est centies.
Sed interim quid illic jam dudum gnatus cessat cum Syro?
ME. Quos ais homines, Chremes, cessare? CH. Ehem, Menedeme, advenis?
Dic mihi, Cliniæ, quæ dixi, nunciastine? MEN. Omnia.
CH. Quid ait? ME. Gaudere adeo cœpit, quasi qui cupiunt nuptias.
CH. Ha, ha, he. ME. Quid risisti? CH. Servi venere in mentem Syri
Calliditates. ME. Itane? CH. Voltus quoque hominum fingit scelus.
ME. Gnatus quod se assimulat lætum, id dicis? CH. Id. ME. Idem istuc mihi
Venit in mentem. CH. Veterator. ME. Magis, si magis noris, putes
Ita rem esse. CH. Ain' tu? ME. Quin tu ausculta. CH. Mane, hoc prius scire expeto,

Pro *dicta* repone *dictæ*: quæ lectio postulatur a præcedente *rerum*, et confirmatur duobus codd. antiquis. B.

5. *In illum nihil*] Hoc est quod supra dixi, contra opinionem dictum: nam adjecit, *exsuperat stultitia ejus hæc omnia*. E.

6. *Ohe!*] Interjectio est, satietatem usque ad fastidium designans. *Obtundere*] *Obtundit*, qui sæpe repetendo aliquid dicit. *Obtundere*] Est translatio a fabris, qui sæpe repetunt tundendo aliquid malleo, et idem *obtundunt* et hebetant. C.

9. *Cessat cum Syro?*] Bene *cessat*, tanquam desidiosus. Nam *cessant* desidiosi, *requiescunt* defessi. C.

10. *Quos ais homines*] Hic Menedemus incipit alloqui Chremetem, ut faciem detegat. *Ehem! Menedeme, advenis?*] Sic tanquam exspectatus: et adventus proprie exspectatorum necessariorumque dicitur. Et *hem* est particula ostendens gaudium de adventu. C.—Ex uno Acad. abest *Chremes*: in altero regio additum est *per tempus*. Repone, *Quos ais homines cessare?* CH. *Ehem, per tempus, Menedeme, advenis*. And. iv. 4. 44. *per tempus advenis*. B.

12. *Quasi qui cupiunt*] In Andria, *Ita tum discedo ab eo, ut qui se neget filiam daturum*. C.—Veterrimi ex nostris *adeo occepi*. B.

13. *Ha, ha, he!*] Vox nimii cachinni, et accommodata Chremeti, qui credebat Menedemum decipi in filio, et assimulate illum petere uxorem. C.

14. *Itane?*] Sic lege, ut quasi eludat Chremetem: qui passus est, se a servo decipi. *Fingit*] Format: si tristes sunt, lætos reddit. *Fingere* proprie est figuli, qui formas ducit ex luto. C.—*Voltus quoque hominem*] Adhuc perseverat Chremes, ut credat a Syro ad Menedemum (vel adde *fallendum*, vel *ad* muta in *adversus* Z.) compositam esse fallaciam, ita ut et vultus hominem sceleratissimum fingat. E.

15. *Sed assimulat*] Refertur ad id, *Voltus hominum fingit*. C.

16. *Venit in mentem*] Sic dicit, quia scit ab illo deceptum Chremetem. *Veterator!*] Vetus est in astutia. C.—*Si magis noris, putes*] Hic jam aperit veritatem Menedemus. Magis qualis sit Syrus, intelligas, si magis quæ fecerit cognoscas. E.

17. *Ita rem esse*] Vultuose pronunciandum. Quod si Chremes sciret se a Syro deceptum, vere illum *veteratorem* appellaret. *Mane*] Deceptus Chremes aliter percipit verba Menedemi, quam ipse loquatur, et ab illo imprudens eluditur. C. —*Mane, hoc prius*] Cum narrare vellet Menedemus, ut crederet Syrum adversus Chremetem potius insidias tetendisse, intercedit et dicit, quidnam perdiderit, quod negatum a Menedemo est. Unde se mi-

Quid perdideris: nam ubi desponsam nunciasti filio;
Continuo injecisse verba tibi Dromonem scilicet,
Sponsæ vestem, aurum, atque ancillas opus esse; argentum ut dares.
ME. Non. CH. Quid non? ME. Non, inquam. CH. Neque ipse gnatus? ME. Nihil prorsus, Chreme.
Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiæ.
CH. Mira narras: quid Syrus meus? ne is quidem quicquam? ME. Nihil.
CH. Quamobrem? ME. Nescio: equidem miror, qui alia tam plane scias.
Sed ille tuum quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paululum quidem suboleat esse amicam hanc Cliniæ.
CH. Quid ais? ME. Mitto jam osculari atque amplexari: id nil puto.
CH. Quid est, quod amplius simuletur? ME. Vah! CH. Quid est? ME. Audi modo:
Est mihi in ultimis conclave in ædibus quoddam retro:

rari vehementer dicit, quod hæc non fuerit suspicatus. E.—Ne versus claudicet, lege *manedum*, quod sæpe apud Plautum occurrit. B.

18. *Desponsam nunciasti*] V. C. *desponsatam*. L.

20. Versus causa repone, *Spónsaë aurum, vêstem, ancillas, ópus esse, argentum, etc.* Certe *atque* abest ab omnibus nostris vett. B.

21. *Non.*] Ridicula negatio. Illa vero Virgiliana amara, Ecl. iii. 2. *Non: verum Ægonis. Quid? Non?*] Cum admiratione repetit *non*. C.—Pro *Quid* lege *Qui*. B.

22. *Hodie conficerentur nuptiæ*] Incipiet paulatim detegi fallacia. Nam hoc signum est, Cliniam non falso velle Antiphilam. C.

23. *Ne is quidem quicquam?*] Ἀνακόλουθος admirantis. Hoc magis mirum videtur, quod nec Syrus verba injecerit, ad extorquendum argentum. C.

24. *Alia tam plane scias*] Pulchra ironia in eum, qui deceptus sit. C.—Nisi malis hic omnem sententiæ venerem exstingui, verbum *nescio* ipsi Chremeti tribue. B.

25. *Ille tuus quoque Syrus*] Quem tantum *veteratorem* putas. *Finxit filium*] Refertur ad id quod Chremes supra dixit, *Voltus quoque hominum fingit scelus*. C.—*Sed ille tuum quoque*] Hic jam prorumpit in narrationem. *Ille*, inquit, *Syrus mire tuum finxit filium*, ut amicam ejus tu Bacchidem suspicari non possis. Hæc argumenta colligit a factis: *mitto jam osculari et amplexari*. Deinde a loco, quod *in ultimis ædibus retro conclave* positum sit, quo eis *introlatus est lectus*: utique dicessio hæc longe a conspectu multorum posita, ideo sumta conspicitur, ut magis facinus celaret. Deinde quod ingressi sunt *solus Clitipho et sola Bacchis*. Hæc dicens a præcedentibus argumentatur, quid consecutum sit, scilicet concubitus. Unde quia rem conjecturaliter collegerat, addit, *operuere ostium*, et, *Clinia hæc fieri videbat?* Fieri enim non potest, ut si amica Cliniæ esset meretrix, ipso præsente cum altero adolescente concluderetur. Qua re probata Chremes vehementer exclamat, memor cœnæ datæ, *Decem dierum vix mihi est familia*. Ut dicat, haud esse, unde familiam sustentet. E.

26. *Suboleat*] Tractum a sensu odorandi. Et *sub* ibi minuit, i. e. ut nec etiam paux-illum appareat, vel paululum sentiatur, id scilicet quod sequitur. C.—Recte veterrimus noster *subolat*, uti Faernus habet. Alter *subolet*. Cæteri *suboleat*. B.

27. *Quid ais?*] Nonnunquam perturbati intercessoris est dicere, *quid ais?* sed hoc loco metuentis est, non interrogantis. *Mitto jam osculari*] Color rhetoricus. *Osculari*] Hæc est quarta amoris linea. Nam sunt quinque: prima *visus*, secunda *colloquii*, tertia *tactus*, quarta *osculi*, quinta *coitus*. *Id nihil puto*] Sic dicimus quando habemus aliquid majus ad confirmandum. Ita dicit: Nil puto *osculari* et *amplexari*, in comparatione ad illud quod sequitur. C.

29. *Conclave*] In Eunucho, *virgo in con-*

Huc est intro latus lectus; vestimentis stratus est.
CH. Quid postquam hoc est factum? ME. Dictum factum: huc abiit Clitipho.
CH. Solus? ME. Solus. CH. Timeo! ME. Bacchis consecuta'st ilico.
CH. Sola? ME. Sola. CH. Perii! ME. Ubi abiere intro, operuere ostium. CH. Hem!
Clinia hæc fieri videbat? ME. Quidni? mecum una simul.
CH. Fili est amica Bacchis, Menedeme: occidi!
ME. Quamobrem? CH. Decem dierum vix mihi est familia.
ME. Quid? istuc times, quod ille operam amico dat suo?
CH. Immo quod amicæ. ME. Si dat. CH. An dubium id tibi est?
Quemquamne animo tam communi esse aut leni putas,
Qui se videntem amicam patiatur suam?
ME. Quidni? quo verba facilius dentur mihi.

clavi sedet. Est autem *conclave*, separatior locus in interioribus tectis: vel quod intra eum loca multa et cubilia clausa sint adhærentia triclinio: Et est neutrum. Festus autem ait, *conclavia* dici loca, *quæ una clave clauduntur.* Cicero autem in de Oratore, ii. 86. cepit *conclave* pro *triclinio*, in quo epulabantur convivæ, loquens de Simonide, qui quum esset evocatus a duobus juvenibus ad januam, interea *conclave*, inquit, *quo epulabatur Scopas, super convivas corruit.* Valerius, i. 8. 7. in Extern. autem vocat illum locum *triclinium*, cum de eodem Simonide faceret mentionem, in capite de Miraculis. C.—Versus causa præfer lectionem *Est mihi ultimis.* B.

31. *Dictum ac factum*] I. e. æque cito factum est hoc, ac dictum. Et hoc sermone celeritas facti indicatur. Vel intellige quod vulgo dici solet, statim dictum, statim factum. Illud autem dicendi genus, *dictum ac factum* vim habet cujusdam aut adverbii, aut interjectionis, quod quidem sumtum est a communi loquendi modo; neque adhiberi debet verbum, quoniam eo addito vim suam perdere videtur. Melius est igitur, ut pro adverbio aut interjectione sumatur; ut, *me miserum! proh Deum atque hominum fidem! malum!* et alia multa. C.

33. *Sola*] Hoc magnum argumentum quintæ lineæ, quod *sola cum solo* fuerit. *Operuêre ostium*] Ab obstando: sicut *aperio* significat recludo, sic *operio* interdum significat claudo, uti hic. C.

34. *Quidni?*] *Quid nisi? una simul*] Idem fere signant; sed hic ponitur altera earum particularum ad ornatum, ut sonorior reddatur oratio. C.

36. *Familia*] Hoc loco pro *re familiari* ponitur. Unde in judicium venit de lite familiæ herciscundæ, i. e. hereditatis. Cicero in lib. de Oratore, i. 56. *idem herciscundæ familiæ causam agere non possit.* C.

37. *Operam dat*] Facete dictum a sene. C.—*Quid? istuc times*] Inscitia se rem probatam habere Menedemus illudit faceta satis urbanitate. E.

38. *Si dat*] Suspendendum, et est ἀλλεψις, quasi dicat, nescio. *Dubium id tibi est?*] Jam credit Chremes se esse deceptum. C.

39. *Communi et leni*] Quod si *comi*, intellige *comi* pro benigno et mansueto; nam *comes* homines dicuntur, qui errantibus viam ostendunt benigne ac non gravate. C.—*Animo tam communi*] *Communis* ut Græcis κοινός. Theogn. ἔστω κοινὸς ἅπας ὁ βίος, καὶ δημόφρονα πάντα. Petrus Chrysol. Serm. 164. *quia pauper, communis est semper, patet omnibus.* L.—Repone, *Quemquámne tam animo cómi esse et leni putas.* Faernus recte repudiat *communi*, non modo ob sensum, sed etiam ob quosdam libros: in quibusdam enim *comi* reperiatur, in aliis sit scriptum *cõi*, ut adeo pro *communi* et *comi* possit accipi. Deinde pro *aut* omnes fere nostri, *et.* B.

40. *Amicam patiatur suam?*] Subaudi, *subagitari.* Et est honesta ἀλλεψις in re turpi. Virg. Ecl. iii. 8. *Novimus et qui te.* C.

41. *Quid ni?*] Pro, *cur non.* Et hæc verba proprie sunt deridentis. C.—*Ut facilius mihi verba dentur*] Hæc facta sunt. E.—*Ah, ah, eh*, quod in libris quibusdam extat, abest recte a melioribus. Nam risus non videtur locum habere. B.

CH. Derides? merito mihi nunc ego succenseo.
Quot res dedere, ubi possem persentiscere,
Nisi essem lapis? quæ vidi! væ misero mihi!
At ne illud haud inultum, si vivo, ferent:
Nam jam. ME. Non tu te cohibes? non te respicis?
Non tibi ego exempli satis sum? CH. Præ iracundia,
Menedeme, non sum apud me. ME. Tene istuc loqui?
Nonne id flagitium'st, te aliis consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse auxiliarier?
CH. Quid faciam? ME. Id quod me fecisse aiebas parum:
Fac te patrem esse sentiat: fac ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere et poscere;
Ne quam aliam quærat copiam, ac te deserat.
CH. Immo abeat multo malo quovis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.
Nam si illi pergo suppeditare sumtibus,

42. *Merito mihi nunc ego succenseo*] Hic jam ab argumentis, quæ a Menedemo dicta sunt, alia colligit Chremes de præterito, quod *illum in sinum meretricis viderit manum inserere*. E.—Lege et distingue, *Derides? merito*. Ut *mihi nunc ego succénseo*. Sic infra v. 4. 20. B.

44. *Ni essem lapis?*] Superius, *nam exsuperat ejus stultitia hæc omnia*. Et plus est quam *caudex, stipes, asinus*. C.—Versum postulat, *Nisi si essem lápis*. B.

46. *Nam jam!*] Ἀποσιώπησις: h. e. ex hoc tempore exheredabo eum, aut aliquid tale. Virgil. Æn. i. 135. *Quos ego!* C.—*Nam jam*] Affectio est illa irascentis, de qua sæpe diximus. Ut quod ait Virgilius, Æn. i. 135. *Quos ego!* E.

47. *Non ego tibi exempli*] Παράδειγμα est, ad deterrendum dictum. E.

48. *Tene istuc loqui?*] Virgilius, Æn. i. 37. *Mene incepto desistere victam*. C.

49. *Aliis consilium dare*] Hinc illud Servii Sulpitii ad Cicer. Fam. iv. 5. *Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, et eum, qui aliis consueveris præcipere, et dare consilium*. C.—*Nonne id flagitium'st*] Fr. Pith. *Nonne istud fl.* L.

50. *Foris sapere, tibi non*] Menander: Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. L. —Codd. nostri omnes habent, quod versus postulat, *non posse* te *auxiliarier*. B.

51. Lege, *Id quod tu mé fecisse aibás parum*. Certe unus ex Meadinis habet *tu*. B.

52. *Fac te patrem*] Comœdiarum vice versa sunt omnia. Nam ille qui accipiebat ante consilium, nunc dare cœpit. Mores enim per comœdiam expressit, et qualis humana hominum vita declaratur. E.—Repone, *Fac té esse pátrem ut séntiat: fac, etc.* Ita *pátrem* est in ictu. Certe *esse patrem* est in cod. Acad. et edd. vett. et, *ut*, habet cod. vet. B.

54. *Copiam*] Facere *copiam* sui quasi se familiarem exhibere, et præsentiam suam non denegare. Interdum significat concedere facultatem. Fac ergo, ne quærat aliam facultatem. C.

55. *Immo abeat*] Hoc terribiliter pronunciandum: et verba proprie rigidi et asperi patria. *Quovis gentium*] *Gentium*, in fine superflua adjunctio: sicut *interea loci*. Dat tamen quandam αἴξησιν pronuncianti. C.—Alii codd. pro *multo* habent *potius*, quod præferendum videtur. B.

56. *Flagitium*] *Facinus. Flagitium* more militari dicitur, res *flagitatione*, hoc est, increpatione digna. Nam *flagitare* est personare, inde *flamma* et *flagella*, quod hæc non sint sine sonitu et crepitu. C. —*Quam hic per flagitium*] Glossar. *Flagitium* ἀτύπημα, βία: signate, βία: nimirum ut βιάζεσθαι ἐπ' αἰσχροῦ; quo significatu hic *flagitium* intelligi potest. Inde *flagitare*. Apul. Metam. ix. *nudatum supinatumque in ventrem execrandis uredinibus flagitabant*. Cato apud Festum, *Intercutibus stupris flagitatus*, et *flagitatores*. Calpurn. Declam. 20. *Improbi flagitatores, qui detrimenta pueritiæ suæ mutuo dedecore compensant*. Et *flagitiosus coitus* apud Firmicum: quamvis hæc de puerorum amoribus rectius dicantur. L.

57. *Si pergam*] *Perseverem*: alias *pergere* est ire. Multi codices habent *sumtibus*, quod non multum placet, nisi sic dicas: *si pergam suppeditare illi filio*, i. e.

Menedeme, mihi illæc vero ad rastros res redit.
ME. Quot incommoditates in hac re accipies, nisi caves!
Difficilem ostendes te esse, et ignosces tamen
Post; et id ingratum. CH. Ah nescis, quam doleam. ME. Ut lubet.
Quid hoc, quod volo, ut illa nubat nostro? nisi quid est
Quod mavis. CH. Immo et gener, et affines placent.
ME. Quid dotis dicam te dixisse filio?
Quid obticuisti? CH. Dotis? ME. Ita dico. CH. Ah! ME. Chreme,
Ne quid vereare, si minus: nil nos dos movet.
CH. Duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis;
Sed ita dictu opus est, si me vis salvom esse, rem, et filium,
Me mea omnia bona doti dixisse illi. ME. Quam rem agis?
CH. Id mirari te simulato, et illum hoc rogitato simul,

inservire, indulgere illi sumtibus dandis. Vel *sumtibus*, i. e. per sumtus. C.—Duo recte pro *illi* habent *illius*. Sic *ejus sumtus*, iii. 1. 44. B.

58. *Vere ad rastros*] Quasi dicat, *Id quod tu, Menedeme, absentia filii exercebas, hoc est, rem rusticam, id ego inopia facere cogar.* C.—*Ad rastros res*] Ad rastros sum non dolore, sed paupertate rediturus. E.—Cum *res redit* absolute dici soleat, pro *illæc* scribe *illic*, quod in cod. Regio a prima manu fuit. Dein pro *vero* omnes nostri recte, *vere*. B.

59. *Quot incommoditates*] Satis comice dixit: nam hoc nomen, leve quiddam significat: ut in Eunucho, *Immo enim vero infeliciter. Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno. Capies*] Alibi *inimicitias caperem. Capere* proprie dicimus, cum id quod in nobis est, assumimus. Unde *capere* pro eligere ponitur. C.—*Quot incommoditates*] Ms. R. et V. C. *Quot incommoda tibi in hac re capies*. L.—Ut metro consulatur, repone, *Quod incommodi tibi in hac re, etc.* Certe *quod* est in Bemb. et Meadiano. B.

60. Pro vulgari *ostendis* recte Bemb. Victor. et unus e nostris habent *ostendes*. B.

61. *Et id ingratum*] V. C. *et id erit ingratum*. L.

62. *Quid hoc, quod volo*] Convertit Menedemus sermonem ad conjugium faciendum Cliniæ et Antiphilæ. *Nisi quid est*] Honeste petit, quod officium est probi et honesti viri, q. d. Honeste peto, nolens impedire, quin alteri tradas, si videas, te melius filiæ tuæ consulturum. C.—Pro *rogo* nostri codd. *volo*. B.

63. *Et affines*] Uxoris, *cognati* sunt: *affines*, mariti. Unde multi gradus sunt, et veluti rami propinquitatis, in *affinitate* et *cognatione* dispositi. C.—*Quod mavis*] V. C. *Quod malis*. L.

64. *Quid dotis dicam te dixisse*] Proprium juris est verbum, cum dicitur dos, quod exprimitur, *quid obticuisti?* Postea quam dos petita est, Chremes diu deliberavit consilium quærens, non quo summam quæreret dotis, * (adde, *sed quo filium dotis nomine terreret et corrigeret* Z.) quod intelligi datur ex sequentibus. Compromissa dote adjungit, *si me vis salvum*: aliter enim filium corrigi non posse credit, nisi dotis nomine omnia bona filiæ promisisse videatur, unde crederet filius exheredem se. Denique *id*, inquit, *mirari te simulato*, ut ad ejus notitiam veniat. Quam quidem rem cum intellexisset (*quæsivisset* Z.) Menedemus, explanat, se idcirco promisisse, ut *animum* adolescentis *luxuria et lascivia diffluentem inopia retunderet*, et ad integram frugem necessitate revocaret. E.—In editione Bentleii pro *filio* est *filiæ*, quod operis tribuendum esse censeo. Z.

65. *Quid obticuisti?*] Sic dixit, quasi puderet Chremetem dicere, quod parva dos videretur: nam *tacemus* consilia: *reticemus* dolores: *obticemus* quorum nos pudet. C.

67. *Pro re nostra*] Facete *rem suam* extenuat. C.

68. Lege meliore numero, *Sed ita dictu est opus, si me vis salvom esse et rem et filium*. B.

69. *Quam rem agis?*] Hoc est quasi perturbati intercessoris. C.

70. *Illum rogitato*] Pulchra admonitio, ut perterrefaciat filium. C.

Quamobrem id faciam. ME. Quin ego vero, quamobrem id facias, nescio.
CH. Egone? ut ejus animum, qui nunc luxuria et lascivia
Diffluit, retundam; redigam, ut quo se vortat, nesciat.
ME. Quid agis? CH. Mitte; sine me in hac re gerere mihi morem. ME. Sino,
Itane vis? CH. Ita. ME. Fiat. CH. Age jam, uxorem ut arcessat, paret.
Hic ita, ut liberos est æquom, dictis confutabitur.
Sed Syrum. ME. Quid eum? CH. Egone? si vivo, adeo exornatum dabo,
Adeo depexum, ut dum vivat, meminerit semper mei:
Qui sibi me pro ridiculo ac delectamento putat.
Non, ita me Di ament, auderet hæc facere viduæ mulieri,
Quæ in me fecit.

ACTUS QUINTI SCENA II.

CLITIPHO. MENEDEMUS. CHREMES. SYRUS.

ITANE tandem quæso, Menedeme, ut pater

72. *Luxuria*] *Luxuria* a *luxu*, i. e. superfluitate derivatur. *Lascivia* autem designat quandam petulantiam et importunitatem, exsultando et delectando in sua turpitudine. Hæc tamen differentia non observatur; sed indifferenter illis duobus utimur pro eodem significatu. C.

73. *Diffluit*] Persius, Sat. iii. 20. *diffluis amens.* C.

74. *Quid ais?*] *Ais* dicimus de iis, qui vana loquuntur. C.—Omnes nostri, *Mitte, ac sine:* quo versus fit numerosior. B.

75. *Fiat*] Concessio irati adversus pertinacem. C.—*Arcessat, paret*] V. C. *præparet.* L.—Bemb. habet recte *Ac jam*, pro vulgari *Age jam.* B.

76. *Dictis*] Quia liberi *verbis* objurgandi sunt: servi vero *verberibus* puniendi. C.—*Dictis confutabitur*] Solis sermonibus male tractabitur. E.

77. *Sed Syrum!*] Ἀνοσιώτησις, scilicet *pœnam. Quid eum?*] Scilicet punies: modus interrogandi. *Si vivo*] Subjungit affirmationem. C.—*Sed Syrum!*] Cum utique majora tormenta servo minatus sit, irascentis more, quod esset facturus, exprimere non potuit. *Adeo exornatum*] Id est, comtum, per εἰρωνείαν. E.—Versus inprimis gratia repone, *Sed Syrum.* ME. *Quid eum? 'Ego, si vivo, eum adeo exorn., etc.* B.

78. *Adeo depexum*] Hoc verniliter more senum iratorum lege, et intellige contrarium. C.—*Adeo depexum*] Hoc est, compositum pœnis et tormentis. E.—*Adeo depexum*] Non. Marcell. cap. 1. L.—Lege, *Adeo pexum, usque ut dum vivat, etc.* Tres codd. optimi habent *usque ut dum.* B.

79. Lege ex veterrimis nostris, *pro deridiculo:* quod et versus poscit, et Plautus Tacitusque usurparunt. B.

80. *Viduæ mulieri*] Bene personam abjectam delegit, quæ ludibrio habetur, et quia *mulier*, et quia viro orbata. C.—*Viduæ mulieri*] Facilis enim illusio est in eam, quæ et mulier et vidua est. E.—*Facere viduæ mulieri*] Quinctil. declam. 338. *Imbecilla res est femina; et affert infirmitati naturali non leve pondus, quod vidua est.* L.—Omnes libri rationi trochaici serviunt, *facere hæc viduæ.* B.

1. *Itane tandem*] Restat ad tranquillitatem rerum omnium, ut Clitipho, verbis patris perterritus, in viam redeat, et uxorem ducat. *Itane*] Sic incipit, ut qui se a patre abdicatum putet. *Tandem*] Hic expletiva conjunctio. Cicero, Catil. i. 1. *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* Alias ponitur pro *tamen:* ut, *In qua civitate tandem arbitrare te vivere?* Nonnunquam pro *saltem.* C.—*Itane tandem*] Ad satisfaciendum valet hæc scena, et veniam petit. E.—Omnes nostri recte, *quæso est.* B.

Tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi miser?
Volgo faciunt. ME. Scio tibi esse hoc gravius multo ac durius,
Cui fit: verum ego haud minus ægre patior: id qui nescio,
Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.
CL. Hic patrem adstare aiebas? ME. Eccum. CH. Quid me incusas, Clitipho?
Quicquid ego hujus feci, tibi prospexi et stultitiæ tuæ.
Ubi te vidi animo esse omisso, et suavia in præsentia
Quæ essent, prima habere, neque consulere in longitudinem:
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut hæc posses perdere.
Ubi cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare;
Abii ad proxumos, tibi qui erant: eis commisi et credidi.
Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium, Clitipho:
Victus, vestitus, quo in tectum te receptes. CL. Ei mihi!
CH. Satius est, quam te ipso herede hæc possidere Bacchidem.
SY. Disperii! scelestus quantas turbas concivi insciens!
CL. Emori cupio. CH. Prius quæso disce, quid sit vivere:

3. *Admisi*] Αἴτησις est: plus est *admittere*, quam *facere*. Alibi, *hæc te admittere indigna*. C.

4. *Vulgo id faciunt*] Ad purgationem peccati, si nihil aliud habemus, argumentum ab exemplo aliorum sumimus, qui idem factitaverunt. Sed multo magis valet, si ab exemplo omnium sumitur. C.—*Vulgo faciunt*] Quod meretrices omnes amant adolescentes. Et argumentatur: quia, quod omnibus licet, uni licet. E.

5. *Cui fit*] Quoniam id te propius tangit, sive tua magis refert. *Haud minus ægre*] Verum amicum agit Menedemus, qui æquum ex incommodo amici dolorem capit. C.—Distingue, *ægre patior. Id qui, nescio, nec rationem capio.* Nam *id qui* est cur faciat, nescio. B.

7. *Quid me incusas*] Bene *incusas*: quia filio major est pater. C.—*Quid me incusas*] Serv. Æn. lib. i. ad versum 410. L.

8. *Quicquid ego hujus feci*] *Hujus* absolute: ut per ἐλλειψιν desit *rei*. In Hecyra, *Ne quid sit hujus oro*. Alibi, *Nihil me istius facturum, pater. Ego hujus feci*] Semper gravis inceptio orationis, quæ exordium sumit a pronomine. C.—*Quicquid ego hujus*] Quicquid ego tale feci. E.—*Quicquid hujus feci*] Priscian. lib. xiv. L.

9. *Animo omisso*] *Negligenti*. Alibi, *At enim metuas ne ab re sint omissiores paullo. Et suavia quæ essent, prima habere*] Sallustius, Catil. 36. *Quæ prima mortales ducunt*. Et *prima* modo ad laudem, non ad ordinem pertinet. In Eunucho, *Nihil prius, neque fortius. Suavia in præsentia*] Voluptates licet *in præsentia* sint suaves, semper tamen secum junctam habent pœnitentiam. C.—*Et suavia in præsentia*] Ut tantum præsentia cogitares, neque de futuris curam gereres. E.

11. *Cepi rationem*] H. e. inveni modum. C.

12. *Primo, tibi non licuit per te mihi dare*] H. e. tu non permisisti, tuis moribus obsistentibus. Vel, Tui mores non postulaverunt, me dare tibi bona mea, *cui decuit*, i. e. justum fuit me dare bona mea, quia jure debebas mihi succedere, nisi obstitissent mores. C.—*Ubi decuit*] Quia primo tibi non licuit dare. Hoc enim optimum est parentibus, semper filiis bona tradere. Sed hoc cum mihi non licuerit, proximo tibi qui erat tradidi, hoc est leviro, qui sororem tuam ducit uxorem. E.

13. *Ad proximos*] Bene *ad proximos* ad quos spectat post filium hæreditas. C.

14. *Ibi tuæ stultitiæ sit præsidium*] Circa victum atque vestitum: et tectum habeas quo te recipias. E.

15. *Victus, vestitus*] Ostendit, quid sit illud præsidium stultitiæ. *Victus* alimonia ad vitam sustentandam; *vestitus* cultus sive ornatus ad tegendum corpus. *Receptes*] Alibi, *meum receptas filium*. Et frequentativo usus est, quod non raro, sed frequenter poterit se recipere. C.

18. *Vivere*] Cum virtute et ratione intelligas. C.—*Disce quid sit vivere*] Lac-

Ubi scies, si displicebit vita, tum istoc utitor.
SY. Here, licetne? CH. Loquere. SY. At tuto? CH. Loquere. SY. Quæ ista'st pravitas,
Quæve amentia est, quod peccavi ego, id obesse huic? CH. Ilicet.
Ne te admisce: nemo accusat, Syre, te; nec tu aram tibi,
Nec precatorem pararis. SY. Quid agis? CH. Nil succenseo,
Nec tibi, nec tibi: nec vos est æquom, quod facio, mihi.
SY. Abiit: vah, rogasse vellem. CL. Quid? SY. Unde mihi peterem cibum:
Ita nos alienavit: tibi jam esse ad sororem intelligo.
CL. Adeon' rem rediisse, ut periculum etiam fame mihi sit, Syre?

tant. lib. iii. cap. 18. *De vita quereris, quasi vixeris, aut unquam tibi ratio constiterit, cur omnino sis natus. Nonne igitur tibi verus ille et communis omnium pater Terentianum illud jure increpaverit?* Prius disce quid sit vivere. L.

19. *Vita*] Hoc loco *actus* et *mores*. In Phorm. *quem ego viderim in vita optimum*, id est, *in actu et moribus*. C.

20. *Quæ ista est pravitas?*] Derivatio criminis in se est. Et bene optimi servi fungitur officio. C.—*Quæ istæc est*] Servus iram domini in personam suam inclinare cupiens, ut adolescenti possit succurrere, interponit hæc verba. E.—Cum sequatur *amentia est*, quod omnium fere codd. fide comprobatur, pro *ista'st* lege *istæc*. B.

21. *Ilicet*] *Ilicet* semper finem rei significat, ut *actum est*. *Ilicet* per syncopen, quod significat *ire licet*. Sic judices de concilio dimittebantur, suprema dicta cum præco pronunciasset. *Ilicet* ergo increpatio est, quia interloquendo impedit Chremetem narrantem. C.

22. *Nec tu aram*] Præsidium. Miseri ad *aram*, ut tuti sint, confugere solent. Ovid. Trist. iv. 5. 2. *Unica præsidiis ara reperta meis*. C.—*Nec tu aram tibi*] Quæcunque de hoc ritu dici possunt, jam alibi notata. Plutarch. *περὶ δεισιδαιμ.* Ulpian. lib. xvii. §. 12. ff. de ædil. edict. Achill. Tatius, lib. viii. *καὶ τοῖς μὲν πονηροῖς αἱ τῶν ἱερῶν ἀσφάλειαι διδόασι καταφυγήν· ἐγὼ δὲ μηδὲν ἐδικήσας, ἱκέτης δὲ τῆς Ἀρτέμιδος γενόμενος, τύπτομαι παρ' αὐτῷ τῷ βωμῷ.* Cui non absimilis locus Plauti in Rudent. iii. 3. Euripid. in Andromacha: *Ἔχει γὰρ καταφυγήν, θὴρ μὲν πέτραν, Δοῦλοι δὲ βωμοὺς Θεῶν.* Hinc etiam *ἑδρίται οἱ οἰκέται, ἀπὸ τοῦ καταφεύγειν εἰς τὴν ἑστίαν*, Etymol. magnum. L.

23. *Neque precatorem pararis*] Alibi *ad precatorem abeam*. Et *precari* aliquando idem, quod *deprecari*, hoc est, a se crimen depellere. Hinc *deprecatio*. *Nihil succenseo*] *Succensere* is dicitur, qui cum amare debeat, læsus irascitur. C.—*Nec precatorem pararis*] Ne, inquit, ut adsolent servi, velis et tu habere precatorem, qui pro te roget. Vobis enim non irascor, cum multa feceritis: ita æquum est et mihi vos ne irascamini. Post iracundiam apta sententia est. E.—*Nec precatorem*] De precatore Plautus in Asinar. ii. 4. 9. *precator assiet, malam rem effugies nunquam*. Idem in Epid. v. 2. 21. *nil moror mihi precatorem*. Paulus I. C. in lib. xliii. §. 1. ff. de ædilit. edict. et alibi sæpe. L.

24. Nostri habent, *Nec tibi, nec huic*. Sed Erasmi et Faerni *Nec tibi, nec tibi* non videtur repudiandum: nempe vultu et nutu hæc aguntur: primo Syrum, dein filium intuetur; ut Plaut. Capt. ii. 3. 87. *et tua et tua ornatus reveniam ex sententia*. B.

25. *Abiit*] Quo facilius terreret, senex discessit. E.—Repone *Abiit? rogasse vellem*. CL. *Quid, Syre?* SY. *Unde mi peterem cibum?* B.

26. *Tibi jam esse ad sororem*] Ms. R. *Ita nos alienavit sibi: jam isse ad sororem, etc.* L.—Omnes fere nostri habent recte *abalienavit*, ut sint iambici. B.

27. *Ut periculum etiam fame mihi est, Syre?*] Quod est extremum miseriarum. Etiam *fame fames* apud antiquissimos in quinta declinatione nominum variabatur, ex quo potest esse genitivus casus: quia C. Cæsar in libro de Analogia, *hujus die* et *hujus specie* dicendum putat. Sallustius in Jugurtha, cap. 97. *Vix decima parte die reliqua*. Vel si septimus casus. C.—*Adeone rem*] Optimum equidem sensum ex necessitate collectum in dolore adolescens collocavit: quippe cum postremum omnium malorum fames sit. Denique (*Etenim* Z.) *Obscenamque famem, quæ prima pericula vito?* Æn. iii. 367. E.—Lege *periculum etiam a fame*; aut *periclum*

SY. Modo liceat vivere, est spes. CL. Quæ? SY. Nos esurituros satis.
CL. Irrides in re tanta, neque me quicquam consilio adjuvas?
SY. Immo et ibi nunc sum, et usque id egi dudum, dum loquitur pater:
Et, quantum ego intelligere possum. CL. Quid? SY. Non aberit longius.
CL. Quid id ergo? SY. Sic est, non esse horum te arbitror.
CL. Quid istuc, Syre?
Satin' sanus es? SY. Ego dicam, quod mihi in mentem est: tu dijudica.
Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio,
Quæ propior esset, te indulgebant, tibi dabant: nunc filia
Postquam est inventa vera, inventa est causa, qua te expellerent.
CL. Est verisimile. SY. An tu ob peccatum hoc, esse illum iratum putas?
CL. Non arbitror. SY. Nunc aliud specta: matres omnes filiis
In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria
Solent esse: id non fit. CL. Verum dicis: quid ergo nunc faciam, Syre?

fame, genitivo vetusto, ut *periclum mortis*. B.

28. *Esurituros satis*] Παρὰ προσδοκίαν quando aliter respondemus, quam exspectamus. C.

30. *Dudum id egi*] Scilicet ut adjutarem te consilio. C.

31. *Quid?*] Interrupit Syri sermonem Clitipho. *Non aberit*] Perficit, quod dicere inceperat, q. d. *pater, qui simulavit se abscedere et relinquere proximis sua omnia, non erit absens diu. Hæc enim est fictio, ut depellaris a domo paterna.* C.

32. *Non esse horum te arbitror*] Quasi cum ὀδιο *horum* dixit: et eo magis quod nec te filium dixit. C.—*Sic est*] Diu finxit, se nescio quid cogitare, servus: reperit tamen astute. Consulit uti dicat hunc adolescentem (*horum parentum se* Z.) filium non esse, et quærit argumenta, quod, antequam puella esset inventa, hunc diligebant: postea exheredatur. Adjicit et illud, cum matres semper pro filiis intervenire consueverint, nunc in iracundia non rogat mater. Compellit igitur adolescentem, uti parentes roget: aut enim precibus ad misericordiam commoturus est ambos, aut suos parentes facile cognoscet. Sed conventum ex posteriore oratione cognoscimus, cum dixit *satis recte*. Cum enim in periculo majore positus fuerit filius, tum facile parentibus potest movere pietatem, vel pacem ab iracundo patre suscipere. *Pacem* autem dixit veniam, ut Virgil. Æn. iv. 56. *pacemque per aras exquirunt:* id est, benevolentiam ac veniam. E.—Lege *Qui istuc*, ut sæpe alias; *cur, quamobrem istuc?* B.

33. Alii, *in mente est;* alii omittunt *est:* sed meliores libri *in mentem est*. Sic sæpe Plautus; et Noster Adel. iv. 1. 12. Cf. Gellium, i. 7. B.

34. *Dum istis fuisti solus*] Satis verisimilis ratio adolescenti imprudenti et parum provido: ideo statim subjicit: *Est verisimile*. C.

35. *Indulgebant*] Faciles erant, tibi permittentes multa, quæ volebas. C.—*Quæ propior*] V. C. *Quæ prior*. L.

36. A duobus nostris abest *vera;* in aliis sedem mutat; in uno deest *inventa*. Cur autem *filia vera*, cum falsam nunquam sustulerint? Repone, *Postquam est inventa, inventa vero est causa, qua, etc.* Amat Terentius verba sic duplicare: supra, i. 2. 32. et Hec. ii. 1. 45. B.

37. *Iratum putas?*] Bene *iratum*, ob peccatum. *Iratus* est, qui ex aliqua re lacessitus irascitur. *Iracundus*, ex parva vel nulla causa. C.—Lege, *peccatum hoc tám esse illum iratúm putas?* B.

38. *Matres omnes filiis*] Menander: Ἐστὶ δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός. Apul. Florid. 3. *servulus callidus, et amica illudens, et uxor inhibens, et mater indulgens.* L.

40. *Id non fit*] Mater tibi non est adjutrix: et hoc prope verisimilius. *Verum*

SY. Suspicionem istanc ex illis quære: rem profer palam:
Si non est verum, ad misericordiam ambos adduces cito;
Aut scibis cujus sis. CL. Recte suades: faciam. SY. Sat recte hoc mihi
In mentem venit: namque adolescens quam minima in spe situs erit,
Tam facillime patris pacem in leges conficiet suas.
Etiam haud scio, an uxorem ducat; ac Syro, nil gratiæ.
Quid hoc autem? senex exit foras: ego fugio: adhuc quod factum'st
Miror, continuo non jussisse abripi me: ad Menedemum hunc pergam.
Eum mihi precatorem paro: seni nostro fidei nihil habeo.

ACTUS QUINTI SCENA III.

SOSTRATA. CHREMES.

PROFECTO nisi caves tu homo, aliquid gnato conficies mali:

dicis] Prius autem dicebat, eum dixisse aliquid *verisimile*. C.

41. *Suspicionem istanc*] Quæ turbat tuam mentem, videlicet, an sis eorum filius, nec ne. C.—Excidit ex fine versus conjunctio *aut*, ut respondeat sequenti *aut*. B.

42. *Ad misericordiam*] Quia parentes veri filiis cito ignoscunt. C.

43. *Aut scibis cujus sis*] H. e. si est verum. B.

44. *Minima in spe situs erit*] Nam si non se esse filium crediderit, eo miserabilior videbitur patri: et citius ad misericordiam commovebit eum. *Situs*] Hic inflectitur *situs, a, um*, i. e. situatus, constitutus. C.—Faernus edidit, *nam quam adolescens maxime spe situs erit, Tam facillume patris, etc.* Guyetus correxit *spe citus*, i. e. motus, depulsus. Ego reponendum puto, *namque adolescens quam in minima spe situs erit, Tam* difficillume *patris pacem in leges conficiet suas*. Callidissimus enim servus, qui hoc consilio non minus rem suam, quam Clitiphonis agit, *Sat recte*, inquit, excogitavi; spem bonam adolescenti injeci se facile ex hoc malo emersurum; ne si animo plane dejecto sit, quidvis imperatum faciat: ille uxorem interveniat, ego crucem. Sic enim nunc perterrefactus uxorem capit, ille pacem sibi impetrat, ego pœnæ relinquor. B.

45. *Pacem in leges*] H. e. secundum eas leges et conditiones, quas dare patri voluerit in ea pace ineunda. Nam cum pax inter aliquos conficitur, lex aliqua aut conditio in ea facienda solet allegari, i. e. adhiberi. Sensus ergo illius orationis est: Filius componet pacem cum patre, suo arbitrio, et secundum eas leges et conditiones pacis, quas voluerit. C.

46. *An uxorem ducat*] Chremes discedens et patriam relinquens ducet uxorem scilicet Sostratam. *Ac Syro nil gratiæ*] Tu Clitipho ita tibi parentes reconciliabis; ego autem nil sum gratiæ apud illos habiturus, h. e. nullo modo potero illis gratus esse. C.—*Ac Syro nihil sit gratiæ*] Certus sum quod ex hoc consilio in gratiam est filius reversurus, ut fortasse etiam concedat veniam, et uxorem ducere compellat. E.—Pro *an* omnes nostri *anne*. Recte. B.

47. *Quid autem hoc?*] Hæc vox est timentis. C.

48. *Ad Menedemum hunc*] Ms. R. *hinc nunc ad Menedemum pergam*. L.—Lege, *Miror non jusse me abripi hinc: nunc ad Menedemum hunc pergam*. Nostri habent, *Miror non jussisse illico arripi me: hinc, etc.* B.

49. *Seni nostro fidei*] Non credam seni quasi ignoscenti, itaque Menedemum precatorem parabo. E.—Lege ex cod. Regio, *seni nostro nil fidei habeo*. B.

1. *Profecto nisi caves*] In hac scena continetur imago quædam dissidii inter virum et uxorem, qui natura morosi atque difficiles sunt. *Tu homo*] Cum contemtu et stomacho pronunciandum. Et dicit, *tu homo*, et postea subito mulierum natura

Idque adeo miror, quomodo
Tam ineptum quicquam tibi in mentem venire, mi vir, potuerit.
CH. Pergin' mulier odiosa esse? nullamne ego rem unquam in vita mea
Volui, quin tu in ea re mihi fueris advorsatrix, Sostrata?
At si rogitem jam, quid est quod peccem, aut quamobrem hoc faciam, nescias:
In qua re nunc tam confidenter restas, stulta? So. Ego nescio?
CH. Immo scis, potius quam quidem redeat ad integrum hæc eadem oratio.
So. Oh, iniquos es, qui me tacere de re tanta postules.
CH. Non postulo: jam loquere: nihilo minus ego hoc faciam tamen.
So. Facies? CH. Verum. So. Non vides quantum mali ex ea re excites?
Subditum se suspicatur. CH. Subditum! ain' tu? So. Certe inquam, mi vir.

redit ad lenitatem, discedente indignatione. C.—*Profecto nisi*] Coercet hic uxor maritum, quod exhæredationem filii velit errore. Ex illo consilio sexus jam continuo notatur, quasi morum vitium est (post *velim* interpunge, et cætera sic corrige, PERGIN' MULIER. *Illo nomine femineus sexus jam continuo notatur, et quasi morum convicium est* Z.); ut alibi: *Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas.* Aliud tamen est *mulierem* dicere per naturam, aliud per vitium (*convicium*). E.

3. *Ineptum quicquam*] Bene *ineptum*. Nam *ineptum* est, quod a quovis reprehenditur. *Venire in mentem*] *Venire in mentem* veteres non recordationis causa tantum, sed etiam recogitationis (*cogitationis*) considerationisque posuerunt. C.—Bentleius edidit, *quicquam tibi venire in mentem*. Z.

4. *Pergin' mulier*] Sic solent mariti uxoribus dicere, cum illæ adversantur. Et est energia senilis. Sensus igitur est: Pergin' mulieris partes exercere et officium, quæ semper vult loqui et marito repugnare. C.—Repone ex nostris fere omnibus, *Oh, pérgin mulier ésse? nullamne égo rem unquam in vitá mea Volui, quin tú in ea re mi advorsátrix fueris, Sóstrata?* Quanto acerbius est hoc, *mulier esse*, quam si addas *odiosa?* B.

6. *Quod peccem*] Notat mulierum imprudentiam et imperitiam, quæ ut plurimum ignorant quæ prava aut recta sunt. C. —*At si rogitem*] Quam stultus (*stulta* Z.) sis perspice. Quid faciam vides, cur faciam nescis, unde stulte resistis. E.—Lege *At si jam rógitem*. Præterea tolle plenam distinctionem post *nescias*: et noli seq. versum per interrogationem efferre. Deinde pro *hoc* ex nostris repone *id*, h. e. mihi in hac re adverseris. B.

7. *Tam confidenter*] Recte *confidenter*. Nam *confidentia* sæpius in malam, *fiducia* vero in bonam partem accipitur. Alibi, *O ingentem confidentiam! Nescio*] Sic lege, ut intelligas contrarium. C.—*Confidenter restas*] Plaut. *Etiam nunc restas, carnifex?* L.

8. *Hæc eadem oratio*] In Reg. exempl. τὸ *hæc* deest. L.—*Hæc* in nullo ex nostris est. Repone, *Immo scis potius quam quidem redit ad integrum eadem oratio.* Scias an nescias, perinde est. Ad integrum redit eadem oratio; sive scire te hoc dicam, sive nescire. Una eademque oratio est in re tua, *scire* et *nescire*. B.

9. *De re tanta*] Scilicet in periculo filii. C.—Illud *oh* præcedenti versui appone. B.

12. *Subditum se*] Id est, *suppositum*. Juvenalis Sat. vi. 602. *Transeo suppositos.* Mulieres, quæ parere non possunt, et ut placeant maritis, se gravidas fingunt, et aliquarum inopum mulierum filios supponunt, et pro suis edunt (*educunt*). *Ain' tu?*] Pro *aisne?* Et est percontativum verbum. C.—*Subditum se suspicatur*] Hic jam intelligendum, venisse adolescentem, et matri, hoc est, mitiori de parentibus, suam suspicionem indicasse. E.—Illud *subditum* in responso Chremetis recte vidit Faernus esse subditium, repugnante versu. Postrema ob codd. auctoritatem lege, *certe sic erit*. Cæterum T. Faber vult legi *suspicetur*, quia Sostrata nondum potuerit resciscere, Clitiphonem suspicari

CH. Confitere tuum non esse? So. Au! obsecro te, istud inimicis siet.
Egon' confitear meum non esse filium, qui sit meus?
CH. Quid? metuis ne non, quum velis, convincas esse illum tuum?
So. Quod filia est inventa? CH. Non: sed quod magis credendum siet,
Id quod est consimilis moribus,
Convinces facile ex te natum: nam tui similis est probe:
Nam illi nil vitii est relictum, quin sit et idem tibi.
Tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.
Sed ipse egreditur: quam severus! rem, quum videas, censeas.

ACTUS QUINTI SCENA IV.

CLITIPHO. SOSTRATA. CHREMES.

SI unquam ullum fuit tempus, mater, quum ego voluptati tibi
Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate: obsecro,
Ejus ut memineris, atque inopis nunc te miserescat mei;

se esse subditum, cum neque Syrum, qui id consilii dederit, neque filium convenerit. Meræ sunt nugæ et næniæ. Nam Clitipho, ubi supra 43. dicit, *Recte suades, faciam*, statim domum abiit, et matri in Gynæceo narravit, patre in alia parte ædium agente, dum Syrus solus secum sex sequentes versus loquitur. Igitur Clitipho primum domi matri rem aperuit, quam in seq. scena 4. repetit. Quare nec Sostrata ut in re nova est consternata, sed lente respondet, *Obsecro, mi gnate.* Deinde si legas *suspicetur*; si nemo indicaverit, efficitur, ut Sostrata vel ipsa dubitaverit, sitne verus filius, quod plane est ridiculum; vel omnium sagarum et divinarum anuum sit princeps et magistra. B.

13. *Ah!*] Obsecrantis. Modo blandientis et misericordiam moventis. *Inimicis siet*] Hæc imprecatio sic usurpatur ab Ovidio, ut illius propria sit. C.—*Tuum non esse*] V. C. *tuum non esse filium.* L.—Verba *tuum non esse* recte absunt a cod. Bemb. Illud quoque *te* recte omittitur a cod. vet. Contra omnes habent *istuc nostris inimicis siet.* B.

15. *Convinces*] Verbum judicii est. In judiciis *convicti* proprie dicuntur, qui causa ceciderunt. C.

16. *Quod filia est inventa?*] Exinde putas posse inveniri hunc esse filium meum, quod et inventa est filia? Hoc est, eodem pacto ut et hic noster, quemadmodum et illa inventa est, inveniri possit. E.—*Sed quod magis*] Ms. R. *sed quo magis.* L.—Nostri omnes *quo magis.* Recte. Deinde elegantia responsi ne pereat, dele *id.* B.

18. *Tui similis*] Nam plerumque filii consimiles sunt parentum moribus. Dicimus cum genitivo, cum morum similitudinem aut doctrinæ ostendimus: sed dicimus, *similes tibi*, cum dativo, cum qualitatem similem ostendere laboramus. C.—Bentl. post *te* inseruit, *esse.* Z.

19. Nostri omnes recte, *quin itidem sit tibi*, modo post *quin* inseras *id.* Cæterum pro obscuro *relictum* malo *innatum.* B.

21. *Quam severus!*] Nam facie ipsa videtur quandam probitatem ostendere: re vero, alius est. C.—*Rem, quum videas, censeas*] Cum videas, ex vultu mores ejus agnoscas. E.—*Rem, quum videas, censeas*] Cum hominem intus noveris, censeas severum esse. Sarcasmus: ut Plaut. Bacc. iv. 6. 14. B.

1. *Si unquam ullum fuit tempus*] Adhuc filius matrem sollicitam reddit, dum petit, ut parentes commonstret: et ex hoc facilius pervenitur ad tranquillitatem omnium rerum. C.—*Si unquam ullum*] Ad commovendam pietatem commemorat præteritos affectus, cui sic facilius possit ignosci. Ut, Æn. iv. 317. *Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam Dulce meum.*— E.

2. *Tua voluntate*] Quasi innuit illam de industria illum voluisse appellari filium. C.

3. *Miserescat*] Habemus *miseret, misereat*, et *miserescit, miserescat* in eadem sig-

Quod peto et volo, parentis meos ut commonstres mihi.
So. Obsecro, mi gnate, ne istuc in animum inducas tuum,
Alienum esse te. CL. Sum. So. Miseram me: hocine quæsisti, obsecro?
Ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque hoc natus es.
Et cave posthac, si me amas, unquam istuc verbum ex te audiam.
CH. At ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam.
CL. Quos? CH. Si scire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo,
Ganeo, damnosus: crede, et nostrum te esse credito.
CL. Non sunt hæc parentis dicta. CH. Non, si ex capite sis meo
Natus, item ut aiunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis

nificatione, ejusdem naturæ. Habemus etiam *misereseo is.* Virgil. Æn. ii. 145. *His lacrimis vitam damus, et* miserescimus *ultro.* C.

4. *Quod peto et volo*] *Peto*, inquit, quasi *precario.* Nam proprie aliquid *precario petere* dicimur. C.—*Quod peto et volo*] Priscian. lib. vii. L.

5. *Obsecro te, mi gnate*] Verba propria matris desperatæ. C.

6. *Sum*] Hæc vox simplex terribiliter pronunciat. *Miseram me!*] Per exclamationem præ dolore dicitur, q. d. *dico, verum est, me miseram esse*, quod dictum interjectionis vice fungitur. *Quæsisti?*] Excogitasti, seu somniasti, ut dici solet, ut mihi dolorem incuteres? Vel *quæsisti hoc?* i. e. investigasti et interrogasti hoc ab aliquibus, ne esses filius proprius, non supposititius? C.

7. *Huic sis superstes*] Mos jurandi antiquus parentum. Et bene inducitur mater mitior patre, et quæ *adjutrix sit in paterna injuria filio.* C.—Ne versus claudicet, ex duobus codd. repone *ut ex me atque* ex *hoc natus es.* B.

8. *Si me amas*] Hæc verba blandientis matris sunt, et quæ valde de filio sollicita sit. C.

9. *Si me metuis*] Matri dat verba suavia, patri vero aspera. Illa inquit, *si me amas:* hic, *si me metuis.* C.

10. *Quos?*] Supple, *mores dicis esse in me;* seu *me cavere, ne sint in me. Gerro, iners, fraus*] Hæc dicuntur in abjectissimum quemque et nullius pretii hominem. *Gerro*] *Gerro*, ut Servius dicit, a *gerendo:* unde *nugigerulus*, qui nugas gerit; vel ut Nonius et Festus, a *gerris.* Nam *gerræ* sunt nugæ et ineptiæ, sic dictæ, ut Festus refert, quod quum Athenienses Syracusas obsiderent, et crebro *gerras* poscerent, irridentes Siculi *gerras* clamitabant, quum *gerræ* prius dicerentur, ut idem Festus ait, crates viminææ. Propter illam irrisionem Siculorum factum est, ut *gerræ* pro nugis et contemtu dicantur. Hinc *congerro.* Plaut. in Persa, i. 3. 9. *Jam pol ille hic aderit, credo, congerro meus. Iners*] I. e. otiosus, ignavus, sine arte et industria vivendi, ut vult Servius. *Fraus*] Fraudulosus seu fraudulentus, seu culpabilis. Nam, ut inquit Ulpianus, *fraus est ipsa noxa*, i. e. culpa, et quasi quædam præparatio pœnæ. Interdum etiam pro *pœna* ponitur in jure, ut ait Servius. Item et *fraus* pro periculo poni invenitur; ut, *Erit illa res fraudi*, id est, periculo. Hoc Servius. Ponitur autem hic *fraus* pro fraudulento, ut alibi scelus pro scelesto. *Helluo*] *Vorax.* Catul. in Cæsarem, xxvii. 16. *An parum helluatus est?* Insatiabilis, inquit Servius, seu immoderate bona sua consumens, inquit Festus. Inde *helluor, aris*, i. e. effundere bona sua luxuriose ac immoderate. C.—*Gerro, iners*] *Gerro* est piscis nullius saporis vel momenti: aut *gerro* (*gerra:* vid. Cuper. Observ. i. 18. Z.) dicuntur machinamenta, quæ adversus civitates fiebant, magno impetu cum * dejicerent (*ut magno impetu muros dejicerent* Z.): eadem *gerras* appellabant. *Helluo*] Est invasor, et qui plurimum consumit. E.—*Fraus, helluo*] Ms. R. *helluo, glutto.* L.

11. *Ganeo*] Veteres *ganeum*, meretricum tabernam dixerunt, ἀπὸ τῆς γῆς, quod ipsa sit in terra. Hinc *ganeo* deducitur, qui meretrices sequitur. *Damnosus*] Recte hoc postremum cum superioribus convenit. *Damnosus*] I. e. damni quicquid tuis parentibus afferens: ut jam fecisti, extorquendo a me per servum decem minas Bacchidi. C.—*Ganeo*] Tabernis operam dans et conviviis turpioribus. E.

12. *Parentis*] Scilicet qui filium amet. *Non, si ex capite sis meo*] Hæc ingenti clamore pronuncianda: et sic ostendit Chremes filium non debere abjicere spem patris, etsi ab eo verba aspera audit. C.

13. *Aiunt*] Bene *aiunt*, de re fabulosa et ficta. C.

Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.
So. Di istæc prohibeant. CH. Deos nescio: ego quod potero, sedulo.
Quæris id quod habes, parentis: quod abest, non quæris, patri
Quomodo obsequare: et ut serves, quod labore invenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos? pudet
Dicere hac præsente verbum turpe: at te id nullo modo
Piguit facere. CL. Eheu, quam ego nunc totus displiceo mihi:
Quam pudet! neque quod principium inveniam ad placandum, scio.

ACTUS QUINTI SCENA V.

MENEDEMUS. CHREMES. CLITIPHO. SOSTRATA.

ENIMVERO Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum,
Nimisque inhumane: exeo ergo, ut pacem conciliem: optume
Ipsos video. CH. Ehem, Menedeme, cur non arcessi jubes
Filiam, et quod dotis dixi, firmas? So. Mi vir, te obsecro,
Ne facias. CL. Pater, obsecro ut mihi ignoscas. ME. Da veniam, Chreme:
Sine te exoret. CH. Egone mea bona ut dem Bacchidi dono sciens?

15. *Deos nescio*] Modus loquendi præsertim iratorum. *Enitar*] Ne infamis fiam. C.—Omnes libri habent *enitar sedulo*, præter Bembinum, ubi enitar abest. B.

16. *Quæris quod habes*] Scilicet parentes. *Quod abest non quæris*] Hoc est, quemadmodum patri obsequaris; et est compositum ex contrariis, quæ figura dicitur ἀντίθετον, vel πάρισον, id est, æquatio sententiæ. E.

17. *Invenerit*] Id est, *acquisiverit*. Alibi, *labore inventa mea cui dem bona*. C.—Bentleius omisit illud *ut*. Recte. Nam corrumpit elegantiam. Z.

18. *Adducere*] Ἀποσύνταξις honesta. Noluit dicere meretricem, præsente matre. C.—Pro *Non mihi*, quod turbat sensum, repone *Tes' mi*. B.

20. *Piguit facere*] V. C. *Puduit facere*. L.—Bemb. et alii aliquot, *Facere puduit*: tres ex nostris *Puduit facere*: cæteri *Piguit facere*. B.

21. *Principium inveniam*] Ms. R. *principium incipiam*. L.—Bemb. *incipiam*: at in Vat. et Basilic. *incapiam*. Forte leg. *captem*: ut captare occasionem, tempus, et alia. B.

1. *Enimvero Chremes*] Intervenit persona, cujus gratia pax concilietur: ita ut omnia tranquilla sint et composita, prout comœdiæ finis postulat. *Enimvero*] Hoc loquitur Menedemus solus apud se. *Enimvero*] Nonnunquam principium est aliquid per iram dicturi. C.—*Enimvero Chremes*] Procedit Menedemus, ut omnis persona in postrema parte præsens sit. Venia datur filio, ut cunctus error possit absolvi. Adhuc tamen perseverans Chremes convenit Menedemum, ut filiam ducat (adde *filius*, aut, *Clinia*. Z.). E.

3. *Hem*] Interjectio percipientis eum, quem volebat. *Arcessi*] Bene *arcessi*: quia proprie *arcessitur* uxor, dum ad virum ducitur. C.

4. *Mi vir*] Putat Sostrata, id quod erat fictum, esse verum, timebatque ne pater penitus exhæredaret filium, omnia tribuens filiæ. *Obsecro*] Nil significantius. Nam *orare*, est placidos petere. *Obsecrare* vero, iratos rogare. C.

5. *Ne facias*] Hæc timebat ne omnia bona illi traderet. C.—Bentl. omisit *ut*. Z.

6. *Sciens?*] Quod pejus esset, quam si nesciret. C.—Recte in Bemb. et in duobus nostris antiquis, *exorent*, uxor scilicet et filius. Tum ne versus justo longior sit, tolle illud *egone*. B.

Non faciam. ME. At id nos non sinemus. CL. Si me vivom vis, pater,
Ignosce. So. Age, Chremes mi. ME. Age quæso, ne tam offirma te, Chreme.
CH. Quid istic? video non licere, ut cœperam, hoc pertendere.
ME. Facis ut te decet. CH. Ea lege hoc adeo faciam; si facit
Quod ego hunc æquom censeo. CL. Pater, omnia faciam: impera.
CH. Uxorem ut ducas. CL. Pater. CH. Nihil audio. ME. Ad me recipio;
Faciet. CH. Nil etiam audio ipsum. CL. Perii. So. An dubitas, Clitipho?
CH. Immo, utrum volt. ME. Faciet omnia. So. Hæc dum incipias, gravia sunt,
Dumque ignores; ubi cognoris, facilia. CL. Faciam, pater.
So. Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,
Filiam Phanocratæ nostri. CL. Rufamne illam virginem,
Cæsiam, sparso ore, adunco naso? non possum, pater.
CH. Heia, ut elegans est! credas animum ibi esse. So. Aliam dabo.

7. *Si me vivum vis*] Hoc solo verbo poterat placare patrem. Nam pater filii vitam omnibus rebus anteponit. C.—Tres codd. optime non agnoscunt illud *id*. B.

8. *Ne tam obfirma te*] I. e. Noli te tam obstinatum ostendere. Ille enim dicitur se obfirmare in aliquo proposito, qui obstinate ac pertinaciter in illo perseverat, tanquam immobilis truncus. Et est translatio sumta a repagulo obfirmando. C.

9. *Pertendere*] In Eunucho: *Si incipies, neque pertendes gnaviter*. Alii legunt *perpendere*. C.

10. *Faciam; si facit*] Ms. R. *si id facit*. L.—Omnes nostri, *si id faciat*. Lege igitur, *si id facit*. B.

12. *Pater*] Tantum dicit hoc verbum, non statim volens dare responsum, tanquam prius deliberaturus. *Nihil audio*] Aversus et indignatus Chremes hæc dixit. *Ad me recipio*] Hoc dicendi genere sæpius Cicero utitur in suis epistolis, et præcipue commendatitiis. Interdum sumitur pro *promittere*. C.—*Ad me recipio*] Id est, ego facio (*faciam*) ut hic promittat. E.

14. *Immo, utrum volt*] Permissio patris ironica. C.—*Hæc dum incipias*] In exordio habent hæc semper difficultatem; ubi aggressus fueris, facilia fiunt. E.—*Dum incipias gravia*] Lactant. lib. vi. cap. 23. *Omnia gravia sunt, dum ignoras: ubi cognoveris, facilia*. L.

16. *Ego tibi illam*] Hic illudit, ut joco tristitia solvatur, cum promittit filiam nescio cujus, admodum fœdam. E.—Pro *illam*, nostri mendose *puellam*. B.

17. *Rufam*] *Rufus* color et *ruber* idem est. De rufo colore A. Gellius in secundo Noctium Atticarum, cap. 26. multa verba facit. C.—*Illam virginem*] V. C. *illam puellam*. L.

18. *Cæsiam*] Idem Gellius ibidem inquit: *Nostris autem Latinis veteribus cæsia dicta est, quæ a Græcis γλαυκῶπις dicitur, ut Nigidius ait, de colore cæli, quasi cælia*. Dantur cæsii oculi Minervæ, cœrulei Neptuno. *Sparso ore, adunco naso?*] Hæc duo nimiam arguunt deformitatem, et adjuvant Clitiphonem in recusatione. Indecens nasus vituperatur, sed magis in muliere. *Sparso ore*] I. e. Habentem os sparsum et latum seu extentum. *Non possum, pater*] Plus patrem commovit, quam si dixisset, *nolo*. C.—*Cæsiam*] Id est, oculis obtortis (forte *glaucis* Z.), vel cæsuras, id est, rugas habentem; aut lenticulosam. *Sparso ore*] Id est, dissoluto: aut *ore* dixit vultu, et significat *sparso*, asperso, quasi maculis quibusdam infecto vultu. E.—*Cæsiam, sparso ore*] Glossar. *Φάκοψις, Lentiginosus, sparso ore*. L.

19. *Elegans est!*] Hic ad formam refertur: sed sæpius ad orationem et ad verba.

Cl. Quid istic? quandoquidem ducenda est, egomet habeo propemodum
Quam volo. So. Nunc laudo, gnate. Cl. Archonidi hujus filiam.
So. Perplacet. Cl. Pater, hoc nunc restat. Ch. Quid? Cl. Syro ignoscas volo,
Quæ mea causa fecit. Ch. Fiat. Ω. Vos valete, et plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

Animum ibi esse] Verba apta ei; qui sibi multum tribuit. C.—*Ut elegans est!*] Id est, prudens in discernendis puellis: quia *ibi*, id est, in hac electione totus est. Quod vero subjunxit *Arconidis filiam*; aut Bacchidem dicit, aut aliam quamlibet, ad quam adolescens contumeliis patris appulerat animum. E.

20. Cum *Quid istic*, quod consentientis est, hic locum non habeat; amplectimur Bembini *Immo*. B.

21. *Archonidi hujus*] Priscian. lib. vi. L.—Priscianus p. 706. laudat *Archonidi filiam*; sed non habet *hujus*: hoc Bembino debemus. Nostri *Arconidis filiam*. B.

22. *Syro ut ignoscas*] Petit veniam etiam Syro, sed non omnium factorum, ne infinitum esset quod petere videtur. Et transfert in se crimen servi, dicens: *quod fecit, mea causa fecit*. E.

EXPLICIT CALPURNII BRIXIENSIS COMMENTARIUS IN HEAUTONTIMORUMENON.

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT. ADELPHOS.

Duos quum haberet Demea adolescentulos,
Dat Micioni fratri adoptandum Æschinum:
Sed Ctesiphonem retinet: hunc citharistriæ
Lepore captum, sub duro ac tristi patre,
Frater celebat Æschinus, famamque
Amoris in sese transferebat; denique
Fidicinam lenoni eripuit: vitiaverat
Idem Æschinus civem Atticam pauperculam,
Fidemque dederat, hanc sibi uxorem fore.
Demea jurgare, graviter ferre: mox tamen
Ut veritas patefacta est, ducit Æschinus
Vitiatam; potitur Ctesipho citharistriam.

In aliis editionibus, quas hic quoque sequitur Westerhovius, additur sub finem hic versus, *Exorato suo duro patre Demea.*

ÆLII DONATI, V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ, PRÆFATIO IN ADELPHOS TERENTII.

Hæc fabula palliata, ut ipsum indicat nomen, e plurali numero, quum sit una; et masculino genere, quum sit comœdia; et Græca lingua, quum sit Latina, censetur. Potuit eam Terentius *Fratres* dicere: sed et Græci nominis εὐφωνίαν perderet, et præterea togata videretur; ad summam, non statim intelligeretur *Menandri* esse; quod Terentius inprimis lectorem scire cupit; minus existumans laudis proprias scribere, quam Græcas transferre. Est igitur Menandri: et a Fratrum facto, quibus argumentum nititur, nomen accipit. Hujus tota actio quum sit mixta ex utroque genere, ut fere Terentianæ omnes, præter Heautontimorumenon, tamen majori ex parte motoria est: nam statarios locos perpaucos habet. Prodest autem et delectat actu et stilo. In hac primæ partes sunt, ut quidam putant, Demeæ; ut quidam, Syri. Quod si est, ut primas Syrus habeat: secundæ Demeæ erunt, tertiæ Micionis, et sic deinceps. Quanquam etiam sunt qui putent, primas Micioni dandas, secundas Syro, tertias Demeæ. Nam quod ait Terentius, *Senes qui primi venient*, non ad partes quas dicimus, sed ad ordinem pertinet exeuntium personarum. Hæc etiam, ut cætera hujuscemodi poemata, quinque actus habeat necesse est, choris divisos a Græcis poetis. Quos etsi retinendi causa jam inconditos spectatores minime distin-

guunt Latini comici, metuentes scilicet ne quis fastidiosus finito actu, velut admonitus abeundi, reliquæ comœdiæ fiat contemtor, et surgat: tamen a doctis veteribus discreti atque disjuncti sunt, ut mox aperiemus post argumenti narrationem. In hac prologus aliquanto lenior inducitur; qui magis etiam in se purgando, quam in adversariis lædendis est occupatus. *Protasis* est turbulenta, *Epitasis* clamosa, *Catastrophe* lenis. Quarum partium rationem diligentius in principio proposuimus, quum de comœdia quædam diceremus. Hæc sane acta est ludis scenicis funebribus L. Æmilii Pauli: agentibus L. Ambivio et L. Turpione; qui cum suis gregibus etiam tum personati agebant. Modulata est autem tibiis dextris, id est, Lydiis, ob seriam gravitatem, qua fere in omnibus comœdiis utitur hic poeta. Sæpe tamen, mutatis per scenam modis, cantica mutavit: quod significat titulus scenæ, habens subjectas personis literas, M. M. C. Item Diverbia ab histrionibus crebro pronunciata sunt, quæ significantur D. et M. literis secundum personarum nomina præscriptis, in eo loco ubi incipit scena. Annotandum sane, quod hæc fabula *προσωπεῖον πρόσωπον* non habet, hoc est, personam, quæ ad argumentum nihil attineat, quæque sit assumta extrinsecus, ut est in Andria Sosia. Hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam, etiam tum rudi nomine poetæ. Itaque sic pronunciatam, *Adelphos Terentii*, non *Terentii Adelphos:* quod adhuc magis de fabulæ nomine poeta, quam de poetæ nomine fabula commendabatur (Quæ de tempore hujus fabulæ et nomine dicuntur, nugæ sunt. Vide Petit. de Ord. Comœd. Terent. tom. i. p. 57. Z.). In hac quidem spectatur quid intersit inter rusticam et urbanam vitam; mitem et asperam; cœlibis et mariti; veri patris et per adoptionem facti. Quibus propositis ad exemplum, vitanda perinde fugiendaque Terentius monstrans, artificis poetæ per totam fabulam obtinet laudem.

ARGUMENTUM.

Ex duobus Atticis fratribus, alter quidem, Demea nomine, rus coluit, uxorem duxit, filios suscepit duos, Æschinum et Ctesiphonem. At alter, Micio nomine, uxorem non duxit, et filios procreare noluit: sed sibi filium fratris Æschinum adoptavit; atque ita indulgenter eduxit a parvulo, ut effuse luxuriatus adolescens, ad postremum civem Atticam virginem vitiaret, captus amore ejus: quo facto, et cum matre puellæ pepigit nuptias ejusdem, quam vitiavit. Quumque rem gestam ad patris, a quo adoptatus fuerat, conscientiam jam jamque perlaturus esset, precibus Ctesiphonis fratris sui, qui apud durum patrem atque agrestem Demeam parcius atque arctius haberetur, impulsus est, et ut eidem a lenone raperet meretricem: quo facto, multiplici errore completur fabula. Nam et Demea cum hoc ipso, id est, cum Micione litigabat, tanquam cum eo qui corruperit adolescentem adoptatum, in mores perditos, nesciens suum sibi filium Ctesiphonem esse corruptum, eluditurque a Syro et Micione per totam fabulam. Et mater puellæ jam decimo mense post raptum virginis, Æschinum credit sibi ipsi rapuisse meretricem: quæ perturbatio cito in tranquillum redacta est. Nam re comperta de vitio virginis, Micio dat civem Æschino quam concupiverat; ejusque matrem ipse accipit. Deprehenso vero Ctesiphone in amore meretricis, primo irascitur Demea: post lenitur, atque habendæ ejus meretricis licentiam præbet. *Primus actus* hæc continet, Micionis solius primo verba; et post, ejusdem et Demeæ jurgium. *Secundus actus* hæc continet, lenonis alteram rixam adversus Æschinum pro puella: ejusdem apud Syrum querelas: lætitiam Ctesiphonis: obsessionem amicæ: et ejusdem gratiarum actiones apud Æschinum. *Tertius actus* hæc continet, trepidationem matris Sostratæ et Cantharæ nutricis ob parturientem Pamphilam vitiatam ab Æschino: Getam nunciantem dominæ suæ per errorem, quod sibi rapuerit Æschinus meretricem: reditum in scenam Demeæ: ejusdemque cum Syro ludificante sermocinationem: interventum

Hegionis, cum querela apud eundem Demeam de facto Æschini, de consolatione Sostratæ. *Quartus actus* hæc continet, Ctesiphonis cum Syro colloquium: delusionem Demeæ: ejusdemque in scenam interventum, atque secundam frustrationem per Syrum factam: Micionis cum Hegione sermonem: querelam Æschini de rebus suis, ejusdemque cum Micione patre facetissimam dissertationem: Demeæ reditum in scenam ex errore, in quem eum conjecerat Syrus: et renovatum cum fratre ejusdem jurgium: processionem in scenam temulenti Syri. *Quintus actus* hæc continet, Deprehensionem Ctesiphonis cum meretrice: tertium cum Micione jurgium Demeæ, ejusdemque vitæ pristinæ correptionem: et per eum multa in comœdia nova, hoc est, blandimentum circa Æschinum, et affabilitatem circa Getam: conciliationem Syri et uxoris ejus: et veniam circa Ctesiphonem: permissionemque habendæ meretricis. Servatur autem per totam fabulam mitis Micio, sævus Demea, leno avarus, callidus Syrus, timidus Ctesipho, liberalis Æschinus, pavidæ mulieres, gravis Hegio. In dividendis actibus fabulæ identidem meminerimus, primo paginarum dinumerationem neque Græcos neque Latinos servasse: quum ejus distributio hujusmodi rationem habeat, ut ubi attentior spectator esse potuerit, longior actus sit; ubi fastidiosior, brevior atque contractior. Deinde etiam illud, in eundem actum posse conjici, et tres et quatuor scenas introeuntium atque exeuntium personarum. Facta autem hæc una est de duabus fabulis, Adelphis Menandri et Commorientibus Diphili.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

ÆSCHINUS *adolescens.*
CANTHARA *nutrix.*
CTESIPHO *adolescens.*
DROMO *servus.*
DEMEA *senex.*
GETA *servus.*
HEGIO *senex.*
MICIO *senex.*
PAMPHILA *nurus.*
SANNIO *leno.*
SOSTRATA *matrona.*
SYRUS *servus.*

PUBLII TERENTII

ADELPHI.

ACTA LUDIS FUNEBRIBUS ÆMILI PAULI. QUOS FECERE Q. FABIUS MAXIMUS, P. CORNELIUS AFRICANUS. EGERE L. ATILIUS PRÆNESTINUS, MINUTIUS PROTHIMUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI, TIBIIS SARRANIS. FACTA E GRÆCA MENANDRU L. ANICIO M. CORNELIO COSS.

PROLOGUS.

POSTQUAM poeta sensit scripturam suam
Ab iniquis observari, et adversarios
Rapere in pejorem partem, quam acturi sumus:
Indicio de se ipse erit; vos eritis judices,

Tibiis Sarranis] Daceria legendum esse censet, *Acta primum tibiis Lydiis, deinde tibiis Sarranis.* Nam *tibias Lydias*, i. e. duas dextras, edidisse sonum gravem et lugubrem, qui adeo conveniret ludis funebribus; post primam vero editionem *tibiis Sarranis*, seu sinistris, quæ sonum acutum minusque tristem ederent, eandem repetitam esse fabulam. Sane hæc emendatio magnam veri speciem accipit ex Donati auctoritate: vide Præfationem ejus in hanc Fab. Z.

1. *Postquam poeta sensit scripturam*] *Postquam*, pro *quoniam*; cujus reciprocum, *quoniam* pro *postquam*. Plautus in Aulularia, Prol. 9. *Quoniam is moritur, ita avido ingenio fuit. Postquam poeta sensit scripturam suam.* Indifferenter omnis qui aliquid scripsisset, *scriptor* a veteribus dicebatur. D.—*Postquam poeta sensit*] Eadem consuetudo prologi semel signata apud Terentium perseverat, ut magis maledicis adversariis respondeat. Neque sunt prologorum officia, quæ compleat. *Postquam poeta sensit ab iniquis observari.* Ab adversariis, hoc est, a Luscio Lanvino. E.

2. *Ab iniquis*] Inimicis; ut, Æn. viii. 292. *fatis Junonis iniquæ. Observari*] *Observatio*, ad honorem refertur: ut, Georg. iv. 210. *Præterea regem non sic Ægyptus et ingens Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes, Observant.* Sed nunc *observari*, captari significat. *Observari* ergo et honorari, et captari, et audiri significat: ut Plautus, Amph. i. 3. 9. *Observatote, ut blande palpetur mulieri.* D.

3. *Rapere in pejorem partem*] Varietas per genera verborum; et utrique sententiæ apte jungimus *scripturam suam. Rapere in pejorem partem*] Id est, vitio dare, vituperare. D.—*In pejorem partem, quam acturi sumus*] Animadvertit, iniquos rapere aliter quod dictum est a Terentio, quam nos acturi sumus. E.

4. *Indicio de se ipse erit*] Mire expressit simplicitatem vera dicturi, quum indicaturum de se dixit, non narraturum (Lib. uterque, *Mire* de se *expressit, simplicitatem veram dicturus, quum indicaturum se dixerit, non narraturum*). Et *Indicio erit*, pro *Index erit. Indicio de se*] *Indicat* is, qui de se volens aliquid, et de aliis etiam prodit (iidem libri, *qui de se tantum, et adhuc invitus quidnam provulgat*): sed con-

Laudin' an vitio duci id factum oporteat.
Synapothnescontes Diphili comœdia'st:
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
In Græca adolescens est, qui lenoni eripuit
Meretricem, in prima fabula; eum Plautus locum
Reliquit integrum: eum hic locum sumsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus novam: pernoscite,
Furtumne factum existimetis, an locum

ftetur qui de se tantum, et qui invitus. *Vos eritis judices*] Bene: quia apud judices indicium profitentur, qui accusatorem adjuvant. D.—*Indicio de se ipse erit*] Ipse voluit de se indicium dare, uti vos judices esse possitis, id quod facit an laudandum sit an vituperandum. E.

5. *Laudin' an vitio*] Medium non fecit, ut appareat, si crimen non sit, laudi debere esse. D.—Pronomen *id*, interpone post *factum*, ex Bembino, Victor. et duobus regiis codd. B.

6. *Synapothnescontes Diphili comœdia est*] Nec numeri nec genera respicienda sunt, contra sententiam remque ipsam. D.

7. *Eam Commorientes Plautus fecit fabulam*] Sicut apud Græcos δρᾶμα, sic apud Latinos generaliter *fabula* dicitur: cujus species sunt, *tragœdia, comœdia, togata, tabernaria, prætexta, crepidata, atellana, μιμῳδὸς, rhintonica.* D.—*Commorientes Plautus fecit*] Apud Gellium iii. 3. negat hanc fabulam esse Plauti Marcus Varro, seu potius Accius apud Varronem, sed auctorem esse M. Aquilium. Nam Varro ipse, quantum ex verbis Gellii colligitur, non Aquilio tribuit, sed potius Plautio cuidam. Igitur cum probabile non sit, Terentium, qui statim post Plautum vixit, ignorasse, quis auctor illius esset fabulæ verus; et ipsius Varronis auctoritas nobis ea esse debeat, ut virum erroris non insimulemus: forte difficultas rei ita potest tolli, ut apud Nostrum legatur *Plautius*, quod librariorum sive inscitia sive incuria postea commutavit in *Plautus*, quod erat nomen notius. Z.

8. *In Græca adolescens est*] Diphili scilicet: quasi diceret, Quidam adolescens est qui lenoni eripuit meretricem. D.—*Eripit* non modo Donati auctoritate et Faerni codd. omnium, quibus et duo ex nostris vetustissimi consentiunt, confirmatur, sed et versum juvat, atque convenit prologo loquenti de argumento fabulæ. Ut in Prol. Eun. *in ea est parasitus.* B.

9. *In prima fabula*] Hoc est, in prima parte: ut dicimus, *in primis digitis:* non enim aut secunda aut tertia fabula est. D.—*In prima fabula*] Id est, in prima parte fabulæ: ut Virg. Æn. ix. 244. *Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem.* Dixi in aliis comœdiis, et magis in Andria, hanc fuisse consuetudinem poetis Latinis, ut crimen non esset, aliquid de Græco transferre in Latinum: verum illud esse criminis, simulata contingere, vel si id diceret, quod jam a Latino fuisset expressum. Ergo quod adolescens quidam meretricem eripit, de comœdia tractum videtur, quæ jam cum Græca fuisset, a Latino translata est: sed hæc pars comœdiæ prætermissa est, ubi *adolescens lenoni eripit meretricem.* Quod si ita est, ut ille qui transtulerit aliam comœdiam Græcam, hanc partem reliquerit, non videtur a Terentio ullum crimen admissum, si id transtulit, quod apud Græcos intactum manebat: ideo adjecit: *Eandem nos acturi sumus novam:* ut non jam hoc sit furtum, quia non a Latino dictum est; sed potius reprehensus hic locus est, qui est prætermissus. *Reprehensus* autem interdum significat iterum prehensus. Alia subinde proponitur quæstio, quod maledici homines frequentissime dicant, Terentium adjuvari a nobilioribus: erat enim opinio quod a Lælio, et Scipione, et Servilio adjuvaretur; sed hoc crimen ad gloriam revocat, et confitetur, laudabile satis esse viris talibus placere. E.—*In prima fabula*] Charis. lib. ii. L.

10. *Reliquit integrum*] Quum aliam (*alium* Ms. Boend. et ed. anonyma; forte *illam*) transferret. *Sumsit sibi*] Libere tulit: hoc est, non furatus est: ut, *sume, pater.* D.—*Eum hic locum*] Ms. R. *eum hinc locum.* L.

11. *In Adelphos*] Latine declinavit. *Verbum de verbo expressum extulit*] Hæc approbatio est, de Græco esse sublatum, non de Plauto, ut dicit adversarius. *Extulit*] Mire non dixit *transtulit*, sed *extulit:* ut ornasse Græca videatur Latino stilo. D.

12. *Eam*] Adelphos scilicet. *Novam*] Veterem Græcam esse intelligimus. D.

13. *Furtumne factum*] Hoc est, vitio duci. *An locum reprehensum*] Hoc est, laudi duci. *Reprehensum*] Retentum, resumtum. D.

Reprehensum, qui præteritus negligentia'st.
Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare, assidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens esse existimant,
Eam laudem hic ducit maximam; quum illis placet,
Qui vobis universis et populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.
Dehinc ne exspectetis argumentum fabulæ:
Senes qui primi venient, ii partem aperient,
In agendo partem ostendent: facite, æquanimitas
Poetæ ad scribendum augeat industriam.

ACTUS PRIMI SCENA PRIMA.

MICIO.

STORAX: non rediit hac nocte a cœna Æschinus?

14. *Negligentia est*] Plauti scilicet; cujus æmulari nunc exoptat negligentiam. D.

15. *Nam quod isti dicunt*] *Nam*, incipiendi vim habet modo: ut, Plaut. Mil. i. 1. 5. *Nam ego hanc machæram meam dico. Homines nobiles*] Scipionem Africanum significat, et Lælium sapientem, et Furium Pium (*Publium*). D.—*Homines nobiles*] Cicero ad Atticum, lib. vii. epist. 3. *Terentii fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur a C. Lælio scribi.* L.

16. *Eum adjuvare*] Legitur et *adjutare*. Pacuvius in Chryse: *adjuta mihi. Assiduque una scribere*] Non sic dicit adversarius: verum hic oratorie crimen non tangit (*Non sic dicit adversare; verum oratorie hoc crimen impingit.* Ms. Boend. Hulst. et edd. vett.). D.

19. *Qui vobis universis et populo placent*] *Universis*, qui in cavea sunt, dicit. *Populo*, qui etiam præter theatrum (*præerat theatro*, lib. uterque), id est, universam urbem. D.

20. *In bello*] Scipionis. *In otio*] Furii Pii (*Publii*). *In negotio*] Scilicet Lælii sapientis. D.—*Quorum opera in bello*] Hic Scipio Africanus est. *In otio*] Lælius sapientissimus. *In negotio*] Vel Philus vel Servilius. E.

21. *Suo quisque tempore*] Quorum opera unusquisque usus est in necessitatibus suis, sine aliqua eorum superbia. Deinde subjungit, cur officium suum non compleat, ut argumentum narret; quod *senes qui primi venient*, argumenti continent expositionem: et breviter postulat audientiam, *Facite æquanimitas*] Hoc est, æquos animos ut habeatis. E.

23. Pro *partem* lege *partim*; ut Hec. Prol. 6. B.

24. *In agendo partem ostendent*] Ἄχθημα ἀποσιώπησις. Hic enim jam non senes accipiendi essent; imo potius cæteræ personæ: sed ipsi senes in statario charactere partem aperient: in motorio, partem ostendent. Nam duo agendi sunt principales modi, motorius et statarius: ex quibus ille tertius nascitur, qui dicitur μικτός. *Æquanimitas*] Favor et propitius animus: et deest, *vestra*. D.—*Facite, æquanimitas*] Ovidius, *Excitat auditor studium.* L.—Versus integer mihi excidisse videtur, ut legas, *Facite, æquanimitas* | *Bonitasque vestra adjutrix nostræ industriæ* | *Poetæ ad scribendum augeant industriam.* Vide Phorm. Prol. 35. et Hec. Prol. 24. ubi idem occurrit: nec abhorret a consuetudine Terentii eosdem versus in prologis repetere. B.

1. *Storax*] Nomina personarum, in comœdiis duntaxat, habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est, comicum aperte argumenta confingere: vel nomen personæ incongruum dare, vel officium quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis *Parmeno*: infidelis vel *Syrus*, vel *Geta*: miles *Thraso*, vel *Polemon*: juvenis *Pamphilus*: matrona *Myrrhina*: et puer ab odore *Storax*; vel a ludo et a gesticulatione *Circus*: et item similia, in quibus summum poetæ vitium est, si quid e contrario repugnans contra-

Neque servolorum quisquam, qui advorsum ierant?
Profecto hoc vere dicunt, si absis uspiam,
Aut ubi si cesses, evenire ea satius est
Quæ in te uxor dicit, et quæ in animo cogitat
Irata, quam illa, quæ parentes propitii.
Uxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obsequi:

rium diversumque protulerit, nisi per *ἀντίφρασιν* nomen imposuerit joculariter, ut *Misargyrides* in Plauto dicitur trapezita: et fere hoc modo apud alios a poetis nomina componuntur describenda per *ἀντίφρασιν*, quod designat *Storax*. Primæ partes, sicut in prologo ipse promisit, a senibus aguntur: quorum contentione ad argumentum relata, vita aspera cum leni, et pater comis cum severissimo comparatur. *Storax*] Storacem vocavit, non Æschinum: quo tacente, puerum, id est, Æschinum absentem credit: quia servuli adolescentibus præstolantur: ut in Andria, *Observabam mane illorum servulos venientes, aut abeuntes.* Sed quia fieri poterat, ut domino absente adesset Storax; commodissime adjecit, *Neque servolorum quisquam qui adversum ierant. Storax! non rediit hac nocte*] Hoc alii interrogative, alii pronunciative proferunt: sed magis pronunciative dicendum. D.—*Storax! non rediit*] Videtur hic quanta cura sit de filio cogitare: ac primo conquisitio est, et interrogatio præcedens, quæ duplici sensu intelligi potest. Nam nomen servi cum dixisset, possumus intelligere quod non responderit: et ex hoc ceperit, quod non reversus sit filius, ut pronunciemus per confirmationem. E.—Tolle notas interrogationis: Storax enim cum vocatus non respondeat; inde scit Micio neminem adhuc rediisse. Nemo domi manebat cum sene præter ancillas. B.

2. *Neque servolorum quisquam*] Propter (*Præter* Ms. H. et edd. vett.) Storacem, quem abesse non respondendo intellexi-mus. *Qui advorsum*] Proprie locutus est. Nam *adversitores* dicuntur. *Ierant*] Producte i pronunciando: quod nos addita, v, *iverant* dicimus. Tale est illud Virgilii, Æn. ii. 25. *Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas.* D.—*Neque servolorum quisque*] Rursus pronunciatio altera esse potest, tanquam servus vocatus responderit, et ipsum interroget. E.

3. *Profecto hoc vere dicunt*] Absolute: non addidit *qui*. *Si absis uspiam*] Abundat *uspiam*, aut deest *profectus*, aut quid tale, aut *ubi* (*ibi* edidit Faernus Z.) *uspiam*: significat enim scilicet *uspiam* et in loco, et ad locum. *Si absis uspiam aut ubi si cesses. Si absis*, ad parentes propitios: *si cesses*, ad uxorem iratam refert in desertorem (Forte expressum fuit nomen veteris Grammatici). D.—*Si absis uspiam*] Id est, alicubi otiosus vivas, melius est, tibi evenire, quod de te cogitat uxor irata: quæ utique animo conjugali de marito suspicatur, quod alteram amet, ac illi soli sit bene. E.

4. Etsi Faerni libri omnes habent, *aut ibi*; quatuor tamen e nostris recte, *aut ubi si*, h. e. *sicubi cesses*. Et sic laudat Serv. ad Æn. iii. 430. B.

5. *Uxor*] Subaudiendum est, *dicit irata uxor* (*Subaudiendum est* dicit. IRATA, *uxor scilicet*. Ms. Boend. et edd. vett.). *Quæ in animo*] Omne quod sentimus, aut cogitamus, aut dicimus: et utrumque pro oratione est. Sed illa *ἐνθυμηματικὸς* quæ in cogitatione est: hæc *προφορικὸς λόγος* dicitur, quæ in verbis est constituta. Virg. Æn. ii. 124. *Et mihi jam multi crudele canebant Artificis scelus, et taciti ventura videbant.* Et ipse alibi, *Nunc si quis est qui hoc dicat, aut sic cogitet.* D.

6. *Quam illa quæ parentes*] Erudite, non addidit in quem dicat, quia scit nomina uxoris et parentum *τῶν πρὸς τι* esse. D. —*Parentes propitii*] Id est, sancti et religiosi timent, ne absentibus filiis aliquid mali eveniat. Dehinc a generali ad speciale transit. *Ego quia non redit, etc.* E.

7. *Uxor, si cesses*] Quare non, *si absis?* an quia justius cessanti, quam absenti succensemus? an quia irata uxor, si cesses? *Aut te amare cogitat*] *Ἐπεξήγησις* cum *ἐξεργασίᾳ*, *Aut te amare cogitat. Aut*] Minus peccati est amori proprio cedere, quam alieno amori obsequi, nulla re impellente, sine uxore potare, aut velle delicias. Ergo *αὔξησις* est: nisi forte *τῷ ἰδιωτισμῷ* hoc putamus dictum. *Aut te amare cogitat, tete amari*] Quum duo proposuerit, alterum sumsit. Nam quum dixisset, *Quæ in te uxor dicit, et quæ in animo cogitat*: intulit, *aut te amare cogitat*. D.

8. *Aut te amare cogitat, aut tete amari*] Quia *Te amare ἀμφιβόλως* dixerat, cito intulit quod certum est, *Aut tete amari*. Et quia illud *te* dixerat, hoc geminavit, et *tete* dixit, tanquam significantius. *Aut animo obsequi*] *Ἐπαναφορά*. D.—Nostri omnes et Faerni libri vetusti, *atque animo obsequi*. B.

Et tibi bene esse soli, quum sibi sit male.
Ego, quia non rediit filius, quæ cogito!
Et quibus nunc sollicitor rebus! ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit
Aliquid: vah! quemquamne hominem in animum instituere, aut
Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?
Atqui ex me hic non natus est, sed ex fratre. Is adeo
Dissimili studio est jam inde ab adolescentia:
Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium
Secutus sum: et, quod fortunatum isti putant,

9. Accentus causa corrigendum est, *sibi quum sit male.* B.

10. *Ego, quia non rediit filius*] Plus est quod dixit *ego*, quam si diceret *pater. Ego quia non rediit filius*] Ἀνακόλουθον; non enim *pater* dixit. *Quæ cogito! et quibus, etc.*] Hoc sic pronunciandum est, ut horrere videatur ipse cogitationem suam. D.

11. *Quibus nunc sollicitor rebus*] Hoc est, quam malis: non ut uxor, bonis. *Ne aut ille alserit*] Vide quam teneri sit amoris hic timor, in juvene (*juvenem* Z.) præsertim. *Ne aut ille alserit, aut uspiam ceciderit*] Nimium tenere amat, qui hæc in juvene pertimescit, quæ circa infantulos caveri solent. D.—*Alserit*] Id est, mortuus sit, quia morientes frigent. E.—*Quibus nunc sollicitor*] Servius Æn. iv. 379. *Quietos sollicitat. Ne aut ille alserit*] Plautus in Milite iii. 1. 124. *Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum liberis: Censerem emori, cecidissetne ebrius, aut de equo uspiam; Metuerem, necubi defregisset crura, aut cervices sibi.* L.—Illud, *et*, recte abest a tribus nostris: in asyndetis enim concitatior est affectus. B.

12. *Aut uspiam*] *Uspiam* et in loco, et ad locum significat. *Ceciderit, aut perfregerit aliquid!*] Jungendum, ut non solum *ceciderit*, sed etiam *perfregerit:* hæc sunt quæ sibi (*filio*) nemo evenire velit. D.—Omnes fere antiqui libri Faerni et nostri habent, *præfregerit.* B.

13. *Quemquamne hominem*] Sic dicimus de ea re, quam miramur fere ab omnibus fieri. D.—*In animum instituere*] Bentleius præeunte Faerno edidit, *in animo.* Utrumque recte. Certe Plautus in eodem versu utramque rationem expressit. Nam Most. i. 2. 1. *Recordatus multum*, inquit, *et diu cogitavi, Argumentaque multa in pectus institui ego, atque in corde meo.* Z.

14. *Quam ipse est sibi?*] Tanquam duo sint: sed hoc poetæ comico licet. D.—Deinde thesis, quod dicit: *quod sit carius, quam ipse est sibi.* Quod supra prologus nunciavit, quod argumenti partem senes qui primi sunt, explicabunt. Nam docet quod hic adolescens in adoptionem sibi a fratre sit datus. E.

15. *Atqui ex me hic non natus est*] Quasi dicat, Ex me non est, et sic afficior: quid paterer si genuissem? *Ex me hic non natus est*] Quasi dicat, Non est meus. *Sed ex fratre*] Hoc est, omnino non alienus est. *Is adeo*] Transitus ad argumentum subtilissimus. *Adeo* aut abundat, aut *nimium* significat. Ut in Eunucho, *Adolescentem adeo nobilem.* D.—*Atque ex me*] Charis. lib. ii. L.—Pro *Atqui* in Faerni codd. antiquis et nostris plerisque est *Atque;* et iidem collocant cætera sic, *hic natus nón est.* Charisius, p. 204. "*Atque pro et.* Terentius in Adelphis. *Atque ex me hic natus non est, sed ex fratre.* Ubi Acron: Argute, inquit; nam per conjunctionem transitum fecit ad narrationem." B.

16. Pro *Dissimili* tres codd. ant. quorum unus 900 annorum, habent recte *Dissimilis.* Nam sic Sallust. Jug. 89. dicit *Dissimilis moribus.* Noster Heaut. v. 3. 17. *consimilis moribus.* Plin. Hist. vi. 31. *cursu et colore dissimilis.* B. Cæterum post *est* Bentleius distinguit: quod opus esse non arbitror. Z.

17. *Ego hanc clementem vitam urbanam*] Ὀρθὴ διήγησις καὶ διαλογησις. *Clementem vitam*, figura ipsa (*Figura. Ipsam*) *Vitam clementem* dicimus quæ clementes facit. *Clemens* autem est, qui colit mentem. *Atque otium*] Deest *urbanum.* D.—Vide an legendum sit, *Ego hanc clementem vitam urbanumque otium.* Cic. Ep. Divers. xii. 1. *Ut ego quidem et urbi et otio diffiderem urbano.* B.

18. *Secutus sum*] Bene *secutus*, quasi magistram recte beateque vivendi. *Et quod fortunatum isti putant*] Romani scilicet, qui *cœlibem* quasi *cœlitem* dicunt. Et item Græci, apud quos sunt hujusmodi sententiæ: ΒΙΤΑ ΦΙΛΟC ΕΧΟΙΝΙѡΝΙΙѡ-ΔΟΥΜΕΝΟΝ. • Et alibi, ΓΑΜΕΙ ΠΑΜ-ΦΙΛΟC ΓΑΜΕΙΤѡ ΚΑγΑΡΙΔΗΑΙΚΗCΕΝ ΜΕ (Vide Lindenbr. infra). *Fortunatum isti putant*] Me utique non uxorem ducere. Dicit autem Romanis id videri, quos spec-

Uxorem nunquam habui; ille contra, hæc omnia:
Ruri agere vitam; semper parce ac duriter
Se habere; uxorem duxit; nati filii
Duo; inde ego hunc majorem adoptavi mihi;
Eduxi a parvolo; habui, amavi pro meo;
In eo me oblecto; solum id est carum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio sedulo:

tatores habet. Menander: *ὦ μακάριόν με! γυναῖκα οὐ λαμβάνω* (Hadr. Junius Animadv. Append. cum post *Menandri* nomen asterismum in suo cod. videret, suspicatus est hosce excidisse versus: *Ὅστις γενόμενος βούλεται ζῆν ἡδέως, Ἑτέρων γαμούντων αὐτὸς ἀπεχέσθω γάμων*). *Quod fortunatum isti putant*] Quidam putant sic pronunciandum, *et quod fortunatum isti putant uxorem:* et hæc bona et concinna locutio est. Et *putant* bene dicit is, cui displicet aliena sententia. *Isti putant*] Id est, hi qui a me dissentiunt. D.—*Fortunatum isti putant*] Hieronym. advers. Jovinian. lib. i. *Noster comicus fortunatum putat, qui uxorem nunquam duxerit.* L.—Sententia est clara: *quod*, scilicet uxorem habere, *isti*, qui mei dissimiles sunt studio et moribus, *fortunatum putant*, quia placet dos magna, liberis dant operam, et posteritati inserviunt. B.—Cicero Att. xiv. 13. *a ducenda uxore sic abhorret, ut libero lectulo neget quicquam esse jucundius.* Horat. Epist. i. 1. 88. *melius nil cœlibe vita.* Menander: *Τὸ γυναῖκ' ἔχειν, εἶναί τε παῖδων, ὦ φίλε, Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.* W.

19. *Uxorem nunquam habui*] Si *non habeo* dixisset, poterat videri habuisse. D.—Distingue: *ille, contra hæc omnia, Ruri agere vitam.* Vid. Phorm. iii. 2. 36. B.

20. *Ruri agere vitam*] Contra hæc omnia suffecerat brevitas (corrige, CONTRA HÆC OMNIA *suffecerat, breviter*, seu, *si brevitate uti voluisset* Z.); sed subjunxit fratris descriptionem, ut verbis ipsis malam vitæ conditionem ostenderet. *Semper parce ac duriter*] *Semper*, licet incertam distinctionem habeat, tamen recte additum est: quia vel *ruri agere* voluptatis est: vel *parce ac duriter se habere*, virtutis. Sed *semper* ad vitium: *parce* autem, ad servandum: *duriter* vero, ad laborem referendum est. *Ruri agere vitam, semper parce ac duriter se habere*] Variavit, ut in Andria. D.—*Duriter se habere*] Elegans hæc locutio: inde *exhibere ἀντὶ τοῦ* alere. Papinianus lib. xlv. de donat. int. vir. et uxor. Ulpian. lib. i. §. 6. ff. de tut. et ration. Idem lib. xi. §. 1. ff. ad exhibendum: *Si forte ipse servus ex operis vel artificio suo solebat se exhibere, nunc vero cogitur vacare.* Quæ ita Græce redduntur in Ecloga Basilicor. lib. xv. p. 169. *εἰ μὴ ἄρα τεχνίτης ὢν εἰώθη ἐκ τῆς ἐργασίας αὐτοῦ τρέφεσθαι, καὶ νῦν σχολάζει.* Scævola lib. v. ff. de naut. fœnor. Et *exhibitio* apud eundem lib. xcviii. ff. de aquir. et amitt. hered. Tertullianus de Idololatr. cap. 6. *exhibitionis nostræ gratia.* Ibid. cap. 8. *Si necessitas exhibitionis extenditur, habent et alias species, quæ sine exorbitatione disciplinæ, id est, sine idoli confectura, opem victus præstent.* Idem cap. 12. *Male nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis supplaudimus, si post fidem obsignatam dicimus, Non habeo quo vivam.* L.

21. *Uxorem duxit*] Recte *duxit*, non *ducere:* semel enim hoc fecit Demea. *Uxorem duxit*] Varie per modos discurrit. *Uxorem duxit*] Adjuvandum pronunciatione est, ne singula utrinque assecuti videantur. Nam sic in fine fabulæ ait Demea, *Uxorem duxi: quam ibi miseriam vidi! nati filii: alia cura.* D.

22. *Inde ego hunc, etc.*] Mire *inde* subjungit, quum personam (corrige *personas*, nempe intelligit natos filios duo Z.) prætulerit. Sic alibi, *E prædonibus unde emerat, se audivisse abreptam e Sunio. Inde ego, etc.*] *Inde*, pro *ex quibus:* et *mihi* abundat. Et bene *hunc* dixit: quia de ipso loquebatur. D.

23. *Eduxi a parvulo*] Quos (*Quod*, edd. vett. cum codd.) nos *educare* dicimus, *educere* veteres dicebant: ut, Æn. vi. 765. *Educet sylvis regem, regumque parentem. Habui, amavi pro meo*] Quæritur quid sit *habui:* et quum multa dicantur, hoc solum verum est, *habui*, credidi, duxi, existimavi: ut alibi, *Semper ejus dicta est hæc, atque habita soror;* et, *Sic itaque habeantur, itaque dicantur.* Ergo *pro meo* subaudiendum est bis, et *habui pro meo*, et *amavi pro meo.* D.

24. *In eo me oblecto; solum id est carum mihi*] Absolute utrumque, et *in eo*, et *solum. In eo*] Quasi in ea re. *In eo me oblecto*] Nove dicit, pro, *eo me oblecto.* Plus autem significat, quam si diceret, *solus is est carus mihi.* D.

25. *Ille ut item contra me habeat*] *Item*, similiter: *contra*, vicissim. Plautus, Mil. ii. 1. 23. *Ut illa illam contra, qui est amoris cultor optimus. Facio sedulo*] Secus a dolo, id est, sine dolo, et impense. D.

Do, prætermitto: non necesse habeo omnia
Pro meo jure agere: postremo alii clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia,
Ea ne me celet, consuefeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem;
Aut audebit: tanto magis audebit cæteros.
Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quam metu.
Hæc fratri mecum non conveniunt, neque placent.
Venit ad me sæpe, clamitans: Quid agis, Micio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?

26. *Do, prætermitto*] *Do* sumtum: *prætermitto* delicta. *Non necesse habeo omnia pro meo jure agere*] Etsi licet, non necesse est patrem sævire, quia pater est. Inter *Jus et Æquitatem* hoc interest. *Jus* est, quod omnia recta et inflexibilia exigit. *Æquitas* est, quæ de jure multum remittit. Ergo hic sensus, Non necesse est, etiam si liceat, sævum esse patrem. Et mire ostendit jus suum, nisi necessitate, non esse servandum. D.

27. *Postremo alii clanculum*] Non alii patres: sed alii adolescentes, clanculum patres suos. D.—*Pro meo jure agere*] Jus enim patris est, peccata corrigere filiorum. At hic per indulgentiam dixit, non necessario sibi hoc incumbere, ut omnia peccata corrigat, sed aliquid de jure proprio obliviscatur. Deinde jam thesis illa supponitur, uti non metu, sed melius liberi amore teneantur, *Pudore*, inquit, *et liberalitate liberos retinere satius*. Hic sermo magis a persona Demeæ accipiendus est, qui Micionem dicat durum præter æquum et bonum, dum clementiam custodit nimiam circa filium, sic eum in peccata provocet: quod est quasi quoddam duritiei genus, non sentire quid criminis sit, quod ad dedecus perveniat. E.

28. *Quæ fert adolescentia*] Veniam addidit statim, peccata ab adolescentibus ad (*ob* recte in Ms. Boend. et edd. vett.) ætatem removendo. Et vide quam breviter, quam pudice, quam ignoscenter locutus est. D.

29. *Ea ne me celet, consuefeci filium*] Tribus enim vivitur modis, natura, consuetudine, et ratione. D.

30. *Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem*] Separatim subaudiendum est, *insuerit*, πρὸς τὸ *mentiri*. D.—Pro *insuerit* alii codd. *insueverit:* apud Martianum Capellam, p. 160. *instituerit*. Sed pro *insuerit*, cujus forma repugnat sequenti *audebit*, repone *ita uti fit;* h. e. ut mos est. Vid. And. i. 1. 53. Eun. iv. 2. 2. Heaut. v. 2. 4. Atque illud *Aut* sequentis versus dele cum interpunctione post *patrem*. B.

31. *Cæteros*] Quia jam deceperit patrem. D.

32. *Pudore et liberalitate*] *Pudore*, ad filios retulit: *liberalitate*, ad parentes. Argumentum a conjugatis: *liberalitate*, inquit, regendi sunt: propter quod liberi dicuntur. *Liberalitatem* autem, bonitatem dicit. D.—*Pudore et liberalitate*] Menander: Οὐ δεῖ λειπόντα τὸ παιδάριον ὀρθοῦν, Ἀλλὰ πειθοῦντα τι. Themist. Euphrada Orat. v. αἰδοῖ μᾶλλον φοντο δεῖν καὶ εἰνοίᾳ πλέον, ἢ φόβῳ κατέχειν τοὺς ὑπηκόους. Idem Orat. xi. p. 254. αἰδοῖ μᾶλλον ἢ φόβῳ χρώμενον. Afranius apud A. Gellium Noct. Act. xv. 13. *Hem isto parentum est vita vilis liberis; Ubi malunt metui, quam vereri ab suis.* L.

33. *Retinere satius esse credo*] Bene *retinere*, a vitiis scilicet: nam vitia filios tenent; quos retinent patres, a vitiis scilicet. Nam *retinet*, qui adversum aliquem tenet. D.

34. *Hæc fratri mecum non conveniunt*] Nova locutio: et (*Nova locutio est* Z.) *non conveniunt*, pro non congruunt: ac per hoc, *In his ego et frater dissentimus*, id est, dissimiles sumus. D.

35. *Venit ad me sæpe, clamitans*] Et importunitatem odiosam ostendit, *ad me* dicendo: et inconditam assiduitatem, addendo *sæpe*. Et congrue, postquam *sæpe* dixit, adjecit aptius verbum, non dicens *clamans*, sed *clamitans*. *Quid agis, Micio?*] Reminiscere lectionem, et invenies interrogationem hujusmodi, vel invectionis principio convenire vel objurgationis. D. —Pro *clamitans* versus causa rescribe *clamans*, uti infra, iv. 7. 9. B.

36. *Cur perdis adolescentem nobis?*] Recte *nobis* additum est, et ἠθικῶς: ut alibi, *Psaltriam nobis, si Diis placet, paravit. Cur amat? cur potat?*] Vide quemadmodum, ut (dele *ut*, aut sequens *quum* Z.) durum objurgatorem ostendat Demeam, quum ab eo dicantur in crimen vocari, quæ aut a-

Cur potat? cur tu his rebus sumtum suggeris?
Vestitu nimio indulges: nimium ineptus es.
Nimium ipse est durus præter æquumque et bonum:
Et errat longe, mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud quod amicitia adjungitur.
Mea est sic ratio, et sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
Si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit.

tatis sunt, ut, *Cur amat?* aut naturæ, ut, *Cur potat?* aut pietatis, ut, *Cur tu his rebus sumtum suggeris?* et cætera. *Cur amat? cur potat?*] *Cur amat?* ad illud refertur quod ait supra, *Do, prætermitto.* Nam *prætermitto* delicta intelligimus ex amore. *Cur potat?* revocamus ad illud quod ait, *Do sumtum.* D.

37. *Sumtus* habent aliqui Faerni libb. et nostri omnes. Sed retinendum est Bembini, Donati, et aliorum Faerni libb. *sumtum.* B.

38. *Nimium ineptus es*] Utrumque dure, et *nimium*, et *ineptus es.* D.

39. *Præter æquumque et bonum*] Potuit, *et*, non addi, præter *æquum bonum* (Mss. et edd. vett. planius: *potuit et non addi*, PRÆTER ÆQUUM ET BONUM. Et certe, quia dixerat jam, *nimium*, non opus erat addere, *præter æquumque et bonum*). D.—Alii, item Cicero Invent. i. 19. *durus est.* Sed retine Bembini *est durus;* nisi malis scribere *durus'st.* B.

40. *Et errat longe*] Melius est *longe*, (excidit *et* Z.) simpliciter accipiendum, ut locale sit, quam valde. *Mea quidem sententia*] Modeste addidit, *mea quidem sententia:* ne quis hoc pro præcepto dici existimet. D.—*Et errat longe*] Multum errat Demea, quod credit id gravius esse imperium quod vi conficitur, quam illud quod per amicitiam copulatur. Ut illud Sallustii, Jug. 10. *Non thesauri, neque exercitus, præsidia regni sunt: verum amici, quos neque armis superare, neque pretio comparare quisquam possunt.* E.

41. *Qui imperium credat*] Utrum cujuslibet, an Demeæ tantum? *Gravius esse aut stabilius*] *Gravius* ad vim, *stabilius*, ad tempus refertur. D.

42. *Vi quod fit*] Id est, metu ac malo. *Quam illud quod amicitia adjungitur*] Illud *fit*, quod *vi:* hoc *adjungitur*, quod *amicitia.* D.

43. *Mea sic est ratio, et sic animum induco meum*] *Mea sic est ratio*, ad superiora pertinet confirmanda. *Sic animum induco meum:* ad ea pertinet, quæ dicturus est. *Mea sic est ratio*] Iterum modeste et ἰδιωτικῶς. *Et sic animum induco meum*] Senilis μακρολογία. D.—Auctoritate omnium Faerni et meorum librorum pone *Mea sic est ratio.* B.

44. *Malo coactus*] Duo dicit, *malo*, et *coactus. Qui officium suum*] Ὁ τὸ καθῆκον ποιῶν, id est, qui recte facit. *Officium* autem dicitur, quasi *efficium*, ab *efficiendo*, quod unicuique personæ congruit. D.—*Malo coactus*] Ut ostendat non rectum esse id quod comparatur vi, quam illud amicitia adjungit. Quandoquidem quod oportet ex persona sua, id efficitur non sponte, sed vi. At vero ille qui ex animo facit, beneficio victus, non terrore compulsus, vult multam referre gratiam. Hoc ergo ad patres potius pertinet, uti filii quod faciunt recte, sua sponte faciant, non alieno metu: quippe cum interait inter dominum et patrem. Nam pater lenitate, dominus metu valet. E.—*Malo coactus qui suum officium facit*] Hæc vetus et vera est lectio, quam Palmerius perperam immutare tentavit. Ad Terentii autem locum respexit Cicero in Verrem. 5. *Tu nisi malo coactus, recte facere nescis.* Et in Flor. vet. sententiarum: *Militem melius pudore, quam malo coerceas.* Theodosius Imp. lib. ix. C. de desertor. *Duas auri libras malo coactus fisco nostro adnumeret.* Sulpit. Sever. Histor. Sacræ lib. i. *Rex malo coactus:* et iterum, *malo coactus agnovit errorem.* L.

45. *Dum id rescitum iri credit*] Quod facit scilicet. *Tantisper*] *Tantisper* quasi *tantumper:* et *paulisper*, quasi *paulumper:* unde *parumper* dictum est. *Tantisper cavet*] *Peccare* subaudiendum est. Nam totum ἀλλεγορικῶς et obscure dictum est. Et bene *cavet:* quasi malo (Primus, opinor, sic edidit R. Steph. ed. Du B. habet *malos:* sed Mss. et edd. vett. melius, *malum.*). D.

46. *Si sperat fore clam*] Iterum *quod facit* subaudiendum. *Rursus ad ingenium redit*] Mire, non intulit, *cavet:* sed, *ad ingenium redit.* Et *rursus* est retro ver-

Ille quem beneficio adjungas, ex animo facit;
Studet par referre; præsens absensque idem erit.
Hoc patrium est, potius consuefacere filium
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest: hoc qui nequit,
Fateatur se nescire imperare liberis.
Sed estne hic ipsus, de quo agebam? et certe is est.
Nescio quid tristem video: credo jam, ut solet,
Jurgabit. Salvom te advenire, Demea,
Gaudemus.

ACTUS PRIMI SCENA II.

DEMEA. MICIO.

EHEM, opportune: te ipsum quærito.

sum, ut *prorsum*, prius (*porro*. Sic Donatus ad Eun. ii. 3. 14. et Calpurn. ad Heaut. iv. 5. 28.) versum. D.—Versui commodius est *rursum*, quod in Bemb. Basilic. et nostris fere omnibus extat. B.

47. *Ille quem beneficio adjungas*] Non dicit, *beneficio adjunctus*, ut supra, *malo coactus*. *Ille quem beneficio adjungas*] Καλαντεθηκην ΑΝ° (*κατ' ἀντίθετον*, seu *κατ' ἀντίθεσιν τοῦ λόγου oratorie rem intulit* Z.): ille *malo*, hic *beneficio*. Ille *coactus*, hic *adjunctus*. Ille *dum id rescitum iri credit, tantisper cavet*: hic, *præsens absensque idem erit*. Et *τὸ præsens* et *absens*, non ad aliquem locum, sed ad custodem retulit et monitorem. *Ille quem beneficio adjungas*] Contra illud ait, *malo coactus*. *Ex animo facit*] Officium scilicet. D.—*Ille quem beneficio*] Menander: Τίῳ προθύμως τ' ἐξιούμενον ποιῶν Κηδεμόν' ἀληθῶς, οὐκ ἔφεδρον ἕξεις βίου. L.

48. *Studet par referre*] Id est, benefacere. *Præsens, absensque idem erit*] Contra illud, *Si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit*. D.—*Studet* in primo pede ultimam corripit, quod non est insolens. B.

49. *Hoc patrium est*] Superius a re tractum est: hoc jam a persona ducitur argumentum. *Consuefacere*] Non *cogere*, sed *consuefacere*. D.

50. *Quam alieno metu*] Vide quemadmodum suum ad indulgentiam affectum revocet optimæ disciplinæ (*Vide quemadmodum suam erga filium indulgentiam ad effectum r. o. d.* Z.). D.

51. *Hoc pater ac dominus*] A differentia personarum et officiorum. *Interest*] Differentia est. *Hoc qui nequit*] Longe melius *nequit*, quam si diceret, *non vult*. D.

52. *Fateatur nescire imperare liberis*] Hoc indicat, et se melius consulere, et volentem hoc exercere. *Nescire imperare liberis*] Oratorie, quasi artis sit indulgentissime agere. *Imperare*, modo non ad superbiam, sed ad *regendum* est referendum. *Fateatur nescire*] Deest *se*. D.—Bentleius duce Faerno illud *se* omisit. Recte. Nam nec Donatus legit, quem videsis. Z.

53. *Sed estne hic ipsus, de quo agebam?*] Κατ' οἰκονομίαν supervenit, de quo sermo est, ut factis dicta ostendantur. *Et certe is est*] Bene nunc confirmat ipsum esse eum, quum proprior est, utpote senili nec longum prospiciente conspectu (Leg. *utpote in senili, etc.* aut sequere Ms. Boend. et ed. Du B. *quum propior est, ipsum a* longe conspectum senio vetante non bene cognoscens, *ac proinde dubius* Z.). D.

54. *Nescio quid tristem video*] Orationis apparatus ex vultu ostenditur: ut Æn. vii. 291.—*Stetit acri fixa dolore, Tum quassans caput hanc effundit pectore vocem. Nescio quid*] Deest *propter*: ut sit, *Nescio propter quid. Ut solet*] Causa cur illum æquo animo frater ferat, *ut solet*, inquit. D.

55. *Salvom te advenire, Demea, gaudemus*] Ut asperior ostendatur Demea, etiam salutatur ab eo, quem objurgaturus est. D.

1. *Hem! opportune: te ipsum quærito*] In hoc actu diversi homines, diversi patres (*diversæ partes* Ms. Boend.) et diversa studia proponuntur: hic lenis, hic amarus: hic facetus, hic impolitus: hic facilis, hic pertinax et difficilis in delictis. *Hem! opportune: te ipsum quærito*] Melius quam Menander, quum hic illum ad jurgium promptiorem, quam ad resalutan-

MI. Quid tristis es? DE. Rogas me, ubi nobis Æschinus
Siet, quid tristis ego sim? MI. Dixin' hoc fore?
Quid fecit? DE. Quid ille fecerit? quem neque pudet
Quicquam; nec metuit quemquam; neque legem putat
Tenere se ullam: nam illa, quæ antehac facta sunt,
Omitto: modo quid designavit! MI. Quidnam id est?
DE. Fores effregit, atque in ædis irruit
Alienas: ipsum dominum, atque omnem familiam

dum faciat. D.—*Ehem! oportune*] Iracundi hominis continuo pronunciata sententia est, qui salutatus resalutare noluit. E.—*Ehem*, quod probatur libris bonis, magis convenit actibus repentinis, ut est subitus ejus, quem quis quærit, aspectus, quam vulgare *Hem*. B. Cæterum recte Daceria verba præcedentis scenæ ultima, *Salvom te advenire, etc.* refert ad initium hujus scenæ. Nam fit inde initium novæ orationis ad personam, quæ cum maxime advenit. Z.

2. *Quid tristis es?*] Bene interrogat: potuit enim non iratus frater quærere. *Ubi nobis Æschinus siet*] Quasi quædam causa sit tristitiæ. D.—*Rogas me?*] Interrogas me quid ego tristis sim, cum Æschinum filium habemus? Deinde sumsit generalem accusationem, *quem neque pudet, neque metuit quenquam, etc.* E.—Pro *rogitas*, Bemb. Victor. et multi alii codd. habent recte *rogas*. B.

3. *Dixine hoc fore?*] *Credo jam, ut solet, objurgabit.* D.

4. *Quid fecit?*] Alii habent *Quid* is *fecit?* Utrumvis recte. B.—*Quid ille fecerit?*] Animadvertendum, ut interrogatus interroget more indignantium, quod ideo facit, quia videt Micionem eo vultu interrogare, ut videatur minus reprehendere culpam Æschini. D.—*Quem neque pudet*] Priscian. libr. xviii. Menander: Ὃς δὲ οὔθ' ἁρυθριᾷν οἶδεν, οὔτε δεδιέναι, Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει. L.

5. *Quem neque pudet quicquam, neque metuit quemquam*] Varie per casus discurrit, *Quem neque pudet quicquam:* contra illud quod alibi pater dicit, *Erubuit, salva res est. Quem neque pudet quicquam*] Magno ordine accusavit: non, inquit, pudore movetur patrum, non metu parentum, non timore legum. Ergo gradatim αὐξησις oratoria processit. D.

6. *Tenere se ullam*] Bene *tenere*, quia legem: et est ἀμφιβολία oratoria. *Nam illa quæ antehac facta sunt, omitto*] Accusatio duo tempora recipit; præteritum, ab ante gestis: et præsens, ab iis quæ objiciuntur. Ergo utrumque mira brevitate perstrinxit. D.

7. *Omitto*] Παράλειψις. *Modo quid designavit!*] *Designare* est rem novam facere, in utramque partem, et bonam et malam. Nam et *designatores* dicti, qui ludis funebribus præsunt: credo ob eam causam, quod ipsis ludis multa fiant nova et spectanda: simul etiam turba retineatur: quæ fiunt (*quæ fuerat* Mss. et edd. vett.) aut in spectaculis, aut in litibus. *Modo quid designavit!*] Puto ego *designationem*, contractionem, aut conductionem populi in unum intelligi: hoc enim contingit ei, qui aliquo flagitio populi in se oculos et ora convertit, et spectaculo est vulgo: quemadmodum *designatores*, qui ludis funebribus multitudinem retinent. *Designavit!*] Hoc verbum apud veteres duas res significabat: etenim prave et recte facta, *designata* dicebantur. *Quidnam id est?*] Et hoc etiam contemnens interrogat Micio. D.—*Dissignavit!*] *Dissignare* proprie dicitur aliquid signatum legibus rumpere. Deinde positio ipsa est criminis, sed per argumentum. Nam cum lenonis domum vel cellam potius adolescens fuisset ingressus, ut meretricem abduceret, hic exaggerans dicit, *Fores effregit, atque in ædis irruit alienas.* E.

8. *Fores effregit*] Hæc singula magna cum vociferatione inferenda sunt: stomachatur enim adversus male interrogantem. *Fores effregit, atque in ædes irruit alienas*] Totum quidem unum crimen est: Rapuit meretricem. Sed vide, qua pompa, qua vociferatione dilatetur accusatio Demeæ, de moribus Æschini, nihil nisi inania (*immania* corrigit Boeclerus) referentis. *Fores effregit, atque in ædis irruit alienas*] Hæc singula consideranda sunt. Et bene dicit *alienas*, quia si lenonis diceret, parva res videretur. D.—*Fores effregit*] Ulpian. lib. xxxix. ff. de furtis: *Fores meretricis effregit libidinis causa.* L.

9. *Ipsum dominum*] Iterum suppressa est infamis persona. *Atque omnem familiam multavit*] Aut *familiam* pro servis lenonis dicit, aut pro meretricibus. D.—*Ipsum dominum* lenonem appellavit; deinde meretricem, *mulierem*. Et hoc quasi criminis genus probavit a testibus, quod *omnes clamant, indignissime factum.* Deinde adjecit comparationem, quod facilius

Mulcavit usque ad mortem: eripuit mulierem
Quam amabat: clamant omnes, indignissume
Factum esse: hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere? in ore'st omni populo: denique
Si conferendum exemplum est, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?
Nullum hujus simile factum: hæc quum illi, Micio,
Dico, tibi dico: tu illum corrumpi sinis.
MI. Homine imperito nunquam quicquam injustius,
Qui, nisi quod ipse fecit, nil rectum putat.
DE. Quorsum istuc? MI. Quia tu, Demea, hæc male judicas.

vita possit deprehendi ex hoc, quia frater ejus ruri operam det, nesciens quod eadem meretrix ipsi adolescenti rapta sit. Sed omnis conclusio accusationis in Micionem, qui ejus pater est, retorquetur et transfertur, quod ipse filium corruperit lenitate. E.

10. *Multavit*] Laceravit, mutilavit, mollivit, atque dissolvit. Unde *mulciber* a multando, quasi *multiber*. *Usque ad mortem*] Magna invidia cædis et mortis mentione, quæ tamen nulli accidit. *Eripuit mulierem quam amabat*] Omnia magno colore et accusatorie dicta sunt, et ex hoc maxime, quod lenonem et meretricem non dixit, contentus facti atrocitate, personarumque vilitatem reticens. *Mulierem eripuit*] Non, *abduxit*, sed *eripuit*. D.—Pro *Multavit* recte libb. antiqui habent *Mulcavit*. B.

11. *Clamant*] A præjudicato, et auctoritate rumoris (uterque liber, *Adjudicatio ex auctoritate rumoris*). D.

12. *Hoc advenienti quot mihi, Micio, dixere!*] Quasi dicat, Displicet omnibus, et multi eum accusant. Nec tamen lenonis querelæ mentio fit: vide oratorem. *Hoc*, autem vel articulus, vel adverbium loci est. D.

13. *In ore est omni populo*] Sallustius (in Fragmentis. De Pompeio intelligit Dousa), *In ore gentibus agens, populo, civitati*. D.

14. *Si conferendum exemplum est*] Tanquam non sit conferendum. *Non fratrem videt rei dare operam*] Satis comice hoc infertur legentibus argumentum: nam magis in culpa ille ipse est, quem laudat. D.

15. *Rei dare operam*] Non amori. *Rei dare operam*] Quam facete poeta hæc omnia falsa et e contrario facit Demeam credere! *Ruri esse*] Non in urbe. *Parcum*] Non prodigum. *Sobrium?*] Non insanum. *Parcum ac sobrium?*] Contra illud. *Cur amat? cur potat?* D.—Vetustiores nostri multi habent *Rei operam dare*. B.

16. *Nullum hujus simile factum*] Hoc cum admiratione Micio tangitur, quasi ipsius culpa sit fratris natura. *Nullum hujus simile factum*] Hoc cum admiratione indignantis pronunciandum est, et ardentibus in Micionem oculis. Et subaudiendum est *esse*, aut *invenire* (*inveniri* Z.). D.—Nostri omnes cum edd. vett. *Nullum hujus factum simile*. Melioribus numeris. B.

17. *Hæc quum illi, Micio, dico, tibi dico*] *Illi*, pro *in illum*: et *tibi*, pro *in te*. *Tu illum corrumpi sinis*] Deest *nam*: sed ferventius ἀσυνδέτως dicitur. Et hoc *tibi* et *tu* pronunciandum est intento digito, et infestis in Micionem oculis. Nam hoc agi stomacho adversum dissimulatores solet. *Tu illum corrumpi sinis*] Mitius modo dixit, *sinis corrumpi*: mox vehementius dicet, *An laudi putat fore, si perdiderit gnatum?* D.

18. *Homine imperito nunquam quicquam injustius*] Miro stomacho apud ipsum de ipso tanquam apud alterum loquitur. D. —*Homine imperito*] Defensionem parans, ab ea incepit parte, quæ objurgationem tenet: quia imperitus semper satis injustus est. Parat autem defensionem adolescentiæ, sciens meretricem raptam. *Non est flagitium, etc.* Non laus est, ibi esse integrum, ubi non possibilitas corrumpendi. E.—*Homine imperito*] Menander: Οὐκ ἐστ' ἀνόλας οὐδὲν τολμηρότερον. *Quicquam injustius*] Ms. R. *quicquam injustius est*. L.—Codd. omnes *injustius est*: scribe igitur *injustiu'st*. B.

19. *Nisi quod ipse fecit*] Ἀβδηρεία. Hoc enim proprium rusticorum est, atque imperitorum. *Nihil rectum putat*] Proprie *putat*. Nam hoc verbum imperitorum est. Ordo est, Qui nihil rectum putat, nisi quod ipse fecit. D.

20. *Quorsum istuc?*] Deest *pertinet*, aut *dicis*. *Quia tu, Demea*] Id est, homo imperitus. *Hæc male judicas*] Pari virtute hæc leniter dicta sunt, qua superiora vehementer. D.

Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
Scortari, neque potare; non est; neque fores
Effringere: hæc si neque ego, neque tu, fecimus,
Non sivit egestas facere nos: tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia.
Injurium'st: nam si esset unde id fieret,
Faceremus: et tu illum tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet;
Potius quam, ubi te exspectatum ejecisset foras,
Alieniore ætate post faceret tamen.
DE. Pro Juppiter! tu homo adigis me ad insaniam.

21. *Non est flagitium*] Non peccatum negat esse: sed flagitium non esse contendit, et ideo subindignanter pronunciandum est: ut si dicat, Scortari quidem adolescentulum, delictum est, sed non est flagitium: et veniæ locus non tam in facto, quam in persona est constitutus. *Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari*] Mire respondit, et oratorie ad hæc quæ invidiose dicta sunt. Nam quod ait ille, *eripuit mulierem quam amabat*; hic *scortum* dicit: quod *irruit in ædes alienas*; quasi ex vino furens, *potare*: quod cum aliis grave propositum est, hoc solum dicendo, leve reddit, id est, *fores effringere. Mihi crede*] Quasi imperito dicit, *mihi crede*, non enim, *me intellige*. Quod imitatus Cicero sic (*ubi* corrigit recte Hadr. Junius in Append. Animadv. Locus Ciceronis est Divin. in Q. Cæcil. 12.) Cælium exagitat: *Magna sunt, mihi crede: noli hæc contemnere*. Hic enim et auctoritas dicentis, et contemtus ostenditur audientis. D.

23. *Hæc si neque ego, neque tu, fecimus*] Quia dixit, *Qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat*. D.

24. *Non sivit egestas*] Non voluntas prohibuit, sed necessitas: et ideo nulla laus. D.—*Non sivit egestas*] Diomed. lib. i. L. —Versus probat lectionem Bembini unicam, *Non stit egestas*. B.

25. *Quod tu fecisti inopia?*] Nota *fecisti*, in eo quod significat *non fecisti*. D. —Pro *ducis* unus ex Regiis bene habet *duces*. Cæterum versus per interrogationem est efferendus. B.

26. *Injurium est*] Quia nihil quicquam injustius homine imperito. *Nam si esset unde id fieret*] Non est necessario consequens, sed probabiliter admittitur apud oratores: non enim omnes qui habent unde faciant, continuo etiam faciunt. *Unde id fieret*] *Fieret*, producta prima syllaba. Ennius, *Memini me fieri parvum*. D.

27. *Et tu illum tuum, si esses homo*] Multum progressus est, accusans accusantem. D.—Lege, *et illum tú tuum*. Sic infra, iii. 3. 41. *sineres vero illum tu tuum facere hæc?* B.

28. Pro *licet* duo Jani Gulielmi, quos antiquissimos habet, legunt *decet*. In illo Tibulli i. 1. 85. *Jam subrepet iners ætas, nec amare decebit*: aliquot etiam libri habent *licebit*. Vide ipsum ad Plaut. Militem cap. 6. et nos ad Horat. ii. epist. ii. 216. B.

29. *Exspectatum*] Odiosum et malæ vitæ (*molestæ vitæ* Ms. Hulst. et Lindenbr. Unde forte legendum, *odiosæ et molestæ vitæ*). Nam filiis parentes aut amabiles sunt, aut exspectati: amabiles, boni: *exspectati*, mali: quorum mors in dies singulos exspectanda et optanda sit. Nam *exspectamus* ante diem, *speramus* ad diem: unde avidior intelligitur, qui exspectat, quam ille qui sperat. *Quam, ubi te exspectatum*] Eo rem produxit, ut ipse magis videatur consulere disciplinæ, quam Demea. *Ejecisset foras*] Non dixit *amisisset*: sed, ut quiddam abjiciendum, *ejecisset*. D.

30. *Alieniore ætate, post faceret tamen*] Ἀνακόλουθον: deest enim *quamvis*. Et *faceret* ultimum, magnam vim habet: nihil enim prodesset, insuper obesset, retinere (*retineri* Mss. et edd. vett.) ab istis filium juvenem. *Alieniore* pro *aliena* dicens, comparativum gradum pro positivo posuit. D. —*Alieniori ætate*] Hoc est, post adolescentiam. E.—*Post faceret*] Charis. lib. ii. L.

31. *Pro Juppiter!*] Tragica exclamatio est. Et bene, tanquam ipse se reprehenderet Demea, adjecit, *Tu homo adigis me ad insaniam*] Et *tu homo* dicens, negat illi familiaritatem. D.—*Adigis me*] Ms. R. *rediges me*. L.—Etsi Faerni libri, Vatic. Basilic. et Donatus, et nostri fere omnes, habent *rediges* aut *redigis*: nos tamen cum Faerno probamus lectionem *adigis*, quæ est in Bemb. Victor. Decurtato, et in uno ex nostris veterrimis in margine. Eandem quoque laudat Charisius p. 214. B.

Non est flagitium facere hæc adolescentulum? Mi. Ah,
Ausculta: ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi:
Is meus est factus: si quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obsonat, potat, olet unguenta? de meo:
Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum:
Ubi non erit, fortasse excludetur foras:
Fores effregit? restituentur: discidit
Vestem? resarcietur. Est, Dis gratia,
Et unde hæc fiant, et adhuc non molesta sunt.
Postremo aut desine, aut cedo quemvis arbitrum:
Te plura in hac re peccare ostendam. De. Hei mihi!
Pater esse disce ab aliis, qui vere sciunt.
Mi. Natura tu illi pater es, consiliis ego.

32. *Non est flagitium facere hæc*] Moraliter indignatio expressa est, iisdem verbis, quæ frater dixerat, repetitis. D.

33. *Ne me obtundas*] Ne me sæpe et moleste interpelles. Nam *obtundere*, est aliquid sæpe odiose repetere. D.

34. *Tuum filium dedisti adoptandum mihi*] Mira argumentatio per ἀναγωγήν, quæ *inductio* ab oratoribus dicitur, quum per interrogationem pervenimus ad id, quod volumus concludendum. D.

35. *Is meus est factus*] Sic progreditur, quasi confessionis genus sit, adversarium tacuisse. *Si quid peccat, Demea*] Τῷ ἰδιωτισμῷ interposuit *Demea*: et repetitum est, *peccat*. D.

36. *Ego illi maxumam partem feram*] Errant, qui putant *illi* esse pronomen, quum sit adverbium loci: ut, Æn. ii. 548. *illi mea tristia fata, Degeneremque Neoptolemum narrare memento. Illi* ergo ibi, ubi ille peccat. Quare quidam etiam *li* syllabam discretionis causa, ut locum significet, corripiunt. Et *maxumam partem*, optime dicit. Non enim *universam*, quia non solus pater Æschini est: sed *maxumam*, quia ejus magis est, cujus filius cœpit esse per adoptionem. *Feram*] Sustinebo, tolerabo. D.

37. *Olet unguenta?*] A summo ad imum proposita solvuntur. Et mira varietas est, *olet unguenta*; ne diceret, obsonat, potat, unguitur: ne scilicet hæc exercitationis palestricæ, non luxuriæ dicerentur. D.—*Potat? olet unguenta?*] Priscian. lib. viii. L.—Varro de L. L. vi. *Apud Terentium: scortatur, potat, olet unguentum? de meo. Scortari est sæpius meretriculam ducere, quæ dicta a pelle.* Hoc Varro, falsus memoriæ: quippe omnes hodie libri *obsonat*. B.

38. *Amat?*] Πρὸς τὸ, Cur amat? *Dum erit commodum*] Dare scilicet. D.—*Dum erit commodum*] Asconius ii. 13. in Verrem. L.

39. *Ubi non erit*] Argentum scilicet: sed *commodum dare*, subaudiendum est. *Fortasse excludetur foras*] Hoc ita protulit, quasi dicat, nihil sibi deperisse, si gratis forte fuerit ad amicam admissus. Et totum hoc τῷ ἐξουθενισμῷ legendum est. Et mire *fortasse* dicit, ut pater indulgens, et credens adolescentem posse etiam amari ab amica: non enim affirmavit, ut diceret, *excludetur foras*. D.

40. *Fores effregit? restituentur*] Pervenit ad præsens crimen: illa enim ante acta fuerant. D.

41. *Resarcietur*] *Re* abundat. D.

42. *Et unde hæc fiant*] Iterum subaudiendum, *est*. *Et adhuc non molesta sunt*] Quia non est flagitium, adolescentem scortari. D.

45. *Ab aliis, qui vere sciunt*] Superbum fuisset, *a me* dicere: melius ergo *ab aliis* dictum est. D.—*Qui vere sciunt*] V. C. *qui vivere*. L.—Lege *Pater esse disce ab illis, qui veri sient*. Nam *ab illis* reperitur et in Faerni libb. antiquis, et nostris omnibus. Tum Palmerius, probante Guyeto, *sient*. Recte; modo legas quoque *veri*. Sic Ovid. Met. ix. 24. *Juppiter aut falsus pater est, aut crimine verus*. B.

46. *Natura illi pater es, consiliis ego*] Urbane Micio *consiliis* subjunxit: plus enim valet ad laudem *consilium*, quam *natura*. Et simul ostendit poeta verbis Micionis, qui non natura, sed affectu sit pater, nullum patrem esse sapientem: eum vero posse sine perturbatione perfrui iis quos amat, quem patrem esse consilium fecerit, non natura, hoc est, qui filium

DE. Tun' consulis quicquam? MI. Ah, si pergis, abiero.
DE. Siccine agis? MI. An ego toties de eadem re audiam?
DE. Curæ est mihi. MI. Et mihi curæ est: verum, Demea,
Curemus æquam uterque partem: tu alterum,
Ego item alterum: nam ambos curare, propemodum
Reposcere illum est, quem dedisti. DE. Ah, Micio.
MI. Mihi sic videtur. DE. Quid istic? tibi si istuc placet,
Profundat, perdat, pereat; nihil ad me attinet.
Jam si verbum unum posthac. MI. Rursum, Demea,
Irascere? DE. An non credis? repeton' quem dedi?
Ægre'st: alienus non sum: si obsto; hem, desino,
Unum vis curem, curo: et est dis gratia,
Quum ita ut volo est; iste tuus ipse sentiet

adoptaverit. Et mire, quum *natura* singulariter dixerit, pluraliter intulit *consilia ego*. D.—*Tu natura pater*] Ut Sallust. Cat. 6. *Curæ similitudine patres appellabantur*. Postremo concludit, quod jam repetat filium, quem dedisset. Hac re territus senex, cum iracundia tamen conqueritur, quod alienus non sit filio, ac propterea cogatur de eo cogitare. E.

47. *Tun' consulis quicquam?*] Apertior contumelia: et ideo sequitur denunciatio discedendi. *Tun' consulis quicquam?*] Quia dixit, *consiliis ego pater sum:* a conjugatis argumentatus respondit, *Tun' consulis quicquam?* quia a consulendo *consilia* dicuntur, et *consultores*. *Si pergis, abiero*] Ut, Æn. ii. 719.—*donec me flumine vivo Abluero. Si pergis, abiero*] Ἀρχαϊσμὸς, pro *abibo:* et hoc gestu abeuntis, vel abituri pronunciatur. D.

48. *Siccine agis?*] Recte, quia jam abibat: quasi revocantis correptio (forte, *correctio* Z.) est. *An ego totiens*] Hoc conversum intelliges dicere. *Audiam?*] Deest *te:* sed exprimere durum fuit. Et hoc est obtundere. D.

49. *Curæ est mihi*] Æschinus scilicet. D.

50. *Curemus æquam uterque partem*] Proprie *uterque* et *æquam*, quasi particeps fratris. D.

51. *Propemodum*] Nisi addidisset *propemodum*, falsa videretur esse sententia. D.—Ne male accentus in fine sit, et Trochæus male in sede penultima, lege *nam cúrare ambos, própemodum*. B.

52. *Ah! Micio*] Religiose commotus est: ac veluti incusatio est perfidiæ: et ideo exclamat dolens, et transit in iracundiam, concessionemque, quæ ἐπιτροπὴ dicitur. D.

53. *Mihi sic videtur*] Rationabiliter non *est sic* dixit; sed, *sic videtur:* non vult enim verum esse. *Quid istuc?*] Deest *loquor* aut *resisto:* nam proprie significatio est de sententia sua decedentis. D.—Codd. meliores, *si istuc tibi placet*. Recte, vel propter accentum. B.

54. *Profundat, perdat*] Ἐπιτροπὴ figura. Virg. Æn. iv. 381. *I, sequere Italiam ventis; pete regna per undas. Profundat, perdat, pereat*] Hæc sic pronuncianda sunt, ut ostendatur gestu, nolle quod loquitur. D.—*Profundat, perdat*] Serv. Æneid. iv. 381. L.

55. *Si verbum unum posthac*] Ἀποσιώπησις. Deest *tibi fecero*, aut tale hujusmodi. D.—*Verbum unum*] Ms. R. *ullum*. L.—Codd. nostri *verbum ullum*. Recte. Cf. And. i. 5. 21. Eun. i. 2. 8. B.

56. *Rursum*] Quasi curans irasceris? (Ms. B. et edd. vett. *Quasi rursum curans irasceris?* Malim, *Quasi mirans*, RURSUM IRASCERIS?) *An non credis?*] Irasci scilicet. *Repetone quem dedi?*] Rusticani stomachi est repetere semper verba, quæ invitus alius audierit. *Repetone quem dedi?*] Minus erat, si Æschinum diceret; sed plus est, *quem dedi*. D.

57. *Ægre est*] Quasi dictum sit, Quid ergo loqueris? quia ægre est. Cur ægre est? quia alienus non sum. *Alienus non sum*] Mire *alienus non sum:* quasi timeat jam dicere, *pater sum. Alienus non sum*] Satis cum stomacho: quasi dicat, Si patrem me esse jam non licet, alienus non sum. D.

59. *Iste tuus*] Memoriter *iste tuus*, ad illud quod dixerat, *meus est factus. Iste tuus ipse sentiet posterius*] Quantus sis, quantumque eum ames: hoc est, ut decipiatur per indulgentiam tuam (Leg. *Hoc est, Quantumvis et quantumcunque eum ames, decipietur p. i. t.*). *Ipse sentiet*] *Sentire*, multi pro malo posuere: ut ipse alibi, *Sit rogas? sensi: nam unam ei cœnam atque ejus comitibus dedi*. D.—*Iste tuus*] Prisc. lib. xvii. L.

Posterius: nolo in illum gravius dicere.
Mi. Nec nihil, neque omnia hæc sunt, quæ dicit; tamen
Non nihil molesta hæc sunt mihi: sed ostendere
Me ægre pati illi, nolui: nam ita'st homo:
Quum placo, advorsor sedulo et deterreo:
Tamen vix humane patitur: verum si augeam,
Aut etiam adjutor sim ejus iracundiæ,
Insaniam profecto cum illo: etsi Æschinus
Nonnullam in hac re nobis facit injuriam.
Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit
Aliquid? postremo nuper, (credo jam omnium
Tædebat,) dixit velle uxorem ducere.

60. *Posterius*] Etenim Demea satis hoc grave existimat dictum in eum, qui non provideat in futurum: et arctius (*gravius*) quia pater est. *Nolo in illum gravius*] Scilicet quam hoc. D.—*Posterius: nolo*] Char. lib. ii. L.—In Fragmentis Menandri fertur: Οὐδένων' ἀληθὲς οὐδὲν οὔθ' υἱῷ πατὴρ Εἴωθεν ἀνειλεῖν, οὔτ' ἐρῶν ἐρωμένῃ. W.

61. *Nec nihil*] Apparet Terentium favere lenissimis patribus: unde subjecit etiam rationem facti Micioni. *Nihil, et nonnihil*] Nota figura est, conveniens placidissimo seni, qui in reprehendendo adolescente moderatus est. *Neque omnia hæc sunt quæ dicit*] Bene a Micione hoc dicitur: quia indulgentioris est plura scire: et supra dixit, *Ea ne me celet, consuefeci filium*. Et hic sensus est: Nec contemnenda sunt quæ dicit, nec omnia dicit tamen. Hoc est, non sola sunt quæ dicit, sed multa alia. Et ordo est, Neque tamen hæc quæ dicit, sunt omnia. D.—*Nec nihil*] Λεθάργης, pro aliquid. E.—Recte Daceria ab hoc versu novam scenam constituit. Nam postquam Demea excessit, solus Micio secum loquitur; et, ne spectatores nimia indulgentia offendantur, ipse reprehendit mores filii, et simul aditum patefacit ad reliquorum intelligentiam. Z.

62. *Nonnihil molesta*] Placidissime *Nec nihil* dixit: et *Nonnihil* maluit repetere, quam vehementer iracundiam demonstrare: est enim altera δυπλάργης. *Nonnihil molesta hæc sunt mihi*] Optime poeta Micionem fecit commotum: ne (*nam* Z.) si omnino immobilis esset, non indulgere adoptivo filio, sed omnino eum non curare videretur. Ergo sic in eum servat placidum animum, ut tamen retineat patris affectum. *Sed ostendere me ægre*] Constat ergo, *ægre pati*. Nam aliter non erat parena. D.—*Sed ostendere, me agere*] Sed simulate ago; quia si fratris iracundiam juvarem, protinus insaniret. E.

63. *Illi*] Demeæ scilicet. Aut *illic*, id est, ibi, ubi Demea litigabat. *Nam ita est homo*] *Homo* dixit moraliter: sic enim de iis dicimus, quos parce reprehendimus: ut alibi, *Ut homo est, ita morem geras*. D.

64. *Quum placo*] Id est, quum volo placare. D.—*Quum placo, advorsor*] Diomed. lib. i. L.

65. *Verum si augeam*] Argumentum a contrario. *Nam placare*, contrarium est irritantibus augentibusque iracundiam. D. —*Tamen* in primo pede corripi non rarum putandum est. B.

66. *Aut etiam adjutor sim ejus iracundiæ*] Κόλληψις. Nam a genitivo casu accusativus assumtus est. D.

67. *Etsi Æschinus nonnullam in hac re*] Rursus δυπλάργης, ut sit mitis reprehensio: et hoc ipso gravis. Nam *etsi*, et *nonnullam nobis*, temperamento sunt posita. D.—*Etsi Æschinus nonnullam*] Jam redit ad æstimationem, an vere Æschinus peccaverit. E.

69. *Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit aliquid?*] Ἤθος ὑπερβολῆς, *quam non*, et *cui non*. Ea tamen hæc sunt, ut non gravi sono accusationis proferantur, sed solam reprehensionem contineant. *Aliquid* vero, admirantis est. Quod addidit *meretricem*, ostendit Micionem hoc solum adhuc scire; nihil autem de vitiata virgine. *Quam hic non amavit meretricem?*] Et hoc cum venia et defensione. Nam colere meretricem, non est flagitium: et simul etiam vitiatæ virginis adhuc ignarus ostenditur Micio. *Aut cui non dedit aliquid?*] *Aliquid* dicendo, prætermisit vel meretricem vel numerum (Leg. CUI *et* ALIQUID *dicendo prætermisit*, meretrici *et* munerum). D.

70. *Credo, jam omnium tædebat*] Παρέκβασις πρέπη. Etenim addimus ad ea quæ apud nos parum certa sunt, aut *credo*, aut *puto*. D.

71. *Dixit velle uxorem ducere*] Mirum est apud Terentium, quum etiam

Sperabam jam defervisse adolescentiam.
Gaudebam: ecce autem de integro: nisi quicquid est,
Volo scire: atque hominem convenire, si apud forum est.

ACTUS SECUNDI SCENA PRIMA.

SANNIO. ÆSCHINUS. PARMENO.

OBSECRO! populares, ferte misero atque innocenti auxilium:
Subvenite inopi. Æs. Otiose, nunc jam ilico hic consiste.
Quid respectas? nihil pericli'st: nunquam, dum ego adero, hic te tanget.
SA. Ego istam invitis omnibus.

per nescias personas indicet argumenta. Nam quum Micio nesciat amari ab Æschino civem virginem; tamen dicit, *credo, jam omnium tædebat*, et, *dixit se velle uxorem ducere*. Sic ex parte magna ostendit nescius argumentum: ideo quia (*ideoque* liber uterque) verisimile est, amantissimum Æschini Micionem omnes scire affectus adolescentis et consuetudines. Et apparet præterea, conatum ex parte fateri vitiatum amore (*vitiatam ex amore* Z.) Æschinum, et (*sed* Z.) pudore impeditum, tantum hoc dixisse, quod honeste potuit, velle se uxorem ducere: quam autem vellet, tacuisse confusum. D.

72. *Sperabam jam defervisse adolescentiam*] Recte *Sperabam*, pro *Gaudebam*: sic enim dicimus, quum errasse nos cernimus. Et mire: non dixit, *Sperabam illum tam corruptum*: sed mitis senex totum ætati attribuit, nihil filio. *Defervisse adolescentiam*] Servat propositum circa ætatis veniam. *Defervisse*] Quasi deorsum a fervore tenuisse. Legitur et *desevisse*. D.

73. *Ecce autem de integro: nisi quicquid est*] Ἀναστόμωσις prima: quia non vult credere. *Nisi quicquid est*] Deest, *quia*: ut sit, *nisi quia*. Et est sensus, Nisi quia non temere credo, et volo scire quicquid est. D.

1. *Obsecro! populares*] *Populäritas* in omnis rei consortium sumitur: nunc autem *populares* cives dicit: et hoc est, quod veteres *Quiritari* dicebant, Quirites conclamare (Lucil. apud Non. v. Quiritare: *Hic, inquam, rudet e rostris, atque ejulitabit, Concursans uti arenarius, clareque quiritans*). *Obsecro populares, ferte misero atque innocenti auxilium*] Hic exemplum est contumeliosi per potentiam divitis, et in perniciem suam pauperis contumacis. *Misero atque innocenti auxilium: subvenite inopi*] Tria sunt, *miser, innocens, inops*. D.—*Obsecro! populares*] Hæc scena vim certaminis continet, sine ulla specie controversiæ: tantum in dictis quædam qualitas habetur. *Populares*] Hoc nomen significat de populo socios ejusdem conditionis. E.—Bis Æschinum cum lenone esse rixatum tenendum est; primum cum ex domo lenonis fidicinam abduceret; cujus rei rumorem supra ad Micionem detulit Demea. Interim Æschinus fidicinam, insequente eum lenone, domum Micionis deduxit. Quod cum leno impedire, quo minus fieret, conaretur, secunda orta est rixa, de qua hic agitur. FAERN.

2. *Subvenite inopi*] Vide quam posteriora vehementiora sunt, ad incendendum populum: primo *miserum*, post *innocentem*, ad ultimum *inopem* posuit: et primo, *ferte auxilium*; post, *subvenite*. Et totum hoc principium a benevolentia sumitur: quæ comparatur ex invidia potentiæ Æschini. Nam contraria in Æschino esse, vult intelligi. *Otiose, nunc jam*] *Otiose*, secure significat. Nam nisi qui securus est, otiosus non est. *Otiose, nunc jam ilico hic consiste*] Simul imperavit modum, tempus, locum, factum. Modum, *otiose*; tempus, *nunc*; locum, *hic*; factum, *consiste*. Nam *jam* et *illico*, alterum tempori adjungitur, alterum loco. At *consistere* est audacter et constanter stare: ut, Æn. v. 426. *Constitit in digitos extemplo arrectus uterque. Illico*] Modo locum, non tempus significat. D.—*Hic consiste*] Hoc intelligendum, dici ad mulierem quæ sublata est. Dein adjecit: *Quid respectas? Nihil pericli est*. E.

3. *Nunquam*] Pro *non*. Virgilius, Æn. ii. 670. *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*. D.

4. *Istam invitis omnibus*] Deest *abducam*. *Ego istam invitis omnibus*] Bona ἔλλειψις: nemo enim plene loquitur, qui luctatur. D.

Æs. Quamquam est scelestus, non committet hodie unquam, iterum ut vapulet.
Sa. Æschine, audi, ne te ignarum fuisse dicas meorum morum,
Leno ego sum. Æs. Scio. Sa. At ita, ut usquam fuit fide quisquam optuma.
Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle
Factam esse, hujus non faciam: crede hoc, ego meum jus persequar.
Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re malefeceris.
Novi ego vestra hæc: Nollem factum: jusjurandum dabitur, te esse
Indignum injuria hac; indignis quum egomet sim acceptus modis.
Æs. Abi præstrenue, ac fores aperi. Sa. Cæterum hoc nihil facis.

5. Quanquam est scelestus, non committet] Ἀναπλοῦν primum: nam quum præposuisset *quamquam*, non subjecit *tamen. Committet*] Perficiet: sed hoc proprie de illicitis et puniendis facinoribus dicimus. Et simul hic ostendit comicus adolescens cedere se lenoni, invitum se noxam intulisse: et id quod fecerit, fecisse lenonis culpa, non sua. *Iterum ut vapulet*] Minaciter (*Mire utique* Z.) poeta priorem litem sustulit, dicendo *iterum*: ut non eadem lis esset, de qua supra Demea questus est; sed instaurata nascatur (*nosceretur*) Z.). D.—*Iterum ut vapulet*] Supra enim cum meretrix raperetur, leno vapulavit. E.

6. Ne te ignarum fuisse] Prodest enim absolutioni reorum imprudentia, aut casus, aut necessitas. E.

7. Leno ego sum] *Leno*, terribiliter pronunciandum est: quasi dicat, *cui supplex eris.* Sed ex argumento est, quod contemnit Æschinus minas lenonis: utpote qui jam uxorem decreverat ducere. *Scio*] Hic (*Hoc sic*) respondit, quasi in lenone imminutio capitis tantum consisteret (Forte, *Hic sic respondit, quasi lenonis comminatio in nictu capitis tantum consisteret* Z.). *Fide quisquam optuma*] *Fides* in concipiendis comminationibus: nam (*Nam* recte omittitur ab edd. vett. ut antecedens et consequens unam efficiat sententiam Z.) *denunciatio* comminantis est. D.—*Leno*, inquit, *ego sum*] Cum audisset Æschinus, illud potius intellexit, quod leno facilis esset, qui plagis ac verberibus subjiceretur, magisque ad contemtum hoc nomen audivit: ideo adjecit leno, sed talis qualis *fuit fide quisquam optuma.* E.

8. Tu quod te posterius] Tu posterius fortasse sic te purgare incipies, quod mihi nolles fecisse injuriam. E.—*Posterius purges*] Charis. lib. ii. L.—Sic libri omnes et Charisius, p. 191. Frustra igitur est, qui interpolatum velit, *Tum quod te.* B.

9. Hujus non faciam] Figurate ergo, *Quod te purges* (distingue sic, *Figurate. Ergo quod te purges:* cf. mox ad versum 36.), id est, purgationem tuam. *Hujus* autem, δεικτικὸν est. Aut enim stipulam, aut floccum moverat, aut summum digitum. *Hujus non faciam*] Cicero, Verr. ii. 50. *Ne tantulum quidem commotus est. Ego meum jus persequar*] Hoc est, lenonium. *Meum jus*] Meam libertatem. *Meum jus*] Meam vindictam. Nam ut illa *injuria* est, quæ fit innoxio; ita *jus* vindicta illa, quæ redditur reo. *Persequar*] Ulciscar. Cicero, *Tu dum tuas injurias per te, id quod non potes, persequi conaris.* D.—*Hujus non faciam*] Hoc est, ne hujus parvuli te faciam, ac propterea contemnam ac despiciam. E.

10. Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re malefeceris] Νομικῶς. Et *solves*, lues, persolves, id est, satisfacies, ac te purgabis. *Re malefeceris*] Acuendum est *re*, et significanter proferendum. Ibi enim est sententia. Et plus dixit, *re malefeceris*, quam *injuriam feceris.* D.

11. Novi ego vestra hæc] Ἔλλειψις: deest enim *verba. Jusjurandum dabitur*] Hoc est, jurabimus te esse indignum cui injuria fiat hujusmodi. Aut separatim *jusjurandum dabitur:* et separatim, *te esse indignum injuria hac.* Et sic melius. Verba enim satisfaciunt, quum res colligitur in generalibus causis. Nam sæpe iræ ac lites jurejurando sunt terminatæ, Ebr. vi. 16. D.—*Jusjurandum dabitur*] Quemadmodum sponsio ante judicium fieri solet, ita hic dixit, jusjurandum dabitur, quod indignus fueris, qui hanc injuriam mihi faceres. E.

12. Indignum injuria hac] Comice *indignum* et *indignis.* D.

13. Abi præstrenue] Aut *Abi præ*, id est,

Æs. I intro jam nunc. Sa. At enim non sinam. Æs. Accede illuc, Parmeno:
Nimium istoc abisti: hic propter hunc adsiste: hem, sic volo. Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos: Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuo in mala hæreat.
Sa. Istuc volo ergo ipsum experiri. Æs. Hem, serva. Pa. Omitte mulierem.
Sa. O facinus indignum! Æs. Geminabit, nisi caves. Sa. Hei misero mihi!
Æs. Non innueram: verum in istam partem potius peccato tamen. I nunc jam. Sa. Quid hoc rei est! regnumne, Æschine, hic tu possides?
Æs. Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.

prior: aut *Abi præ*, id est, præi: ut, *I præ, sequar.* Aut *præstrenue:* ut Æn. xi. 213. *prædivitis urbe Latini. Abi præstrenue*] Magna contemtio minarum lenonis, non respondisse Æschinum ad ea quæ dixerat. *Cæterum hoc nihil facis*] *Nihil* pro *non.* Legitur et *nihili.* D.—*Præstrenue*] Valde, obsequenter. E.—Lege ex nostris aliquot, *Abi præ strenue:* ut *I præ*, sæpe. Et sic apud Nonium est v. Apertum. Deinde lege *forem*, de qua voce supra egimus. B.

14. *At enim non sinam*] *Enim*, inceptiva particula apud veteres fuit: sed et convenit perturbationi. D.—Bentleius edidit *I intro nunc iam.* Z.

15. *Nimium istoc abisti*] Quasi ex contumacia lenonis appareat, quod multum abierit. *Propter hunc*] Juxta hunc: ut Virg. Georg. iii. 13.—*templum de marmore ponam Propter aquam. Hem! sic volo*] Mire comicus ex alterius verbis, quid faciat alter, ostendit. D.

16. Vulgo *dimoveas*, sed *demoveas* recte libri meliores nostri et Faerni. B.

17. *Quin pugnus continuo*] *Pugnus* a pugna dictus: aut ab illo *pugna. Pugnus continuo*] Id est, vestigium litigantis (*E vestigio in lenonis gena sit pugnus*). D.—Octonarius Iambicus probat lectionem antiquam *innuerim* pro *innuero*, quod est recentiorum codd. B.

18. *Istuc volo ergo ipsum experiri*] Expresse ostendit pauperioris loquacem contumaciam usque ad pericula cædis. *Istuc volo ergo ipsum experiri*] Hoc illo dicente, servus lenonem verberat. *Hem! serva*] Nescias cui dicat hæc Æschinus, an lenoni an servo: sed servo magis est verisimile. D.

19. *Geminabit nisi caves*] Hoc comminantis est, non jubentis ferire: sed quia longe stat Parmeno, *gemina* putavit dictum. Et *geminabit*, subaudiendum est *plagam. Geminabit, nisi caves*] Non singularem pugnum et unum dabit, sed *geminabit:* quasi dicat, geminato duplicatoque numero inferet. *Hei misero mihi!*] Leno pulsatur. D.—*O facinus indignum*] In Ms. R. *indignum* deest. *Misero mihi*] Ms. R. *ei miserum!* L.—Ne versus sit justo longior, repone, *O facinus miserandum! Geminabit, nisi caves. Hei miseriam!* Certe nostri habent *O miserum facinus*, et *Hei miseriam.* B.

20. *Non innueram*] Convenienter poeta avidiorem Parmenonem malefaciendi inducit, quum supra dominum invitum ostenderet cogi ad inferendam injuriam. *In istam partem potius peccato*] Ut verberes non jussus potius, quam jussus non verberes. D.—*Verum in istam partem*] Ut lenonem cæderet servus, non innuerat adolescens, sed hac, inquit, parte potius peccato. Licet enim contra imperium mecum fecisti, tamen id fecisti quod vellem. E.

21. *Nunc jam*] Duæ partes istæ sunt. Et bene *jam*, quia sero, et post plagas. Et utrum hoc lenoni, ut abeat; an puellæ, ut introeat, dicitur? sed facetius est, si lenoni intelligas dici: quasi hoc factum sit quod voluerit; et quasi venerit ut vapulet. Et *jam* etiam tarditatis incusatio est: ut Virgilius, Æn xii. 179. *Jam melior, jam, diva, precor. Regnumne, Æschine*] Invidiose moraliter exclamatio, et ardentior ad plagas. *Regnumne, Æschine, hic tu possides?*] Bene *hic*, id est, Athenis, ubi gravius crimen est dominari velle. Nam tyranni ibi semper oppressi sunt, et maxime proximi (Vulgo, *maxime a proximis*). D.—*I nunc jam*] Ms. R. et V. C. *I nunc jam tu.* L.

22. *Si possiderem*] Ἥθικὴ ἀφωνεία contemnentis in (dele *in*, ducibus Mss. et edd. vett.) invidiam. *Ornatus esses ex tuis virtutibus*] Cito ostendit quantum

SA. Quid tibi rei mecum'st? ÆS. Nihil. SA. Quid? nostin' qui sim? ÆS. Non desidero.
SA. Tetigine tui quicquam? ÆS. Si attigisses, ferres infortunium.
SA. Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?
Responde. ÆS. Ante ædis non fecisse erit melius hic convicium.
Nam si molestus pergis esse, jam intro abripiere; atque ibi
Usque ad necem opperiere loris. SA. Loris liber? ÆS. Sic erit.
SA. O hominem impurum! hicine libertatem aiunt æquam esse omnibus?
ÆS. Si satis jam debacchatus es, leno, audi si vis nunc jam.
SA. Egon' debacchatus sum autem, an tu in me? ÆS. Mitte ista, atque ad rem redi.
SA. Quam rem? quo redeam? ÆS. Jamne me vis dicere, quod ad te attinet?

(*quam*) a se longe sit regnum, quæ dixerit (alii, *qui dixerat*. Forte, *quia dixerat* Z.) ornari potuisse lenonem. *Ex tuis virtutibus*] Sic veteres per ἐλρωνείαν *virtutes* pro flagitiis dicebant. Lucilius, *animo ac virtutibus*. D.—*Ornatus esses, etc.*] *Virtutes* hic per ἐλρωνείαν pro vitiis collocavit. E.

23. *Quid tibi rei mecum est?*] Hoc, quia verberatus est, dicit: ut sit, *Quid tibi debeo?* non quia nihil sibi debeatur. *Nihil*] Facete: quia ipse abstulit, et *nihil* vult a se repeti. *Quid? nostine qui sim?* Proprie: sic enim dicit qui nihil quicquam debet, *Non me novit*: non quod ignoretur, sed quod in jure non cernatur. D.

24. *Si attigisses*] Plus dixit *attigisses*, quam *tetigisses*: est enim multo minus *attingere*, quam *tangere*. D.—*Infortunium*] Malam fortunam. E.

25. *Qui tibi magis licet*] Hic non tam ratiocinatio est, quam exclamatio per dolorem. *Qui tibi magis*] Si mihi, inquit, non licet attingere tuam; cur tibi licet meam non tangere, sed habere? Et *habere*, utrum domi in consuetudine; an corrumpere, id est, stuprare intelligimus? *Meam habere, pro qua ego argentum dedi?*] *Meam* suffecerat: sed magna moralitate additum, *pro qua argentum dedi*, ad vociferationem: simul esse ostendit leno quod repetat. D.—Lege *Qui tibi meam magis licet habere*. B.

26. *Ante ædes non fecisse erit melius hic convicium*] Non erat quod ad hæc juste responderet: et ideo sic respondet, ut convicium dicat: quod verum est. D.—*Ante ædis non fecisse*] Placid. Lact. ad Stat. Thebaid. lib. ii. vers. 417. L.

28. *Loris liber?*] *Lora* apud veteres *laura* dicebantur, a lauro triumphorum: sub (*sub* Nannius vult deleri) qua mos erat captivos vinciri, ducique per pompam: ideo autem, ut conditionis reminiscantur, loris cæduntur mancipia. Nam *mancipia* dicuntur, quod manu capta sunt: *servi*, qui servati sunt, quum eos occidi oporteret jure belli: unde Virgilius Æn. x. 524. sic inducit captivum rogantem, *Per patrios manes, per spes surgentis Iuli, Te precor, hanc animam serves natoque patrique*. D.

29. *O hominem impurum!*] Sic veteres *impurum* generaliter pro improbo ponebant: ut in eadem hac fabula, *Persuasit ille impurus, sat scio. Hicine libertatem*] Scilicet Athenis. *Æquam esse omnibus?*] Quasi diceret, Ubi non est, quando Æschinus loquitur (*dominatur* Z.). Et bene *omnibus*: ut ne lenones quidem videantur excepti. D.—*Libertatem æquam*] Athenis, ubi communis omnium fuerat libertas: populi enim jussu respublica agebatur. E.

30. Recte quinque ex vett. nostris habent *debacchatus, leno, es*: ne *leno* in Thesi occultetur. B.

31. *Mitte ista, atque ad rem redi*] Superbe adolescens maleficium non putat lenonis esse purgandum. *Ad rem* autem, ad negotium de quo agitur, dicit. D.

32. *Quam rem?*] Quam abduxisti. *Res* enim, pecunia intelligitur; vel id pro quo pecunia danda est. *Quo redeam?*] Ad, quam (*Ad eam, ob quam* Z.) evertisti domum: quia, *Fores effregit, atque in ædes irruit alienas. Quod ad te attinet?*] Quod tibi prodest, et commodum est? D.—Meliores Faerni, et nostri omnes libri, *id quod ad te attinet*. B.

SA. Cupio: æqui modo aliquid. ÆS. Vah! leno iniqua me non volt loqui.

SA. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium,

Perjurus, pestis: tamen tibi a me nulla orta est injuria.

ÆS. Nam hercle etiam hoc restat. SA. Illuc quæso redi, quo cœpisti, Æschine.

ÆS. Minis viginti tu illam emisti, quæ res tibi vortat male.

Argenti tantum tibi dabitur. SA. Quid, si ego tibi illam nolo vendere?

Coges me? ÆS. Minime. SA. Namque id metui. ÆS. Neque vendundam censeo,

Quæ libera'st: nam ego liberali illam assero causa manu.

Nunc vide, utrum vis; argentum accipere, an causam meditari tuam.

Delibera hoc, dum ego redeo, leno. SA. Pro supreme Juppiter!

33. *Cupio*] Ille, *vis*, dixit: hic *cupio*. *Modo æqui aliquid*] Subaudiatur, *dicas*. *Vah! leno iniqua me non vult loqui*] Nomen sacrilegum, et injustum *leno*, iniquitatem agitat, justitiæ patrocinatur. Hoc totum εἰρωνευκῶς pronunciandum est. D.—*Leno iniqua*] Satis ostendit quam iniquus ipse sit, cum dixerit, *Leno sum, fateor*. Sensus est: Sum quidem quod dicis, etiam quod *pernicies communis adolescentum*, etiam quod *perjurus*: *nulla tamen tibi a me facta est injuria*. E.

34. *Leno sum*] Figura συγχώρησις. D. —Noster videtur transtulisse versus Diphili: Οὐκ ἔστιν οὐδὲ τεχνίον ἐξολέστερον Τοῦ πορνοβόσκου. W.

35. *Est orta injuria*] *Orta*, cœpta. D.—Ne *orta* in Thesi delitescat, recte duo ex vett. libris, *nulla'st órta injuria*. B.

36. *Illuc, quæso, redi quo cœpisti, Æschine*] Figurate: rectum enim erat, *unde cœpisti*: nisi forte *quo* pronomen est modo accipiendum: ut sit, a *quo*. Et bene memor est, dixisse Æschinum, *Omitte ista, atque ad rem redi*. D.

37. *Quæ res tibi vortat male*] Adjicit contumeliam, quasi et hoc multum sit et inimicum. *Vertumnus* dicitur deus, qui rebus ad opinata revertentibus (*ad inopinata se vertentibus* Z.) præest. Sæpe autem male cedit, quod bonum putatur: et hoc est *male vertisse*, ut ille gladius qui muneri datus, adminiculum fuit reginæ pereunti: de quo Virg. Æn. iv. 646.—*ensemque recludit Dardanium, non hos quæsitum munus in usus*. D.

38. *Quid? si ego tibi illam nolo vendere?*] Hæc majoris sunt atomachi: et ideo stultiora. Nam quod jam amisit, venditurum se negat. Et, *Quid? si nolo*, nove dictum est, et τῷ ἰδιωτισμῷ. *Quid? si ego tibi illam nolo vendere? coges me?*] Potest autem dici, *Quid si nolo, coges me?* D.—Recte *tibi* post *tantum* abest in Faerni optimis, et nostris omnibus libb. Nam est versus octonarius. B.

39. *Minime*] Εἰρωνεία. *Namque id metui*] Εἰρωνεία contumax et ridicula in eo quod jam amisit id, de quo dixit se cogi non posse. D.

40. *Nam ego illam liberali assero causa manu*] Ordo est, *ego liberali causa manu assero*. Et sunt juris verba: a quibus etiam *assertores* dicuntur vindices alienæ libertatis. Nam et causa ipsa, *liberalis* dicitur, quæ actionem in se continet libertatis. D.—*Nam ego am liberali causa*] Liberali manu dicit, ut ejus ostendat libertatem. E.—*Liberali illam assero*] In V. C. Pithœorum *liberali am assero*: quomodo etiam in Eugraphio. *Am* igitur antique est *eam*, ut *im* eum, *αὐτόν*. Glossar. Fest. et xii. Tabb. *Liberali manu asserere*, id est, liberali judicio natalibus restituere, *καρπίζεσθαι*. Et *assertor*, vindex, *καρπιστής*. Arrian. in Epictet. iii. 26. *μὴ ὅτι φιλοσοφεῖς* [ἔστω φορτικὸν τὸ ὄνομα] ἀλλ' *ὅτι καρπιστὴν διδώς*: τοῦτο γὰρ ἐστὶν ἡ ταῖς ἀληθείαις ἐλευθερία: quem locum neque recte assecutus est interpres: ut et Hervetus illum Clementis Alexandr. Stromat. lib. v. τὰ διὰ δικαιοσύνην ἐκεῖνα ζυγὰ καὶ ἀσσάρια, *καρπισμοί* τε καὶ αἱ τῶν ὅπλων ἐκλύσεις, etc. Bene autem in Glossar. *καρπισμὸς vindicta, assertio*: inde *καρπιστίαι, vindiciæ secundum libertatem*. L.

42. *Pro supreme Juppiter!*] Hæc locutio ad hoc inducta est, ut et verbis lenonis appareat quam facile mitis fieri possit, et quidvis libenter accipere. *Pro supreme Juppiter!*] *Supremum* nunc dicit summum: ab eo quod est *superium* (alii *super*; alii

Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria:
Domo me eripuit: verberavit: me invito abduxit meam.
Ob malefacta hæc tantidem emtam postulat sibi tradier.
Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Verum enim quando bene promeruit, fiat: suum jus postulat.
Age, jam cupio, si modo argentum reddat: sed ego hoc hariolor:
Ubi me dixero dare tanti, testis faciet ilico,
Vendidisse me: de argento, somnium: mox: cras redi.
Id quoque possum ferre, si modo reddat, quamquam injurium'st;
Verum cogito id quod res est: quando eum quæstum occeperis,
Accipiunda et mussitanda injuria adolescentium'st.

superior. Forte *superum*) et *superius* fit *supremum.* Virg. Æn. vii. 220.—*rex ipse Jovis de gente suprema, Troius Æneas tua nos ad limina misit.* Et non abhorret a persona et plebeii, et lenonia, et vim passi, Jovem ipsum convicio persequi, ut quotidie videmus ab hominibus ejus loci et ordinis fieri. D.—*Dum ego redeo*] Conclusit id, quod convicio dolorem pareret. Cum mora igitur pronunciandum *leno.* E.—Cum Æschinus abierit; cum Daceria inde a verbis *Pro supreme Juppiter!* nova scena est instituenda. Z.

43. *Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria*] Sensus hic est: Insanos fieri per injuriam plerosque mirabar; sed jam non miror, postquam ego ipse per injuriam quam sum passus, insanire compellor: adeo ut exclamem, *Pro Juppiter!* Et simul adverte vigilantem poetam, ut ubicunque in comœdia vocem tragicam extulerit, statim personam insanam dicere faciat: sic et supra, *Pro Juppiter! tu homo nunc adiges me ad insaniam.* D.—*Insanire occipiunt*] Serv. Æn. iv. 376. L.—Menandri fertur illud: Οἱ μοι, τὸ γὰρ ἄφρον δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ. W.

44. *Me invito abduxit meam*] Honestiori personæ hæc querela sufficeret, *abduxit meam:* sed leno bene adiddit, *me invito.* Nam abducuntur meretrices et cum voluntate (alii *absque voluntate;* male Z.) lenonum. Et decora locutio est per ἴλλεσθαι, *me invito abduxit:* non enim addidit, *puellam,* aut quid tale. D.

45. *Tantidem emtam postulat*] *Tantidem emtam,* legitur et *totidem emtam.* D.—Versus hi duo locum inter se commutarunt: repone, *Hómini misero plús quingentos cólaphos infregit mihi* | *Ob malefacta hæc tántidem emtam póstulat sibi trádier.* Res apparet, et alii ante nos viderunt. B.

46. *Homini misero*] Secundum illud Menandri. * ΑΙΓΟC ΤΗ ΠΟΙωΝ ΤΟΙΓΟεΡΠΑΤΟ ΤΟΝ ΓΡωΝΟΝ ΟΙΚεΤΗΝ λαβων * (Αἰζηὸς δὴ ποιοῦντα τοῦτι οἰκτρῶς ἐρράπισατο τὸν γηρύοντα οἰκέτην λαβών. Magis sensum quam versum restituere conati sumus. Z.) *Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi*] Contumeliosa cædes, *colaphus,* et digna lenone. *Infregit*] Ut illudens hoc feciase Æschinus videatur, cum sonitu se colaphizatum significat. *Infregit* autem, illisit, inflixit: ut sit sensus, *Inflixit homini misero plus quam quingentos colaphos.* Et flebiliter pronunciandum est: hoc enim exprimitur, ut tamen incuset in alieno facto fortunam suam. Et vide quantum hoc distet ab illo quod supra dicebat, *Ipsum istuc volo experiri:* hoc, quia solus est; illud, quia cum adversario. D.

47. *Bene promeruit*] *Bene,* multum. *Promeruit,* adjuvit, profuit: cui contrarium est *commeruit.* Nam *mereri* et *promereri,* est præstare beneficium. Virg. Æn. vi. 664. *Quique sui memores alios fecere merendo.* Et, Æn. iv. 334.—*nunquam, regina, negabo Promeritam.* D.—*Promeruit*] Hoc est, multa mihi præstitit. E.—Pro Faerni *fiet,* nostri omnes recte *fiat.* B.

48. *Arioler*] Divino, vel vaticinor. E.—Versus gratia pro *si modo* hic et versu 51. lege *modo si:* ut i. 1. 4. *ubi si cesses,* pro *sicubi.* B.

49. *Ubi me dixero dare tanti*] Recte dixit: ubi enim pactio intercesserit pretii, jam ereptionis actio sublata erit, et pretium debebitur. D.

50. *Mox, cras redi*] Mire transit ad μιμητικόν. D.—*Mox: cras: redi*] Singula pronuncianda sunt, quæ solent dicere debitores, ut non reddant quod debent. E.

51. *Id quoque possum ferre*] Id, *mox, cras redi,* id est, moram. *Quamquam injurium*] Vendere, quod nolis; *est,* scilicet. D.

52. *Id quod res est*] Pro, *id quod verum est:* bona locutio. *Quando eum quæstum occeperis*] Ut in Andria, *Deinde quæstum occipit.* D.—*Quæstum occeperis*] Vett. codd. *inceperis.* L.

53. *Mussitanda*] Patienda, consideranda cum silentio, et ut in amatore putanda,

Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes deputo.

ACTUS SECUNDI SCENA II.

SYRUS. SANNIO.

TACE, egomet conveniam jam ipsum: cupide accipiat faxo, atque etiam
Bene dicat secum esse actum. Quid istuc, Sannio, 'st, quod te audio
Nescio quid concertasse cum hero? SA. Nunquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quam hæc hodie inter nos fuit:

atque per hoc perferenda. *Mussitare* enim proprie est dissimulandi causa tacere, dictum vel a *muto*, vel ab *M:* quæ litera est nimium pressæ vocis ac pene nullius: adeo ut sola omnium quum inter vocales inciderit, atteratur atque subsidat. Hinc Virg. Æn. xii. 667. *mussat rex ipse Latinus.* D.—*Mussitanda*] Hoc est, tacenda et animo continenda. E.—*Accipienda, et mussitanda*] Querolus: *Sed quidnam hic flet?* Accipienda, et mussitanda injuria est. L.

54. *Frustra egomet mecum*] Præparationis genus, ad accipiendas viginti minas, totius summæ desperatio. D.—Faernus edidit *puto*, quod reperit in Bemb. et Victoriano. Repone vero *Sed nemó dabit: frústra has égomet mecum rationés puto.* B.

1. *Tace, egomet conveniam jam ipsum*] In hac scena actus est, exemplum continens vitæ avarorum, qui sæpe in damnum ipsius avaritiæ rationibus ruunt: simul etiam duorum inter se nequam hominum spectanda quædam vicissim, et dolosa captio est. *Tace, egomet conveniam jam ipsum*] *Tace*, si pro adverbio est, omnibus dicitur: si pro verbo ponitur, dicitur Ctesiphoni maxime sollicito, et supplicanti omnibus, ob metum patris. *Jam* autem, non tarditatis est, sed properationis significatio. D.—*Tace, egomet conveniam*] Æschinus posteaquam verberato lenone abduxit mulierem, vehementer timuit (nisi excidit *frater*, aut *Ctesiphon*, Eugraphius reprehendendus est, quod quæ dixit Ctesiphon, ea tribuerit Æschino Z.), ne hoc pater audiret. Mandat igitur servo, ut lenonis iracundiam frangat. E.—Cum nulla hic sit animi commotio, et Iambicus subsequatur: pro Trochaico acatalecto substitue cum nostris codd. et edd. vett. Iambicum tetrametrum: *Tace, égomet conveniam ipsum: cupide accipiat jam faxo: átque etiam.* Verba *atque etiam* efficiunt Proseleusmaticum, et *at*, ut sæpe, corripitur. B.

2. *Bene dicat secum esse actum*] *Actum*, recte additum est (*actum bene, r. a. e.* Z.): nam multa etiam cupide accipimus, ita tamen ut male nobiscum esse dicamus actum. *Quid istuc, Sannio, est*] Illud supra post scenam, hoc jam in proscenio dicitur. Et vide quam ingeniose Terentius, qui supra ab Æschino lenonis nomine facit Sannionem vocari, utpote ab homine arroganti et feroci ob ætatem et negotium: at hunc blande circumvenientem honorificentius inducit cum lenone loqui, et Sannionem eum vocare. Sane qui in sordidis professionibus agunt vitam, honorifice nomine proprio appellas: sed qui in splendidis artibus sunt constituti, gaudent artis nomine nuncupari, ut imperator, orator, philosophus. Sic et in Eunucho, *Audire vocem visa sum modo militis*, apud se loquens meretrix: et postquam illum cominus videt, *Salve, mi Thraso*, inquit, non *Salve, miles*: quod erat durissimum. Et mox irata personat, *Miles, nunc adeo edico tibi.* D.

3. *Nescio quid concertasse cum hero?*] Argute positum *Nescio quid:* vult enim ex illo audire, ut nanciscatur initium, quod persuadendum suscepit. *Concertasse*] Οἰκονομία: honorifice nomen (*hominem*) tractat, ut et placidum sibi reddat, et ut eum faciat ad contemnendam pecuniam liberalem. Nam honestas adimit avaritiam. D.

4. *Concertationem comparatam*] Διαιρέσει, quia illa (*illum* Z.) concertasse dixit, non cæsum esse. *Comparatam*] Proprie: alias *constitutam.* Et *comparatam* ad dictum Syri refert, qui ait concertationem fuisse, pares faciens Æschinum et lenonem. Nam Sannio vult sibi deberi pro eo quod vapulavit: quod abstulit illi Syrus, dicendo eum non verberatum esse, sed

Ego vapulando, ille verberando usque, ambo defessi sumus.
Sy. Tua culpa. Sa. Quid agerem? Sy. Adolescenti morem gestum oportuit.
Sa. Qui potui melius, qui hodie usque os præbui? Sy. Age, scis quid loquar?
Pecuniam in loco negligere, maximum interdum'st lucrum: hui!
Metuisti, si nunc de tuo jure concessisses paululum, atque
Adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime,
Ne non tibi istuc fœneraret. Sa. Ego spem pretio non emo.
Sy. Nunquam rem facies: abi, nescis inescare homines, Sannio.

potius concertasse. Et proprie dixit *concertationem*, ipsum actum. Nam *certamen* est res ipsa de qua certatur, uter (forte, *ut, uter*) columbam sagitta feriat, uter, prior decurrat ad metas. Nam sic Virgil. in Bucolicis (corrige *Georgicis*; nam locus extat Ge. ii. 530.), *Velocis jaculi certamina ponit in ulmo.* At vero *certatio*, ipse actus contentioque certantium est. D.—Pro Bembini et Victor. *quam hæc hodie*, plerique nostri habent *hæc quæ hodie*: repone, *quam hodie quæ inter nos fuit.* B.

5. *Ille verberando usque, ambo defessi sumus*] Incerta est distinctio, vel *verberando usque*, vel *usque defessi.* Et est *usque* adverbium, significans aut *diu*, aut *multum.* D.

6. *Tua culpa*] Potest et nominativus et septimus casus esse: si nominativus est, deest *est*; si septimus, deest *factum est. Adolescenti morem gestum oportuit*] Ab ætate adjuvatur sententia: ideo *adolescenti* dixit, non *Æschino.* Et *morem gerere*, proprie lenonis et meretricis est: unde et ipse sic respondet, ut, non fugiens *κακόφατον*, dicat *usque præbui. Adolescenti morem gestum oportuit*] Cum *ἐμφάσει adolescenti* pronunciandum est, scilicet qui facilius assentatione caperetur. D.—Duo antiqui libri Faerni, in his Bembinus, habent *facerem*; sed nostri fere omnes *agerem.* Nihil interest; nisi quod hoc magis ad Græcum metrum accedat. B.

7. *Quid potui melius, qui hodie usque os præbui?*] Subaudiatur, *morem gerere.* Et hoc subtiliter leno, quum morem gerendum fuisse in meretricis pretio dixerit Syrus. *Hodie* autem, non tempus significat, sed iracundam eloquentiam ac stomachum. Ut Virg. Æn. ii. 670. *Nunquam omnes hodie moriemur inulti. Age*] Modo *age* corripientis est adverbium. *Scis quid loquar?*] Argute: quia simulaverat leno non intellexisse, quid dixerat servus. *Scis quid loquar?*] Legitur et sic: *sed scis, quod loquar.* D.—Lege, *Qui hodie* ei *usque os.* B.

8. *In loco negligere, maximum interdum est lucrum*] Bene additum est *in loco*, et *interdum*: non enim semper. D.—*Pecuniam in loco*] Id est, ubi oportet, ubi ille qui accipit memor est: ideo inquit, *interdum.* E.—*Pecuniam in loco*] Menander: Βέλτιστον οὐ τὸ κέρδος ἐν πᾶσι σκοπεῖν. Plautus Capt. ii. 2. 77. *Est etiam ubi profecto damnum præstat facere, quam lucrum.* Marius Victorin. in Cic. Rhetor. lib. ii. L.—Illud *hui* alii Sannioni tantum tribuunt; sed meliores libri recte Syro, ut cætera, adscribunt. B.

9. *Si nunc de tuo jure concessisses*] Bene *tuo jure*: ne diceret, Non erat res mea quam venalem habui. Aut *de tuo jure*, de lenonia duritia (*avaritia* Z.): ut alibi, *Meo jure utar, ut potior sit, qui prior ad dandum sit.* D.—*De tuo jure*] Hoc est, ne plurimum leno esses: ut intelligamus avaritiam . . . (Westerh. lacunam e codd. upplevit sic: *te impares.* Verba sine sensu. Forte ita: *ut intelligeremus avaritiam in te non esse intempestivam.* Z.). E.

11. *Ne non tibi istuc fœneraret*] *Fœneratum*, est cum lucro redditum et multiplicatum. *Fœneraret* ergo, non Æschinus, sed ipsa res in qua fœneratio. *Ego spem pretio non emo*] Ἀντισοφία: contra, *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.* D.—*Ego spem*] Malo pretium, quam emam pretio spem: quasi si id amisero, postea plura accepturus. E.—*Spem pretio non emo*] Non novum est, etiam spem vendi et emi recte posse: lib. lxxiii. ad L. Falcid. Veluti cum quis jactum retis, aut capturam avium vel ferarum, aut futuros partus, fœtusve arboreos præstinat: lib. viii. §. 1. *Nec emtio*: ff. de contr. emt. lib. xi. xii. ff. de act. emp. vend. Vel cum quis malum nomen emit, quod forsan ex improviso lucro bonum posse fieri sperat. l. lxxxii. in fine ad L. Falcid. L.

12. *Nunquam rem facies*] Leno quicquid agit, ad lucrum refert: et sic lucri genus dicit esse Syrus a lenone, quemadmodum persuadet (*Syrus, agens, lenoni quemadmodum persuadeat.* Z.). Et nota *rem*, et litem, et negotium meretricis, et patrimonium et omnem pecuniam nominari. *Nunquam rem facies*] Secundum personam servi

SA. Credo istuc melius esse: verum ego nunquam adeo astutus fui,
Quin quicquid possem, mallem auferre potius in præsentia.
SY. Age, novi tuum animum, quasi jam usquam tibi sint viginti minæ,
Dum huic obsequare: præterea autem te aiunt proficisci Cyprum. SA. Hem.
SY. Coemisse hinc quæ illuc veheres multa: navem conductam: hoc scio,
Animus tibi pendet: ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages.
SA. Nusquam pedem: perii hercle: hac illi spe hoc inceperunt. SY. timet:
Injeci scrupulum homini. SA. O scelera! illud vide
Ut in ipso articulo oppressit: emtæ mulieres

lenonem Syrus hortatur, hominem ad lucrum excitans, non ad honestatem. *Nescis inescare homines, Sannio*] Μεταφορὰ ab aucupibus, qui avibus capiendis offundunt cibum. D.—*Nunquam rem facies*] Hoc est, nunquam divitias, neque pecuniam quæres. *Nescis inescare*] Id est, jactata esca ut in hamo majora lucra captare. Et est *inescare*, decipere. E.—Lege, *Abi, non scis.* B.

13. *Credo istuc melius esse*] Vide comicum errorem utriusque personæ, et callidi lenonis, et captiosissimi Syri servi. D.

15. *Age*] *Age*, nunc verbum est, significans *dic*: quia jam prope est, ut consentiat persuadenti. *Tuum animum*] Deest, *liberalem*. *Quasi jam usquam tibi sint viginti minæ*] Sensus, Quasi numero in aliquo ducas, et in aliqua æstimatione constituas: et non, si velis, penitus contemnas viginti minas, dummodo huic obsequaris. D.—*Quasi sint xx minæ*] Quasi aliquod emolumentum apud te habeant viginti minæ, dummodo domino obsequaris. E.—Cum non pateat, quomodo *usquam esse* significet *ullius æstimationis esse*, quem tamen sensum series orationis requirit; forte Auctor scripsit, *Age novi tuum animum, quasi terunci tibi sint viginti minæ*. Illud *terunci facere* occurrit Plaut. Capt. iii. 1. 17. Certe ita justius collocantur Arses et Theses, et apte opponuntur xx minæ ac teruncius. B.

16. *Præterea autem*] Ἀρχαϊσμὸς est figura. Nam veteres libenter conjunctiones multiplicabant. *Te aiunt proficisci Cyprum*] Et eum non profecturum dixit, sed jam *proficisci*: et non ab uno dicit se audivisse, ne negaret; sed *aiunt* inquit. D.—*Proficisci Cyprum*] Hoc injicit servus, vel antequam audierit leno profectus est (*audierit, quod leno profecturus sit* Z.) Cyprum, uti meretrices inde advehat: quod Cyprus Veneri sit dicata. E.

17. *Coemisse hinc quæ illuc veheres multa*] Nusquam hoc ostendit alias Terentius: sed apparet ex confessione lenonis vera hæc omnia esse. Et mira varietas est, *proficisci, coemisse, conductam navim*: ne diceret, *proficisci, emere*, et *conducere navem*. Et *conductam navim* addidit, ut dilationem res habere non possit. *Hoc scio, animus tibi pendet*] *Hoc* et correpte legi potest, ut articulus demonstrativus sit: et producte, ut significet aut *hanc rem*, aut *hunc locum*, id est, Cyprum. D.

18. *Ubi illinc, spero, redieris*] Ex spe sua vult Syrus ostendere, quid leno debeat sperare, id est, non se accepturum modo. *Tamen hoc ages*] Hoc est, exiges debitum. Nam *hoc agere* dicimus eum, qui instat negotio suo. D.

19. *Nusquam pedem*] Quia exclamatio est, per ἀποσιώπησιν non completur. D.

20. *Injeci scrupulum homini*] Hoc leno non audit; simul enim dicitur, quum ille clamat: et ideo simul legi non potest. Et hic ostendit Syrus quo hæc consilio locutus sit. *Illuc vide*] Τῷ ἰδιωτισμῷ dicit. D.—*Injeci scrupulum*] Hoc est, dubietatem. E.

21. *In ipso articulo oppressit*] Μεταφορὰ perseverans a scrupulo, id est, lapillo, qui nos in calceo latens plerumque lædit. Et *oppressit*, vel Æschinus, vel res ipsa quam subjicit, id est, quod ait, *emtæ mulieres complures, etc. Emtæ mulieres complures*] *Mulier, vestes*: et est σύλληψις, *emtæ*, et *emta*. D.—*In ipso articulo*] Articuli sunt in digitis: quorum nodo atque flexu ad actus facilis explicatio est. Ac si in ipso articulo quis aliquem teneat, rigore confecto, confixura nulla fiet (corrige et distingue, *rigore confecto confixura n. f.*

Complures, et item hinc alia quæ porto Cyprum.
Nisi eo ad mercatum venio, damnum maxumum'st.
Nunc si hoc omitto, actum agam: ubi illinc rediero,
Nihil est; refrixerit res: Nunc demum venis?
Cur passus? ubi eras? ut sit satius perdere,
Quam aut nunc manere tam diu, aut tum persequi.
Sy. Jamne enumerasti, quod ad te rediturum putes?
Sa. Hocine illo dignum'st? hocine incipere Æschinum?
Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet?
Sy. Labascit: unum hoc habeo: vide, si satis placet;

Hoc est ei, qui rigore confectus est, c. n. f. Z.), nihil agi exinde potest. Ita hic temporis articulum collocavit, quoniam oppressus actus suos ducit implicatos. E.

22. *Item hinc alia*] In lenonis mercibus ἔξοχή. *Quæ porto Cyprum*] Hanc insulam posuit poeta, vel quod Veneri sacrata sit: ut Horatius, Carm. i. 3. 1. *Sic te diva potens Cypri.* Vel quod mercatus in ea sit: ut idem, Carm. i. 1. 13. *Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare.* D.

23. *Nisi eo ad mercatum venio*] *Eo* nunc adverbium est loci, id est, Cyprum. *Mercatus* autem, locum tempusque significat. *Damnum maximum est*] Quia et hoc damnum in pretio mulieris est. D.—Pro *veniam* Faerni et nostri optimi libri *venio*. Præterea duo habent *damnum est maxumum*. Plane ex more Terentii. B.

24. *Nunc si hoc omitto*] Quod damnum est scilicet. Hoc autem dicit negotium cum Æschino. *Actum agam*] Proverbium, id est, nihil agam: quod enim in jure semel judicatum fuerit, rescindi et iterum agi non potest. Sic in Phormione, *Actum, aiunt, ne agas.* D.—Cum *Actum agere*, h. e. iterum sed frustra agere, ab eo alienum sit, qui ante dixit se *omissurum* esse, h. e. prorsus nihil acturum; præsertim cum ob hiatum versus laboret: emendatio, nescio cujus, egregie placet, *Nunc si hâc* omittam, ac tum *agam ubi illinc rédiero*. Certe illud *omittam* nostris codd. satis comprobatur. B.

25. *Nihil est*] Nove *Nihil est:* pro nulla spes est. *Refrixerit*] Pro *refrigescit.* D.—*Nunc demum venis?*] Verba sunt quæ dici possunt, si ad mercatum leno ierit, et post rediens exigere pecuniam cœperit. E.

26. *Ut sit satius perdere*] Per ὑπερβολὴν hoc accipe. Nam non convenit personæ lenoniæ damna contemnere. D.

27. *Aut nunc manere*] Dum non navigo. *Tum persequi*] Quum rediero. D.—Placet Donati Faerniani et nonnullorum codd. lectio, *Quam aut hic manere.* B.

28. *Jamne enumerasti*] Finxit Syrus se non intellexisse, quid apud se ipsum leno locutus sit: ideo illi aliud ait, quam ille secum disputaverit (*disputaverat*). *Quod ad te rediturum putes?*] Hoc dicto tantum illum accepturum significat, quantum dederat in puella. Nam ad nos redit, quod a nobis abierit. Et dicendo *rediturum*, ostendit super viginti minas nihil illum sperare oportere; sic enim supra, *Minis viginti tu illam emisti, quæ res tibi vertat male!* D.—Multi Faerni et nostri recte habent *enumerasti* id, *quod, etc.* B.

29. *Hocine illo dignum est?*] Hujusmodi comploratio summam desperationem lenonis ostendit. *Hocine incipere Æschinum?*] Quasi de magno facinore dixit. Ut in Heautontimorumeno, *Vide quod inceptet facinus.* Æschinum autem cum laudatione dixit: quasi quem non deceat malefacere. Et vide quam omnia experiatur impotens et miser ob recuperandam rem suam. D.—Non convenit, ut in eodem versiculo *hocine* primam corripiat, deinde producat. Lege igitur *inceptare.* Sic quoque olim legisse Donatum, colligitur ex loco, quem laudat, Heaut. iii. 3. 39. B.

30. *Ut hanc mihi eripere postulet?*] Non dicit de qua (Forte, *Non dicit, quam*): quia de illa sermo est. *Postulet*, velit, aut speret. Cicero, *Ut temporibus reipub. cedat, non est postulandum*, id est, cupiendum, aut exspectandum. *Eripere postulet*] Ἐν τῷ ἤθει dixit, non eripuerit: tanquam adhuc non fecerit. Et sic loquuntur, qui nolunt circa se perseverare injuriam. D.

31. *Labascit*] Hoc presse dicitur. Et proprie dicit *labascit*, ut et suam instantiam, et cunctationem tarde incipientis consentire monstraret. Nam inchoativum verbum est. Et est metaphora ab arbore facta: quæ multis succisa ictibus ferri, tandem incipit in casum ponderis (*pendere*, Ms. Hulst.), ruinamque minitari. *Unum hoc habeo*] Hoc clare: et subaudiendum est, *quod dicam*, vel *dicere. Vide, si satis placet*] Non *placet* dixit: sed *satis placet*, veluti magnum consilium præbiturus. D.—*Unum hoc habeo*] Unum possum

Potius quam venias in periculum, Sannio,
Servesne, an perdas totum, dividuum face:
Minas decem corradet alicunde. SA. Hei mihi!
Etiam de sorte nunc venio in dubium miser?
Pudet nihil? omnes dentes labefecit mihi:
Præterea colaphis tuber est totum caput:
Etiam insuper defrudat? nusquam abeo. SY. Ut lubet.
Num quid vis, quin abeam? SA. Imo hercle hoc quæso, Syre,
Utut hæc sunt facta, potius quam lites sequar,
Meum mihi reddatur, saltem quanti emta'st, Syre.
Scio te non usum antehac amicitia mea:

præstare, id est, *minas decem* posse *corradi*, hoc est, cum labore expediri. E.

32. *Potius, quam venias in periculum*] Oratorie: comparatione pejorum dicit, hoc esse, quod suggerit, eligendum. D.

33. *Dividuum face*] Hoc est, divide: figura μακρολογία. *Dividuum*, a divisione: *dimidium*, a dimensione dicimus. D.—*Dividuum face*] Glossar. *Dividuum εὐμέριστον. Dividuus εὐδιαίρετος, αὐταίρετος, εὐμέριστος, διαμεμερισμένος.* Columella lib. xii. *Nihil conspiciebatur in domo dividuum.* Et *dividuitas:* lib. lxxx. §. i. ff. ad L. Falcid. *Legata quæ dividuitatem non recipiunt.* D.

34. *Minas decem*] Scit illum viginti posse accipere: sed idcirco agit, ut optet leno quod paulo ante nolebat. *Conradet alicunde*] *Alicunde* dictum est, quasi non habentis. Nam nec ipsa (*ipsæ*) in promtu sunt. D.

35. *Hei mihi! etiam de sorte nunc venio in dubium miser?*] *Sors* est summa, cui extrinsecus acquiritur fœnus. Ergo *sortem* dicit de pretio quo emta est, id est, viginti minis. Et vide illum damno potius exclamare, quam injuria. *Nunc venio in dubium*] Id est, in periculum (In utroque libro additur *Virg. Nec tibi desertæ in dubium.* Est locus, Æn. xi. 843. Sed hodie legitur *in dumis* apud Virg.). D.—*Etiam de sorte*] Leno enim supra dixerat, *tantidem postulat:* hæc quasi sors est. Nam cum decem minæ offerantur, in dubium venit, an possit tantum accipere, quantum dedit. E.—Hic versus, et sequens *Pudet nihil*, per interrogationem sunt efferenda. B.

36. *Omnes dentes labefecit mihi*] Injuria lenoni tunc dolet, quum adjuncta damno est: ut supra:—*quando eum quæstum occeperis, Accipienda et mussitanda injuria adolescentium est.* Vel idcirco, enumeratis contumeliis adjecit, *Etiam insuper defrudet?* Et vide ut eadem quæ dixit supra, repetat: sed ardentius tamen, et cum αὐξήσει. Sic Virgilius in majus repetit, quod non semel dicit (In Mss. et edd. vett. *Sic et Virgilius in majus repetit, q. d. s.* Forte litteræ hæc sign. *Quæ dixit supra*). D.

37. *Colaphis tuber est totum caput*] *Tuber* est genus cibi, collectum ex tumentibus, et quasi prægnantibus arenis. Plus autem hic, quam supra, dixit. Supra enim dixit, *plus quingentos colaphos infregit mihi;* hic vero, *colaphis tuber est totum caput.* D.

38. *Etiam insuper defrudet?*] Αὔξησις apta lenoni avaro: nam honestior persona non hunc ordinem faceret. *Defrudet?*] Fraude decipiat. *Nusquam abeo*] Hoc dictum vim habet comminantis: nisi illud cum contemtu susceperit Syrus. *Ut lubet*] Negligenter servus respondet, ut rogetur a lenone. D.—*Insuper defrudat?*] Postquam verberavit, etiam fraudem fecit? (*facit.* Z.) E.—Veterrimus noster cum tribus aliis *defrudet.* Sic et Rivii Fabriciique codd. Hoc placet. B.

39. *Numquid vis, quin abeam?*] Hæc est plena locutio. *Numquid vis*, desiderat supplementum: et hoc uti dicto discedentes solent. *Quin*, nunc, quare non, significat. *Imo hercle hoc quæso, Syre; utut hæc sunt facta*] Ipse sibi satisfacit. *Utut* enim, quoquo modo significat, diverticulum ad preces faciens. D.

40. *Potius, quam lites sequar*] Quia dixerat Æschinus, *Nunc vide utrum vis, argentum accipere, an causam meditari tuam.* D.—*Utut hæc sunt*] Id est, postquam hæc sunt facta, quia verberatus sum, peto mihi reddatur quanti est emta. E.—Alii *acta* pro *facta.* Parum interest. B.

41. *Meum mihi reddatur*] Sortem, quam solam supra recusabat. Et oratorie: non enim *Quanti emi* dixit: sed invidiose, *Meum mihi reddat. Saltem*] Τὸ ἔσχατον. Natum est autem a captivis *saltem*, qui nihil aliud præter *salutem* a victore petunt. D.

42. *Scio non te usum antehac amicitia mea*] Figura ἀξιοπιστεία, per quam ostendit, se fideliter promittere, quod promittit. Virg. Æn. iii. 602.—*scio me Danais e classibus*

Memorem me dices esse et gratum. SY. Sedulo
Faciam: sed Ctesiphonem video: lætus est
De amica. SA. Quid, quod te oro? SY. Paulisper mane.

ACTUS SECUNDI SCENA III.

CTESIPHO. SYRUS.

ABS quivis homine, quum est opus, beneficium accipere gaudeas:
Verum enim vero id demum juvat, si, quem æquom'st facere, is benefacit.
O frater! frater! quid ego nunc te laudem? satis certo scio;

unum, Et bello Iliacos fateor petlisse penates. D.—*Scio te non usum*] Ms. R. et V. C. *Scio te non esse usum.* L.—Multi, *Scio te non esse usum.* Sed melius collocat cod. Academicus, *Scio nón te esse usum.* B.

43. *Memorem me dices*] Figurate est inducta promissio præmiorum. Et bene utrumque narrat. Nam non continuo qui memor est, etiam gratus est. *Memor* enim est, qui apud se meminit. *Gratus* qui meruit hoc nomine vocari, dum vicem reddit. Nam multi sunt memores, ingrati tamen. *Sedulo faciam*] Sic promittit, ut nihil sua interesse credatur. *Sedulo*] De industria, sine dolo. D.—*Sedulo faciam*] Sine dolo: mendaciis volens lenonem decipere. E.

44. *Sed Ctesiphonem video*] Adventus in proscenium personarum quum consulto consilio fingantur a poeta, tanquam superveniant aliis rebus in medio positis, quæ ipsarum interventu finiantur. Mire tamen, quod quasi ex argumento fit, ut futuri actus sui, ante quam loqui incipiant, describantur. *Lætus est de amica*] Hoc lentius et summisse. D.

45. *Quid, quod te oro?*] Deest *agis* seu deest *ego* (*est* Z.). *Quod te oro.* Aut *si quid*, aut *propter quod*, subintelligimus: ut sit, Quid mihi non respondes de eo, propter quod te oro: aut si quid te oro? Et quam bene fastidiosum lenonem facit Syrus, ut optans ille desperando viginti minas accipiat. Nam et supra non intendenti dicit totiens in uno sensu hoc idem Syrus de amica. Potest hoc interrogative pronunciari. D.

1. *Abs quivis homine, quum est opus, beneficium accipere gaudeas*] In hac scena gratiarum actio est ex persona ejus qui præstitit, et ejus cui præstitum est, et ex ipsius pretii (*præmii* Ms. B. cum edd. vett. ante R. Stephanum) quantitate. Nam omne quod geritur, aut in rebus est, aut in personis, aut in attributis (Ms. et edd. vett. *tributis*) eorum. *Abs quivis homine*] Bene sic cœpit dicturus, *O frater! frater!* Et *qui* secundum regulam dixit: quia dicimus *quibus*: cæterum a *quo*, *quis* facit, non *quibus*. Et incerta distinctio est: *quum est opus accipere beneficium*, vel *quum beneficium est opus*. Hoc vetus est, illud communiter. D.—*Abs quivis homine*] Ctesipho gaudet vehementer, quod rapta sit meretrix: et est oratio exultantis. *Abs quivis*] Pro, abs quovis. E.

2. *Id demum juvat*] Ostendit plus esse quod juvat, quam gaudium. *Is facit*] *Bene* subaudiendum est bis numero. D.—Etsi Faerni Donatus, liber Bemb. Vict. et Decurt. habent Lindenbr. lectionem *si quem æquom'st facere, i. b. f.* lectio tamen, quam Faernus edidit, *si quem æquom'st benefacere, is facit*, legibus linguæ convenientior esse videtur, præsertim cum Lindenbrogii Donatus haud dubie eandem sit secutus. Cæterum lectio cæterorum Faerni Bentleiique codd. qua *bene* geminatur, recte a Bentleio repudiatur. Z.

3. *O frater! frater!*] Virg. Æn. x. 600. *Et fratrem ne desere frater.* Unum relatum est ad appellationem: alterum ad laudem. Et subdistinguendum, ut videatur quæsivisse, quid ultra diceret, et plus invenire se non potuisse, quam *frater. Quid, ego nunc te laudem?*] *Quid*, propter quid: et *Nunc te, τῷ ἰδιωτισμῷ* additum est de superfluo. Ut, Æn. iv. 265.—*tu nunc Carthaginis altæ Fundamenta locas? Quid ego nunc te laudem?*] Quia laus, genus causæ est, quod non adhibetur, nisi dubiæ rei. *Quid ego nunc te laudem?*] Distinguendum. *Quid* autem, pro *ad quid* (Forte *ob quid* Z.). D.—*O frater! frater!*] *Ἀναβλήλασις.* Et est sensus: *nemini homini magis esse fratrem principem artium maximarum*, quam mihi. Quod vero ait, *nemini homini*, πλεο-

Nunquam ita magnifice quicquam dicam, id virtus quin superet tua.

Itaque unam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror,

Fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem.

SY. O Ctesipho! CT. O Syre! Æschinus ubi est? SY. Ellum, te exspectat domi. CT. Hem!

SY. Quid est? CT. Quid sit? illius opera, Syre, nunc vivo: festivum caput!

Qui omnia sibi postputavit esse præ meo commodo:

νασμὸς est: significat enim *nemo homo*. Hæc autem omnia tanquam præsente dixit fratre, cum absens sit. Denique postea a Syro quærit, ubi sit. E.—Nonnulli codd. boni collocant sic, *Quid ego te nunc laudem?* Ad digitos si exigas, nihil interest; si ad aurem et accentum, non parum. B.

4. *Nunquam ita magnifice*] Deest *quod*: ut sit, quod nunquam ita magnifice. Duplex causa est omittendæ laudis, si res aut nimium mala est, aut nimium bona. *Id virtus quin superet tua*] Bona *περίφρασις*: *virtus tua* potius, quam *tu*. D.

5. *Itaque unam hanc rem me habere*] *Itaque* et subjunctivum potest esse, media syllaba correpta: et præpositivum, producta eadem syllaba, ut sit *itaque*. D.—Ut sensus constet, nec ad Donati contortam interpretationem fugere cogaris, *alios* muta in *alias*. Nam *præter alias* est præ aliis rebus, ut, And. i. 1. 31. 95. *egregie præter cætera; præter cæteras honesta*. Sensus enim hic est, Hanc unam rem præter cæteras a Fortuna præcipuam habeo, quod nemini frater omnibus bonis artibus ornatior contigerit. B.

6. *Fratrem*] Nove dixit unam rem *fratrem*. Sed ego puto *fratrem* non subdistinguendum, sed legendum contexte usque ad *principem*. Nam si distinxeris *fratrem*, erit bis, ut arbitror, subaudiendum, et supra et infra. Quod si *fratrem* inferioribus junxeris, et cum admiratione pronunciabitur, et subaudietur *quam mihi*. Hanc sane locutionem scire debemus, propter personam elaboratam. Nam pimium gaudet, et rusticus adolescens est, qui laudare conatur Æschinum: quasi titubans, et pene balbutiens. *Homini nemini*] Nove auribus nostris, sed veterum consuetudine locutus est. Nam quum *nemini*, hominem significet; quid opus fuit dicere, *homini nemini?* Sed, ut diximus, figura est *ἀρχαΐσμὸς* (Num forte cum Eugraphio, qui hunc locum compilasse videtur, legendum *πλεονασμός*? Z.). D.—*Fratrem homini*] V. C. *Fratrem hominum*. L.—Vulgo *neminem*. Sed placet Bembini et aliorum codd. *nemini*. Sic Hec. iii. 1. 1. et alibi, *homo nemo*. B.

7. *O Ctesipho!*] Mire cœpit, gaudium significans, *O Ctesipho! O Syre!*] Ille ut gaudens: hic, ut qui non præviderit, *O* dicit. *O Syre, Æschinus ubi est*] Bene statim de illo, cui agebat gratias, loqui cœpit. *Ellum*] Ecce illum: vel pronomen est, vel adverbium demonstrantis. Alii interrogative legunt: ut sit *ellum dicis? te exspectat domi*, ut sit *ellum* pronomen, id est, *illum*. Nam et *illum*, et *ellum*, et *ollum* veteres dixerunt. *Domi*] Adverbium est in loco. *Hem!*] Interjectio est lætantis. D.

8. *Quid sit!*] Deest, *quæris?* sed est admirantis magis, quam interrogantis. *Illius opera*] Dicendo *opera*, et corporeum laborem Æschini ostendit, et religionem: ut, Æn. vii. 331. *Hunc mihi da proprium, virgo sata nocte, laborem, Hanc operam*. Hanc religionem ait: ut, Georg. i. 338. *—annua magnæ Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis. Illius opera, Syre, nunc vivo*] O miram amplificationem beneficii: non dixit, illius opera amicam habeo: sed quod satis grave, et satis amatorium, *illius opera nunc vivo*, inquit. *Festivum caput!*] Huic contrarius sensus est, *ridiculum caput*. Alii putant, *festivum caput*, non Æschini intelligendum, sed orationis, quam habet Ctesipho, agens gratias fratri. Ita in Eunucho, *Quam venuste! quod dedit principium adveniens!* Quod si est, nihil potest supra hanc laudationem: nam supra hoc factum erit accipiendum: sed male: nam *caput Æschini* (Adde *intelligo*, quod est in Ms. B. et edd. vett. aut lege, *sed malo nunc caput Æschini* Z.), id est, ipsum Æschinum, ut in toto pars sit per *συνεκδοχήν*: in qua figura et pars pro toto ponenda est, quæ aut eminet ex toto, aut majoris pretii est ad id quod agitur. Quod ipsum sic esse observatum a bonis auctoribus, si exempla *συνεκδοχῆς* penitus considerare studes, invenies. D.

9. *Quin omnia*] Admirative *Quin*: et sic pronunciandum *Quin, τὸ παρέλκον* us-

10 Maledicta, famam, meum amorem, et peccatum in se transtulit. Nihil pote supra: sed quidnam? foris crepuit. SY. Mane, mane! ipse exit foras.

ACTUS SECUNDI SCENA IV.

ÆSCHINUS. SANNIO. CTESIPHO. SYRUS.

UBI est ille sacrilegus? SA. Men' quærit? num quidnam effert? occidi!

Nil video. ÆS. Ehem, opportune: te ipsum quæro: quid fit, Ctesipho?

que ad *maledicta, famam. Præ meo commodo*] Id est, mei commodi comparatione: ut in Eunucho, *Hic ego illum contemsi præ me*, id est, mei comparatione. D.—Pro *Qui* vulgari, et *Quin*, quod habet Donat. Bemb. Vatic. et alii antiqui, lege plenius versus causa *Quine*. Et pro *se* in versu seq. lege *sese*. B.

10. *Maledicta, famam*] *Maledicta*, aut lenonis (*aut Micionis*, Ms. B. et edd. vett. ante R. Stephanum), aut Demeæ: *famam* autem populi. Nam si aliter acceperis, idem maledictum videbitur et (*ac* Z.) mala fama. *Meum amorem, et peccatum*] De rapienda meretrice, et amanda. *Meum amorem, et peccatum*] Quum dixisset *omnia*, duo tantum intulit, *maledicta* et *famam*: ut, Æn. iv. 558. *Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque.* Et hoc, ut sit defectus quidam intelligendus ex affectu gratias agentis. *In se transtulit*] Pulchra παρασκευὴ, qua erratura est Sostrata circa Æschinum, quemadmodum jam erravit Demea, eo quod ab illo credidit amari meretricem. D.

11. *Nihil pote supra*] Ἔλλειψις per admirationem est: subaudiendum est enim vel *esse*, vel *dici*. Ut *pote* pro *potis*, et (*ut* Z.) *mage* pro *magis*: τῷ ἀρχαΐσμῷ. *Sed quidnam? foris crepuit*] Resonuit: ut *decrepiti* dicti sunt clamosi senes. *Foris* singularis numeri, nominativi casus. *Mane*] *Mane*, gaudentis est hoc dictum, non operiri jubentis. D.—*Nihil supra pote*] Ms. R. et V. C. *Nihil supra potest? quidnam.* L.—Omnes nostri *Nil supra potest.* Leg. *Nil supra pote.* Alii pro *quidnam* habent *quisnam.* Nostri plerique omittunt *sed.* Ego inprimis accentus causa legendum esse censeo, *Nil supra pote: nam quid foris crepuit?* Certe *nam quis* eleganter ponitur pro *quisnam.* Virg. Georg. iv. 445. Cf. Noster Phormio. i. 4. 23. v. 1. 5. B.

1. *Ubi ille est sacrilegus?*] Mire Æschinus servat adversus lenonem superbiam, qua ostenditur tanto esse alienior ab amoribus meretricis, quanto audacior in lenonem. *Mene quærit? num quidnam effert*] Sperat nunc leno se aliquid accepturum propter convicium: ut alibi, *Minis viginti tu illum emisti, quæ res tibi vertat male. Argenti tantum tibi dabitur.* Et vide quanti faciat leno præ lucro injuriam (*Et vide, quantam ferat leno pro lucro injuriam*, Ms. B. et edd. ante R. Stephanum), qui se sacrilegi nomine significari non solum non dolet, sed etiam cupit. Oportet autem *Mene quærit*, cum quadam gesticulatione et subsultatione sperantis lenonis, ad hoc se quæri ut accipiat, pronunciare. D.—*Ubi ille est*] Rediens domum Æschinus simulato furore procedit, ut illo (*ille*, s. *leno* Z.) metu libenter accipiat, quicquid affertur. *Num quidnam*] Morem expressit avari lenonis, uti licet audierit minas, oculos tamen intenderit in manum debitoris. E.—*Num quidnam effert?*] V. C. *affert.* L.—Vulgo *men'*: sed placet Bembini *me*, sine interrogatione. Non enim dubitat, audito sacrilegi nomine, quin ipse quæratur. Cf. Eun. v. 6. 5. B.

2. *Occidi! nihil video*] *Occidi*, non quia sacrilegus dictus est, sed quia nihil accipit: et simul gestum considera loquentis ex verbis. *Occidi! nihil video*] Mire hoc verbo apparet in vultu lenonis et spem mortuam, et extinctum gaudium. Nam et apta est ἔλλειψις hæc dicentis: *Occidi! nihil video:* neque enim addidit *proferri*, aut quid tale. *Ehem!*] Interjectio repentinæ rei. *Opportune: te ipsum quærito*] Ἀσύνθετον: deest *venisse*: non enim sequenti nectitur. *Quid fit, Ctesipho?*] *Quid fit*, blandum initium est: non enim nunc interrogat, quum ipse dicat, *In tuto est omnis res*, sic ipse mox in subditis, *jam nunc hæc tua*, addidit præter naturam quæstionis, *Quid fit?*] Quid agitur? (Inde a verbis *Sic ipse*, corrige ita, *Sic ipse Demea in subditis*: JAM NUNC HÆC TRIA

. In tuto est omnis res: omitte vero tristitiem tuam.
. CT. Ego illam hercle vero omitto, qui quidem te habeam fratrem: o mi Æschine,
O mi germane: ah vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id, assentandi magis, quam quod habeam gratum, facere existumes.
ÆS. Age inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos, Ctesipho.
Hoc mi dolet, nos pæne sero scisse, et pæne in eum locum
Redisse, ut si omnes cuperent, nihil tibi possent auxiliarier.
CT. Pudebat. ÆS. Ah, stultitia'st istæc, non pudor; tam ob parvolam
. Rem pæne ex patria? turpe dictu; deos quæso ut istæc prohibeant.

PRIMUM PRÆTER NATURAM: O NOSTER! QUID FIT? QUID AGITUR? Sunt verba Demeæ, infra v. 5. 3.) D.—Pro *quærito* probo optimorum codd. *quæro*. B.

3. *In tuto est omnis res*] Quasi amatori, omne dixit negotium de amica. An *omnis res*, et lenonis jurgium, et suspicio patris Demeæ? *Omitte vero*] *Vero*, abundat: aut correptivum est, jamdudum non omittentis. *Tristitiam tuam*] Sic dixit, quasi nimiam. D.

4. *Ego illam hercle vero omitto*] Apparet non nunc primum dici Ctesiphoni ab Æschino, *omitte vero tristitiam tuam*: nec nunc primum responsum, *omitto*: et ideo additum est, *hercle vero*; quia nunc demum data est plena securitas. *Qui quidem te habeam fratrem*] Acuendum *te*. D.—*Ego illam hercle*] Ms. R. *facile*. L.

5. *O mi germane!*] *Mi, meus*: sed vocativo dixit casu. *Coram in os te laudare amplius*] *Coram*, ad ipsum pertinet quem laudat, et ad eos qui audiunt: *in os*, ad ipsum qui laudatur. Nam *coram laudat*, qui non tacet apud alios, et hoc agit non per epistolam, sed ipse præsens. *In os*, qui apud ipsum loquitur, quem collaudat. *Laudare amplius*] Quia laudavit. D.—*Vereor*] Vehementer confundor præsente te aliquid laudis dicere, ne magis assentandi, id est, adulandi gratia facere videar* (Haud dubie excidit, *quam quod habeam gratum*. Z.). E.

6. *Ne id, assentandi*] Antiqua ἔλλειψις, deest enim *causa*. *Assentandi*] Adulandi. Et utrum deest *causa*, an ad ipsam litem (*Ab ipsa lite*, edd. vett. Sed rectius corrigit Bentleius, *an absolute* Z.) sic dicitur? *Ne id assentandi*] Specta, ai non rusticus adolescens est, et purissimæ simplicitatis, adeo ut etiam velle (*ut et cum velit* Z.) laudare fratrem nimio pudore non possit, hoc solo quia præsens est, quum illum nimium laudarit absentem. *Quam quod habeam gratum*] Varie: non enim intulit, quas gratias agenti (*quam gratias agendi* Z.). *Quod*] Quia. D.—Quæritur, annon rectius legatur *assentando?* Sed codd. et magistris hoc concedamus. Cæterum pro vulgari *quod* rescribe *quo* Bembini. B.

7. *Age inepte*] Non est injuria, quia et major frater est, et blanda dicturus. D.—*Age inepte*] Ctesipho, inquit, stultum est quod laudare desideras, quasi nostros animos nesciamus. E.

8. *Hoc mihi dolet*] Τῷ ἰδιωτισμῷ *mihi dolet*, pro *doleo*. Et *dolet* bis subaudiendum est. *Et pene in eum locum redisse*] Insinuatio beneficii est periculo et difficultate (*ex periculo difficultatis*. Ms. B. et edd. vett.) ob tempus. D.—In verbis *nos rediisse in eum locum* omnino desideratur *rem*, ut Heaut. ii. 3. 118. *Rem* utique habent edd. vett. et tres codd. Igitur repone, *Hoc mihi dolet, nos pæne sero scisse, et in eum rem locum*. Illud *sero* est nimis sero, ut sæpe apud nostrum et Plautum. B.

9. *Ut si omnes cuperent*] Non, si ego tantummodo, aliis adversantibus. D.—*Nihil tibi possent*] Quoniam alii puellam leno venderet: et tibi nullum posset auxilium ferri. E.—Recte codd. cum edd. vett. *tibi nil*. Nam anapæstus suavior est hic dactylo; et *tibi* in ictu esse debet. B.

10. *Pudebat*] Deest *fateri*. *Stultitia est istæc*] Hoc scilicet fateri ei (*Hoc scilicet celare fratri ei*. Aut, *Hoc scilicet non fateri fratri ei* Z.), qui ipse patri nunquam quicquam celaverit. *Tam ob parvolam rem*] Ergo diminutivis adjungitur *tam* particula; et deest *perire*: sed τῷ εὐφημισμῷ tacetur. *Tam ob parvolam rem*] Id est, meretricem. Et bene hic dicit Æschinus, quasi qui majora expertus sit, id est, vitium virginis. D.

11. *Pene ex patria?*] Deest *fugere*:

CT. Peccavi. ÆS. Quid ait tandem nobis Sannio? SY. Jam mitis est.

ÆS. Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam: tu intro ad illam, Ctesipho.

SA. Syre, insta. SY. Eamus: namque hic properat in Cyprum. SA. Ne tam quidem:

Quamvis etiam maneo otiosus hic. SY. Reddetur, ne time.

SA. At ut omne reddat. SY. Omne reddet; tace modo, ac sequere hac. SA. Sequor.

CT. Heus, heus, Syre. SY. Hem, quid est? CT. Obsecro hercle hominem istum impurissimum

quia amatores comici cito comminantur patriam se deserturos, ut amicas sequantur. *Pene ex patria*] Ἀποσιώπησις εὐφημισμοῦ χάριν. Menander (ex conjectura P. Nannii rescribendum, *Diphilus*. Vide Prologum, vers. 6.) mori illum voluisse fingit: Terentius fugere. *Turpe dictu*] Te fugere scilicet: et deest *est*. *Ut istæc prohibeant*] Id est, exilium fugamque patriæ. D.—*Pæne ex patria*] Si enim illa discederet propter parvum pretium, pæne et tu amore in exilium pergeres. E.—Bembinus, *pæne e patria*. B.

12. *Peccavi*] Approbavit ex periculo magnitudinem beneficii. *Quid ait tandem nobis Sannio?*] *Nobis*, τῷ ἰδιωτισμῷ additum est: non enim *nobis* intelligendum est. *Jam mitis est*] Quia debacchatus est supra leno, *Jam mitis est* dixit. D.

13. *Ego ad forum ibo*] Tunc enim in foro de mensæ scriptura magis, quam ex arca domoque, vel cista, pecunia numerabatur. *Ut hunc absolvam*] Id est, ut hunc, reddito illi pretio, dimittam. Nam velut ligati sunt, quibus debetur aliquid. Dicuntur etiam *servi* (Aut dele *servi*, quod W. placet; aut repone *ipsi* Z.) illi *solvi*, qui quum debitores potiorum (Westerh. edidit *pretiorum*) fuerint, pecuniam reddunt debitam. Est ergo *absolvam*, a me solvam. An jocatur in tristitia lenonis, qui illum cum barba lenonia, et mœsto vultu sequitur tanquam reus? *Tu intro ad illam, Ctesipho*] Bona ἔλλειψις, significans lætitiam potiundæ meretricis. D.

14. *Syre, insta*] Jam Syrus, non ut adjuvet, sed ut instanter adjuvet, rogatur. *Eamus, namque hic properat*] Hoc clamat Syrus, ut beneficium ostendat: sane (*tamen* Z.) ita ut rursus lenonem de profectione absterreat. *Ne tam quidem*] A lenone inconstanter dicitur, ut perturbatio metuentis, magnum damnum possit ostendere (Forte leg. *Hoc a lenone inconstante ita dicitur, ut perturbatio metuentis magnum damnum possit ostendi*. Certe *hoc*, et *posset ostendi* extat in Mss. et edd. vett.). *Ne tam quidem*] *Tam* pro *tantum*: an *tam* pro *tamen?* et deest, *Dicas me properare*, aut *propero*: ut sit etiam adverbium hortantis, vel consentientis. D.—*Hic properat Cyprum*] Insultandi (*incitandi* Z.) modo dictum, quo lenoni omne reddat. Ecce jam beneficium incipit esse. E.

15. *Quamvis etiam*] (*Quamvis* repete Z.) Pro *In quantum vis*. *Etiam* particula, utrum consentientis adverbium, an conjunctio? qua significat et properare se, et non in tantum, ut negligat quod sibi debetur. *Maneo otiosus hic*] Hoc separatim inferendum est, quasi pertinaciter asserentem lenonem instaturum se exclamationem * facere denotetur (Forte sic leg. HIC *separatim inferendum est, quasi pertinaciter asserentem lenonem institoriam se exclamatione facere donotetur*). *Maneo otiosus hic*] Dixerat enim *propero*: et rursum consenserat in Syri verba, *properasse se* dicentis. *Reddetur, ne time*] Quod desperaverat leno, Syri ostendit sermo. D.

16. *Ut omne reddat*] Propter illud quod Syrus dixerat, *dividuum face*. Et probatum est, completumque quod ait, *Cupide accipiat faxo*. Et hoc ipsum, cum trepida et vultuosa supplicatione pronunciandum est. *Tace modo, ac sequere hac*] Sic ait Syrus, quasi nunc lenonem doceat, quæ sit ars non perdendi. Et totum cum supercilio præstantis magnum beneficium dicit. *Sequor*] Hoc verbo (*Hoc responso* Ms. H.) leno satis commitigatus ostenditur. D.

17. *Heus! heus! Syre*] Ex argumento est ostendere, quantum timeat Ctesipho sævum patrem. *Heus! heus!*] Vox est de longinquo revocantis. *Obsecro hercle, hominem istum impurissimum*] Satis mansuete, quasi *lenonem* aut non possit rusticus, aut non audeat dicere, *hominem* dixit. *Istum impurissimum*] Avarissimum, et totum cum execrationem lenonis. D.—*Hominem impurissimum*] Malum: ut sæpe docui. E.—Lege ex duobus codd. *Obsecro*

Quam primum absolvitote: ne, si magis irritatus siet,
Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tum perpetuo perierim.
SY. Non fiet: bono animo esto: tu cum illa te intus oblecta interim,
Et lectulos jube sterni nobis, et parari cætera:
Ego jam transacta re convortam me domum cum obsonio.
CT. Ita quæso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.

ACTUS TERTII SCENA PRIMA.

SOSTRATA. CANTHARA.

OBSECRO, mea nutrix, quid nunc fiet? CA. Quid fiat rogas?

hercle te, hominem. Alioqui claudicat versus. B.

18. *Ne, si magis irritatus siet*] Velut clamet scilicet: et proprie de lenone, quem irritari dicit ut canem. Nam *irritari*, proprie canes dicuntur. Lucilius de litera R. *Irritata canis quod, homo quam, planius* (*plurima* edd. vett.) *dictat.* Lenonem autem timet Ctesipho ut rusticus, ut sub patre duro, ut amator. D.

19. *Aliqua ad patrem hoc permanet*] Non dicit quid: sed nos intelligimus raptum puellæ significari. *Aliqua ad patrem hoc permanet*] Proprie secretum latens latici comparatur, intra vas clausum existenti: quod, quum effunditur, *manat.* Sic et alibi de committendis secretis loquens, *Plenus,* inquit, *rimarum sum: hac atque illac perfluo. Atque ego tunc perpetuo perierim*] Quasi et nunc se periisse sentiat, sed non *perpetuo.* D.

20. *Non fiet: bono animo esto*] Ut illi liberalis timor est, ita Syro servilis confidentia. *Tu cum illa te intus oblecta*] Moraliter *illa* dictum est: ut, *Daturne illa hodie Pamphilo?* et, Phorm. i. 2. 84. *Illa quidem mea erit. Tu cum illa te intus oblecta*] Honeste explicavit turpe dictu (*turpe factum.* Ms. B. et edd. vett.). D.—Pro vulgari *esto,* Bemb. et Basilic. recte habent *es.* B.

21. *Et lectulos jube sterni nobis*] Servus: • nihil tam comicum (*Servus ait* NOBIS; *quod est etiam comicum.* Z.). Et vide ut totum superbe ac magnifice loquatur Syrus. D.

22. *Convertam me domum*] *Convertam,* magnifice dictum: verbum est enim magni moliminis et agminis ingentis. Nam *convertere* se, dicitur quem pompa præcedit: et imperator proprie convertit exercitum. Et (*ex* Ms. H.) hoc spectatur, ut moribus arrogantes servi sint, quum lætantur. D.

23. *Ita quæso, etc.*] Volunt quidam et hunc versum Syri personæ adjungendum: sed Ctesiphonis verba esse, ex subditis planum est, quum dicit, *Hunc diem misere nimis cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere.* D.—*Hilarem hunc sumamus*] Charis. lib. ii. L.—Recte pro *hilarem* correxit Palmerius *hilare.* Nam Charisius p. 180. "*Hiliariter* ab eo, inquit, quod est *hilaris: hilare* autem ab *hilarus.* Acron in Terentii Adelphos; ubi Terentius, *Hilare hunc sumamus,* inquit, *diem.* Sed et Afranius in Sororibus: *Nunc te obsequentem atque hilaram, ut dixi, præbeas.*" Deinde Plautus in eadem phrasi adverbium usurpat Epid. i. 2. 54. *Eamus intro ad te, ut hunc hodie diem* luculente *habeamus.* Huc accedit, quod antiquis temporibus semper *hilarus,* unde *hilare,* dicebant; nunquam *hilaris.* B.

1. *Obsecro, mea nutrix*] Hæc scena (aut corrige *Hæc et sequens scena;* aut statue, auctori hanc et sequentem fuisse unam scenam. Nam ut *exspectatio* in hac scena continetur, ita Getæ *nuncius,* et *planctus* Sostratæ in sequenti Z.) Tragœdiæ ordinem servat. Nam Tragœdia in tria dividitur, Exspectationem, Gesta, et Exitum. Hic ergo exspectatio est in Getæ nuncio: Gesta, in planctu Sostratæ: Exitus, • (Distingue cum Westerh. *Hic ergo Exspectatio est: in Getæ nuncio, Gesta: in planctu Sostratæ, Exitus.* Lacunam enim, cujus nullum vestigium in codd. dicitur reperiri, primus somniavit, R. Stephanus, uti viri ingenium fuit. Z.). *Obsecro, mea tu nutrix*] Hinc demonstratur, qui sit maternus affectus: quam grata in dominos servorum

Recte sædepol spero. So. Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.

Ca. Jam nunc times, quasi nunquam affueris, nunquam tute pepereris.

So. Miseram me! neminem habeo: solæ sumus: Geta autem hic non adest:

Nec quem ad obstetricem mittam, nec qui arcessat Æschinum.

Ca. Pol is quidem jam hic aderit: nam nunquam unum intermittit diem,

fides sit: eundemque laborem et dolorem esse ex falsis et veris malis. *Obsecro, mea tu nutrix*] Personæ aut suis verbis, aut aliorum insinuantur. Ex suis: ut nunc persona Sostratæ. Ex alienis: ut Æschini persona ex Micionis oratione ac Demeæ. *Obsecro, mea tu nutrix*] *Mea* nunc pro blandimento ponitur. *Quid nunc fiet?*] Imploratio est magis trepidantis, quam ignoratio et interrogatio. Namque illius nutrix est, quippe anicula est: sed sapientior nutrix est, quam domina sua. Ipsum etiam quod dicit, *nutrix*, honorificum est. Ut, Æn. iv. 634. *Annam cara mihi nutrix, hoc siste sororem.* Sunt enim nomina ad aliquid, Vid. infra, iii. 4. 10. quibus nos tamen velimus ab omnibus appellari, ut *magister, medicus orator.* D. —*Obsecro, mea nutrix*] Hæc scena æstus habet et querelas, quod mulier parturiat, quam Æschinus compressit, et hodie non venerit, quod rapuerit meretricem fratri. E.—Vulgo *Quid fiet rogas?* Sed meliores libri *Quid fiat r.* B.

2. *Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum*] Evidenter hic *modo* temporis præsentis adverbium est. Et rursus *mea tu*, blandimentum est: sine quo non progreditur colloquium feminarum, et maxime trepidantium. *Primulum*] Initium, et ipsa origo dolorum, diminutive demonstrata est. Non enim *primum*, sed *primulum* dicit. D.—*Dolores, mea tu, occipiunt*] *Mea tu*, hæc pronomina benevolentiam audientis mercantur. *Primulum* vero, adverbialiter ait. E.—*Occipiunt primulum*] Prisc. lib. xv. L. Tan. Faber verba *modo—primulum*, ipsi quoque Cantharæ tribuenda putat, ut illud, *mea tu*, ancillæ reblandientis heræ, quæ ante dixerat *mea nutrix.* At fallitur. Nam illud, *mea tu*, familiarius est, quam ut a serva ad dominam dicatur. Nam vel pares dicunt *mea tu*, vel dignior ad inferiorem. B.

3. *Jam nunc times, quasi nunquam affueris, nunquam tute pepereris*] Docte duo proposuit, quibus experientes scientesque rerum sumus, videre et pati. Virgilius sic, Æn. ii. 5.—*quæque ipse miserrima vidi: Et quorum pars magna fui. Tute* autem pro *tu*: παρέλκον est, quod * recitatu. Et facit (*Quod si resciscitatur, facit* edd. vett. *tute*, et *tutemet*, et *tutemetipse. Nunquam tute pepereris*] Vide προπαρασκευὴν doloris: nihil mali adhuc secutum est, et jam sic turbatur Sostrata. D.—*Timęs*] Facile illam solatur quæ virum experta sit, ut et pepererit et parturienti affuerit. E.—*Nunquam tute pepereris*] V. C. *peperisti.* L.—Elegantius cod. Petrensis, *quasi nusquam affueris.* B.

4. *Miseram me!*] Proprium est mulierum quum loquuntur, aut aliis blandiri: ut, *Annam, cara mihi nutrix, hoc siste sororem.* Aut se commiserari; ut, Æn. iv. 420.—*miseræ hoc tamen unum Exsequere, Anna, mihi.* Nam hæc omnia muliebria sunt, quibus pro malis ingentibus quasi in acervum rediguntur et enumerantur nullius momenti querelæ. *Neminem habeo*] Quid enim opus est? aut cur nunc quæris? *Neminem habeo: solæ sumus*] Muliebriter queritur, et ex perturbatione sua æstimans, metu multa facit ea, quæ pauca sunt. *Solæ sumus*] Nunquam pluraliter *solæ* (Verba *solæ s. n. p. S.* recte absunt a codd. vett.). *Solæ sumus*] Quum hoc nomen singularitatis sit, mire *solæ* pluraliter dixit. *Geta autem hic non adest*] Hic apparatio est, ut ostendatur absens, qui superventurus est. D.—*Geta autem hic*] Prisc. lib. vii. L.

5. *Nec quem ad obstetricem mittam*] Deest *habeo.* Sed in consuetudine est sic loqui, quum utrumque nobis, non alterutrum deesse conquerimur. *Nec quem ad obstetricem mittam, nec qui arcessat Æschinum*] *Habeo* subauditur, et magis a trepidante, quam rationabiliter dicitur: nam refellit hoc totum nutrix Canthara. D.—Et versus, qui iambicus esse debet, et sententia legi postulant, *Nec est, quem ad obstetricem, etc.* B.

6. *Nunquam unum intermittit diem, quin semper veniat*] *Nunquam*, pro *non.* Et *semper* non ad omne tempus retulit. Nam qui potest? sed ad omnes dies, secundum quod ait, *nam nunquam unum intermittit diem.* D.

Quin semper veniat. So. Solus mearum miseriarum est remedium.

CA. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est, hera: Quando vitium oblatum est, quod ad illum attinet potissimum, Talem, tali genere atque animo, natum ex tanta familia.

So. Ita pol est, ut dicis: salvos nobis, deos quæso, ut siet.

7. *Solus mearum miseriarum*] Bona locutio. D.—Veteres libri recte sic: *Sólus mearum est miseriarum rémedium.* B.

8. *E re nata*] Sic proprie dicimus de iis, quæ contra voluntatem nostram acciderunt: ut nunc vitium virginis. Ergo *E re nata*, ex vitio virginis. Sic Lucilius, P. ii. *Hic e re nata Sic ejus decêt: haud malus est.* Et sic maluit dicere, quam nunc (*quam, non*) Æschino culpam, sed potius casui attributam vellet. Est autem ordo, Nihil potuit melius e re nata fieri, quam id quod factum est, hera; ut, quandoquidem vitianda erat virgo, ab eo vitiaretur, qui erat expetendus ad matrimonium. Sensus enim hic est, Malum, vim fieri virgini: sed ex conditione ejus quæ vitiata sit, nihil potuit melius evenire quam contigit, ut ab eo vitiaretur, cujus non pœniteret: intelligere autem debemus, *fieri* et *factum esse*: pro *evenit* et *contigit* dici. *Melius fieri haud potuit*] Si *fieri* pro *evenit* acceperis: erit consequutio locutionis: sin minus: deerit, *quantum intelligo*: ut sit, *E re nata, quantum intelligo.* D.—*E re nata*] Id est, dominæ vitium oblatum est: melius tamen illud, quia hic vitiator est, qui optimo ingenio, hoc est, qui nobili genere et animo natus est, ut inerubesceret, ni eam uxorem duceret, quam ipse vitiasset. E.—Lege, *E re natæ*, h. e. ex commodo filiæ tuæ. Primum ob codd. nostrorum consensum. Deinde cum *e re nata* significet *ex tempore, celeriter*; efficitur sensus ab hoc loco alienus. Sin cum Donato explices *ex vitio virginis*, oritur tautologia; quia sequitur *Quando vitium oblatum est.* B.

9. *Quando vitium oblatum est*] Hoc est, e re nata. *Oblatum est*] *Oblatum* dicitur, quod offertur invito. *Quod ad illum attinet potissimum*] Quasi (*Non quasi* Z.) *vitium oblatum* sit *potissimum*, hoc est, bonum: sed ex persona ejus qui obtulit vitium, factum est bonum, quod per se ipsum malum est. Et hoc est quod melius haud fieri potuit, quam factum est. *Illum* autem dicit, Æschinum scilicet. *Potissimum* autem superlativum est ab eo quod est *potis*, et *potius*. Sic enim facit, *Potis, potius, potissimum*. Et *quod*, modo exceptionem significat: ut sit: *quantum ad illum attinet*, id est, Æschinum. D.

10. *Talem*] Scilicet a corpore, a forma, a pulchritudine. *Tali genere*] Laus, ante illum talem: et tali animo, in illo. Et *genus* jam ad vivos pertinet, *familia* etiam ad defunctos. Alii *genus* ad nobilitatem referunt, *familiam* ad copias: unde et *paterfamilias* dicitur: ut sit, *ex tanta familia*, ex tam divite domo. Hæc omnis παράκρασις tragica est gaudiorum introductio, ante funestissimum nuncium. *Tali genere*] Id est, ab his quæ extrinsecus sunt, id est, honestate generis. *Atque animo*] Id est, sapientia, modestia. Hoc modo igitur nihil prætermisit in laude (Hanc notam mire turbatam sic emendandam puto: *Talem*] Laus scilicet a corpore, a forma, a pulchritudine. Ante: *Illum talem.* Hæc, et *tali animo*: in illo. *Tali genere*] Laus ab his, quæ extrinsecus sunt, id est, honestate generis. *Genus* tantum ad vivos pertinet; *familia* etiam ad defunctos. Alii *genus* ad nobilitatem referunt, *familiam* ad copias. Unde et *paterfamilias* dicitur, ut sit, *ex tanta familia*, ex tam divite domo. Hæc omnis παράκρασις tragica est gaudiorum introductio, ante funestissimum nuncium. *Tali animo*] Id est, sapientia, modestia. Hoc modo igitur nihil prætermisit in laude.) D.—Quæ Donatus de discrimine *generis* et *familiæ* hic disputat, deliramenta sunt magistrorum, qui cum emendare nesciant, quovis modo explicare audent. *Genus* et *familia* cum idem valeant; in eodem commate conjungi non possunt. Igitur pro *genere* restitue *ingenio*. Nam *ingenium* et *animus* recte et sæpe conjunguntur: ut infra, v. 3. 42. And. i. 1. 86. et apud alios sexcenties. B.

11. *Salvos nobis, deos quæso, ut siet*] Quam bonus est, quum nihil (*Quia talis est, nihil* Ms. Boend.) ad vota præter salutem, opus est. D.—*Ita pol est*] Receperat enim aliquo modo animum, dum hæc adjunxit. E.

ACTUS TERTII SCENA II.

GETA. SOSTRATA. CANTHARA.

NUNC illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant,
Atque huic malo salutem quærant, auxilii nihil afferant,
Quod mihique, heræque, filiæque herili est: væ misero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest:
Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia.
Hocine seculum? o scelera! o genera sacrilega! o hominem impium!

1. *Nunc illud est*] Hic locus, secundum artem comicam, servum currentem exprimit, et nunciantem mala. Maxima itaque pars scenæ motoria est. Significat autem (Videtur excidisse, *Nunc illud est* Z.) nunc tale negotium est, nunc tale periculum est: aut (*an*) vero consignificationem temporis habet, ut si diceret (ut siquis *si diceret* Z.), quando aut quo tempore? *Nunc illud est*] Utrum periculum, an tempus? Est enim ἔλλειψις. *Quod si omnes omnia sua consilia conferant*] Τὴν περβολὴν cum παρανομασίᾳ, *omnes omnia*. Hinc Cicero, *Omnes in hoc judicio conferant omnia*. D.—*Nunc illud est*] Hæc scena conquestum omnem tenet, quia servus vidit Æschinum rapere meretricem, qui suæ dominæ vitiator est, et qui promiserat se eam uxorem ducturum. Ignorat enim servus quia non sibi, sed fratri Æschinus rapuit. Arbitratus igitur dominam derelictam ingemiscit, et conqueritur apud adolescentem mutatam esse fidem. Præsentes mulieres sunt; quæ cum audissent servum, et ipsæ dolent: et post efficitur deliberatio, an perferendum sit, quod vitiata puella esset; ut coactus legibus adolescens eam ducat uxorem. Et si hic partes ambæ indicandæ sunt, ut suis locis tractabimus: nunc de quæstione dicemus exordium. *Tale malum est, ut si omnes omnia sua, etc.* Post subjungit: *hoccine seculum!* Primum seculis detraxit, deinde hominibus. Quemadmodum laudative, Æn. i. 609.—*quæ te tam læta tulerunt Secula, qui tanti talem genuere parentes?* E.—Lectio plerorumque codd. *Quod si omnia omnes*, venustior est, et collocatione et numeris. B.

2. *Salutem quærant*] Non *remedium*, ut ægro: sed, ut pereunti, *salutem*. Et nove dixit, *malo salutem*, pro *contra malum*. *Auxilii nihil afferant*] Mire de proximo repetitum est παρόμοιον; id est, *conferant* et *afferant*. Hoc convenit præsertim stomacho minus verba curantis (Melius, *stomachanti minus verba curanti*. Z.). Sic supra, *omnes omnia*. D.

3. *Quod mihique, heræque, filiæque*] Mira in servo fides, quum primum se ponat in herili malo: et post se, matrem: in ultimo puellam. *Quod mihique, heræque, filiæque herili est*] Πολυσύνδετον secundum: ut, Georg. iii. 343.—*Omnia secum Armentarius Afer agit, tectumque, laremque, Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram. Væ misero mihi!*] Ἐμπαθῶς σχετλιάζει. D.

4. *Circumvallant*] *Circumvallant* se circa nos, et stipant se invicem. Nam *circumvallamus* nos et alios: tamen rara locutio est, Victorius V. L. xxxii. 6. existimat, Menandrum forte usum esse verbo παρεστοιχίζεσθαι, quod hic Terentius expresserit). Et *circumvallant* dixit, velut inimica acies contra nos: et ideo addidit, *Unde emergi non potest*] Quum impressio est hostium, sic dicitur: ut Sallustius, *pressi undique multitudine*. Cicero, *qui semper premuntur, et nunquam emergunt*. Et *emergi*, nove. Nam *emergo* dicitur, non *emergor*: sed ideo est usus, quia extra compositionem et *mergo* et *mergor* facit. *Unde emergi non potest*] *Unde*, absolute: an deest *illud*? an *unde*, pro *ex quibus*? D.

5. *Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia*] Hæ res sunt quæ circumvallant: *vis* illata: *Egestas* ipsius puellæ: *injustitia* judicum illius temporis: *solitudo* a defensoribus: *infamia* ab iis, qui credunt pretio vitiatam. Nam et in subditis sic habes: *quando ego conscia mihi sum, neque pretium, neque rem ullam intercessisse*. D.

6. *Hocine seculum?*] Ἐν ἤθει. Questurus de homine, seculum accusat prius: ut, *o tempora! o mores!* Et e contrario, secula in omnibus rebus laudantur: ut, Æn. i. 605.—*quæ te tam læta tulerunt Secula? O scelera! o genera sacrilega! o hominem impurum!*] Moris est nimis dolentibus incusare alia ex aliis. Virg. Ecl. v. 22.—*Quum complexa sui corpus miserabile nati, Atque deos atque astra vocat crudelia mater.* Et, Æn. ii. 745. *Quem non incusavi amens hominumque deorumque? O hominem impurum!*] Æschinum scilicet. Et hoc ἤθους.

So. Me miseram! quidnam'st, quod sic video timidum et properantem Getam?

GE. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordia

Repressit, neque reflexit, neque quod partus instabat prope,

Cui miseræ indigne per vim vitium obtulerat. So. Non intelligo

Satis, quæ loquatur. CA. Propius obsecro accedamus, Sostrata. GE. Ah,

Me miserum! vix sum compos animi, ita ardeo iracundia.

Nihil est quod malim, quam illam totam familiam dari mihi obviam,

Ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum ægritudo hæc est recens.

Nam semper ultimum ponimus eum, cui maxime irascimur: ut in Andria, post accusatum socerum, et vituperatam sponsam, *Nam quid ego dicam de patre?* Et in Phormione, *Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?* Et post multa, *O facinus audax! O Geta monitor!* Unde ille, *Vix tandem*, inquit. D.—Non aliter stat versus, nisi receperis optimorum codd. *seclum* pro vulgari *seculum*. B.

7. *Video timidum et properantem Getam*] *Timidum*, perturbatum: non enim timet, sed dolet. Sic Plautus in Bacchidibus i. 1. 73. *Nam ut ex navi vecta es, credo, timida es.* D.

8. *Quem neque fides, neque jusjurandum*] Ordo est, Hominem impurum, quem neque fides, neque jusjurandum. Et sæpe repetitum *neque*, exaggerat crimen admissum. *Quem neque fides*] Quia promisit. *Neque jusjurandum*] Quia juravit. *Neque illum misericordia*] Quia vim intulit. *Neque illum*] Secundum παρέλκον; nam abundat *illum*: ut, Æn. v. 457. *Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.* Et ejus videlicet misericordia quam amavit, neque *repressit*, ne auderet: *neque reflexit*, ne faceret. Et sic hoc dictum est, ut a Virgilio, Æn. iv. 369. *Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit? Num lacrymas victus dedit, aut miseratus amantem est?* et cætera: ut si non potuit reprimi ne faceret, saltem ut in peccando esset mitior, debuit (*debuerit* Z.) commoveri: sed melius quod supra. D.—*Quem neque fides*] Hæ conquestionis partes sunt, quod a nullo revocatus sit Æschinus, nec quia juravit, nec quia promisit, nec quia misericordia flecti debuit, nec quia jam partus videbatur esse vicinus. E.—*Neque jusjurandum*] Cato apud Nonium: *Qui neque fidem, neque jusjurandum, neque pudicitiam multi facit. Neque illum*] Donatus monet *illum* παρέλκειν: ergo etiam in illo Senecæ loco Controvers. XXX. *Timeo nescio quem, illum, qui patrem meum occidit.* Quod ni sic; eadem certe ratione *illum* sine aspiratione hic dictum, ut in Glossario, *illum* πάρτηκος τὸ ἐντός. Lucill. *nec proficit illum.* L.

9. *Neque quod partus instabat prope*] Αὐξητικῶς addidit non tantum mariti, sed etiam patris scelus. D.

10. *Cui miseræ*] Deest, *ei. Indigne*] Impie, crudeliter: ut Virg. Æn. ii. 285. —*quæ causa indigna serenos Fœdavit vultus? Non intelligo satis quæ loquatur*] Ad hoc Sostrata ignorans inducitur, ut malo nuncio repente feriatur. Et quia oportuit ipsam priorem loqui, præsens est (*E. q. o. i. propiorem loqui, porro servus loquitur*). Quia autem non est perdenda tam suavis ἠθοποιΐα dolentis ad irascentem; idcirco non audit (*idcirco nec Canthara audit*), ne ob illam Geta conservus loqui desinat. D.

11. *Satis, quæ loquatur*] Adhuc non audiente Geta loquitur: idcirco nec audit eum satis (Lego ope codd. *Adhuc non audiente hera. Idcirco nec audit eam servus*), nec videtur ab eo Sostrata. D.

12. *Vix sum compos animi*] Aut *vix*, tandem: aut *vix*, non: ut Lucilius, *carcer vix carcere dignus. Compos animi*] Id est, competentis (*competentis* Ms. B. Sed forte, *compotens*) animi, vel sani animi: cui contrarium est, *impos animi.* Sallustius, *Neque animo, neque lingua satis compotem:* quum de amente Septimio loqueretur. Alii, *compotem animi*, compositum animo (*compositum animum* Ms. B. et edd. vett.) intelligunt. D.—*Vix sum compos animi*] Id est, vix sum apud me. *Compos* siquidem est suæ voluntatis effector: unde et *impos.* E.

13. *Quam illam totam familiam*] Hic nunc tam culpa familiæ, quam scelus Æschini ostenditur, propter quem omnes cruciandi sunt. D.

14. *Iram hanc*] *Hanc* interdum pro qua-

Satis mihi id habeam supplicii, dum illos ulciscar modo.
Seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus:
Tum autem Syrum impulsorem, vah! quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium primum arriperem, et capite in terram statuerem,
Ut cerebro dispergat viam.
Adolescenti ipsi eriperem oculos: post hæc præcipitem darem.
Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, et prosternerem.
Sed cesso heram hoc malo impertiri propere? So. Revocemus. Geta.
GE. Hem, quisquis es, sine me. So. Ego sum Sostrata.
GE. Ubi ea'st? te ipsam quærito:

litate, interdum pro quantitate accipimus, interdum pro utroque: ut, Æn. i. 98. *Tuaque animam hanc effundere dextra?* Et, Æn. ix. 481. *Hunc ergo te, Euryale, aspicio?* Sed nunc pro utroque, *hanc*, dixit: ut Sallustius de scriptione Celtiberi ait, *hunc igitur redarguit Tarquinius* (Alii, *Tarquitius*). D.—Recte unus ex veteribus, *ægritudo est hæc recens.* B.

15. *Satis mihi id habeam supplicii*] Moraliter loquitur: nam fere quando quisquam irascitur, sibi videtur fortis, tanquam qui plus audet. *Dum illos ulciscar modo*] Verum est hanc esse vindictam, quæ ex recentissimis flagitiis properata sit (*Quæ ex recentis vitii flagitiis properat.* Edd. vett.) Sic Virgilius, Æn. x. 514. *te, Turne, superbum Cæde nova quærens.* D. —*Dum illos ulciscar*] Erit plena vindicta, si modo illos puniam ac persequar. Exprimit post iracundiam suam. E.—*Satis mihi*] Charis. lib. ii. L.—Versus claudicat, nisi in *dum* synalœpha cesset, plane contra artem et Terentii morem. Dele ista, *dum illos ulciscar modo.* Hemistichium est, ut mox, ver. 19. B.

16. *Seni animam primum extinguerem ipsi*] Bene *extinguerem:* quia ignis est. Virg. Æn. vi. 730. *Igneus est illis vigor, et cœlestis origo Seminibus.*—Et *primum* addidit, quod ordinem significat: tunc enim adjicitur, quum multa subjicienda monstrantur: ut cui fracta prius crura brachiaque, * et cætera vitia, in Æschinum totum promovens (forte, *Bracchiaque, et cætera. Vindicta in Æschinum stomachum porro movens*) ostenditur etiam per aliena supplicia (edd. vett. cum Ms. B. addunt, *maxime per Syrum impulsorem.*) D.

17. *Syrum impulsorem*] Causæ pœnæ (*Qui est causa pœnæ* Z.). *Vah, quibus illum lacerarem modis!*] Hic voluntas immodica ostenditur, pœnam pro merito reposcentis. Et nota, quum Syrum dixerit, addidisse nutus de supercilio. D.

18. *Sublimem*] Ista (*Ipsa*) pœna. D.—Lege, *Sublimem medium arriperem, et capite prónum in terram státuerem.* Nam ex *pronum* per compendium scribendi est ortum *primum:* quod postea, ne sensus plane ineptus efficeretur, retractum est ad prius versiculi colon. B.

19. *Statuerem, ut cerebro dispergat viam*] Et cerebrum et via dispergi potest: ideo videtur ambiguum: ut apud Virg. Æn. iv. 664. *—ensemque cruore Spumantem, sparsasque manus.*—Aliter enim dicitur, Ecl. v. 40. *Spargite humum foliis.*—Aliter, Æn. iv. 512. *Sparserat et latices simulatos fontis Averni.* D.

20. *Adolescenti ipsi eriperem oculos*] Bene *oculos*, amoris indices (forte, *illices*), adjutoresque flagitii. *Posthæc præcipitem darem*] Gravior pœna cæcitatis (*ob cæcitatem*, seu, *cæcati* Z.) non providere quo cadas. D.

21. *Cæteros ruerem*] *Ruere*, activam vim habet. Sallustius in secundo, *Ictu eorum, qui in flumine ruebant, necabantur. Ruere* enim, est toto corpore uti ad impellendum: quod faciunt, qui ipsi præcipites alios prosternunt. Unde proprie *sues ruere* dicuntur. Virg. Georg. iii. 255. *Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus.* Et Horat. Epist. ii. 2. 75. *Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus. Agerem*] Prosequerer, premerem. Virg. Æn. iv. 245. *Illa fretus agit ventos.* Id est, nimia celeritate persequitur, et pene occupat prævenitque. *Tunderem, et prosternerem*] Vide quam fortis sibi videatur, qui dolet et irascitur. D.—*Tunderem*, cum omnia hic a re militari translata sint, a loco est alienum. Ergo amplectere, quod Guyetus substituit, *funderem. Fusi* enim *hostes* passim occurrunt. B.

22. *Heram hoc malo impertire*] Id est, participem facere. E.

23. *Ego sum Sostrata*] Hæc ideo indu-

Te exspecto: oppido opportune te obtulisti mihi obviam,
Hera. So. Quid est? quid trepidas? GE. Hei mihi! So. Quid festinas, mi Geta?
Animum recipe. GE. Prorsus. So. Quid istuc prorsus ergo'st? GE. Periimus:
Actum'st. So. Eloquere ergo, obsecro te, quid sit. GE. Jam. So. Quid jam, Geta?
GE. Æschinus. So. Quid is ergo? GE. Alienus est ab nostra familia. So. Hem!
Perii! quare? GE. Amare occepit aliam. So. Væ miseræ mihi!
GE. Neque id occulte fert: ab lenone ipsus eripuit palam.

citur, ut verisimile sit supra non visam Sostratam: quando etiam vix nunc agnoscitur ab irato. *Te ipsam quærito: te exspecto: oppido opportune*] Incerta distinctio, utrum *Te exspecto oppido opportune*, sit dicendum: an (Forte excidit, *Oppido opportune, ad sequentia referendum sit? Verum cum* Z.) *Exspectare* sit impatienter cupere, et sine præscriptione temporis: *sperare*, juxta certum tempus. Unde (*Tempus: inde* Z.) apparet ad *Te exspecto*, quia per se nimium est, non esse jungendum *oppido*. D.—Pro *Ubi ea est?* corrige *Ubinam es?* ut est alibi. B.

24. *Oppido opportune*] Valde. E.—Pro *exspecto*, quod alienum est, quia hoc totum inexspectatum accidit, recipe codicis Academ. *expeto*. Vide nos ad Eun. iv. 6. 5. B.

25. *Quid festinas, mi Geta?*] Probus assignat hoc Sostratæ. Asper non vult ad omnia servum respondere (Videtur legendum, aut, *ad omnia Sostratam respondere:* aut, *a domina servum resupinari.* Cf. Phorm. v. 6. 24.): sed nutricem putat hoc loqui. *Quid festinas?*] Perturbaris? Et commotus dicit *prorsus*, actu commoto, fesso, et anhelanti, ob perturbationem et contentum cursum. D.

26. *Animum recipe*] Quod in lectione gestu ostendi minime potuit, id ex verbis Sostratæ ostenditur in Geta. Nam ideo dicitur, *Animum recipe:* quia ille præ anhelitu crebriora verba continuare non possit. D.—*Animum recipe*] Id est, spiritum resume. Sensus profertur ille qui plenus est. Est autem integer talis, gemitu irrumpente (*interrumpente*): *Ei mihi, amare occepit aliam.* Breviter summam proposuit: ac primum quæritur de fide, an constet admissum. Ille respondit: se vidisse. Rursus et ipsa conqueritur. E. —Placet recte Faerno lectio Bembini, quæ ipsa in nostro cod. 900 annorum reperitur, *Recipe animam.* Hæc enim sensui Terentii, et Donati disputationi de anhelitu probe convenit. B.

27. *Perimus! actum est!*] Jam bina verba junguntur. *Perimus! actum est!*] Verba sunt desperationis. Nam *actum est*, dicitur in ea re, de qua jam lata sit sententia. *Eloquere, obsecro, quid sit*] Bene *eloquere.* Nam conatur tantum, quod nec explicatur, nec intelligitur: cui vitio contraria virtus est eloquentia. Jam plus hic gestu, quam dictu (*dictis*) agitur: quia, ut supra diximus, et lassus est qui nunciat: et integratur dolor nuncii, quum apud illam loquitur, ad quam maxime calamitas pertinet: quo dolore vox plerumque subtrahitur atque singultit: et simul dat signum perditarum rerum. D.—Pro *eloquere* versus causa repone *loquere.* B.

28. *Alienus est a nostra familia*] Bene *alienus.* Geta enim ipsi (*Getæ enim ipse*) jam dominus, Sostratæ gener, Pamphilæ maritus vocabatur. D.

29. *Amare occepit aliam*] Pejus est *amare occepit*, quam *amat.* Nam in eo quod dixit, *occepit*, augmenta mali metuenda significat: ut in principiis quæ actum respiciunt, non statim imminutionem inspectant. Et *occepit*, magnum facinus dixit. *Væ miseræ mihi!*] Mire interponitur mulieris affectus novo nuncio. D.

30. *A lenone ipsus eripuit palam*] Sic nunciat, ut ultima pejora sint. Et his argumentis vult probare, quod immodice amet Æschinus. Et pene plus quam amavit virginem, pudori qui non consuluit (Westerh. edidit, *Æschinus, qui plus quam virginem, id ipsum quod pudor nec hortatur, nec consulit, amat.* Z.). Quis autem magis potuit impudens esse, quam qui post honestum amorem, *ab lenone* amet? Hoc etenim significat meretricem. Ergo non honestum, sed *ab lenone:* non per alium, sed *ipsius:* nec emit, aut abduxit, sed ob impatientiam valde amantis *eripuit:* neque id *occulte*, ut qui celaret factum, tanquam satisfacturus uxori videretur: sed *palam.* D.—Palmerius distinguit post *lenone*, ut intelligatur *a lenone amare cœpit;* ut Eun. v. 4. 4. Sed recepta distinctio est sana. B.

So. Satin' hoc certum'st? Ge. Certe, hisce oculis egomet vidi, Sostrata. So. Ah,
Me miseram! quid credas jam? aut cui credas? nostrumne Æschinum?
Nostram vitam omnium, in quo nostræ spes, omnesque opes sitæ
Erant: qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem,
Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat patris;
Ita obsecraturum, ut liceret sibi hanc uxorem ducere?
Ge. Hera, lacrumas mitte: ac potius, quod ad hanc rem opus est porro, consule;

31. *Satin' hoc certo?*] Magnis malis non statim creditur. Hoc ergo ex dolore dixit, quod stupet audiens: non, quia non habet fidem. *Hisce oculis*] Ἰδιωτισμὸς asseverantis. *Ah!*] Interjectio est flentis. D. —Pro *certe* repone cum Faerno *certum*, ut responsio hæc conveniat interrogationi. B.

32. *Me miseram!*] Mira affectio. Nam lacrymæ non sinunt finire sensum. *Quid credas jam? aut cui credas?*] Fides aut personæ qualitate servatur, si gravis persona est cui creditur: aut ipsius rei qualitate, si ea res creditur, in qua fallere cui creditur, aut non potest, aut non debet. Hic ergo mire in utroque jam fidem dixit nullam esse, et in persona, et in re, quod Virgilius transtulit, breviusque dixit, Æn. iv. 373. *Nusquam tuta fides.* Hoc est, nec in re, nec in persona. Et hic ipse in Heaut. *Pro Juppiter! ubinam est fides? Nostrumne Æschinum, nostrarum vitam omnium*] Ἑλληνιστικῶς omnia: quia fletus impedit verba: deest autem, *hoc facisse*, vel quid tale. D.—Lectionem codd. nostrorum, *Quid jam crédas*, et versus et accentus postulat. Deinde in aliquibus libb. vett. auctore Faerno, reperitur *Nostrum Æschinum? Nostrumne Æschinum?* Qua lectione optime stet trochaicus. B.

33. *Sitæ erant*] *Sitæ*, positæ. Nam *situm* est quicquid in loco suo positum non evertitur. D.—Omnes codd. habent lectionem Lindenbrogii, præterquam quod Faerni et nostri collocant ita, *spes opesque omnes sitæ.* Sed forte hunc et seq. vers. Auctor sic collocavit: *Nostram ómnium vitam; in quo nostræ spés opesque omnés sitæ? | Qui sé sine hac jurábat unum núnquam victurum diem?* B.

35. *Positurum puerum*] *Puerum* dixit, si puer nasceretur: non quia (codd. vett. addunt, *marem nasci*) divinabat. Ad votum ergo cupientis retulit *puerum*: non quia necesse esset marem nasci. Et hæc omnia, magno stupore dicuntur, ad exaggerandam perfidiam illius cui creditur, et dolorem eorum qui crediderunt. D.—Pro vulgari *patrem* meliores libri habent *patris.* B.

36. Ex cod. Petrensi leg. *hanc se uxorem ducere.* Quæ constructio reperitur Heaut. iv. 1. 53. B.

37. *Hera, lacrumas mitte: ac potius, quod ad hanc rem opus est*] Hinc Virg. Æn. xii. 156. *Non lacrymis hoc tempus, ait Saturnia Juno.* Sentit autem, non lacrymis agendum, ubi consilio opus est. *Porro consule*] *Porro*, in reliquum, deinde, vel in futurum. *Porro* enim, ordinis et temporis adverbium est, non conjunctio. D.—*Hera, lacrumas mitte*] Hinc jam deliberationis propositio est, cum dicit, *consule, patiamur an narremus?* Una pars subjungitur, non esse narrandum, *Mihi quidem non placet.* Hujus rei argumenta illa sunt, quod primum Æschinum constat alienum habere circa istum (*istam*) animum. Si palam ergo prolatum fuerit, negabit continuo fortasse, hoc est, *inficias ibit.* Tunc continuo puellæ periclitabitur fama, *vita veniet in dubium.* Sin autem confessus fuerit adolescens se vitiasse, et propterea cogatur ducere uxorem, *utile non est dare illi puellam, cum aliam diligat.* Unde sine dubio quacunque ratione necessarium est conticessere. Deinde subjungitur pars altera: *Minime gentium*, inquit, *non faciam*, potius *proferam.* Cujus rei argumenta hæc sunt: *Quod pejore loco res jam esse non potest.* Est enim *indotata: secunda ei præterea dos* quæ esse potuisset, est ablata, virginitas. Sed si negabit Æschinus vitiatam, facile dinoscetur: *testis enim*, inquit, *mecum est annulus, quem amiserat.* Et certe cum ego conscia mihi sum, a me hanc esse culpam amotam, non enim corruptam, neque pretio pudicitiam puellæ vendidi, facile vindicabo, et me et illam indignam illa (excidit *re* Z.). Hoc argumento persuasit rem esse proferendam. Ita consentiens servus dixtt, *Quid istuc est, accedo ut melius dicas.* E.—Omnes Faerni *porro prospice*, præter Vatican. et tres ex nostris vett. ubi recte est *consule*, h. e. delibera. B.

Patiamurne, an narremus cuipiam? CA. Au, mi homo, sanusne es?
An hoc proferendum tibi videtur usquam esse? GE. Mihi quidem non placet.
Jam primum illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat.
Nunc si hoc palam proferimus, ille inficias ibit, sat scio.
Tua fama, et gnatæ vita in dubium veniet: tum si maxime
Fateatur; quum amet aliam, non est utile hanc illi dari.
Quapropter quoquo pacto tacito'st opus. So. Ah, minime gentium:
Non faciam. GE. Quid agis? So. Proferam. GE. Hem! mea Sostrata, vide quam rem agas.
So. Pejore res loco non potest esse, quam in quo nunc sita est.
Primum indotata est: tum præterea, quæ secunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non potest: hoc relliquom est,
Si inficias ibit, testis mecum est anulus, quem amiserat:

38. *Au! mi homo, sanusne es?*] Hoc ex persona nutricis legendum est: illa enim dissimulandam rem putat. *Mi*, pro *meus*. D.—Deme *ne*, ut est Phorm. i. 3. 22. Deinde versus non stat, nisi recipias lectionem codd. nostrorum, *Au, au, mi homo sanun' es?* B.

39. Illud *esse* abest ab uno cod. et tres, *proferendum hoc*. Lege igitur, *An próferendum hoc tibi videtur úsquam?* GE. *Mi quidem nón placet*. B.

41. Præter Bemb. omnes mendose legunt *proferemus*. B.

42. *Tua fama, et gnatæ vita*] Tibi enim crimini erit, vitiatam esse filiam: illi etiam oberit. Et utrum *vitam*, salutem dicit? *In dubium*] In periculum. D.

43. *Fateatur*] Vitiasse filiam. Et complexio est διπλεύρος oratoria, in qua utrum senseris (*cesseris* Z.) contrarium tollis: cogiturque (*cogerisque* Ms. B. et edd. vett.) quod ex altera parte sit, hoc est, tacere D.—Repone, *Non est utile huic, illi dari*. Ita sæpe alias cum dativo. Cf. Hec. i. 2. 76. B.

44. *Quapropter quoquo pacto*] Congrue et pro persona, et pro muliere hoc dictum est: eamque in malis inconstantem esse demonstrat (Westerh. edidit, *constantem esse demonstratur*. Minus recte. Z.). D.—Si cui lectio codd. multorum placet *celato* pro *tacito;* legat, *est celato opus*. B.

45. *Non faciam*] *Non faciam*, dixit, pro *Non tacebo;* quasi *tacere*, aliquam actionem habeat: sed moralis significatio est, et communis omnibus: sicut *advocatum* dicimus *male fecisse*, quum tacuerit. D.—Bembinus et alii habent *ages*, quod, ob seq. *proferam*, præfert Faernus. Sed probo cod. Reg. *ais*, quod est admirantis et dissentientis. Certe ita cavetur, ne bis idem dicatur, quia mox Canthara, quæ cum Geta consilium Sostratæ repudiat, ait, *quam rem agas*. B.

46. *Pejore res loco non potest esse*] Satis argute inter Getam et Sostratam sententias ex perturbatione facit nutare (excidit, *poeta* Z.). *Quam in quo nunc sita est*] Causa nihil timendi. D.—Versus probat Bembini *potis est*, pro *potest*. B.

47. *Primum indotata est*] Ratio subjecta est causæ: et *indotatam*, pauperem modo dicit. *Tum præterea, quæ secunda ei dos erat*] Videlicet, *dari pro virgine nuptum*. Et incerta distinctio est; etenim erat bis subaudiendum, *pro virgine dari nuptum*. D.—*Secunda ei dos*] Plaut. Amphitr. ii. 2. 209. *Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur: Sed pudicitiam, et pudorem, et sedatum cupidinem*. L.

48. *Non potest*] Jungendum, *dari nuptum*. Et *pro virgine:* id est, virgo: ut, *nunc plane est pro nova*, id est, nova. Aut nec virgo, nec pro virgine nubere potest: non virgo; quia vitiata est: nec pro virgine; quia res diffamata est. D.

49. *Si inficias ibit*] Si negabit. *Testis mecum est annulus*] Locutio hæc (excidit *vel* Z.) sic capienda est: *hic est annulus pro me testis*. Vel sic, *annulus et ego testes sumus*. Sed melius quod supra (Fortasse respicit locum Eun. iii. 3. 9. ubi *mecum* recte explicat *penes me*. Z.). D.—Nostri fere omnes cum edd. vett. *anulus, quem ipse amiserat*. B.

Postremo, quando ego conscia mihi sum, a me culpam esse hanc procul;
Neque pretium, neque rem ullam intercessisse, illa aut me indignam, Geta;
Experiar. GE. Quid istic? accedo ut melius dicas. SO. Tu quantum potes
Abi, atque Hegioni cognato hujus rem omnem narrato ordine:
Nam is nostro Simulo fuit summus, et nos coluit maxume.
GE. Nam hercle alius nemo respicit nos. SO. Propera tu, mea Canthara,
Curre: obstetricem arcesse, ut quum opus sit, ne in mora nobis siet.

ACTUS TERTII SCENA III.

DEMEA. SYRUS.

DISPERII! Ctesiphonem audivi filium

50. Postremo, quando ego conscia mihi sum] *Quando*, pro quoniam: vel *quando*, pro quidem (*quando*, pro *quandoquidem*. Ms. H.). D.—Mutato ordine scribe, *quando ego mihi sum conscia*. B.

51. Neque rem ullam] Hoc est (*Exempli gratia* Ms. H.) internuncium, pactum clam, aut promissum. Et bene totum execrative dixit: ut alii facinora abhorreant (*a facinore abhorreant*. Ms. H.). *Illa*] Filia scilicet. D.—Repone, *intercesse aut illa aut me i. G.* B.

52. Experiar] Apud judices agam. *Quid istuc?* Verbum est ægre consentientis: quasi qui dicat, *Quid hic resistam? Accedo, ut melius dicas*] Id est, ut consentiam, velut qui melius possim dicere (*Veluti melius potens sis dicere*. Mss. Forte, *vel ut quid, etc.*). *Quantum potes, abi*] Deest *cito*: ut sit, *quantum potes, cito abi*. D.—Ne versus sit justo longior, pro *accedo* repone *cedo*, h. e. concedo, fateor, agnosco, te melius dicere. B.

53. Atque Hegioni] Apud Menandrum Sostratæ frater inducitur. *Hujus*] Filiæ suæ scilicet. D.—Lege cum Bemb. *rem enarrato omnem ordine*. B.

54. Simulo] Nomen patris puellæ: diminutivum a Simo, vel Simone. Et nota nomen in Palliata Fabula Latine diminutivum. *Simulo fuit summus*] *Summus*, an ad cognatum, an ad amicum refertur? an absolute ponitur? ut in Eunucho, *Plurima salute summum suum impertit Gnatho. Et nos coluit maxime*] Et miserabilius *coluit* dictum est, quam si diceret, *colit*. Virg. Æn. ix. 300. *Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat. Colere* enim, et majoribus et minoribus convenit. Et, Æn. i. 16. *Posthabita coluisse Samo*. D.—*Nostro Simulo fuit summus*. * (Excidit forte, *Igitur nos nunc respiciet*; aut aliud ejusmodi Z.); sed parum istuc est, etiam *nos maxime coluit*. E.

55. Nos] Monosyllabo finit, vultuosam exprimens pronunciationem. *Tu, mea Canthara*] Tristis ac seriæ feminæ blandimentum est *mea* potius, quam pronomen possessivum. Deest enim *cara*, vel quid tale: quo addito, pronomen staret *mea*. D.—Lege *propere*: adverb. B.

56. Curre] Mire dictum est ancillæ, *curre. Ut, quum opus sit*] Id est, quum adesse cœperit partus. *Ne in mora nobis siet*] Locutio qualis supra, And. ii. 5. 13. et iii. 1. 9. D.

1. Disperii! Ctesiphonem audivi filium] Hic ostenditur quod severi homines, ac recti et honesti, tenaces vel ridiculi sunt, vel odio habentur quoquo accesserint. Magno autem affectu, et quasi exclamantis addidit *filium*: quasi causam redderet cur dixerat, *Disperii!* D.—*Disperii!*] Hæc scena illusionem habet, qua utitur servus uti dominum possit fallere. Demea tamen opinione comperit, quod filius suus interfuerit raptioni: graviter ferens ad domum properat: ingemiscit enim si fuerit etiam ipse corruptus. *Disperii!*] Valde perii, si *illum potest* frater etiam corrumpere, *qui alicujus spei est*. E.

Una affuisse in raptione cum Æschino.
Id misero restat mihi mali, si illum potest,
Qui alicui rei est, etiam ad nequitiam abducere.
Ubi ego illum quæram? credo abductum in ganeum
Aliquo: persuasit ille impurus, sat scio.
Sed eccum Syrum ire video: hinc scibo jam, ubi siet:
Atque hercle hic de grege illo est: si me senserit
Eum quæritare, nunquam dicet carnufex.
Non ostendam me id velle. SY. Omnem rem modo seni,
Quo pacto se haberet, enarramus ordine:
Nihil vidi quicquam lætius. DE. Pro Juppiter!
Hominis stultitiam! SY. Collaudavit filium:

2. *Una affuisse in raptione cum Æschino*] Οἰκονομία; in qua ostenditur, quantum commovebitur Demea ipsa re comperta, quum ex parva rei suspicione tantum se afficiat (*affigat*). *Raptio* autem ad personam refertur, *rapina* ad rem, *raptus* ad stuprum, si volumus proprie loqui. D.—Bemb. habet *Una fuisse*. Sed retinendum est vulgare *adfuisse*: ut, And. i. 1. 80. Eun. ii. 3. 75. B.

3. *Id misero restat*] Bene *restat*: tanquam jam summum malum sit, Æschinum esse corruptum. Et, *misero mihi*: quasi qui nihil nesciat (*Quasi quid faciat, nesciat* Z.), nihil curante Micione. *Si illum potest*] Non dubitat *velle*: et ideo dicit *potest*. D.

4. *Qui alicui rei est*] Recte: de hoc enim supra dixit, *Non fratrem rei dare operam videt? ruri esse, parcum ac sobrium? Etiam ad nequitiam abducere*] Quasi invitum dixit, non *vocare*, sed *abducere*. *Ducimus* enim volentes (*orantes* Ms. H.): sed *abducimus* invitos. *Nequitia* autem proprie libidinosa inertia dicta est: quod nihil queat, nullique rei apta sit. Unde et *nugæ*, quod nihil agant, vel a non agendo. D.—Idem Bemb. habet *etiam eum ad nequitiem adducere*. B.

5. *Credo abductum*] Non *iisse*, sed *abductum* esse: quasi adhuc culpa non sit illius. *In ganeum aliquo*] Veteres *ganeum*, meritoriam tabernam dixerunt, ἀπὸ τῆς γᾶς (Corrige ἀπὸ τῷ γᾶς, aut ἀπὸ τοῦ γᾶς Z.) τοὐτ' ἔστι, τῆς γῆς: quod ipsa sit in terra, non ut cœnacula superius. Unde et *taberna*, quasi *trabena* (*trahea* Ms. B.), a validioribus dicta trabibus, quibus superiora suspensa sunt. D.

6. *Persuasit ille impurus*] *Suademus* facilia, *persuademus* difficilia. Et *suadere* facientis est, *persuadere* perficientis. *Impurus* autem pro improbo ponitur apud Terentium. Et hic quoque excusata voluntas est Ctesiphonis, cui a majore fratre et improbo ingesta sit persuasione nequitia. D.

7. *Sed eccum Syrum ire video*] *Ire*, et abire, et venire significat. *Ire video*] *Ire*, pro venire: ut, Æn. vi. 392. *Nec vero Alciden me sum lætatus euntem Accepisse lacu*. D.

8. *Atque hercle hic de grege illo est*] Figura ἐπανάληψις, *de grege illo est*. *Ordo* vel bonorum, vel malorum dicitur, et gravium; ut *equester ordo*, *senatorius ordo*. *Grex* vel bonorum, vel malorum est, et levium: ut, Cic. Catil. ii. 10. *In his bonis gregibus omnes aleatores, omnes impuri impudicique versantur*. D.—*De grege illo*] De illis qui corrumpunt et qui corrupti sunt. E.

9. *Quæritare*] Instanter quærere. *Carnufex*. Pro ganeo (*Pro ganeone*. Fortassis hoc Scholion pertinet ad *impurus* vers. 6.) positum est. D.

10. *Non ostendam me id velle*] Scilicet, scire ubi sit. D.—*Omnem rem modo seni*] Servus universa seni esse narrata * (excidit *ait*), hoc est, cui rapta sit meretrix, et senem laudasse consilium, et filium quod pro fratre laboravit. E.—Omnes nostri et Faerni libri collocant, *id me velle*. D.

11. *Quo pacto se haberet, enarramus ordine*] Hoc recte: quia dixerat Micio, *Nisi, quicquid est, volo scire, atque hominem convenire, si apud forum est*. Et *enarramus*, pro enarravimus: ut, Æn. iii. 3. *omnis homo fumat Neptunia Troia*. Et *ordine* bene: quia simpliciter fatetur. Fallax autem et captiosa narratio est, quod timemus, fateri. D.—Bentleius cum aliis illud *se* omisit. Z.

12. *Nihil quicquam vidi lætius*] Quartum παρέλκον. D.—Bentleius edidit *Nil quicquam vidi lætius*. B.

13. *Hominis stultitiam!*] Scilicet quia lætatur, ignorans ubi Æschinus sit. *Collaudavit filium*] Plus additum est: non enim solum non *accusavit*, sed et *collaudavit*. D.

Mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias.
DE. Disrumpor. SY. Argentum adnumeravit ilico:
Dedit præterea in sumtum dimidium minæ:
Id distributum sane est ex sententia. DE. Hem!
Huic mandes, si quid recte curatum velis.
SY. Ehem, Demea, haud aspexeram te: quid agitur?
DE. Quid agatur! vostram nequeo mirari satis
Rationem. SY. Est hercle inepta, ne dicam dolo,
Atque absurda: piscis cæteros purga, Dromo:
Congrum istum maxumum in aqua sinito ludere
Paulisper: ubi ego venero, exossabitur:
Prius nolo. DE. Hæcine flagitia? SY. Mihi quidem non placent:

15. *Disrumpor*] Mire: his enim verbis commovetur, *collaudavit* et *egit gratias*. Et vide *αἴξησιν* stomachi reservatam. *Argentum adnumeravit ilico*] Contra illud est, *Cur tu his rebus sumtum suggeris?* Et non solum inquit, *adnumeravit*: sed quod pejus est, *ilico*. D.

16. *Lenoni daretur in sumtum*] (Leg. *Dedit præterea i. s.*) In id quod necessarium esset sumtibus. E.

17. *Id distributum*] *Distributum*, in diversa tributum: id est, dispartitum per pulmentaria. D.

18. *Huic mandes, si quid recte curatum velis*] *Εἰρωνεία* est majoris stomachi: quia ille dixit, *ex sententia distributum*: id est, ut indicat Demea, dilapidatum. Sic alibi, *Columen familiæ nostræ bone custos, salve*. D.—*Huic mandes, si quid recte*] Iterum hoc dicto usus est in Phorm. iv. 4. 8. Idque ex Plauto sumtum in Asinaria, i. 1. 107. *Eidem homini, si quid recte curatum velis, Mandes*. Luitprandus Histor. lib. ii. c. 15. *Regressi protinus ad regem, Terentianum illud pro responsione dederunt: Huic commandes, si quid recte curatum velis*. L.

19. *Ehem! Demea*] *Ehem*, interjectio est commoti, et quasi perculsi re subita et nova. *Quid agitur?*] Blandientis est, non interrogantis, ut alibi, *O noster quid fit? quid agitur?* D.

20. *Nequeo mirari satis Rationem*] Mira sunt etiam illa, quæ vehementer prava sunt. Et ideo *mirari*, pro horrere et reprehendere positum est. Et *rationem ἰδιοτικῶς* dixit malam: quum non sit ratio nisi bona: sed sic loquitur populus. D.

21. *Est hercle inepta*] Hoc ad senem. *Ne dicam dolo*] Ne mentiar, id est, ex contrario dicere videar: sed ut sedulo dicam. D.—*Inepta, ne dicam dolo, et absurda*] Ut senem Demea (*Demeam Syrus* Z. posset incitare iracundia, fingit imperare se servo, ut pisces cæteri purgentur. Et hic abundantiam declaravit, *cæteros*: quasi aliquos ipse purgaverit. E.—*Est Hercle inepta*] Priscian. lib. xv. L.

22. *Atque absurda*] *Ineptum*, est stultum tantum: *absurdum*, quod et stultum est, et in ipsa stultitia diversum, et quasi repugnans sibi. Sic ergo locutus est, ut videatur ineptam rationem ad Æschinum referre: absurdam, ad Micionem, quem jam fieri stultum, contrarium (*consentaneum*) senectuti est. D.—Illud *atque* antecedenti versui apposuit Bentl. Z.

23. *Congrum istum maximum*] Διαστολή: quia erant alii, non maximi: ut e contrario, Georg. ii. 99. *Argitisque minor*, quia est et major. Nam *istum* quod ait, *δεικτικὸν* est: videtur enim ostendere digito, quem dicat. *In aqua sinito ludere paulisper*] Sic ostenditur bene obsonasse qui vivos attulit pisces. Nam non ludit piscis, nisi vivus. D.—*Congrum istum in aqua sinito ludere*] Id est, moveri: non enim piscibus aptus est ludus. Ita et Virg. Æn. viii. 632. *Ludere pendentes pueros*. Sed illic enim (*etiam*) infantibus nullus est ludus. E.—*Congrum istum*] Serv. in Æn. viii. 632. L.

24. In Bemb. est *tantisper*, h. e. interea, et *rediero*. Sed vulgaris lectio est tuenda. B.

25. *Prius nolo*] Superbe, et pro auctoritate: non dixit *non oportet*, sed *nolo*: subauditur, *purgari eum*. Et nihil ex mora corruptelæ accessurum pisci ex eo ostendit, quod ait *ludere*, hoc est, vivere, et non læsum (Forte, *lassum* Z.) vivere: non enim dixit, *natare*: quod etiam possunt languidi pisces. Ipse insuper planum fecit quid sit *purga*, dicendo *exossabitur*. *Purga* igitur, *exossa* significat: non ut quidam putant, *exossabitur*, comedetur. *Mihi quidem non placent*] Plus hoc ad senem. Et vide quam totum superbe, et

Et clamo sæpe, Salsamenta hæc, Stephanio,
Fac macerentur pulchre. DE. Di vostram fidem!
Utrum studione id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? væ misero mihi!
Videre videor jam diem illum, quum hinc egens
Profugiet aliquo militatum. SY. O Demea,
Istuc est sapere, non quod ante pedes modo'st
Videre: sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere. DE. Quid? istæc jam penes vos psaltria est?
SY. Ellam intus. DE. Eho, an domi est habiturus? SY. Credo; ut est
Dementia. DE. Hæcine fieri? SY. Inepta lenitas
Patris, et facilitas prava. DE. Fratris me quidem

confidenter dixerit ob amicitiam omnium dominorum, excepto uno Demea, quem tantum præ illis contemnit. D.

26. *Salsamenta*] Hoc ad discipulum. *Salsamenta*, aut salsi pisces sunt; aut laridum. *Salsamenta hæc, Stephanio*] In tota comœdia opera danda est, ut stomachetur Demea: excepto quod se ipse in fine commutat. Hæc ergo causa est, quare Syrus quoque illi objicitur, magnifice inferens se ut luxuriosum, licentemque servum: præsertem qui adolescentum pædagogus fuerit. D.—*Salsamenta hæc, etc.*] *Macerentur* proprie positum. Quicquid enim salsum est, in aquam funditur, ut madefactum salis amaritudinem perdat. E.

28. *Utrum studione*] Aut ordo est, *utrumne*: aut est παρέλκον tertium: aut vero per ἔλλειψιν accipitur: quasi dicat, *utrum est?* aut, *utrum verum est?* quod qui accipit, *utrum* subdistinguat, et separet a sequentibus necesse est. *Utrum studione*] Aut *utrum* supervacuum est, aut *ne*: aut certe τμῆσις figura est, pro, Utrumne studione id sibi habet, si sciens lædit filium? *Laudi putat*] Quia decipit. D.

29. *Si perdiderit gnatum?*] Et magno affectu, non dixit Æschinum: et mire, non addidit cujus gnatum. *Væ misero mihi*] Hoc est, quod supra dixit, *Ægre est: alienus non sum.* D.

30. *Videre videor jam illum diem*] *Illum* dixit, quasi quendam tristem ac funestum. D.—*Videre videor jam diem*] Julius Rufin. Rhet. in *Diabole.* L.

32. *Quod ante pedes modo est Videre*] Hoc sumsit poeta de illo in physicum pervulgato ancillæ dicto, *Quod ante pedes est, non videt: cœli scrutatur plagas* (Diog. Laert. Thal. 34. Ξὺ γὰρ, ὦ Θαλῆ, τὰ ἐν ποσὶν οὐ δυνάμενος ἰδεῖν, τὰ ἐπὶ οὐρανοῦ οἴει γνώσεσθαι). D.—*Quod ante pedes*] Thucyd. lib. viii. τὰς ἐμποδὼν αἰτίας μόνον ἐπισκοπεῖν. Priec. lib. xviii. Aristot. apud Stobæum, Serm. 89. *οὐκ ἐᾷ βλέπειν τὸ κείμενον ἐν τοῖς ποσίν.* Dio Prusæus περὶ βασιλείας. Lucianus in Pseudologist. Cicero ii. de divinat. cap. 13. *Quod ante pedes, nemo spectat; cœli scrutantur plagas.* L.

33, 34. *Sed etiam illa, quæ futura sunt*] Magis ridicula est assentatio, siquis maxime laudetur, quibus maxime caret. *Isthæc jam penes vos psaltria est?*] Dicendo *isthæc*, ostendit jamdudum se hac indignari. D.

35. *Ellam intus*] Ut, *ellum, confidens, catus. An domi est habiturus?*] Proprie: quia *haberi uxor* (Forte, *Quia habere uxorem vir*) dicitur, et *haberi mulier*, quum coit. *Credo, ut est dementia*] Sic et in Eunucho, *eam se intendit esse, ut est dementia.* Et nominativus casus esse potest, et septimus. Si septimus, *perditus*, aut quid tale subaudimus. Sed melius nominativum accipimus casum. D.—Lege, *Eho, an est dómi habiturus?* B.

36. *Inepta lenitas Patris, et facilitas prava*] *Lenitas*, ad permittendum: *facilitas*, ad ignoscendum: sic quidam. Sed ego lenitatem ad Micionem refero, qui hæc leniter patitur: *facilitatem*, ad Æschinum, cui hæc per licentiam facilitas datur. *Pravum* autem est, quod et ipsum lædit facientem: *malum*, quod alios tantum. D.—*Inepta lenitas patris, et facilitas prava*] Non apta, et mala facilitas, qua in luxuriam divitiæ suæ geruntur. E.—*Hæcine fieri*] In Ms. R. additur *flagitia*: sed aliena manu. In alio cod. *Hæcine fieri sc. possunt apud fratrem meum.* L.—Contra versum quidam codd. verbis *hæcine fieri*, addunt *flagitia*, quod verbum a melioribus abest. B.

37. *Fratris me quidem Pudet, pigetque*] *Pudet*, in his quæ turpiter facit: *piget*, in his quæ cum damno ac malo. *Pudere*, etiam ad dedecus: *pigere*, ad dolorem re-

Pudet pigetque. Sy. Nimium inter vos, Demea, ac
Non quia ades præsens dico hoc, pernimium interest.
Tu, quantus quantus, nihil nisi sapientia es;
Ille, somnium: sineres vero illum tuum
Facere hæc? De. Sinerem illum! aut non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quicquam cœperit?
Sy. Vigilantiam tuam tu mihi narras? De. Sic siet
Modo, ut nunc est, quæso. Sy. Ut quisque suum volt esse, ita'st.
De. Quid eum? vidistin' hodie? Sy. Tuumne filium?
Abigam hunc rus: jam dudum aliquid ruri agere arbitror.

fertur. *Pudet*, quod turpe est: *piget*, quod dolet. D.

38. *Nimium inter vos, Demea*] Μεταδιόρθωσις: nunc enim redditum est, quod supra dicebatur: et præterea repetendo *nimium*, confirmavit superius dictum, et τὸ CPEMANIe * non solvit (et τὸ κρεμάμενον nunc solvit. Z.). D.

40. *Tu, quantus quantus*] Id est, quantuscunque. *Nihil nisi sapientia es*] Ridicule prius additum *nihil*, quam quicquam, laudis nomine. Deinde si *sapiens* dixisset, non tanta esset irrisio: sed hyperbolicûs accipitur, id est, stultus. *Nihil nisi sapientia es: ille, somnium*] Nec tu *sapiens*, sed *sapientia*: nec ille *somniculosus*, sed *somnium*: ὑπερβολή. D.—*Nihil nisi sapientia*] Sic Ælianus Var. lib. vii. cap. 6. πᾶς γὰρ μέτρων εἶμι. Et *totus nasus* apud Catul. xiii. 14. L.

41. *Sineres vero illum tuum?*] Ab argumento fabulæ repetit *sinerem*: et εἰρωνικῶς interrogat. D.—Vox *futilis*, quæ in codd. nostris extat, recte abest apud Donat. in Bemb. et Vatic. Nam valde impedit Senarium. Tum ex Vatic. et Basilic. et duobus nostris lege *illum tú tuum*. B.

42. *Totis sex mensibus*] *Totis*, quasi longi sint: id est, integris, ut ne unum quidem diem minus a sex mensibus sciat, quid cœpturus sit filius. Nimis comica et moralis assentatio. D.—*Sex totis mensibus*] Certum numerum posuit pro incerto: et tamen istius conduplicatio frequenter est collocata. Sic et alibi: *Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum reddam*. E.—Pro *aut* alii *an*: bis apud Priscianum et in cod. vet. *ac*. Sed omnes Faerni et nostri codd. habent *aut*. B.

43. *Non olfecissem*] Totum ridicule. Nam quid olfecisset, qui nondum quicquam scire cœpisset, cujusque naribus nihil objectum fuisset? Nam ideo *nares* a *naritate* dictæ sunt, quod nos odoratu docent præsto et prope esse, quod adhuc oculi non vident. *Quam ille quicquam cœperit*] Multum dixit, et *ante sex menses, et olfecissem*, et *prius quam cœperit*. D.—*Quicquam cœperit*] Priscian. lib. x. *cœperet*. Vid. Non. Marcell. in *cœpere*. L.—Duo vett. codd. habent *cœperit*; sed reliqui *cœperet*; ita quoque laudat Priscianus, p. 879. qui ait, esse præteritum imperfectum a *cœpio*. Sed p. 1193. habet *cœperit*, et codex ibi vetus. B.

44. *Vigilantiam tuam tu mihi narras?*] Id est, quam maxime scio. *Sic siet modo, ut nunc est*] Non dicit *qui*: sed respice ad argumentum, et ridebis hæc optantem Demeam. D.—Lego, *Vigilántiam tuám tun' mihi? sic sit modo,* | *Ut núnc est, quæso*. Vid. Hec. v. 3. 22. B.

45. *Ut quisque suum volt esse, ita est*] Hæ sunt sententiæ et semper probabiles (*Hæ sententiæ semper sunt hyperbolicæ*, ed. Du B.), et pro personis ridiculæ. Plautus in Milite glorioso, i. 1. 68. *Nimia est miseria, nimis pulchrum esse hominem*. D.

46. *Quid eum? vidistine hodie?*] *Quid eum* initium interrogationis futuræ de personali cujus. Sic in Heautont. *Sed Syrum: quid eum? Tuumne filium?*] Hoc clare. *Tuumne filium?*] Moris est ut qui cogitat quid respondeat, interrogatione remoretur. D.

47. *Abigam hunc rus*] Ut pecudem dixit *abigam*: non ut hominem, *mittam*. *Abigam*] Hoc lentius, et *abigam* quasi pecudem dixit: unde et *abactores* dicti sunt. Cicero in Verrinis, i. 10. *Equarum greges istum abigendos curasse. Jamdudum aliquid ruri agere arbitror*] Hoc clare. *Aliquid ruri agere arbitror*] Hoc plus est, quam illic esse: vult enim cum laude ejus loqui: ut supra, *Rei dare operam, ruri esse, parcum ac sobrium?* Et *agere*, proprie dixit. Nam ab agendo, *ager* dictus est, quod in eo multa agenda sunt. D.—*Abigam hunc rus*] Huc est versus (*Hoc aversus*) paululum pronunciat, uti consilium sumserit mentiendi, ut idem eam mittere possit (*ut qui consilium sumserit mentiendi, ut inde eum amittere possit*. Z.). Ad velamen autem tali consilio uti fingit (*utitur, ut fingat* Z.), illum rus discessisse admodum

DE. Satin' scis ibi esse? SY. Oh, quí egomet produxi. DE. Optume'st.
Metui ne hæreret hic. SY. Atque iratum admodum.
DE. Quid autem? SY. Adortus jurgio fratrem apud forum
De psaltria istac. DE. Ain' vero? SY. Vah, nil reticuit.
Nam ut numerabatur forte argentum, intervenit
Homo de improviso: cœpit clamare, o Æschine!
Hæcine flagitia facere te? hæc te admittere
Indigna genere nostro? DE. Oh, lacrumo gaudio.
SY. Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.
DE. Salvos sit: spero, est similis majorum suum. SY. Hui!

iratum, qui fratrem male tractaverit, quod rapuerit meretricem, quod corruptis moribus vivat, quod oblitus nominis et familiæ luxurietur. E.—Verba, *abigam hunc rus*, aut Demeæ sunt tribuenda, aut Syrus ea ad spectatores dicit, non audiente Demea. Z.

48. *Qui egomet produxi*] Mutata præpositione, non *deduxi*, sed *produxi* dixit: id est, *porro duxi*. *Metui ne hæreret*] Hæc translatio ut sublevat Ctesiphonem, ita Æschino invidiosa est. Nam hæret avis, non animo, nec voluntate: sed visco decipientis aucupis. D.—Vetustiores libri habent *qui*; mediocres *quin*; recentiores *quem*. Posterius præfero, quia sequitur mox *iratum*. B.

50. *Quid autem?*] *Quid* pro quare, vel ob quam causam. Virg. Æn. i. 517. *Quæ fortuna viri, classem quo littore linquant, Quid veniant.* Cui contrarium in significatione • id (*obtinet quid* Z.) quod te oro. *Adortus jurgio est*] *Aggredimur*, de longinquo: *adorimur*, ex insidiis et ex proximo. Nam *adoriri*, est quasi aliquem (*quasi ad aliquem*) oriri, id est, exsurgere. D.—Omnes codd. *Adortus est*; sed lege cum Donato, *Adortus jurgio est*. B.

51. *De psaltria istac*] Hic mire senem imitatus est, et memoriter: quia ille dixerat, *Quid? istæc jam penes vos psaltria est? Nihil reticuit*] Mire enim, minorem fratrem non pepercisse majori: nec reticuisse quicquid erat opus. D.—Lege *De psaltria hac*; quia Syrus in iisdem ædibus degebat: recte vero Demea vers. 34. *Istæc psaltria*, quia ruri et procul. B.

52. *Intervenit homo de improviso*] *Intervenire*, est in medio negotio, quasi ex insidiis supervenire, et opprimere in ipso actu eos, qui rem celatam vellent. Et vide quam oratorie narret gestionem rei, quæ nunquam facta sit: his enim fides fit. D.

53. *Cœpit clamare*] Ἤθικῶς totum, et *cœpit*, et *clamare*, et quod sequitur. D.

53, 54. *Æschine! Hæcine flagitia facere te?*] Est accusatio a persona: et vide pondus in nomine Æschini. *Hæc te admittere?*] Ἀξίωσις. Nam plus est *admittere*, quam *facere*. *Hæc te admittere indigna*] Pronum est hæc statim credere Demeam, de eo quem superius laudaverit, *Non fratrem videt rei dare operam ruri, esse parcum ac sobrium?* Unde mira poetæ arte et initia, et media, et postrema sibi congruunt atque respondent. D.

55. *Lacrumo gaudio*] Immoderata lætitia, maxime parentum, lacrymas habet. Recte ergo additum est, *gaudio*: quia lacrymæ solum (*solæ*) mœrorem significant. D.—*Lacrymo gaudio*] Quasi quædam causa est unde lacrumæ oriuntur. Nam sæpe etiam ex gaudio contingit, quod evenit ex dolore. E.—*Lacrumo gaudio*] Quinctil. ii. 3. *Quin etiam lacrumas iis natura mentis indices dedit, quæ aut erumpunt dolore, aut lætitia manant.* Euripides, Hercul. Furioso: Χαρμονὰ δακρύων ἔδοσαν ἐκβολάς. Sic apud Dionys. Halicar. lib. ii. Antemnatium et Cæninensium feminæ, cum liberas se a Romulo dimitti intellexissent, περιχαρεῖς γενόμεναι, καὶ πολλὰ δάκρυα ὑφ' ἡδονῆς ἀφεῖσαι μετέστησαν ἐκ τῆς ἀγορᾶς. Hirtius de bello Alexand. *Lacrymas quas in colloquio projecerat, gaudio videretur projecisse.* Plautus, Stich. iii. 2. 13. *Ut præ lætitia lacrymæ prosiliunt mihi!* Cur autem gaudio lacrumæ prorumpant, explicat Alexand. Aphrodisæus Problem. lib. i. Apulei. i. Metam. *Nam ut lacrumæ sæpicule de gaudio prodeunt.* Serv. in Virg. Æneid. v. 343. *lacrumæque decoræ.* L.

56. *Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam*] Hæc figura oratoria Δεινότης dicitur: qua ostenditur, non esse mediocre quod factum est. D.

57. *Hui!*] Quasi admiretur ipse, quæ narrat. D.—Lege, *spero, erit similis*. Corripit *erit* ultimam ut supra, ii. 1. 26. Speramus certe de futuro, non de præsenti. B. Cæterum tenendum est, illud *suum* hic minus urbanum esse, et aliquid rusticitatis continere. Z.

DE. Syre, præceptorum plenus istorum ille. SY. Phy!
Domi habuit unde disceret. DE. Fit sedulo:
Nil prætermitto: consuefacio: denique,
Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo: atque ex aliis sumere exemplum sibi:
Hoc facito. SY. Recte sane. DE. Hoc fugito. SY. Callide.
DE. Hoc laudi est. SY. Istæc res est. DE. Hoc vitio datur.
SY. Probissime. DE. Porro autem. SY. Non hercle otium'st
Nunc mihi auscultandi: piscis ex sententia
Nactus sum: hi mihi ne corrumpantur, cautio'st.
Nam id nobis tam flagitium'st, quam illa, Demea,
Non facere vobis, quæ modo dixti: et quod queo,

58. *Syre, præceptorum plenus istorum ille*] Vide Demeam non desinere culpam Æschini in Micionem conferre: quum e contrario præceptorum suorum vult esse, quod sapit Ctesipho. *Istorum*] Quæ dicis; scilicet, *Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam. Phy!*] Interjectio mirantis est. D.—Omnes libri, *plenus est*. Lege, *Syre, præceptorum'st plénus, etc.* B.

59. *Domi habuit unde disceret*] *Unde*, id est, de quo. *Fit sedulo*] Ἠθικῶς dictum est *fit*. Et *sedulo*, sine dolo, id est, instanter: quia negligentes dolosi dicuntur. D. —*Domi habuit unde disceret*] Hieronym. ad Heliodor. de morte Nepotian. *Pontificem deserere non audebat, tot in illo cernens exempla virtutum, domique habens unde disceret.* Sidon. Apoll. lib. vii. epist. 2. *Si ambigitur quo magistro rudimentis fidei fuerit imbutus, ut proverbialiter loquar, domi habuit unde disceret.* L.

61. *Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium jubeo*] Videndum, an recte speculum induxerit, quum alienas vitas dicit inspiciendas esse; nisi forte hoc ad causam admovendi speculi, non ad effectum referamus. Nam causa inspiciendi speculi, emendatio est vultus: effectus, formæ per imaginem resultatio. D.—*Inspicere, tanquam in speculum*] Ita filius meus plenus est præceptorum, uti quotidie omnium vitas inspiciat, tanquam in speculum, et ex aliis ad vivendum sumat exemplum. Et *inspicere in speculum*, nova est elocutio. Porro adhuc alia narrare cupiebat Demea, verum servus tædiosus, ne ea quæ nollet audiret, respondit non esse otium sibi. E.

63. *Callide*] *Callidus* dictus est etiam qui exercet dolos. *Callidus* dicitur, qui callum sibi usu artis induxerit. D.

64. *Hoc laudi est, hoc vitio datur*] Non philosophice, sed civiliter monet: non enim dixit, *hoc bonum*: sed, *hoc laudi est*: nec, *hoc malum*: sed *vitio datur*. Ergo ut idiota et comicus pater, non ut sapiens et præceptor. *Istæc res est*] Non quam rem gerit Micio: non ut ille agit. Et significat, *Hoc verum est, hoc utile est.* D.

65. *Porro autem*] Prope delinitus erat Demea, contra institutum argumenti. Artificiose igitur poeta subjecit ex persona servi, unde illum ad amaritudinem provocet. *Porro autem, at vero*, et hujusmodi, principia narrationum sunt, quibus superiora sequentibus connectuntur. D.

68. *Nam id nobis tam flagitium est*] Non dixit, *peccatum*, irridens senem: sed *flagitium*. Et quidem flagitium, corrumpi pisces, vel talia. D.—*Nam nobis tam flagitium est*] Pari modo flagitium credimus, si pisces non recte curentur, quemadmodum vos flagitium ducitis, si non recte et honeste quidem vivatis. Hæc sunt enim quæ supra dixit. Denique ad irridendum Demeam, dicit se ad similia præcepta esse monitorem, cum servis dicit, *hoc salsum est: hoc adustum; iterum sic memento recte.* Et separatim pronunciandum: *sedulo*, pro meo jure; *pro mea sapientia*. Refert similitudinem omni genere. Quemadmodum enim tu inspicere in speculum *vitas* omnium jubes, ita ego in *patinas*. Adhibet etiam sententiam quasi judex, ut dicat: *Inepta esse hæc, nos quæ facimus, sentio.* Et tamen dicit, sibi necessitate morem gerendum, quum id vult. Supra (*Infra*) enim frater dixit: *Quando ego tuum non curo, ne cura meum.* E.—Lege ex nostro 900 annorum cod. *quam illa, o Demea.* In illa enim sede spondeus suavior est trochæo. B.

69. *Quod queo*] Quod possum. Sed sic maluit dicere, ut allusionem de sua arte faceret Syrus: et hac re ostenderet, nihil ab illo dici serio. *Quod queo*] A coquendo sumsit παρόμοιον. Sic et infra, *sedulo moneo quæ possum pro mea sapientia.* Et Ciceronis dictum refertur in eum, qui coqui filius secum causas agebat: *Tu quoque*

Cónservis ad eundem istunc præcipio modum:
Hoc salsum'st, hoc adustum'st, hoc lautum'st parum:
Illud recte: iterum sic memento: sedulo
Moneo, quæ possum pro mea sapientia.
Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,
Inspícere jubeo, et moneo quid facto usus sit.
Inepta hæc esse, nos quæ facimus, sentio:
Verum quid facias? ut homo'st, ita morem geras.
Numquid vis? DE. Mentem vobis meliorem dari.
SY. Tu rus hinc ibis? DE. Recte. SY. Nam quid tu hic agas,
Ubi, si quid bene præcipias, nemo obtemperat?
DE. Ego vero hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram,
Rus abiit: illum curo unum: ille ad me attinet,
Quando ita volt frater: de istoc ipse viderit.
Sed quis illic est, procul quem video? estne Hegio

aderas huic causæ. Nam apud veteres coquus non per C literam, sed per Q scribebatur. D.—Lege *modo quæ dixti.* Nam dactylo suavior hic est anapæstus. B.

70. *Ad eundem istunc præcipio modum*] Arguta imitatio, ad deridendum Demeam, omnium quæ serio ille supra dixerat. D.

71. *Hoc salsum est, hoc adustum est*] Hæc contexte et conjuncte dicuntur: quia non vicissim Syro assentatur senex. D.

73. *Pro mea sapientia*] Διασυρτικῶς *sapientia* dixit: quia condimentum gustu ac sapore temperant coci (Uterque liber addit, *Et sic pronunciat, ut et fiat, et approbetur, quod facit*). D.

74. *Tanquam in speculum*] Et hic *speculum* non ad imaginem vultus, sed ad contuitum contrapositæ rei retulit. D.

76. *Nos quæ facimus*] Non coci, sed Micio, Æschinus, et familia. An *nos* pro *domini* posuit? An *nos* pro *ego?* et hoc melius. *Sentio*] Cum dilatione et vultuose dicendum *sentio.* D.

77. *Verum quid facias?*] *Quid facias,* pro quid faciat, unusquisque scilicet. *Ut homo est, ita morem geras*] Utrum aptum proverbium sit servis, an etiam amicis? Ut est, *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Et hæc sententia modo velut querela, demissa voce proferenda est. D.

78. *Mentem vobis meliorem dari*] Πρὸς τὸ *vis* respondet agresti feritate. Nam respondendum erat, *recte,* aut *valeas:* sed hic, ne vel abiens blandus esset, pro salutationibus ipsis amara supponit. Et memento etiam hunc eundem insalutatum relinquere, qui adveniens paulo ante, nec salutaverat, nec resalutaverat fratrem. *Meliorem* autem, pro bona ac tolerabili posuit: non enim bonam credit, ut meliorem optet: sic Virg. Ge. iii. 513. *Dii meliora piis, erroremque hostibus illum!* D.

79. *Tu rus hinc abis?*] Vult Syrus nosse an eat. *Tu rus hinc abis?*] Qui consuetudinis memor est, animadvertit has interrogationes non inquirendi causa poni, sed admonitionis loco esse apud eos, quos velimus abscedere. Sic igitur interrogat ut hortetur: et sic pronunciat, ut et sciat, et approbet quod rogat. *Nam quid tu hic agas*] Addidit hortatum, ut quam primum abeat. D.—In Bembino, et in margine cod. C. C. C. *recta* pro *recte.* B.

80. In Bemb. et aliis quibusdam antiquis extat *obtemperet.* B.

81. *Quando is, quamobrem*] Nova locutio, *is, quam ob rem:* pro, *is propter quem:* sic et alibi, *In eo me oblecto: solum id est carum mihi.* D.

82. *Illum curo unum*] *Unum* cum exceptione: et tamen sic loquitur, ut appareat illum non posse sibi imperare oblivionem Æschini. Nam idcirco addidit, *Quando ita vult frater, de istoc ipse viderit. Amare cœpit* (*A Micione fratre accepit*) et ideo tenet, *Nam ambos curare, propemodum reposcere est illum, quem dedisti.* D.—Lege et distingue, *Illum curo: unum illud ad me attinet:* ut supra, i. 1. 24. et i. 2. 50. B.

84. *Quis illic est, quem procul video? estne Hegio*] Inventa causa est, cur non abeat Demea, propter reliquam fabulæ partem: et simul aliud additur, quo indignetur. Bene autem dubitat, et familiam inveniat * civem, et multum absens a conspectu civium (*Et bene dubitat, an familiarem videat civem, ipse multum absens a conspectu civium*). D.—*Hegio tribulis noster?*] Conventus jam a Geta, servus (*Conventus jam a Geta servo Hegio* Z.) dolore est commotus, quod ea (*filia Simuli*

Tribulis noster? si satis cerno, is hercle'st: vah!
Homo amicus nobis jam inde a puero: Di boni!
Næ illiusmodi jam nobis magna civium
Penuria'st, homo antiqua virtute ac fide:
Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.
Quam gaudeo; ubi etiam hujus generis reliquias
Restare video: vah, vivere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut salutem et colloquar.

ACTUS TERTII SCENA IV.

HEGIO. GETA. DEMEA. PAMPHILA.

PRO di immortales! facinus indignum, Geta:

Z.) omissa meretricem rapuit. *Tribulis* autem significat, ex eadem tribu, hoc est, ex eadem curia. E.—Aptior versui collocatio est, quæ est in Bemb. et Donato, *quem video procul*. B.

85. Versus gratia sequor lectionem cod. Petrensis, *Is hercle vah!* ut infra, iv. 2. 39. *Verum hercle: vah!* B.

87. *Næ illiusmodi jam nobis magna civium penuria est*] *Næ*, valde. *Illiusmodi*] Cujusmodi est Hegio, id est, qualis. Et magna *οἰκονομία* senex laudatur, ut postulationi ejus statim adsit fides. D.—*Næ illiusmodi jam*] Bonæ virtutis hominem cum videret, dixit hujusmodi homines jam in civitate non esse. Igitur talium virorum et civium magna nobis est inopia. E.—Secundum nostros omnes repone *magna nobis*. B.

88. Deleatur *homo*, quod versum onerat; et putide hic iteratur, cum altero abhinc versu præcesserit. Nim. in verbis *civium illiusmodi, etc.* in quibus Hegio comprehensus æque laudatur, ac si addas *homo*. B.

89. *Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice*] Utrum hoc optantis est, ne moriatur? an est testimonium vitæ hominis, nunquam obfuturi reipublicæ? D. —*Haud cito mali*] Ita hic justus, ita semper est integer, ut nihil mali ex hoc publice nasci possit. E.

90. *Ubi etiam hujus generis reliquias restare video!*] Paucos ac raros bonos. Nam *reliquias*, pro relictis paucisque dixit: ideo *restare* etiam dictum est. D.

91. *Vivere etiam nunc lubet*] Ex hac delectatione ostenditur Demea, et quam peccantibus sit amarus ac sævus: et quam facile hujus incusatione (*Hegionis incusatione*) tanquam gravi testimonio crediturus sit; et quantum doliturus super Æschino, qui displiceat talibus viris. D. —Illud *vah*, versum onerat, et, cum sit admirantis et una indignantis, alienum est a sensu loci. Leg. et dist. *Restare video, vivere e. n. l.* B.

1. *Pro di immortales!*] Hæc scena fidem amici erga defunctum, maturitatem senilis orationis, et accusationem ejus, quem lædere nolit ipse accusator, continet. *Facinus indignum*] Jam narravit Geta: et recte: non enim apud spectatores iterum fuerunt dicenda, quæ dicta sunt. Illud sane admirandum, ejusmodi Hegionis verba induci, qualia esse debuerunt tantopere laudati viri, et ejusdem Hegionis ac Demeæ (vel dele *et*, vel muta in *id est*. Sub finem lege cum West. *a Demea* Z.). D.—*Pro di immortales!*] Hæc scena accusationem tenet: reus enim efficitur adolescens, quod vitiaverit virginem: quanquam in conjectura res esse potuisset; tamen quia nemo negat, non accusatio per conjecturam efficitur, sed potius per qualitatem. Idem enim vitiator puellæ cum ad matrem puellæ pervenisset, promisit se eandem, quam vitiaverat, uxorem esse ducturum. Nunc dicitur quod rapuerit meretricem. Reus fit injuriarum. In hac scena accusatio sola est, defensio nulla. Habet etiam partem admixtam deliberativæ. Nam post eadem hæc quæ accusat (*Nam postea idem hic qui accusat* Z.) et petit uti adolescens eandem ducat uxorem. Et omnis illa superior accusatio ad hoc tendit, ut uxorem potius ducat accusatus, quam reus sit. Ergo indignitate rei commotus primum hoc quærit a servo, an verum sit, cum dicit: *Geta, quid narras?* at ille confirmat dicendo: *Sic factum*. Ita comprobata res est. Fit ex hoc exaggeratio: *Ex illan' familia tam illiberale facinus esse ortum?* E.

Quid narras? GE. Sic est factum. HE. Ex illan' familia
Tam illiberale facinus esse ortum? o Æschine,
Pol haud paternum istuc dedisti. DE. Videlicet
De psaltria hac audivit: id illi nunc dolet
Alieno: pater is nihili pendit: hei mihi!
Utinam hic prope adesset alicubi, atque audiret hæc!
HE. Ni facient, quæ illos æquom est, haud sic auferent.
GE. In te spes omnis, Hegio, nobis sita est:
Te solum habemus: tu es patronus, tu parens:
Ille tibi moriens nos commendavit senex.
Si deseris tu, perimus. HE. Cave dixeris:

2. *Quid narras!*] Mirantis est, non interrogantis. D.

3. *Tam illiberale facinus*] Id est, non odisse cui succenseas, laudare homines, factum reprehendere. *O Æschine, pol haud paternum*] Mira maturitas: in qua nescias utrum magis injuriam illatam orbæ virgini, an Æschinum peccasse plus doleat: servatur enim in Hegione, quod vir bonus sit et amicus. D.

4. *Haud paternum istuc dedisti*] Deest, *facinus*: et *dedisti*, pro fecisti. Sed sic dicitur in re magna: ut, Æn. xii. 453. *dabit ille ruinas Arboribus, stragemque satis. Videlicet de psaltria hac audivit*] *Videlicet*, confirmativum est. Ut *videlicet*, videre licet: sic *scilicet*, scire licet: *ilicet*, ire licet. D.—*Haud paternum istuc*] Hoc quod fecisti non est tui patris, neque generis, aut familiæ. E.

5. *De psaltria hac audivit*] Sic errat Demea, ut intelligatur quantum debeat irasci in iis, quæ inopinata audiet. D.—Cod. 900 annorum recte *De psaltria hoc audivit*. Sic Eun. iii. 2. 45. *Et illud de Rhodio*. B.

6. *Is nihil pendit*] *Is*, abundat: ut in Heaut. *Perii: is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinora!* Aut *is*, pro *ipse*: subjunctivum pronomen minus quam finitum. D.—*Nihil pendit*] Contemnit, non curat. E.

7. *Utinam hic prope adesset*] Quasi sibi non crediderit dicenti, *In ore est omni populo*. D.

8. *Ni*] Si non, significat. *Quæ illos æquum est*] Subauditur, *facere*, a superiori per σύλληψιν intellectum. *Haud sic*] Δεικτικὸν est. *Haud sic auferent*] Quomodo accipimus, *Haud sic auferent?* an factum suum auferent sic? An, si correxerint culpam, non silentio transituros ipsos, vel ipsum quod factum est. *Haud sic auferent*] Id est, leniter, abibunt, vel subtrahent culpam. *Haud sic auferent*] Senilis et matura comminatio, et est *sic* demonstratio, gestum continens levissimæ ac parvæ significationis. D.—*Ni faciant, quæ illos*] Hic versus declarat magis petitionem esse hic, quam accusationem: ut sit subtilis oratio cum accusatione, ad aliud venire disponens. E.—Omnes Faerni et nostri libri habent *Nisi facient*. Et est in prima sede proceleusmaticus. B.

9. *In te spes omnis, Hegio*] Ut narratio non fuerit necessaria: ita preces interponendæ sunt. D.

10. *Tu es patronus, tu parens*] *Patronus* aut temporale nomen est defensoris: aut certe appellatio est, per quam ostenditur, quid illi cultus et obsequii debeatur: est enim nomen ad aliquid. *Parens* autem, veri amoris nomen est: et æquali loco continet interpretationem. Et vide quam vigilanter poeta, quum simpliciter (*supliciter* Ms. B. et edd. vett.) matronam de absente Hegione loquentem induceret, *coluit nos*, dixit: quum servus et supplex ad præsentem loquitur, *tu es patronus*, inquit. D.—Pro *parens* Bentl. cum Faerno, edidit *pater*. Z.

11. *Ille tibi moriens nos commendavit senex*] Servus magnum veritatis indicium addidit, dicendo *moriens*: nemo enim moriens non vera loquitur et urgentia: unde in jure ultima judicia, certiora sunt. Sic alibi, *Hanc mihi in manum dat: mors continuo ipsam occupat*. D.

12. *Si deseris tu, perimus*] Proprie, quasi patrono. Nam Socius deficit, Parens prodit, Patronus deserit. Sic Sallustius, *Post defectionem sociorum et Latii*. Et, Æn. i. 251. *unius ob iram Prodimur*. Et, *Prodisti et te, et illam miseram, et gnatum; quod quidem in te fuit*. Plaut. Curc. iv. 3. 15. *Qui libertos habent, eos deserunt*. Hinc et milites, qui defensores patriæ deberent esse, *desertores* esse dicuntur. Hæc autem omnia magnam vim habent, si per singulas partes orationis considerentur, ad commovendum precibus Hegionem. Et, *tu es patronus*, ab honesto: *tu es parens*, a justo. *Si deseris tu, perimus*] Et huic rei maxime respondet ora-

Neque faciam, neque me satis pie posse arbitror.
De. Adibo: salvere Hegionem plurimum
Jubeo. He. Te quærebam ipsum: salve, Demea.
De. Quid autem? He. Major filius tuus Æschinus,
Quem fratri adoptandum dedisti, neque boni,
Neque liberalis functus officium est viri.
De. Quid istuc est? He. Nostrum amicum noras Simulum,
Atque æqualem? De. Quidni? He. Filiam ejus virginem
Vitiavit. De. Hem! He. Mane; nondum audisti, Demea,

torie, quæ illum maxime commovit. Ut, Æn. vii. 452. *En ego victa situ.* Et, Æn. xi. 392. *Pulsus ego?* Alii πρὸς τὸ *periimus*, τῷ εὐφημισμῷ responsum putant. D.—Pro vulgari *perimus*, leg. *periimus*. B.

13. *Satis pie posse*] Deest, *facere*. *Neque me satis pie posse arbitror*] Honesta locutio; qua significat, quicquid fecerit pro pietatis debito illis (*illi* Ms. B. et edd. vett.) merito parum esse. Sensus autem hic est, Neque faciam, quod nefas est, ut vos deseram: nec hoc ipsum quod facio, satis pium est pro tanta necessitudine. Et bene addidit *satis*: ut *et sapiens, non tamen satis*. D.

14. *Salvere Hegionem plurimum jubeo*] Ideo providit Demea, non provisus est: quia oportuit illum audire quæ loqueretur Hegio, et ex illius jam verbis in indignationem (*verbis indignatione*) moveri. *Jubeo* autem, volo significat: ab eo quod sequitur, id quod præcedit. Non jubemus enim, nisi quod voluerimus, et est Homericum Κέλευε με παντ' ἀποδοῦναι ἐθελομην γὰρ εκτορα CYNENNIAIeNA (Priora ex Il. α', 134. sunt emendanda Κέλεαι δέ με τήνδ' ἀποδοῦναι. Posteriora vero videntur esse Donati, et restituenda sic, *Nam ante*, Ἢ ἐθέλεις ὄφρ' αὐτὸς, *ait* συνωνύμως. Z.). D.—*Salvere Hegionem*] Priscian. lib. xviii. L.—Priscianus, p. 1132. pro *salvere* habet *gaudere*, et dicit *gaudere jubeo* esse *gaude*. B.

15. Omnes libri Faerni, in his Bembinus, *Oh, te quærebam ipsum*. B.

16. *Major filius tuus Æschinus*] Artificiosa postulatio: in qua, ne statim Demea diceret, nihil ad se hanc querelam pertinere, quippe qui Ctesiphonem curare debeat, infertur causa cur non dissimulet pater, quia *filius*: quia *major* est: quia *Æschinus*, si quid est in ipso nomine caritatis: quia fratris *adoptivus*: quia *bonus* et *liberalis*: et contra hæc, quibus laudatus est, fecit. D.—*Major filius tuus Æschinus*] Hinc narratio incipit accusationis, in qua multa denuo dicuntur, quo facilius reus constitui possit. Nam dictum quod *major filius*, ne alius sentiretur: dictum et nomen proprium *Æschinus*: dictum etiam illud quod contigit, *qui fratri adoptandus datus est*. Ex his omnibus enim signa dominus sumserat, *ille quid fecit?* Deinde summa generaliter proponitur: *Neque boni, neque liberalis functus est officium viri*. Deinde adjungit personæ commendationem ejus, cujus filia vitiata est. Deinde propositio criminis, *Filiam ejus virginem vitiavit*. Quamvis non hoc intendebat: non enim facti quæstio est. E.

17. *Neque boni*] Quasi id quod est, velit quod esse debet (Forte leg. *Quia is prodest, vel prodesse debet*. Cf. ad. v. 30.). D.

18. *Neque liberalis functus est officium viri*] Quærendum inter *bonum* et *liberalem* quid intersit. An *bonus* est, qui non nocet? *liberalis*, qui etiam prodest? An *bonus*, qui non peccat in facto? *liberalis*, qui nec verbo quidem? D.—*Functus officium*] V. C. *officio*. L.

20. *Æqualem?*] Ὁμήλικα. *Quidni?*] Plus est *Quidni?* quam *noveram*: nam quasi corripit dubitantem, dicendo *Quidni?* ut subaudiatur, *noverim*. *Filiam ejus virginem vitiavit*] Vides quantum valeat injuria, vel dignitas personarum. Non contentus facinore, personas credidit ante proponendas. D.—Illud *atque* Bentl. superiori versui apposuit. Z.

21. *Hem!*] Interjectio nunc est irati, et est irati vehementer: quippe qui aliud novum audiebat, præter crimina quæ sciebat. D.—*Nondum audisti, Demea, quod est gravissimum*] Dicit hoc quod virgo vitiata est, grave non esse, propterea quod veniens (*veniam* Z.) adolescens mereri poterat ex amore. Illud est quod purgari non potest, quod *ad matrem virginis venit*, quod *lacrumans oravit*, quod *fidem dedit*, quod *juravit illam se uxorem ducturum*. Hæc sunt quæ in accusationem ponuntur. Deinde quod *virgo ex compressu gravida facta est*, quod nunc *jam mensis hic est decimus*. Cumulus enim hactenus ad accusationem, si eo tempore deserit adolescens puellam, quo jam pater esse potest, cum vicinus est partus; ac deserendi non * olim in adolescentia arguit, sed ipsum tamen factum proponit (pro *olim*

Quod est gravissimum. DE. An quicquam est etiam amplius?
HE. Vero amplius: nam hoc quidem ferundum aliquo modo'st:
Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia;
Humanum'st: ubi scit factum, ad matrem virginis
Venit ipsus ultro, lacrumans, orans, obsecrans,
Fidem dans, jurans se illam ducturum domum.
Ignotum'st; tacitum'st; creditum'st: virgo ex eo
Compressu gravida facta est; mensis hic decimus est.

West. in cod. reperit *solum*. Igitur lege, *ac deserendi non solum crimen in adolescente arguit, sed ipsum etiam factum prop.* Z.) quod *psaltriam rapuerit*. Est enim breve tempus id • amores esse cum meretrici (*Est etiam breve tempus id, quo solent amores esse cum meretrice. Igitur fit cumulus, etc.* Z.) Fit cumulus quod ad id comparavit sibi psaltriam, *quicum vivat*, ut hoc perpetuum sit: adjunxit quod intendebat, *Pro certone tu istæc dicis?* Demea audita accusatione de fide quærit. E.

22. *Quod est gravissimum*] Quia illud grave (intellige, *quod virginem vitiavit*). *An quicquam est etiam amplius?*] *Amplius*, quantitatis est. Nam ideo, *nondum etiam audis quod est gravissimum. Amplius*] Id est, majus. D.—Liber Bemb. *An quid est etiam amplius?* quod est melius. B.

24. *Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia*] Plautus in Bacchid. i. 1. 54. *Quia istoc illecebrosius, fieri nihil potest: Nox, mulier, vinum, homini adolescentulo.* Et hæc omnia ab impulsionis parte dicuntur, non a ratiocinationis: ideo et *persuasit* dixit. Nam instans persuasio, *impulsio* dicitur: ut ipse (*alibi* addunt Ms. B. et edd. vett.), *Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur. Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia*] Hæc inferuntur ἀσυνδέτως, ut multa videantur. *Vinum*] Plus dixit, quam si *vinolentiam* diceret: ut, *Tu nihil nisi sapientia es, ille somnium.* Proximum huic, et simile est in Hecyra,—*cum virgine una adolescens cubuerit Plus potus, sese illa abstinere ut potuerit? Non verisimile dicis, nec verum arbitror.* Virg. Geo. ii. 455. *Bacchus et ad culpam causas dedit.* (Huc adde Anacr. 52. 24. Ὁ βάκχος Μεθίων ἕκαστα παίζει. Z.). D.—*Persuasit nox, amor*] Demosthen. κατὰ Μειδίου: τρεῖς εἶχε προφάσεις, μέθην, ἔρωτα, ἄγνοιαν, διὰ τὸ σκότος καὶ νυκτὸς τὸ πρᾶγμα γενέσθαι. Ennius apud Festum: *Persuasit nox, vinum, Deus qui multo est maximus.* Plautus, Aulular. iv. 10, 64. *Ego me injuriam feciase filiæ fateor tuæ, Cereris vigiliis, per vinum, atque impulsu adolescentiæ.* Idem Bacchid. i. 1. 54.—*istoc illecebrosius fieri nihil potest: nox, mulier, vinum, homini adolescentulo.* Eodemque colore Seneca utitur lib. vii. Controvers. 8. *Nox, vinum, error: quid irasceris, puella?* L.—Menander, laudante Scholiaste Theocriti Idyll. ii. 10. Ὦ νὺξ, σοὶ γὰρ δεῖ πλεῖστον Ἀφροδίτης. De quo loco Plutarchus: Πλεῖστον γὰρ Ἀφροδίτης οὐ νύξ, κατὰ Μένανδρον, ἀλλὰ Τύχη μετέσχηκεν. Huc pertinet illud Ovidianum, *Nox et Amor, vinumque nihil moderabile suadent.* W.

25. *Humanum est*] Nihil tandem ex ea sumtum consuetudine est, quod non humanum: et hoc dicere solemus, ubi peccatum quidem non negamus, sed tolerabile esse dicimus. *Ubi scit factum*] Id est, intelligit et sentit: quia supra futurae • (Corrige, *futuere*. Sed Wieling. leg. putat, *Quid sua persuasione*) peccaverit: et quia qui impulsione peccat, non peccat ratiocinatione. Hic locus illi rei occurrit, *Cur ergo tacuisti?* D.

26. *Venit ipsus ultro lacrumans*] Mire: (et *Mire id;* Z.) *ad matrem venit ultro lacrumans*, ne quum leniter, aut mollius mulier tulisset, prope pactionem iniisse videretur. *Orans, obsecrans*] *Orare*, est placidos petere: *obsecrare*, iratos rogare. Unde plus facit obsecrans, quam orans: plus vero orans, quam rogans. Cicero, *orare et rogare.* D.

28. *Ignotum est: tacitum est: creditum est*] Ἀσυνδέτως per συνταρμὸν ut solet, hic loquitur: ut, *Imus, venimus, videmus. Ignotum* est autem, quod ultro venerat, et lacrumans: *tacitum* est, quod orabat et obsecrabat: *creditum* est, quod fidem dabat et jurabat. Et honestius impersonaliter, quam *ignovimus, tacuimus, credidimus.* D.—*Ignotum est*] Priscian. lib. x. L.

29. *Virgo ex eo compressu gravida facta est*] Hæc addidit, ne ex viliore usu et inhonesta patientia virginis ad conceptum libido pervenerit. Et præterea quia et hoc potuit dici, ille quidem vitiavit virginem: sed quid si ex alio concepit postea, quæ nunc gravida facta est? idcirco et a vitio virginis tempus ostendit: ut cum facto ratio conveniret. D.—Tolle illud *hic*, quod et versus respuit, nec sensus desiderat. Pomponius apud Nonium v. Verminari, *Decimus mensis est, cum factum'st: ita fit, ita semper solet: decimo mense demum turgens verminatur, parturit.* B.

Ille bonus vir nobis psaltriam, si dis placet,
Paravit, quicùm vivat: illam deserat.
DE. Pro certon' tu istæc dicis? HE. Mater virginis
In medio'st; ipsa virgo; res ipsa: hic Geta
Præterea, ut captus est servorum, non malus,
Neque iners, alit illas; solus omnem familiam
Sustentat: hunc abduce, vinci, quære rem.

30. *Ille bonus vir nobis psaltriam, si dis placet, paravit*] Conclusio accusationis. Et, *bonus vir, εἰρωνεία* quidem est, sed ab eo posita, qui indignetur virum bonum esse debuisse, qui non sit: ut supra, *neque boni, neque liberalis est functus officium viri.* Et simul considera quo nomine Æschinum vocet, virum appellans scilicet, qui vult ejus certa esse promissa, et qui illum jampridem videri maritum velit: *nobis* autem, ex abundanti τῷ ὑβριστικῷ ad indignationem relatum est. *Si dis placet*] Bene interpositum ad invidiam, *Si dis placet*: scilicet per quos juratum est. *Ille bonus vir*] Εἰρωνεία indignantis in loco addita est verbis ardentibus. *Psaltriam nobis*] Τῷ ὑβριστικῷ: sic enim dicimus, et est consuetudinis pervulgatæ. D.

31. *Illam deserat*] Id est, cui e contrario, dum vivat, obstrictus est. Et *deserat*, virginem scilicet. D.—Bembinus, et aliqui libri Donati recte habent *deserit*. B.

32. *Pro certone tu istæc dicis?*] Hoc ideo non dicit, quia fidem non habeat narranti; sed quia miratur scelera. *Mater virginis in medio est*] Terribiliter satis, *In medio est*: quasi retineri non possit, nec cohiberi, quin rem probet. Et præterea, quum argumentorum genera duo sint, ἔντεχνον καὶ ἄτεχνον: sicut in rebus manifestis, ἀτέχνῳ utitur. Hoc ergo, sublatis superciliis, dicendum est, *In medio est.* Nam lentius (*lenius*) erat, si diceret, *præsto est.* D.—*Mater virginis in medio*] Ad rem confirmandam testem adhibet accusator, ipsam virginis matrem, et rem ipsam dixit, ... (W. e Ms. lacunam supplevit sic; *ut eorum mulieres.* Sed verba sine sensu. Intellige potius, *partum virginis*, vel, *mulieris.* Z.). Ad postremum adjunxit et servum Getam, de quo facile possit inquiri, ut a testibus res probetur. E.

33. *Ipsa virgo*] Scilicet quæ in Æschinum reum et testis et crimen est. Et ideo addit, *res ipsa*: id est pondus uteri, exactis ad pariendum mensibus. D.—*Hic Geta*] Prisc. lib. vii. L.

34. *Præterea, ut captus est servorum, non malus*] Ad hæc, intelligamus aliter dici, *non inertem Socratem*: aliter, *non inertem servum*: aliter, *non malum Scipionem esse*: aliter, *non malum servum esse. Præterea, ut captus*] An, quantum capit animus servilis, tantum non malus, neque iners Geta? An *ut captus est servorum*, quemadmodum sæpe aucupium in servis habendis bonum evenit? Ut in captu avium, vel piscium, vel ferarum plurimum fortuna dominatur. Et hoc ideo, quia servum evenire bonum, non ratio est aut natura, sed casus est, utpote in re rarissima: ut sit, *ut captus est servorum*, id est, eventus est in servis. *Ut captus est servorum*] Id est, ut se habet conditio servorum. Afranius in Simulante, *Is ut servorum captus est, facillime domo atque nostra familia provenditur.* Ergo (*Ego* Ms. B.) *captus* sortem intelligo. *Non malus*] Id est, fidelis. D.—*Ut captus est servorum, non malus*] Quemadmodum (*Quamquam* Z.) mali esse possunt servi, sicut est captus servorum, id est, conditio. E.—Versus gratia repone, *Præterea, ut captus servolorum est, non malus.* B.

35. *Neque iners*] Id est, artem habens (Vid. ad And. iii. 5. 2.). Oratorie futurum testem et indicem laudat: sed ne improbe facere videatur, parcius id facit: non enim dixit, *bonus et solers*: sed, quod in servo sufficit, *non malus, neque iners.* Et proferendi (*protegendi* Z.) Getæ hæc maxime causa est: ne quod permittere videatur in servo pauperis, atrocius fiat (*ne, quod mos perm. vid. in s. pauperis, atrocius agat* Z.). Et simul ut hæc προθεράπευσις non contristet Getam: quem prius laudat, dicturus, *Hunc abduce, vinci, quære rem. Alit illas: solus omnem familiam sustentat*] Duas hic res docet: et unde hæ vivant, quod testimonium pudicitiæ est; et gravem testem posse esse Getam. *Solus*] Incerta distinctio est, *solus*: sed melius, *solus omnem familiam sustentat.* Hoc verbo tenuis victus ostenditur, quod bene frugi esse monstratur in feminis. D.—*Alit illas*] Ms. R. *alit illam.* L.

36. *Hunc abduce: vinci: quære rem*] Non multum permittit, utpote de alieno servo: ideo Geta plus de se largietur: ipse tamen ἀνυβέρως tria posuit, ut multa videretur dicere. *Hunc abduce*] Ut Æn. xi. 463. *Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis.* Nam postea, *e* litera, hu-

GE. Imo hercle extorque, nisi ita factum est, Demea:
Postremo non negabit: coram ipsum cedo.
DE. Pudet: nec, quid agam, neque quid huic respondeam
Scio. PAM. Miseram me! differor doloribus.
Juno Lucina, fer opem: serva me, obsecro. HE. Hem!
Numnam illa quæso parturit? GE. Certe, Hegio. HE. Hem!
Illæc fidem nunc vostram implorat, Demea:
Quod vos vis cogit, id voluntate impetret.
Hæc primum ut fiant, Deos quæso, ut vobis decet.
Sin aliter animus vester est; ego, Demea,
Summa vi defendam hanc, atque illum mortuum.

jusmodi verbis aucta (*ablata* Z.) est. *Hunc abduce: vinci*] Bono ordine: et *abduce:* ab hoc illuc ubi (*ad hoc illud ut* ed. Du B.) nemo possit intercedere. Et *vinci:* ne solutus, ut sciat si (*ne, si solutus, tu nesciat an* Z.) verum servus accuset. *Quære rem*] Latenter præter vincula, etiam tormenta significavit: nam hoc, *quære rem*, pete rei veritatem, significat. D.

37. *Imo hercle extorque*] Ἀτεχνῶς πίστις. Et bene ipse de se plus et apertius, quam Hegio, largitur. *Extorque*] Multum dixit: non *torque*, sed *extorque*. *Torquemus* enim hominem: *extorquemus* veritatem. D.—*Imo hercle extorque*] Dixerat *vinci*, et solas catenas pro pœna adjecerat: ideo addidit, *extorque*. E.

38. *Coram ipsum cedo*] Quo facilius veritas manifestaretur, adjecit servus, *coram da Æschinum;* cum præsens fuerit, non negabit miseriam. E.—Vulgo *coram ipso cedo*. Minus recte. B.

39. *Pudet*] Aversus hoc dicit, et perturbatus Demea. Majoris erit ponderis *pudet* dictum, si *me* nec addas, nec subaudias. D.

40. *Differor doloribus*] Divellor, discrucior, dilaceror. Et proprie hoc genus querelæ convenit parturienti, et cui viscera distenduntur: et ei quæ inexpertum dolorem nunc primum sentiat. D.—*Differor doloribus*] Opportuno tempore dolore parturientis exclamat, quo facilius Demea vitiatam puellam possit agnoscere: • illam (*Fidem vestram*) nunc hæc implorat, tametsi Junonem Lucinam ad partum implorare videatur. Hic jam petitio illa supponitur, ut in excusatione reus constituatur Æschinus, et ut cogatur, quam vitiavit, ducere uxorem, quod dicit: *Hæc primum ut fiant, deos quæso, ut vobis decet.* E.

41. *Juno Lucina, fer opem*] Bona procuratio poetæ: ut et vox parturientis, pro testimonio succedat, ad inflammandum Demeam. Et nota, puellarum quæ in comœdiis honestæ sunt, et ex amore dicuntur (*ducuntur* Z.), aut nullam in scena esse, aut rarissimam vocem. *Fer opem!*] Partui. *Serva me, obsecro!*] Parturientem. Duas enim res poscit hæc precatio: et nascentis, et parturientis salutem. D.

42. *Numnam illa, quæso, parturit?*] *Illa* scilicet de qua sermo est: quid enim opus fuerat nomine. D.—*Certe, Hegio*] V. C. *certe parturit.* L.

43. *Illæc fidem nunc vestram implorat*] Hæc oratoria πλάσις est: non enim vere rogat, sed videtur hoc facere. Et *implorare*, est in malis positos cum ploratu aliquem rogare. D.

44. *Quod vos vis coget, id voluntate impetret*] Artificiose: ne totum simpliciter (*suppliciter*) agendo, diffidere causæ videatur. *Vis* igitur legum intelligitur. D.—Pro *jus* antiqui libri habent recte *vis*. In Bemb. margine adscriptum est, *vis, necessitas legum*. B.—Menandri fertur, Τρία ἐστὶ, δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, Ἡ κατὰ νόμους, ἢ τοῖς ἀνάγκαις, ἥγε Τρίτον θέσει τινί. W.

45. *Deos quæso, ut vobis decet*] Hoc est, non voluntate adversarium fore. *Ut vobis decet*] Παραυτικῶς dixit, non ut puellæ utile est, sed ut vobis decet. *Vobis decet*] Græce dixit, ὑμῖν πρέπει: et deest, *facere*. D.—*Vobis decet*] Ms. R. *vos decet*. Vid. Serv. Æneid. viii. 127. L.

46. *Sin aliter animus vester est*] Officium amici exsequitur in reddenda causa, cur adversarius futurus sit. *Ego, Demea, summa vi hanc defendam*] Non dixit id quod est, *vos ulciscar:* sed, *hanc defendam*. D.

47. *Atque illum mortuum*] Idonea causa est, adversus vivos querimoniam faciendo, pro mortuo scilicet. Qua in re, et de officio suo locutus est, et exaggeravit culpam in Æschinum, qui videbatur in uno et eodem facinore vivos mortuosque læsisse. D.—Etsi omnes libri habent *defendam hanc:* lego tamen *defendam has*, h. e. matrem et filiam. Sic mox 52. *potius quam illas deseram*. Cf. iv. 3. 17. iv. 4. 17. B.

Cognatus mihi erat: una a pueris parvolis
Sumus educati: una semper militiæ et domi
Fuimus: paupertatem una pertulimus gravem.
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? DE. Fratrem conveniam, Hegio:
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.
HE. Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites,
Quam vos facillume agitis, quam estis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles;
Tam maxume vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos voltis perhiberi probos.
DE. Redito: fient, quæ fieri æquom'st, omnia.
HE. Decet te facere. Geta, duc me intro ad Sostratam.

48. *Cognatus mihi erat*] Causa exposita, jam agit Hegio de persona sua, utrum recte faciat: ut quam personam inducit * ostendat habiturus (*quam personam induerit, porro se ostendat habiturum.* Z.). Quum amicitiarum duo genera sint, unum necessarium, id est, propinquitas sanguinis: alterum voluntarium, quo nobis etiam alienissimi conjunguntur. Micionem dicit ac Demeam, et vivos, et voluntarios tantum sibi amicos esse. Simulum vero, et mortuum, et non solum voluntate, sed et necessitudine amicum fuisse conjunctum. In qua re et illi non deerit, et his purgatur. Sed et *Cognatus mihi erat*, vultu adjuvat: quia non a conjunctione inceptiva sumsit exordium: *Cognatus mihi erat*] Officia multa contra officium unum Demeæ amicitiæ ac Micionis. D.—*Cognatus mihi erat*] Dicit sibi necessitatem maximam, ut virginem defendat, si deserta fuerit, ex hoc cumul .... sibi fuerat cum puellæ patre (*ex hoc cumulus fit, quod multa familiaritas sibi f. c. p. p.* Z.). E.—Illud *parvoli*, quod in libris quibusdam extat, est plane ineptum. B.

49. Nisi pro *educati* legas *educti*, versus stare non potest. B.

50. *Paupertatem una pertulimus gravem*] Ἐναναφορὰ est: quia magis conjungit malorum consortium, quam bonorum. D.

51. *Nitar, faciam, experiar*] Sic dicit, ne dicat *vindicabo:* quod vult magis significatum esse, quam dictum. Et ne ei diceretur, *nihil poteris:* quod ad incipiendum sufficit, dixit, *experiar.* D.

52. *Animam relinquam potius*] Modesta comminatio: prius quid sibi possit evenire dixit, quam quid passurus sit Æschinus. D.

53. *Quid mihi respondes?*] *Respondere* proprie dicitur, quum (*quoi* s. *cui*) lis intenditur. *Respondere* enim est priorem alloqui, quasi respondere (*quasi rursus spondere. Spondere* Wie.) verba fundere: ut, *Funditque has ore querelas. Respondere*, posteriore loco dicere. *Fratrem conveniam, Hegio*] Vultuose pronunciandum hoc quod addidit, *Hegio:* quasi dicat; res in manu fratris est constituta, non mea. D.

54. Totus versus abest in Bembino. Atque Muretus spurium putavit, cum de Æschini rebus nihil faceret Demea ex consilio Micionis. Et certe Donatus non videtur illum legisse, cum dicat, *Res in manu fratris est constituta, non mea.* Z.

55. *Sed, Demea, hoc tu facito*] Ἐπιθεράπευσις supra habitæ comminationis. D.—*Sed, Demea, hoc tu*] Quoniam Demea sententiam petitioni talem dederat, ut fratrem se diceret conventurum: jam hic amplius agit ut persuadeat, aliud fieri non debere: propterea quoniam nobiles viri quanto clari sunt magis, tanto plus debent omnia justa complere, si velint famam integram sui nominis continere. Quam rem et persuasione impetrant (*impetrat* Z.), quod voluerat senex. Denique data est sententia: *fient, quæ fieri æquum est, omnia.* E.

56. *Quam vos facillime agitis*] Ut et supra, *Facilem victum paret* (Forsan e memoria laudavit locum Eun. ii. 2. 30. *Et tam facilem victum quærere*): et vide quam oratorie laudes sumserit (excidit *secundum* Z.) argumenta suadendi. D.

58. *Æquo animo æqua noscere oportet*] Bene dixit, *æquo animo:* quia potentiori et fortiori contra naturam est æquitas. D.

60. *Redito*] Prosequebatur eum, quemadmodum apparet ex verbis. D.—Lege, *Redito: fient. fieri quæ æquumst, omnia.* B.

61. *Decet te facere*] Sollicita obsequela Hegionis, ultima in loquendo, ostendit impotentiorem personam contra Æschinum; quo magis gaudium crescit comœdiæ, quando tali ac tanto pauperior puella, sed tamen cupita, jungetur. D.

DE. Non me indicente hæc fiunt: utinam hoc sit modo
Defunctum: verum nimia illæc licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, ut in eum hæc evomam.

ACTUS TERTII SCENA V.

HEGIO.

BONO animo fac sis, Sostrata; et istam, quod potes,
Fac consolere: ego Micionem, si apud forum'st,
Conveniam: atque ut res gesta'st, narrabo ordine.
Si est, facturus ut sit officium suum,

62. *Non me indicente*] Quia dixerat, *Ipse sentiet posterius.* Et nimis dura compositio est: sed apta irascenti. *Utinam hoc sit modo defunctum!*] *Utinam*, desperandi vim habet. *Hoc*, id est, negotium: id est, raptus virginis. *Defunctum*, finitum, id est, ut non pejora committat. *Defunctum*, finitum, id est, ne ulterius peccet Æschinus. D.—*Non me indicente*] Supra enim dixerat, ex lenitate patris Æschinum in periculum esse venturum, quod etiam nunc dicit: *verum nimia illæc licentia profecto evadet in aliquod magnum malum.* E.—*Non me indicente*] Gloss. marginal. *Indicente, præcipiente, hortante.* L.—In margine Bemb. hoc glossema adscriptum est, *Indicente: tacente: nove, immo potius κατ' ἀρχαῖσμόν: nam nusquam legimus, nisi in hoc loco: indicentem enim dixit, non dicentem.* Sed de *indicente* vide Gronovium ad Liv. xxii. 39. Bembinus habet *fient*, sed alii omnes, *fiunt*. Cæterum Bemb. et Victor. pro *hoc* recte legunt *hic*, h. e. in hoc negotio: ne Æschinus pejora committat. Et *defunctum* est impersonale. B.

63. *Nimia illæc licentia*] Quam illi dat Micio. D.

64. *Profecto evadet*] Per ardua et præruptа veniet. D.

65. *Hæc evomam*] Non *effundam*, sed *evomam*: utpote quæ me ægrum faciunt, quibus me relevabo, cum languor ille egestus sit. Nam *evomam*, hoc translatione significat. D.

1. *Bono animo fac sis, Sostrata*] Hi sex versus in quibusdam non feruntur. In hac scena videtur jam locutæ Sostratæ Hegio respondere. Potest tamen et ipse incipere, tanquam qui et rem noverit, et mœrore ejus moveatur. *Bono animo fac sis, Sostrata*] Meminisse debemus, quod dixit, *Duc me intro ad Sostratam:* et quia hoc *intro*, in proscenio est ΠΑΤΕΡΑΠΔΙ-ΤΝΝΙΝ * (παρὰ τὴν σκηνὴν Z.) non post scenam. Nam aliud significat, *Eamus intro*, ubi dicitur, *Intus despondebitur, intus transigetur, si quid est quod restet.* Illud enim interius agitur extra omne proscenium. *Fac sis, Sostrata*] *Sis* honorifice additur verbo, ne quod imperativo modo pronunciatur, superbum sit. Deductum est autem a senatusconsulti formula: ubi enim aliquid senatus consulibus injungit, addit, *Si eis videatur. Et istam, quod potes*] Quia vox ipsa tristis, et circa tristem filiam, *quod potes* dixit. D.—*Bono animo fac sis*] Senex ingressus domum, vidit parturientem puellam, ejus matrem consolatur, promittens se conventurum Micionem, Æschini patrem, et coacturum ut vitiatam ducat uxorem ille, qui vitiavit. E.—Perperam Guyetus hanc scenam spuriam esse pronunciavit. Nam scena priori 61. Hegio ad Sostratam ductus est. Nunc redit, et Sostratæ, quæ intus est, narrat de scena: plane ut Lesbia, And. iii. 3. Archylim, quæ domi erat, e scena alloquitur, et Heaut. v. 1. Chremes Sostratam uxorem. B.

2. *Fac consolere*] Duas res dixit, quas et ordine locutus est: et tu bonum habe animum, inquit: et filiam fac habere. *Ego Micionem*] Quia Demeam jam vidit. D.

4. *Si est, facturus officium*] Hoc dicendo, promittit eum esse facturum: nam facile est unumquemque suo officio fungi. D. —*Si est facturus, etc.*] Ordo est: conveniam Micionem, ut faciat, officium suum est facturus, officium * (Lege et distingue, *ut faciat officium suum, si est facturus officium.* Cæterum quicquid Eugraphii hinc ad finem fabulæ sequitur, Westerhovius primus ex Ms. edidit Z.). E.—Illud *Si* hic sine synalœpha est; contra morem et artem. Lege, *Si ita est.* B.

Faciat: sin aliter de hac re est ejus sententia,
Respondeat mihi; ut, quid agam, quam primum sciam.

ACTUS QUARTI SCENA PRIMA.

CTESIPHO. SYRUS.

AIN' patrem hinc abisse rus? SY. Jam dudum. CT. Dic sodes. SY. Apud villam'st.
Nunc cum maxume operis aliquid facere credo. CT. Utinam quidem,
Quod cum salute ejus fiat, ita se defetigarit velim,
Ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere.
SY. Ita fiat, et istoc si quid potis est rectius. CT. Ita: nam hunc diem
Misere nimis cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere.
Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope'st:

6. *Ut, quid agam, quam primum sciam*] Mature: neque comminatur, neque segnem ostendit se fore. D.

1. *Ain' patrem hinc abisse rus?*] Hic ostenditur timiditas boni adolescentuli, et verti • se ad peccandum ex delicti conscientia, et reverentia parentis apparet. Item (*veriti, sc. ob peccatum ex d. c. et r. parentis. Apparet item*) mos verorum patrum circa filios, Syro Demeam describente. *Ain' patrem hinc abisse rus?*] Compendio ostenditur, quid sit jam locuturus (*locutus* Z.) Syrus. D.—*Hinc patrem abisse rus?*] Hæc scena deliberationem habet, quid faciat, cum pater rus iturus sit, et quid non (*nunc* Z.) respondeat patri, si se non invenerit apud villam. E.

2. *Nunc cum maxume operis aliquid facere credo*] Vide quasi ἰδίωμα verbum Syri esse, de opere loqui: sic enim dicit et Demeæ: sed illud falso: hoc serio. *Utinam quidem*] *Apud villam sit*, subaudiendum: et distingnendum ante quam inferatur, quod sequitur. D.—Recte meliores libri habent *cum maxime*, pro vulgari *cum maxime*. B.

3. *Quod cum salute ejus fiat*] Hoc non est odisse patrem: sed tantum timere ex proprio delicto: servatur enim in eo et amor filii, et amoris effectus (*affectus* ed. Du B.). D.—*Quod cum salute ejus fiat, ita defatigetur*] Dum modo salvus sit. Et experitur ante consilium, ut hoc se defendat, quod ab amicis retentus sit. Cui opponitur: *Interdiu quidem: sed si hic pernocto, quid causæ sum dicturus?* Huic rei nullum consilium reperit servus. Hoc pollicetur tamen, facile se patrem lenire, quod ejus noverit mores, cum dicit, *Laudarier te audit libenter: facio te apud illum Deum*. E.

4. *Ut triduo hoc perpetuo*] Quantum sufficiat amatori. (Forte huc pertinent verba, *Moriatur scilicet*, quæ in versu sequenti plane sunt otiosa Z.) etenim non opus erat *perpetuo* dicere, si *triduum* dixisset. D.

5. *Et istoc siquid potius est rectius*] Deest *addi*. Nam si mortem significaret, non conveniret adolescentem *ita* dicere: videtur enim plus temporis optasse languori. *Nam hunc diem misere nimis cupio*] Moriatur scilicet: et hoc adversus servum debet dicere, ne indecorum adolescentis personæ sit, hæc ita dixisse: quamvis ejusmodi adolescentes inducant comici: ut Nævius in Tribaselo, *Deos quæso, ut adimant et patrem et matrem meos*. D.

6. *Misere nimis cupio*] *Nimis* abundat, more comicorum, qui hoc dicto asseverationem inculcabant. *Cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere*] Qui et supra dixit, *Ita quæso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem*. D.—*Misere nimis*] In Ms. R. *nimis* deest. L.—Nostri omnes omittunt *nimis*, præter cod. Regium, qui rectissime ponit, *Nimis misere cupio*. B.

7. *Et illud rus nulla alia causa tam male odi*] Mire ostendit, omnia ex delictis in pravum verti: adeo ut miseram putet adolescens suburbanam villam: qua re cæteri delectantur. Illud ergo tanquam (TAM MALE) cum detestatione dixit: et *male*, et (*est*) *nimis*, et *misere*. Nam *ni-*

Quod si abesset longius,
Prius nox oppressisset illic, quam huc revorti posset iterum.
Nunc ubi me illic non videbit, jam huc recurret, sat scio.
Rogitabit me, ubi fuerim; quem ego hodie toto non vidi die.
Quid dicam? SY. Nihilne in mentem est? CT. Nunquam quicquam. SY. Tanto nequior.
Cliens, amicus, hospes, nemo'st vobis? CT. Sunt: quid postea?
SY. Hisce opera ut data sit. CT. Quæ non data sit? non potest fieri. SY. Potest.
CT. Interdiu: sed si hic pernocto, causæ quid dicam, Syre?
SY. Vah! quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari.
Quin tu otiosus es: ego illius sensum pulchre calleo.
Quum fervit maxume, tam placidum, quam ovem reddo. CT. Quo modo?

mium, et malum miserumque est; secundum illam sententiam, *Ne quid nimis*. D.

8. *Quod si abesset longius*] Amori magis, quam rei consulit adolescens. D.—Hic versus est iambicus dimeter. Sicut prior est iambicus octonarius. B.

9. *Iterum reverti* non est *bis reverti*, qui est error Faerni; sed vetuste, pro simpliciter *redire*. Ut supra, i. 1. 46. Eun. iv. 2. 6. B.

10. *Jam huc recurret, sat scio*] Mire de sene, *recurret* dixit, ut ejus instantiam demonstraret. D.

11. Etsi Bemb. habet *Rogitabit;* versus tamen probat codd. nostrorum et edd. vett. *Rogabit*. Nam cum *ubi* accentum hic habeat in syllaba priore, *ubi fue* est proceleusmaticus, dactyli tempus habens; et irato apprime convenit rapide loqui. B.

12. *Nihilne in mentem est?*] Sic hoc accipiendum est, ut adolescenti libero malitiam putemus, non sapientiam deesse: adeo in hac re magister est servus. *Nunquam quicquam*] Παρέλκον, pro *nunquam:* id est, non. *Tanto nequior*] Sic hoc dictum est, ut e contrario dicimus, *tanto melior*. D.—Optimorum librorum est *in mentem est*. Cæteri male, *in mente est*. Vide nos ad Heautont. v. 2. 33. Porro pro *nunquam* lege *nusquam*. Nam *nusquam* in re præsente scilicet: non *nunquam*, ut semper stolidum se et bardum esse fateatur. B.

13. *Cliens, amicus, hospes, nemo est vobis?*] Vide magistrum ad nequitiam, ut simplici adolescenti mentiendi viam demonstret, et honestum tentet afferre argumentum ad mendacium, propter clientem, amicum, aut hospitem in urbe cessare visum: quod tamen nec sic intelligit rudis ac rusticus adolescens. *Cliens, amicus, hospes, nemo est vobis?*] Mire sic interrogavit, ut qui agrestes inhumanosque reprehendat, et insociabiles aliis, propter asperitatem rustici senis. D.

14. *Hisce opera ut data sit*] A superiore subauditur, *veniat in mentem:* id est, cogita dari potuisse: et datam dicito. *Quæ non data sit?*] Hic de facto quæstio est, in qua quidem (*quidam* ed. Du B.) disputant quædam tunc possibilia intelligi, quando facta sint: quum autem non fiunt, non modo non fieri, sed ne possibilia quidem esse dicenda: qui locus περὶ δυνατῶν dicitur. Cf. Cic. Fam. ix. 4. *Potest*] Iterum subauditur, *fieri, ut data sit:* vel *ut credatur data*. D.—Ingenuus adolescens negat mentiri. Menander: Ἀριστόν ὅστι πάντας ἐπίστασθαι καλὰ Ἐλευθέρου γὰρ ἀνδρὸς τ' ἀληθῆ λέγειν. W.

15. *Interdiu*] Bene: quia amatori maxime nocte opus est. D.

16. *Vah! quam vellem etiam noctu*] Hoc utriusque personæ convenit, sed melius et Syro, et facetius dicitur. Et quidam totum Ctesiphoni assignant, abusque *Interdiu*. Et *quam vellem*, proprie dicimus in his, quæ non videmus fieri. Bene igitur deficiente argumento, cum aliud non inveniret, in vota conversus est: unde videntur magis hæc verba Ctesiphonis esse. D.—*Quam vellem noctu*] Symmach. lib. i. Epist. 17. *An tibi parum exempli videtur in comico, cum ait? Quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari!* L.

17. *Calleo*] Callide scio. D.

18. *Quum fervit maxume*] Tertia conjugatione dixit, unde *fervere* dicitur, correpta media syllaba. *Quo modo?*] Miratur, quia timet eum, quem iste contemnit. D.—*Tam placidum quam ovem*] Lactant. divin. instit. lib. iii. cap. 25. *Da mihi*

SY. Laudarier te audit libenter: facio te apud illum Deum:
Virtutes narro. CT. Meas? SY. Tuas: homini illico lacrumæ cadunt,
Quasi puero, gaudio: hem tibi autem! CT. Quidnam est?
SY. Lupus in fabula.
CT. Pater est? SY. Ipsus est. CT. Syre, quid agimus?
SY. Fuge modo intro: ego videro.
CT. Si quid rogabit, nusquam tu me: audistin'? SY. Potin' ut desinas?

ACTUS QUARTI SCENA II.

DEMEA. CTESIPHO. SYRUS.

NÆ ego homo sum infelix! primum fratrem nusquam invenio gentium:

virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus; paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Lucian. in Asino: *καί σοι τοῦτον σωφρονέστερον προβάτου παρέξω τῇ τομῇ.* Philippid. apud Stobæum: *ὁ τραχύτατος δὲ συκοφάντης, μιᾶς δύο λαβὼν ἄτειστν ἀρνίου μαλακώτερος.* Plaut. *ovem meram vides.* L.—Ovis non redditur *placida;* quia non ex fera cicuratur et mansuesit, sed est natura et indole placida. Igitur repone, *Cum férvit maxumé, tam placidum, quam óvis est, reddo.* Ut infra, v. 3. 63. B.

19. *Laudarier te audit libenter*] Quod a (*de*) Demea dicitur, in omnes parentes dici puta. Nam nemo tam asper est pater, ut non statim mitescat laudato filio. D.—*Facio te apud illum*] Prisc. lib. xiii. L.—Socrates apud Platonem in Menone: *Καὶ αἶγε γυναῖκες δήπου, ὦ Μένων, τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας, Θείους καλοῦσι. Καὶ οἱ Δάκωνες, ὅταν τινὰ ἐγκωμιάζωσιν ἀγαθὸν ἄνδρα, Θεῖος ἀνήρ, φασίν, οὗτος.* Cf. Cic. de Orat. ii. 42. et Erasm. in Adag. W.

20. *Virtutes narro*] Non dicit elegantem indolem, sed *virtutes. Virtutes* autem sunt perfecti sapientis, vel divi alicujus. Et bene cum stupore (alii, *pudore*) respondet *Meas?* ostendens quod nullæ essent. *Meas? Tuas*] Cum gestu pronunciare debemus, ut intelligatur irrisio. D.

21. *Quasi puero, gaudio*] Deest, *præ:* ut sit, *præ gaudio. Lupus in fabula*] Silentii indictio est in hoc proverbio: atque ejusmodi silentio vel in ipso verbo, ut ipsa fabula (*Atque ejusmodi silentii, ut vel in ipso verbo Fabula*) conticescat. Quia lupum vidisse homines dicimus, qui repente obmutuerint: quod fere iis evenit, quos prior viderit lupus: ut cum cogitatione in qua fuerint, etiam voce et verbis careant. Sic Theocritus, Idyll. xiv. 22. *οὐ φθέγξῃ; λύκον εἶδες.* Et Virg. Ecl. ix. 54. *vox quoque Mœrin Jam fugit ipsa: lupi Mœrin videre priores.* Alii putant ex nutricum fabulis natum, pueros ludificantium terrore lupi, paulatim Capua (alii *e cavea:* malim, *in casam*) venientis usque ad limen cubiculi. Nam falsum est quod dicitur, intervenisse lupum Nævianæ fabulæ, Alimoniæ Remi et Romuli, dum in theatro ageretur. D.—*Lupus in fabula*] Proverbium, cum ipse advenit, de quo loquimur. E.—*Lupus in fabula*] Plautus in Sticho iv. 1, 71. *Atque eccum tibi lupum in sermone; præsens esuriens adest.* Videnda. Suid. *εἰ καὶ λύκου ἐμνήσθης.* L.

22. *Fuge modo intro*] Non dixit *I*, vel *abi*, vel *vade:* sed *fuge*, tanta celeritate opus est. D.—Tres ex nostris *Paterne est? Ipsus.* Lege, *Paterne? Is ipsus.* Vid. Phorm. i. 3, 26. Versu 20 pro *Meas?* lege, *Measne?* B.

23. *Si quid rogabit, nusquam tu me*] Magna virtute Terentius rudem, simplicem, timidumque inducit Ctesiphonem ab initio: ut is sit, qui mox opprimeretur cum meretrice accumbens, interventu patris, ob imprudentiam ac rusticitatem suam. *Nusquam tu me*] Familiaris ἔλλειψις et apta properanti: quare hæc omnia pressa voce cum celeritate pronuncianda sunt. D.

1. *Næ ego homo sum infelix*] In hoc actu exemplum est, neminem facilius, quam optimum quemque falli atque deludi, ut Virgilius ait. Et *Næ* valde significat: ut *Næ illi vehementer errant*, Cicero

Præterea autem, dum illum quæro, a villa mercenarium
Vidi: is filium negat esse ruri: nec, quid agam, scio.
Ct. Syre. Sy. Quid est? Ct. Men' quærit? Sy. Verum.
Ct. Perii! Sy. Quin tu animo bono es.
De. Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo satis decernere:
Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis.
Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia:
Primus porro obnuncio: ægre solus, si quid fit, fero.
Sy. Rideo hunc: primum ait se scire; is solus nescit omnia.
De. Nunc redeo: si forte frater redierit, viso. Ct. Syre.
Obsecro, vide ne ille huc prorsus se irruat. Sy. Etiam taces?

in Catil. ii. 3. *Næ ego homo sum infelix*] Vide initium conveniens perpetuo mœrori Demeæ. Per totam fabulam, aut *disperii* dicit, aut *defessus sum*, aut aliquid tale semper est, quod queratur: ita tamen, ut cum augmento sit miseria, quotiescunque processerit. Nam plus est quod nunc dixit, *Næ ego infelix homo sum:* quam *disperii. Nusquam invenio gentium*] Abundat *gentium* D.—*Næ ego sum infelix!*] Interea dum conquirit fratrem Demea, cognovit a mercenario, in villa non esse filium. Irascitur in Syrum et commovetur. E.—Versus est justo longior. Duo ex nostris non habent *homo*. Malim tamen *sum* ejicere. B.

2. *A villa mercenarium vidi*] Sapientissime Terentius, etsi proxima villa est, necessario senem ad reliquos actus fabulæ noluit ab urbe discedere, personæ senilis memor. Nam et arduum fuerat, dum redit, et cruciabile, ne fatigatio ejus in tragœdiam transiret. Recte igitur invenit, a mercenario illi in urbe narratum, ruri non esse Ctesiphonem. At ubi persona est adolescentis, et proficiscitur ad villam, et continuo redit: ut in Eunucho Phædria. Et *a villa:* utrum *a* pro *de* positum est: ut sit, *de villa?* an deest *venisse:* ut sit, *a villa vidi venisse mercenarium*. D.

3. *Nec quid agam, scio*] Utrum fratrem an filium magis quæram. Nam senex querulus tria dicit esse incommoda sibi: quod fratrem non inveniat: quod Ctesipho ruri non sit: quod utrum in urbe maneat, an ad villam abeat, ipse nesciat. D.—*Negat esse ruri*] Charis. lib. i. L.

4. *Verum*] Modo *verum*, nomen est: an adverbium comfirmantis, id est, vere? *Perii!*] Hæc Ctesiphonis perturbatio huc tendit poetæ arte, ut deprehendatur cum amica filius (Forte, *solus* Z.), repente ingresso sene. *Quin tu animo bono es*] Nunc *quin*, pro *quinimo* positum est. D.—Unus e nostris cum Bembino recte *quid est?* cæteri *quid ais?* Porro lege ex tribus nostris *bono animo es*, ut infra, iv. 5. 62. B.

5. *Quid hoc, malum! infelicitatis?*] Abundat *malum*. *Quid hoc, malum! infelicitatis?*] Deest, *Deos testor*. *Quid hoc, malum! infelicitatis?*] Hic autem *malum*, pro interjectione positum: quasi dicat, *O malum!* et est dictum anxii hominis, et perturbati nimis. D.—*Quid hoc, malum! infelicitatis?*] Ordo, *Quid hoc infelicitatis?* et *malum*, interjectio est, sicuti sæpe docui. E.

6. *Nisi me credo*] Pro, nisi quia jam superest, ut me credam: hic enim sensus est in hujusmodi locutione, *Nisi me credo huic esse natum rei. Nisi me credo huic esse natum rei*] Nova locutio, pro, Nisi quia credo. Et *huic rei*, potest subtrahi, incolumi sensu: ut, *Nisi me credo natum esse ferundis miseriis*. Ergo *huic rei*, subdistinguendum: et sic inferendum, *ferundis miseriis*. Ergo *huic rei*, pro, ad hanc rem. D.

7. *Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia*] Ἐπαναφορά. *Primus sentio mala*] Ridiculus error Demeæ: et *primus*, ad ordinem: *solus*, ad numerum dicitur. D.

8. *Primus porro obnuncio*] Qui malam rem nunciat, *obnunciat:* qui bonam, *annunciat*. Nam proprie *obnunciare* dicuntur augures, qui aliquid mali ominis scævumque viderint. Ergo, *obnuncio* malum imminens, quasi omen nuncio. Inde enim ἐτυμολογία hujusce verbi est. *Ægre solus, si quid fit, fero*] Prave scilicet. D.—*Primus porro obnuncio*] Hoc est, malum nuncium vel accipio (*ubi accipio, velut* Z.) ales perfero. E.

9. *Is solus nescit omnia*] Et bene *solus*, utpote de multis: quia quum sciat Micio, Syrus, Æschinus, Ctesipho, populus, hic solus fallitur. D.—Demea ter dixerat eodem accentu *primus*. Igitur ne Syrus *primum* deprimat in Thesi, repone, *Rideo hunc: se primum ait scire*. B.

10. *Si forte frater redierit, viso*] Pro, *si rediit*. D.

11. *Huc prorsus se irruat*] Neutrum ver-

Ego cavebo. Ct. Nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi:

Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam: id tutissimum est.

Sy. Age, tamen ego hunc amovebo. De. Sed eccum sceleratum Syrum.

Sy. Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest. Scire equidem volo, quot mihi sint domini: quæ hæc est miseria?

De. Quid ille gannit? quid volt? quid ais, bone vir? est frater domi?

Sy. Quid, malum, bone vir mihi narras? equidem perii.

De. Quid tibi est?

Sy. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam

bum, quasi activum, *se irruat*, posuit. *Vide ne ille huc*] Jam metuitur quod futurum est. Et quum neutrum sit *irruat*, nove intulit *se*. Præterea sic dixit, *irruat*, tanquam de eo qui pugnaturus sit: ut in Eunucho, *quam mox irruimus?* Aut tanquam de sue: ut Horatius, epist. ii. 2. 75. *Hac lutulenta ruit sus.* Et Virg. Georg. iii. 255. *Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus. Etiam taces?*] Antique pro *tace*. Sic in Andria, *Etiam tu hoc respondes?* pro *responde*. Est ergo correptionis significatio. D.

12. *Hodie ego istuc committam tibi*] Quod ago jam, id est, complexum mulieris. D.

13. *Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam*] Id egit stulte adolescens, ut ibi deprehendatur, ubi conclusus est. Sed sic ipse egit, ut posset subterfugere non deprehensus, conspectum patris. *In cellam aliquam cum illa*] Λιτότης figura; dicimus *in locum*, pro *in loco*. *In cellam concludam*: non *in cella* ait. Et mire, ut reclusum tutumque locum subiret, *cellam* scilicet, quam ob ea quæ in ipsa celantur, clausam esse conveniat. Nam et *cella*, et *cellarium*, a reponendis celandisque rebus esculentis et poculentis dicitur. D.—*Cellam* hic in thesi delitescit, quod maxime proferendum erat. Nullus ex codd. nostris agnoscit illud *jam*. Lege igitur, *Nam me in cellulam aliquam*: ut Eun. ii. 3. 18. B.

14. *Age, tamen ego hunc amovebo*] Mire *amovebo* dixit: non *deterrebo*. Nam proprie amovetur saxum de loco: in quo verbo significat, imminere sibi magnum laborem in hoc opere. Et vide *ἀξήνων*. Supra, ut pecudem, *abigam hunc rus*, dixit: modo, ut saxum, *amovebo*, inquit. D.

15. *Non, hercle, hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest*] Nimis moraliter expressa verba sunt Syri, verberatum se indicantis: quis non ex verbis, servum verberatum intelligat? et servum recens verberatum? et servum fugam comminantem? Mire autem non *ego*, sed *quisquam* dixit: nec *permanere*, sed *durare*: nam hoc verbum perferendis malis convenit: ut Virg. Æn. i. 207. *Durate, et vosmet rebus servate secundis.* Hæc autem omnia sic dixit, quasi non videat Demeam. D.—*Non, hercle, hic durare quisquam, si sic fit, potest*] Hoc consilium sumsit Syrus ad purgandum, quod in villa non erat filius; quod reversus sit idem adolescens et verberaverit se, propterea quod ipse auctor fuerit Æschino, ad rapiendam meretricem. Fingit igitur verberari. E. —*Non hercle hic quidem*] Dio Prusæus, Orat. *περὶ δόξης*: Πᾶσα μὲν οὖν ἐστι δουλεία χαλεπή. τοὺς δὲ ἀπὸ τύχης ἐν οἰκίᾳ τῇ αὐτῇ δουλεύοντας, ἐν ᾗ δύο, τρεῖς δεσπότας. L.—Ne nimis laxo socco incedat hic versiculus, pro *durare* repone *perdurare*; quod occurrit Hec. ii. 2. 27. E.

16. *Quot mihi sint domini*] Et hic apparet, non a legitimo domino verberatum esse. *Quæ hæc est miseria?*] Deest *quam patior*: et quasi comploratio quædam est flebilis post querelas. D.

17. *Quid ille gannit?*] *Gannitus* est proprie veluti ploratus vapulantium. D.—*Quid ille gannit?*] Quid ille obmurmurat, dicens se verberatum? E.

18. *Quid, malum!*] Et hic *malum*, pro interjectione abundat. D.—Demea dixerat *bone vir*, Syrus in repetitione mutat accentum *bone vir*. Repone igitur, *Quid, malum, mihi bone vir narras?* B.

19. *Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam, usque occidit*] Mire interjecit *miserum*: et necessario *usque* addidit: ut ostenderet, *occidit* nimiæ cædis verbum, non occisionis intelligi oportere. *Usque occidit*] Prope *occidit*: aut *usque*, pro *valde* est: *occidit*, pro *vehementer cecidit*. Nam *occidere* et *peroccidere*, ad cædem

Usque occidit. DE. Hem, quid narras? SY. Hem, vide ut discidit labrum.
DE. Quamobrem? SY. Me impulsore hanc emtam esse ait.
DE. Non tu eum rus hinc modo
Produxe aiebas? SY. Factum: verum venit post insaniens:
Nihil pepercit: non puduisse verberare hominem senem,
Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis?
DE. Laudo, Ctesipho; patrissas: abi, virum te judico.
SY. Laudas? næ ille continebit posthac, si sapiet, manus.
DE. Fortiter. SY. Perquam! quia miseram mulierem, et me servolum,
Qui referire non audebam, vicit: hui! perfortiter.
DE. Non potuit melius: idem, quod ego, sentit, te esse huic rei caput.

referebantur apud veteres. *Usque occidit*] Ἰδιωτικῶς: non enim occisus loquitur. D.

20. *Hem! vide ut discidit labrum*] Non ostendit, sed videtur ostendere seni parum jam videnti, et intra os. *Hem! vide ut discidit labrum*] Asper mediam longam a cædendo accipit: ego mediam brevem a scindendo. D.

21. *Non tu eum rus hinc modo produxe aiebas?*] Mire Terentius eos ipsos, qui falluntur, ex aliqua parte cautos facit: ut eo delectabilius spectatoribus procedant doli. Nam quæ gratia est aut delectatio, non (*hominem* Ms. B. et edd. vett.) stultissimum falli? *Non tu eum rus hinc modo produxe aiebas?*] Memoriter senex non solum quid sibi dixerit Syrus paulo ante, sed quibus verbis dixerit, refert. Nam sic dixerat, *Quem egomet produxi.* D.—*Non tu eum rus hinc modo produxe aiebas?*] Hoc sane *factum: verum venit post insaniens.* Deinde conqueritur, quod verba respuerit (*quod verberatus fuerit ab eo* Z.) qui illum nutrierit. E.—*Rus hinc modo produxe*] Serv. Æneid. xi. 152. L.

22. *Verum venit post insaniens*] Supra, *Produxi iratum admodum:* nunc ἀξηγικῶς non iratum prædicat, sed insanum. D.—Pro *aiebas* cum uno cod. repone *aibas*, ut versui consulatur. B.

23. *Nihil pepercit*] Ut supra, *Nihil reticuit:* sic dicimus in his, quæ præter expectationem gesta sunt. *Verberare hominem senem*] Miserum fit de ætate, id quod de conditione non poterat. D.

24. *Quem ego modo puerum tantillum, in manibus gestavi meis*] Addidit ætati invidiam et meritum recens: hoc est enim quod dicit *modo.* Et *tantillum*, δεικτικὸν est: videtur enim manu fingere, quam parvulum. D.—Ictus non belle in finales syllabas cadunt. Repone igitur *Quém ego púerum módo tantillum.* B.

25. *Laudo, Ctesipho: patrissas*] Facile inductus est senex varietate fraudis et doli. Nam Syrus et supra ut laudans, non ut vituperans Ctesiphonem; et nunc ut accusans, idem perficit atque persuadet. *Patrissas*] Ἀξήγαις. Nam ut supra dixerat, *Spero: est similis majorum suorum:* hic confirmat quod sperare se dixerat. *Patrissas*] Attende quam bene inventum sit, inanem se dicere: nonne videtur ibi stultissimus, cum hujusmodi laude non modo se non laudare velle, quod odiosum est; sed etiam filium apud intelligentes vituperare videatur? siquidem non solum hic stultus, sed etiam ille, quia *patrissas*, inquit. *Patrissas*] Tam securus est, ut se laudet. Et *abi* addidit: quasi dicat, Non est quod jam demorer (*te morer*); perfectus es. *Laudo, Ctesipho*] Hic totus versus mire delusum ostendit senem. *Abi, virum te judico*] *Virum* inquit, non, adolescentulum. Hoc enim ad ætatem et probitatem, non ad sexum, refertur. D.—*Patrissas*] Patri similis es. E.—Lege et distingue, *Laudo: o Ctesipho, patrissas.* Illud *o* tres ex nostris habent. B.

26. *Næ ille continebit posthac, si sapiet, manus*] Comminatio est subtilis: et parcior, velut servi. D.

27. *Perquam*] Nimis, ἐλφυσία. *Et me servolum*] Oratorie: non *servum*, sed *servolum*, quum sit senex. D.

28. *Non audebam*] Non poteram. *Hui? perfortiter*] Hoc, gestu servili, et nimis leviori personæ congrue dictum est. D.

29. *Non potuit melius*] Id est, laudo te, Ctesipho: et deest *fieri. Idem sensit quod ego*] Id est, *patrissas, virum te judico.* D. *Huic rei caput*] Quinctilian. lib. iii. cap. ult. *Caput rei est* apud Menandrum, κεφάλαιόν ἐστιν. Plaut. Asin. iii. 3. 138. *Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.* L.—Bemb. recte *sensit*, h. e.

Sed estne frater intus? Sy. Non est. De. Ubi illum quæram, cogito.
Sy. Scio ubi sit; verum hodie nunquam monstrabo. De. Hem! quid ais?
Sy. Ita. De. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum. Sy. At nomen nescio
Illius hominis, sed locum novi ubi sit. De. Dic ergo locum.
Sy. Nostin' porticum, apud macellum, hanc deorsum? De. Quidni noverim?
Sy. Præterito hac recta platea sursum: ubi eo veneris,
Clivos deorsum vorsus est: hac te præcipitato: postea
Est ad hanc manum sacellum: ibi angiportum propter est.
De. Quonam? Sy. Illic ubi etiam caprificus magna est: nostin'? De. Novi. Sy. Hac pergito.

intellexit, percepit, olfecit. Cæterum ne accentus incommode in finales incidant, facile inducor, ut sic olim fuisse existimem, *Non pote mélius: idem ille quod ego sénsit té esse huic rei caput.* B.

30. *Sed estne frater intus?*] Deest *responde:* ut sit, responde. D.—*Non est*] Hoc iracunde pronunciandum, tanquam referat gratiam pro dolore, quod (Forte, *quo* Z.) negat, fratrem esse domi. Denique hoc animo dicit etiam illud, *Scio ubi sit; sed hodie nunquam monstrabo.* E.—Pro *quæram* in Bemb. reperitur *inveniam.* Utrumque est rectum. B.

31. *Verum hodie nunquam monstrabo*] Volens senem avidius quærere, quod hic ardor semper paratissimus credentes etiam fallit, ei fingit se nolle dicere. *Hodie* autem aut abundat; ut, Æn. ii. 670. *Nunquam omnes hodie moriemur inulti:* aut *nunquam hodie*, pro, nullo tempore hujus diei: quia *nunquam* per se generale est. D.—In fine hujus versus adscribe dictionem *ita*, quæ est prima subsequentis. Sic hi duo versus erunt trochaici catalectici, ut cæteri. Ita quoque ordinantur in Bemb. et aliquot aliis libris. Faern.

32. *Diminuetur tibi quidem jam cerebrum*] Comminationis genus verba ipsa indicant: ut appareat senem baculum sustulisse. *At nomen nescio illius hominis, sed locum novi ubi sit*] Recte: quia si *hominem* diceret, non erat errandum agnita persona hominis; et ubi habitet, cognito: si notus esset, nulla causa quærendi superesset. D.—*Diminuetur tibi*] Ex Prisciani sententia *dimminuetur* legendum, lib. i. L.

33. *Dic ergo locum*] *Dic ergo*, quasi invitum coegerit. *Ergo* semper addimus, ut hortemur tarde quid facientes: ut Virg. Æn. ii. 707. *Ergo age, care pater, cervici imponere nostræ.* D.

34. *Nostin' porticum apud macellum?*] Convenit rustico et parcissimo seni macellum in urbe nescire: et ideo sic interrogatur a servo. *Hanc deorsum*] Bene *hanc deorsum:* quia non est una. *Quidni norim?*] Correptive, *Quidni?* pro *quid nisi?* Etenim quamvis rusticus, tamen est civis Demea. D.—*Nostin' porticum, apud macellum, hanc deorsum?*] Falsum in locum mittit longe positum, ut circumeat civitatem. E.—Bentleius edidit *hac deorsum.* Z.

35. *Hac recta*] Proprie, hac parte: ut manu viam ostendere videatur. *Ubi eo veneris, clivos deorsum vorsus est: hac te præcipitato*] Hoc lentius; quidam clarius legunt: ut sit *præcipitato*, cito descende. D.—Pro *sursum* rescribe *sursus.* B.

36. Nostri cum edd. vett. et Prisciano habent *vorsum.* B.

37. *Ad hanc manum*] Τῶν πρὸς τί προσήκων dicitur, in quo non permanet certum dextrum, nec certum sinistrum: et ideo proficit in errorem: vult enim servus hæc signa esse perplexa. *Est sacellum*] Ut Varro ait, *Sacra cella est. Propter*] Prope: ut Virg. Ge. iii. 13.—*templum de marmore ponam Propter aquam.* Et Lucretius, v. 1392. *Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ.* D.—*Sacellum*] Sacer locus. Ut Virg. Ecl. iii. 9. *Et quo, sed faciles Nymphæ risere, sacello.* E.

38. *Ubi etiam caprificus magna est*] In hoc Homerum imitatus est, qui dicit *caprificum* prope Trojana mœnia constitutam, Il. ζ. 432. *Hac pergito*] Non *ito:* sed quia longum est, *pergito.* D.—Præter illud *nostin'*, quod abest in Bemb. et cod. vet. nostro, etiam dele *Quonam.* B.

DE. Id quidem angiportum non est pervium. SY. Verum hercle: vah!
Censen' hominem me esse? erravi: in porticum rursum redi:
Sane hac multo propius ibis, et minor est erratio.
Scin' Cratini hujus ditis ædes? DE. Scio. SY. Ubi eas præterieris,
Ad sinistram hac recta platea: ubi ad Dianæ veneris,
Ito ad dextram: prius quam ad portam venias, apud ipsum lacum
Est pistrilla, et exadvorsum est fabrica: ibi est. DE. Quid ibi facit?
SY. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.
DE. Ubi potetis vos: bene sane: sed cesso ad eum pergere?

39. *Id quidem angiportum*] Id est, angusta et curva via: quasi *anguiportus:* ut *angitia*, aut *anguitia*. Alii, quod inter portus sit locus angustus, hoc est, inter domos. Nam *domos*, vel portus, vel insulas veteres dixerunt. Et observa Terentianam consuetudinem, in qua inducit nihil (*non-nihil*. Vid. ver. 21.) sapere eos qui falluntur. D.—*Angiportum*] Vicus angustus et brevis. Sed hic genere neutro positum est. E.

40. *Censen' hominem me esse? erravi*] Calliditas est maxima, deprehensum mendacium non defendere, sed fateri: ut opinionem simplicitatis acquirat. Vides igitur ut ipse sibi succenseat, tanquam imprudens erraverit, non dolosus impulerit interrogantem. Et mire se negat hominem: tanquam homo corde sit, non corpore. D.

41. *Sane hac multo propius ibis*] Quasi errasse profuerit illa via: et *sane*, pro satis ac valde; quia qui sanus est, idem et validus. *Minor est erratio*] *Erratio* est pecudum: *error* animi est, et loci in quo erratur. D.

42. *Cratini hujus ditis ædes?*] Congrue nomen invenit diviti. Cratinus, ἀπὸ τοῦ κράτους, id est, a potentia. D.

43. *Ad sinistram hac*] Deest *ito:* figura ἔλλειψις. *Ubi ad Dianæ veneris*] Sic absolute dicebant, non addito *templo*. Sallustius, *ad Jovis mandem nostram* (*nostra*, alii). D.

44. *Prius quam ad portam venias*] *Portam* dicendo, ostendit usque ad muros finemque civitatis erraturum Demeam. *Porta* autem ab aratro portando dicta est, quod in eo loco coloniæ deductor et conditor, subjunctis vacca et tauro, aratrum, quo urbem designat, suspendit manu; ne imprimat sulcos, ubi civitatis aditus relinquendi sunt. *Apud ipsum lacum*] Credibiliter addidit *lacum*. Nam Varro de R. R. i. 13. docet, semper lacum portis additum: scilicet ob usum jumentorum exeuntium et introeuntium: et præterea ut adversum hostilem ignem portis de proximo subveniretur. D.

45. *Est pistrilla*] Veteres absolute dicebant *pistrinam*, ut *sutrinam*, et *medicinam*, ad tabernam referentes: nam pristino pristilla non convenit. Et simulata (*Etsi multa*) diminutiva diversa sunt a genere nominum primæ positionis: ut *rana*, *ranunculus: scutum*, *scutella: canis*, *canicula*. D.—*Pistrilla, et exadvorsum fabrica. Lectulos in sole ilignis pedibus*] Hoc est, pedibus iligneis, de ilice: qui locus senibus (*cœnantibus*) in sole esse possit. Vel (*veluti*) quod Cicero dixit, pro Quint. 18. *Nunquam ad solarium fuit*. E.—*Est pistrilla*] Charis. lib. i. L.—Illud *est* secundo loco deleatur ex Faerni nostrorumque codd. auctoritate omnium. B.

46. *Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit*] In urbe convivium, aut in sole, aut in umbra, pro conditione temporis instruebatur. Repente igitur interrogatus, quod minime opinabatur quæsiturum senem, arripuit statim lectulos. Et quia potuit senex dicere, *mentiris;* nam habet lectulos: addidit ex tempore, *in sole*. Et ne eos quoque habere diceret, addidit, *ilignis pedibus faciundos:* sed hoc gestu actoris adjutum est: quasi eodem tempore servus et quærat quid dicat, et respondeat. D.—*Ilignis pedibus*] Sic Querulus, *illignis foribus*. L.—Pro vulgari *ilignis* Bemb. recte *iliguis*. Cæterum *Lectulos in sole* junctim accipe, ut lectorum speciem tum notam et sic appellatam. B.

47. *Ubi potetis vos?*] Incerta persona est: nam Syro vel Demeæ hoc dictum jungi potest. *Bene sane*] Hic εἰρωνεία est, non approbatio. D.

SY. I sane; ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.
Æschinus odiose cessat: prandium corrumpitur.
Ctesipho autem in amore est totus: ego jam prospiciam mihi:
Nam jam adibo, atque unumquicquid, quod quidem erit bellissimum,
Carpam: et cyathos sorbillans paulatim hunc producam diem.

ACTUS QUARTI SCENA III.

MICIO. HEGIO.

EGO in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere, Hegio:
Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum'st, corrigo:
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant;

48. *I sane*] Aut abundat *sane*: aut inferioribus jungitur. *Silicernium*] Cœna quæ infertur diis manibus, quod eam silentes cernant, id est, umbræ possideant: vel quod qui hæc inferant, cernant tantum, neque degustent. Nam de his, quæ libantur inferis, quisquis comederit aut biberit, funestatur. Aut erit *silicernium* senex, qui jam jamque silentibus umbrisque cernendus sit: et sic est melius, quam ut quidam Xenophonta interpretantes putant, sic nos *silicernium* intelligere, hoc est, silicem cernentem senem, dum incurvus est, vel stratæ saxo viæ intentus, vel sarcophagi jamjam appropinquantis sibi. D.—*Silicernium*] Particulæ sunt inferiarum, quæ mortuis dantur. Alii intelligunt *silicernium* (adde *senem*, aut, *decrepitum* Z.) quod jam senectute curvus silices cernat. E.

49. *Æschinus odiose cessat: prandium corrumpitur*] Ἀσύνδετον: deest *et*. *Prandium corrumpitur*] Ut coquus dixit: qui sciat conditionem quandam magis ferventem placere (Cf. Casaub. ad Athen. v. 3.). D.—Unus ex Regiis *otiosus*. Lege *odiosus*. Sic Eun. iv. 6. 16. *odiosa cessas?* B.

50. *Ctesipho autem in amore est totus*] Non potuit plus dici de incondita ac nimia voluptate. *Ego jam prospiciam mihi*] *Jam*, interdum significat festinationem, ut nunc. Interdum ad describendum ponitur, et increpandam moram: ut, Æn. xii. 179.—*Jam melior, jam, diva, precor.* Et, Æn. vi. 68. *Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere genti, Dique deæque omnes.* Et *prospiciam mihi* dixit, tanquam hoc sentiat: illi sua agunt negotia: et (*at*) ego illorum exemplo consulam mihi. Et bene *prospiciam*: quasi non pransurus, nisi providero mihi. D.

51. *Bellissimum*] Proprie *bellissimum* dixit: unde et hujusmodi ad irritandam gulam cibi, *bellaria* dicuntur. D.

52. *Carpam*] Modo *eligam*. Alias *lædam* significat: ut, Georg. iii. 215. *Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Femina.* Alias *Fruar*: ut, Georg. iii. 325. *Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent.* Et Persius, Sat. v. 151. *Carpamus dulcia.* Id est, fruamur rebus dulcibus. *Paulatim hunc producam diem*] Bono verbo usus est ad metaphoram, tanquam morientis diei. Ut est, Æn. ix. 486. —*nec te tua funera mater Produxi, pressive oculos.* D.—*Carpam: et cyathos*] Themist. Euphrad. Orat. vi. Πάσχω οὖν ὅσπερ οἱ λίχνοι τῶν δαιτυμόνων, ἀπογεύομαι ἀεὶ τοῦ ἀεὶ παραφερομένου ἀρπάζων, ἐμπίπλαμαι δὲ οὐδενὸς ἱκανῶς. Pro *sorbillans* unus cod. recte *sórbilans*, secunda brevi, ut *ventilans*. Ita *sorbilum*, quod postea *sorbitio*, jus quod sorbeatur. B.

1. *Ego in hac re nihil reperio, quamobrem lauder*] Hæc scena est plena sententiarum senilium ad officia demonstranda. Et *tantopere*, vim adverbialem in se continet. Nam significat *nimis*. D.—*Ego in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere*] Hegio gratias egerat, quod Micio promitteret, se daturum operam, ut filius suus eam duceret uxorem, quæ vitiata fuerat; dum (*ille igitur* Z.) juste laudari se negat propterea, quia magis officium suum facit, non alii præstat, cum peccatum suum corrigat. E.

2. *Quod peccatum a nobis ortum est, corrigo*] Si diceret, *peccatum est a nobis*, participium fuisset: nunc quia *ortum* addidit, nomen est. Nunquam enim eadem pars orationis jungi, nisi per ἀσύνδετον, potest. D.

Sibi fieri injuriam ultro, si quam fecere ipsi expostulant,
Et ultro accusant: id quia non est a me factum, agis gratias?
HE. Ah, minime: nunquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.
Sed quæso, ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio,
Atque istæc eadem, quæ mihi dixti, tute dicas mulieri:
Suspicionem hanc propter fratrem ejus esse, et illam psaltriam.
MI. Si ita æquom censes, aut si ita opus est facto, eamus.
HE. Bene facis:
Nam et illi animum jam relevabis, quæ dolore ac miseria
Tabescit; et tuo officio fueris functus: sed si aliter putas,
Egomet narrabo quæ mihi dixti. MI. Immo ego ibo. HE. Bene facis:

4. *Si quam fecere, ipsi expostulant*] Hic distingue (Ms. B. SI QUAM FECERE. *Hic distingue*), et separatim infer, *ipsi expostulant. Si quam fecere, ipsi expostulant*] Sensus est manifestus: sed obscura sunt verba, et eorum collocatio et distinctio. Nam incertum, utrum *si expostulant*, intelligendum sit: an, *siquam*, pro una parte orationis accipi oporteat. D.—Ob vitiosam lectionem, in quam inciderat, in hoc loco explicando admodum se torquet Donatus. Leg. ex Bembino *expostules*, ut sit sensus: De facta ab eis tibi injuria, etiam insuper te accusant. Hæc est ratio Faerni, quam recte probat Bentleius. Z.

5. *Ultro accusant*] *Ultro*, nunc prave et perverse. *Id quia non est a me factum*] Hæc interrogatio, quasi subtristi vultu est proferenda. D.

6. *Ah! minime*] Non *minime ago:* sed, *minime te credo esse illorum in numero.* D.

7. *Quæso, ut una mecum*] Servavit τὸ ἀρέτιον, adjiciendo *una mecum eas:* quippe ad incognitam matrem familias. D.

8. *Tute dicas mulieri*] In nomine ostendit, cur hæc ipse dicat. *Mulieri* enim, inquit, nimis pavidæ ac diffidenti. D.

9. *Suspicionem hanc propter fratrem ejus esse*] Nimis breviter ac succincte, et ut oportuit inter scientes. *Et illam psaltriam*] Propter fratrem ejus esse, subaudiendum est (Nil nisi *propter* subaudiendum esse videtur). D.—Codex Meadianus pro *ejus esse* habet *esse ejus.* Igitur ad contortam Donati interpretationem vitandam, repone, *Suspicionem hanc propter fratrem esse: ejus esse illam psaltriam.* Nam *ejus est fratris.* Sic Heaut. iv. 3. 25. *Hanc esse Clitiphonis;* et hic iv. 4. 16. *dicam fratris esse hanc?* B.

10. *Si ita æquom censes*] A justo et utili est tota sententia. Et sane hi (Forte, *tres sane hic.* Ed. Mediol. 1476. tres sequentes versus non agnoscit) versus desunt, quos multa exemplaria non habent. D.—*Si ita æquom censes*] Aut si ita omnium facta expetiverunt, uti ad mulieres Micio pergeret, hæc eadem illis præsentibus polliceretur. Verum etiam dubitatione utens (*utitur* Z.) Micio; hoc ut plenius fieri possit, persuadet Hegio, quod illæ miseræ alterum solatium calamitas habere non possint, nisi hic polliceatur. *Omnibus enim, quibus res minus secundæ sunt, nescio quomodo suspiciosi: omnia, quæ fiunt, ad contumeliam suam fieri magis putant. Quam minimum possint, semper se credunt contemni. Ergo placabilius est, si ipse eorum pollicearis, et te purges.* E.—Etsi posterius *si* ob fidem Bembini Faernus ejecit: ob codd. omnes cæteros tamen et usum Terentii tuendum est. Vid. And. i. 3. 8. B.

11. *Nam et illi animum jam relevabis*] Et deinceps *illi* maluit dicere, quam *nurui*, adhuc divitem reveritus. *Dolore ac miseria*] *Dolore*, parturientis: *miseria*, injuria ab Æschino accepta. D.—Lege *relevaris*, quia sequitur *fueris functus.* Deinde ne accentus cadat in ultimam *animúm*, repone, *Nam et illi jam ánimum réllevaris, quaé*, etc. Præpositio *re* in compositione fere duplicat consonantes apud veteres; ut *redduco, repperio; rellevo.* B.—Menander: Πολλῶν φύσει τοῖς πᾶσιν αἰτία κακῶν λύπη· διὰ λύπης μανία γίνεται· Πολλοῖσι γὰρ νοσήμασ' οὐκ ἰάσιμα· αὐτοὺς τ' ἀπρήκτους διὰ λύπην τινές. W.

12. *Sed si aliter putas*] Artificiose, remittendo quod petebat, extorsit magis. D.

13. *Imo ego ibo*] Hoc adverbio quod ait *Imo*, ostendit se promte agere et instanter quod promisit. D.—Ne hiet versus, et sententiæ medearis, repone, *Immo ego quoque ibo:* nempe una cum Hegione. B.

Omnes, quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quo modo
Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:
Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.
Quapropter te ipsum purgare ipsi coram placabilius est.
MI. Et recte, et verum dicis. HE. Sequere me ergo hac intro. MI. Maxume.

ACTUS QUARTI SCENA IV.

ÆSCHINUS.

DISCRUCIOR animi: hocine de improviso mali mihi objici

14. *Minus secundæ*] Dicere sic maluit, ne *miseræ* diceret. *Nescio quo modo*] Hoc est, vehementia, nulla palam ratione. D. —*Omnes quibus res*] Menander: Εὔκριτον ἀτυχῶν ἐστὶν ἄνθρωπος φύσει. L.

15. *Accipiunt magis*] Mire additum *magis*: quum possit sensus et sine hoc esse integer. D.

16. *Propter suam impotentiam*] Infirmitatem. Et rursus noluit humilitatem aut miseriam dicere. *Negligi*. Legitur et *claudere* et *claudicare*. D.—Illud *negligi* Faerno visum est nimis leve, et ab hoc loco alienum. Igitur cum in Bembino invenerit *claudier*, opinatus est, auctorem scripsisse, *calvier*, h. e. decipi. Verum hoc *calvi* nobis non placet. Primum quod plerumque active significat, *frustrari, decipere*. Deinde quod cum passive occurrit pro *decipi*, tum simpliciter accipitur, nulla addita *contumeliæ* significatione, quam Terentii locus postulat. Igitur si *calvier* illud sequimur, sensus loci est hic, *Se semper credunt errare, falli opinione, decipi errore*. Quod et falsum est, et a Terentii loco prorsus alienum. Itaque equidem reponendum esse censeo *ludier*, h. e. ludificari, et falsis promissis decipi. Nam ita quadrant omnia, et *contumeliæ* notionem secum gerunt. Atque cum in vett. membranis *claudere* fere scribatur *cludere*, opinor in Bembino fuisse *cludier*: quod ortum est ex nostro *ludier*. B.—*Credunt negligi*] Sic fere omnes Mss. codd. in nonnullis tamen *claudier* est. Videri posset, scripsisse Terentium, *se credunt calvier*: ut in xii. Tabb. *Si calvitur, pedemve struit*. Sed vulgatam lectionem veriorem puto. Menander: Πρὸς ἅπαντα δειλὸς ὁ πάνυ ἐστὶ πράγματα· Καὶ πάντας αὐτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει. L.

17. *Quapropter te ipsum purgare*] Utrum *te ipsum*, una pars orationis sit? an divise accipiendum? ut sit, *te* Micionem, *ipsum* Æschinum purgare. *Coram, placabilius est*] *Coram*, id est, præsentem, et coram præsentibus: et *coram* indiget adjectione: *palam* non indiget. Et *coram*, ad cæteras (*certas* Ms. B. et edd. vett. ante R. Steph.) personas refertur: *palam*, generaliter dicitur. D.—In Bembino est *coram ipsi*, h. e. matri. Sed omnes alii codd. et edd. vett. rectius habent *coram ipsis*, h. e. matre et virgine. Nam virginem ipsam non alloqui, non modo non placabilius fuisset, sed et contumeliosius, quam si nec matrem adiisset. B.

18. *Et recte, et verum dicis*] *Recte*, ad verba retulit: *verum*, ad rem atque sententiam. Potest enim recte et falsum dici, dummodo nullo vitio verborum nominumque dicatur; quanquam et ipsum fallere in tempore, quidam de officiis scribentes, *rectum* putent. D.

1. *Discrucior animi*] Hoc loco χαρακτῆρα amantis modice (*immodice*) juvenis, et senis facit indulgentis, ac lepidissimi patris. *Discrucior animi*] Ἀνταπόδοσις figura: ut, Æn. xii. 19. *O præstans animi. Hocine de improviso mali*] Hæc verba repentino nuncio perculsum indicant Æschinum propter divortium stare: et iram circa se Sostratæ, et ejus filiæ ob raptum meretricis. *Objici*] Proprie; quia inopinanti. Nam *objici* dicitur in utramque partem: ut, si quos ante quis videt, quam exspectaverit: quo verbo magnitudo doloris ostenditur ex improviso incommodo. D.—Deliberantem, quid faciat adolescens, convenit anus puellæ ejus quam vitiavit. Ab ea comperit, quod cognoverit Æschinum meretricem rapuisse, cum utique rapuerit fratri: opinio est, quod sibi potius rapuerit. Deliberat ergo quid agat, quod tanta suspicio de se inciderit, quod Sostrata puellæ mater credat, sibi rapuisse Æschinum meretricem, hoc quod audivit ex anu quadam. E.—Primus Faernus

Tantum; ut neque quid me faciam, neque quid agam, certum siet?
Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit.
Pectore consistere nihil consilii quit: vah!
Quomodo me ex hac expediam turba
Tanta? nunc suspicio de me incidit; neque ea immerito.
Sostrata credit, mihi me psaltriam hanc emisse: id anus
Mihi indicium fecit.
Nam ut hinc forte ea ad obstetricem erat missa, ubi eam vidi, ilico
Accedo; rogito, Pamphila quid agat: jam partus adsiet?
Eone obstetricem arcessat? illa exclamat, Abi, abi jam, Æschine:
Satis diu dedisti verba: sat adhuc tua nos frustrata'st fides.
Hem, quid istuc obsecro, inquam, 'st! Valeas, habeas illam quæ placet.

versum constituit, uti est apud Lindenbrog. Sed perperam. Nam in veterrimo nostro *Discrucior animi* per se versum constituit. Tum Varro apud Rufinum de Metris Comicis, p. 2707. diserte versum ita plane constitutum esse memorat. Alterum vero versum ita refinge, *Hócine ex improvisó mali mi óbjici.* Creticus versus est, ex creticis pedibus cum uno molosso constans. B.

2. *Ut neque quid me faciam*] Plus est, *quid me faciam*, quam, *quid faciam:* illud enim de rebus, hoc de ipso homine intelligitur. *Neque quid agam, certum est*] *Certum est*, pro *certum sit:* nisi forte *ut, quam* significet. D.—Hunc tertium versum fac trochaicum tetrametrum sic, *Tántum; ut neque quid dé me faciam, néc quid a. c. s.* Nam et *nec* secundo loco, et *quid de me* reperitur in nonnullis codd. nostris. B.

3. *Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit*] *Metu* patris: *timore* divortii. D.—Fac versus choriambicos: *Mémbra metu débilia súnt: animus præ timore | 'Obstipuit: pectore consistere nil cónsili quit.* Lego *præ timore*, ut alibi *præ studio, præ iracundia, præ gaudio, etc.* B.

4. *Consilii quit*] V. C. *consilii quid potest.* L.

5. Cod. vet. hunc et seqq. versus aliter ordinat, quam Faernus. *Vah* ex priore versu huc revoco, et *nescio* huc assumo, cum propter versum, tum et sententiam, *Vah, quó modo me ex hác expediam túrba, nescio: tánta nunc | Suspicio de me incidit; | Néque ea immerito: Sóstrata credit mihi me psaltriam hánc emisse: id | 'Anus mi indicium fécit.* Sunt itaque tetrameter catalecticus, et plenus cum clausulis suis; ut solemne est in magna animi commotione. B.

6. *Nunc suspicio*] Modo ostenditur causa trepidationis Æschini. D.

7. *Id anus mihi indicium fecit*] Illa anus cui Sostrata dixerat, *Curre, obstetricem arcesse.* D.

9. *Nam ut hinc forte ea ad obstetricem erat missa*] Apparet inter cætera anum dixisse, ad obstetricem se missam: an ultro hæc suspicatus est Æschinus? *Hinc* autem addendo, ostendit se ante fores Sostratæ stare: ut alibi, *ex Andro commigravit huc viciniæ. Ubi eam vidi*] Sunt qui addant supervacue *hanc:* et legunt, *hanc ubi vidi* (Videtur Donatus legisse *ubi vidi.* Atque ita est in Ms. B.). D.

10. *Pamphila quid agat: jam partus adsiet*] Amatoria interrogatio, qua monstrat Æschinus curæ sibi esse res omnes. D.—Lectio codd. duorum et edd. vett. *Jamne partus adsiet* versui est commodior. B.

11. *Illa exclamat*] Non *respondet*, sed *exclamat.* Et bene vim addidit ad exclamationem fuisse. Ergo a vocis sono *exclamat*, non a verbis. *Abi, abi jam, Æschine! satis diu verba dedisti nobis*] Usque dum intelligeremus. D.

12. *Sat adhuc tua nos frustrata est fides*] Usque dum deciperetur (*detegeretur.* Z.). D.

13. *Hem! quid istuc, obsecro, inquam, est?*] *Hem*, interjectio est novas res et inopinatas audientis. *Valeas: habeas illam*] Quasi recedat et longe abeat: ut in Andria, *valeant qui inter nos dissidium volunt.* D.

Sensi illico id illas suspicari; sed me reprehendi tamen,
Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem, ac fieret palam.
Nunc quid faciam? dicam fratris esse? id quidem minime est opus
Usquam efferri: ac mitto: fieri potis est, ut ne qua exeat.
Ipsum id metuo ut credant: tot concurrunt verisimilia:
Egomet rapui: ipse egomet solvi argentum: ad me abducta est domum:
Hæc adeo mea culpa fateor fieri: non me hanc rem patri,
Utut erat gesta, indicasse? exorassem ut eam ducerem.
Cessatum usque adhuc est: nunc porro, Æschine, expergiscere:
Nunc hoc primum'st: ad alias ibo, ut purgem me: accedam ad fores.
Perii! horresco semper, ubi pultare hasce occipio miser.
Heus, heus: Æschinus ego sum; aperite aliquis actutum ostium.
Prodit nescio quis: concedam huc.

14. *Me reprehendi*] V. C. *me pallio reprehendi.* L.—Pro *reprehendi* tres codd. cum edd. vett. habent *reppressi.* Etiam probe. Heaut. i. 2. 25. et Hec. v. 1. 39. B.

15. *Garrulæ*] Utpote anus (*anui*). *Ac fieret palam*] Demeæ scilicet, cui minime opus fuit. D.—*Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem*] Convenit enim, ne aliquid dicerem de fratre illi mulieri garrulæ, h. e. verbosæ et loquaci. E.

16. *Nunc quid faciam*] Figura διαπόρησις. D.—*Nunc*] Deliberatio ipsa supponitur *Numquid dicam, aut agam, fratris esse hanc?* Hæc non oportenţ indicari, ne fiant palam. *Age*, celari possit fortasse. Illud metuo, an credant, quod fratri rapui, quippe cum egomet rapuerim, ego argentum solverim, ad me adducta domum sit. Reperit consilium, ut ad illas pergeret, et se purgaret. E.—Bentleius cum aliis edidit, *Dicam fratris esse hanc? quod 'minime'st opus.* Z.

17. *Ut ne qua exeat*] Erumpat: ut, Æn. ii. 496.—*quum spumeus amnis Exiit, oppositasque evicit gurgite moles.* D.—Vulgo *age mitto:* Victorian. *amitto:* Bemb. *ac mitto*, ut in Phorm. *ac mitto imperium.* B.

18. *Ipsum id metuo, ut credant*] *Ipsum*, quod fratri rapui: et *ut*, pro *ne non* posuit. *Tot concurrunt verisimilia*] Ut mea esse credatur. D.

19. *Ad me abducta est domum*] Proprie, non dixit *adducta*, sed *abducta: abducitur* enim alienum; ut in Heautontimorumeno, *abducimus tuam Bacchidem. Ad me* autem *domum*, moraliter dixit, pro *ad domum meam:* an ideo *ad me*, quia et illic luctatus leno est in retinenda contra Æschinum puella? D.—*Egomet rapui*] Priscian. lib. xiii. L.

21. *Utut erat gesta, indicasse?*] Id est, sive male, sive bene gesta erat: *ut* enim, certam qualitatem significat: *utut* incertam; quasi dicat, Quoquo modo, male, bene. *Exorassem ut eam ducerem*] Sic enim promiserat Sostratæ se fuisse facturum. D.

22. *Nunc porro, Æschine, expergiscere*] Sic et alibi, *Enimvero, Dave, nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ.* Legitur et *jam:* quod est correptivum interdum. D.

23. *Nunc hoc primum*] *Primum*, ab eo quod rogandus est pater. *Accedam ad fores*] Sostratæ scilicet. D.

24. *Horresco semper*] Satis amatorie: nam nimium semper est calor, et frigus recedit (Leg. vel, *nam in nimio amore frigus est, et calor recedit:* vel, *nam in amore nimium semper est frigus, et calor recedit.* Cf. Eun. i. 2. 4.) a corpore: ut, *Totus, Parmeno, tremo horreoque, postquam aspexi hanc.* D.

25. *Aperite aliquis actutum ostium*] Vim pluralem habet *aliquis*, quamvis singulariter dicatur: non est enim *aliquis*, nisi de multis: recte ergo *aperite aliquis* et nove. Nam (Uterque liber addit, *veteribus*) non placet illud, ubi distinctiones sunt: unde *aperite* est una, altera *aliquis. Actutum ostium*] Ut assumatur rursus, *aperiat:* proprie enim veteres et *quis*, et *aliquis*, et *quisquam*, non observabant quo genere, aut quo numero declinarent. Est ergo figura ἀρχαϊσμός. D.

ACTUS QUARTI SCENA V.

MICIO. ÆSCHINUS.

ITA ut dixi, Sostrata,
Facite: ego Æschinum conveniam; ut, quomodo acta hæc sint, sciat.
Sed quis ostium hoc pultavit? Æs. Pater hercle est: perii! MI. Æschine.
Æs. Quid huic hic negoti'st? MI. Tune has pepulisti fo-
Cur non ludo hunc aliquantisper? melius est; [res? tacet.
Quandoquidem hoc nunquam mihi ipse voluit credere.
Nihil mihi respondes? Æs. Non equidem istas, quod sciam.
MI. Ita? nam mirabar, quid hic negoti esset tibi.
Erubuit: salva res est. Æs. Dic sodes, pater,

1. *Ita, uti dixi, Sostrata, facite*] Hinc apparet Micionem jam multa dixisse. D. —*Ita ut dixi, Sostrata, facito*] Hæc scena narrationem tenet, patrem inventum. Nam cum ingressus promisisset mulieribus se facturum esse, Æschinus ut vitiatam ducat uxorem, egreditur pater, et viso filio errorem hunc componit, quod Æschino adductus sit advocatus, ut illa puella cognato suo nuberet, ille duceret. Nescio esse quem vitiatorem, cui dari eam oporteret, ut adolescentis animus perspici posset. Mox aperit veritatem, et dicit, ut jam præpararet se Æschinus ad uxorem ducendam. Deinde ipse, quod supra dixi, narrat. E.—*Ita ut dixi*] V. C. *dixti*. Vid. Diomed. lib. i. L.—Cum quatuor codd. pro *ut* lege *uti*; ut hic versus cum ultimo prioris scenæ faciat trochaicum. Cæterum repone *dixti*, quod extat in sex codd. Nam Micionis ingenio aptius est obsequi quam imperare. B.

2. *Facite*] Jubet ut vel securæ sint, vel adornent nuptias. *Ego Æschinum conveniam*] Mire, occursurus Æschino, Æschinum quærit. D.—Pro *facite* omnes nostri, *facito*. Et pro *sint* omnes Faerni et nostri, *sunt*. B.

3. *Pater hercle est*] Quid est hoc, quod Micio timetur? an quia illi non est confessus? Ostendit autem poeta tantundem pudorem posse, aut amplius, quam timorem. D.

4. *Quid huic hic negoti est*] Alius timor, quod hinc egreditur pater. *Tune has pepulisti fores?*] Sic cœpit interrogare, ut negationi locum præbeat. Et nota *pepulisti*, elatum verbum, et tragico cothurno magis, quam loquelæ comicæ accomodatum. D.

5. *Tacet*] Hoc apud se loquitur Micio. *Melius est*] Et non, *ludere bonum est*: sed *melius*. Et hoc meliore affectu dixit, quam si diceret, *dignus est*. D.—Illud proximi versus *tacet* occupat apud Faernum et Bentl. principium hujus versus. Z.

6. *Hoc nunquam mihi ipse voluit credere*] Contra illud, quod ait,—*postremo alii clanculum Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia, Ea ne me celet, consuefeci filium. Credere* autem magno affectu dixit: non enim *confiteretur* ut patri (forte *patruo*: aut mox pro *parenti* repone *fratri* Z.); sed *crederet*, ut parenti, aut sodali suo. D.

7. *Non equidem istas*] Deest, *pulsavi. Quod sciam*] Quantum scio. D.—*Non equidem istas*] Ms. R. *instas*. L.

8. *Ita? nam mirabar quid hic negoti esset tibi*] Accepit negationem Micio, ut ludere Æschinum posset. D.—Pro *Itane* recte omnes libri *Ita*: sed id Faernus male per interrogationem protulit. B.

9. *Erubuit: salva res est*] Nimis paterna sententia. Et e contrario Simo in Andria, *Vide num ejus color, pudoris signum usquam indicat*. Et quanti affectus est, non dixisse *Erubuit, salvus est*: sed, *salva res est?* Nonne videtur tibi res ejus omnis in Æschino constituta? Eodem animo et supra dixit, *In eo me oblecto, solum id est carum mihi*. Non enim *solum* intulit quod exspectabatur: sed absolute, quasi ex omnibus solum id est, inquit. D. —*Erubuit: salva res*] Lampridius in Heliogab. *Cum ad vindemias vocasset amicos nobiles, et ad corbes sedisset, gravissimum quemque percontari cœpit, an promtus esset in Venerem: erubescentibusque senibus, exclamabat*: Erubuit; salva res est: *silentium ac ruborem pro consensu ducens*. L.—

Tibi vero quid istic est rei? Mi. Nihil mihi quidem:
Amicus quidam me a foro abduxit modo
Huc advocatum sibi. Æs. Quid? Mi. Ego dicam tibi:
Habitant hic quædam mulieres; pauperculæ,
Ut opinor, has non nosse te, et certo scio:
Neque enim diu huc commigrarunt. Æs. Quid tum postea?
Mi. Virgo est cum matre. Æs. Perge. Mi. Hæc virgo orba'st patre:
Hic meus amicus illi genere est proximus:

Menander: Ἐρυθρᾶν τῆς χρηστὸς εἶναι μοι δοκεῖ. W.

10. *Nihil mihi quidem*] *Mihi*, id est, meæ propriæ rei. Et callida negatione cœpit: ut et illi adimat confitendi locum ac fiduciam; simulque fiat ei desperatio ducendæ ejus, cujus mentio tam contemtim ab ipso tractetur. D.—Nostri omnes, *rei est*. Repone *rei fuit*. Nam jam inde exierat Micio. B.

11. *Amicus quidam me a foro abduxit modo huc advocatum sibi*] Hinc incipit mendacium, mistum vero. Nam *Amicus quidam me a foro huc*, verum est: *advocatum*, falsum. Sed *huc* et *quidam*, modo ἰμφασιν habent levis negotii, et in quo nec magnæ personæ, nec res difficilis operæ aut longæ occupationis habentur. Et *advocatum* dicendo, alienum negotium demonstravit: nam et *sibi* non vacat: si enim *mulieribus* addidisset, potuit aliud sperari. D.

12. *Quid?*] Deest *ait*: ut sit, *Quid ait? Ego dicam tibi*] Senile est. Nam id jam dicendum fuit: et hoc ἰμφασιν habet vilis rei, quæ vel facile dici possit, vel non celanda sit. D.

13. *Mulieres pauperculæ*] Non potuit magis celare dignitatem formæ et ætatis puellæ, quæ amatur ab Æschino, quam ut eam primo eodem nomine cum matre nominaret: deinde communiter diceret de ambabus universa, quibus contemni debeant. *Quædam mulieres pauperculæ*] *Pauperculæ* addidit, ut magis desperet Æschinus impetrari posse has nuptias a patre. Et item *quædam*: ut ignobiles demonstrarentur. Et totum hoc cum abjectione pronunciandum est. *Quædam* et *pauperculæ* dicendo, adimit omnem spem nuptiarum: nam *quædam*, ignobilem indicat: *pauper*, indotatam. Quid ergo remanet, quod speret Æschinus? *Pauperculæ*] Nec pauperes saltem. D.—*Habitant hic quædam mulieres pauperculæ. Virgo cum matre. Hic meus amicus, qui me adduxit, illi genere est proximus: huic leges cogunt nubere hanc.* De quo ille contra: Commentæ sunt, h. e. mentitæ, *Esse ex alio viro, nescio quo, puerum natum: neque eum nominat. Priorem esse illum: non oportere huic dari.* Deinde adolescens omnia defendit, quod conviciator sit, quod hic eam potius debeat ducere uxorem. Contra pater: *Qua ratione istuc?* inquit, *quis despondit? quis dedit? cur duxit alienam?* Huic respondit Æschinus: *An sedere oportuit domi virginem tam grandem*, ut veniret nescio unde cognatus? Et quasi arguit patrem, quod hæc magis debuerit dicere. Contra ille stultum vocat filium, siquidem hæc omnia (*omnino* Z.) contra illum, *cui venerat advocatus*. Deinde quasi aliena restituta sint (*aliena res ista sit*), monet filium, ut discedat. Tunc ille lacrimis prodit amorem. Pater cum quæsisset, ille narrare cupiens petit ut audiret. Tunc pater omnia se scire dixit, objurgat leniter, quod celaverit se. E.

14. *Opinor*] Vel adeo obscuræ sunt, et nullius pretii, *Ut opinor, has non nosse te*. Potuit recte dicere et hoc, *Ut opinor, has non nosti*: sed illud vetustius (alii, *venustius*). *Ut opinor, has non nosse te*] Aut abundat *ut*: aut deest *scilicet*. Magnum autem crimen est in forma vicinæ puellæ, incognitam esse adolescenti de proximo. Et quia scit hunc esse de quo dixerit, *Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit aliquid?* subdidit causam, ne dignitatis pudorisque esset, quod eam incognitam Æschino esse dixisset: *neque enim diu huc*, inquit, *commigraverunt*. Et *ut opinor*, mire ipse sibi sumit atque confirmat, quod nondum ille confessus est. *Et certo scio*] Ἐπανόρθωσις: parum dixi, inquit. D.—Ut sensum adjuves, lege *Ut opiner, has non nosse te: et certo scio*. Certe Donatus ita videtur legisse. B.

15. *Quid tum postea?*] Gratissime proditur Æschinus amator, quum sedulo dissimulet. D.

16. *Virgo est cum matre*] Vult Micio sic audire Æschinum, tanquam alienissimum: et ideo velut inscius (forte *inscio* Z.) facti diligentius narrat. *Virginem* autem ἀρχαϊσμῷ (forte, εὐφημισμῷ, aut, εὐσχημόνως Z.) pro *muliere* dixit. D.

17. *Hic meus amicus*] Qui me advocatum abduxit de foro. D.

Huic leges cogunt nubere hanc. Æs. Perii! Mi. Quid est?
Æs. Nihil: recte: perge. Mi. Is venit, ut secum avehat:
Nam habitat Mileti. Æs. Hem! virginem ut secum avehat?
Mi. Sic est. Æs. Miletum usque obsecro? Mi. Ita. Æs. Animo male'st.
Quid ipsæ? quid aiunt? Mi. Quid istas censes? nihil enim.
Commenta mater est, esse ex alio viro,
Nescio quo, puerum natum; neque eum nominat:
Priorem esse illum, non oportere huic dari.
Æs. Eho, nonne hæc justa tibi videntur postea?
Mi. Non. Æs. Obsecro, non? an illam hinc abducet, pater?
Mi. Quid illam ni abducat? Æs. Factum a vobis duriter,
Immisericorditerque; atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, illiberaliter.

18. *Huic leges cogunt nubere*] Non *permittunt*, dixit, nec *jubent*: sed *cogunt*, ad perturbandum Æschinum, et recte: alia enim sinunt leges, alia cogunt fieri. Et ne esset quo resisteretur illi, vult ut mulieres a lege cogantur. *Perii!*] Hoc audit Micio, sed dissimulat. D.

19. *Nihil: recte*] Id est, recte quod perii: et nihil magis comicum. Et vide trisyllabum (*trisyllabo*) artificiose esse subjectum: ut qui *perii* dixit, vix hoc locutus fuisse videatur. *Perge*] Vide instantius interrogantem, quam extraneum decuit. *Is venit ut secum avehat*] Aliud pejus in amatam, ut nec Athenis saltem alteri nuberet. D.

20. *Nam 'habitat Mileti*] Πιθανῶς *Mileti*: et est adverbium locale. *Hem! ut virginem secum avehat!*] Hic acrius commoveri proditur adolescens, ut affectu fateatur, quod verbis negat. D.

21. *Sic est. Miletum usque obsecro? ita: animo male est*] Ille oblitus sui, sic indignatur, ut in re propria: hic rursus callidi (alii, callide) vultu utitur, tanquam aliena narrantis. *Miletum usque obsecro?*] Bene *usque*. Nam *Miletos* colonia est Atheniensium in Ponto. *Animo male est*] *Animo male fieri* dicitur, quum ictu alicujus mœroris perculsus animus, non sustinet corpus: sequiturque ruina membrorum. D.

22. *Quid ipsæ? quid aiunt?*] Non statim credit Æschinus pudicam matrem familias statim consentire in nuptias novas viri ignoti. *Quid istas censes?*] *Posse dicere*, subaudiendum. *Nihil enim*] *Dicunt*, subaudiendum: et sic intelligendum *nihil*, non quod taceant; sed quod nihil confirmationis habeat, id quod dicunt. D.—Meliores libri pro *istas* habent *illas*. B.

23. *Commenta mater est*] Nunc dicit quid dicat. Etiam *commenta* dixit, id est, fallaciam confinxisse, verisimile comminisci. *Ex alio viro*] Jam de proximo tangit Æschinum. D.

25. *Priorem esse illum*] Mire tractat etiam partes Æschini. D.

26. *Nonne hæc justa tibi videntur postea?*] Scilicet illa, quæ amicus tuus dixerat prius, quam hæc audires. *Justa tibi*] *Justa* quæ postea audisti, quam illa quæ pro Lemnio dicebas prius. Aut si hoc non est: quære quid sit *postea*. Videtur enim *postea* sic abundare, quomodo interdum *hodie* de stomacho adjicitur loquentis: ut Virg. Æn. ii. 670. dicit, *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*. D.

27. *Non*] Vultuose pronunciandum est *non. An illam hinc abducet, pater?*] *Hinc*, tanquam singultus ploraturi est. Nam sic est pronunciandum. *Pater*] Quasi hoc ad supplicandum dicatur. D.

28. *Factum a vobis duriter*] Non *dure* et *crudeliter*: sed quasi dura mente, id est, inflexibili, et quod Græci dicunt ἀτρεκές. D.

29. *Immisericorditerque*] Nota octo (*septem*) syllabarum adverbium, atque insuper compositum, et cum conjunctione prolatum. D.

30. *Si est, pater, dicendum magis aperte*] Id est, apertius: quia jam apertum fuerat, *duriter et immisericorditer*. Et bene præfatus est, ne contumax adversus patrem videretur. *Illiberaliter*] Ἀξιοπρεπῶς. Nam multa *duriter*, etiam si opus sit, *immisericorditer* quoque, et facienda sunt, et patienda, si ita ratio et causa cogat: et (*ut* Z.) non sit illiberale, id est, non malum atque inhonestum. *Illiberaliter*] Injuste, inclementer, non bene: quia *liberalis*, bonus dicitur. D.

Mi. Quamobrem? Æs. Rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi misero, qui cum illa consuevit prius?
Qui infelix haud scio an illam misere nunc amat,
Quum hanc sibi videbit præsens præsenti eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum, pater.
Mi. Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Cui, quando nupsit? auctor his rebus quis est?
Cur duxit alienam? Æs. An sedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc veniret, exspectantem? hæc, mi pater,
Te dicere æquom fuit, et id defendere.

31. *Quamobrem?*] Delectari magis cupiens Micio, Æschinum vult protrahere ad defensionem sui. D.

32. *Fore animi misero*] Quid de se plus diceret, si factum fateretur? *Qui cum illa consuevit*] Legitur et *illam:* et dicebant veteres, *hanc rem consuevit* et *εὐνχημένως*: ut Plautus, Amph. i. 2. 28. *Et clandestina ut celetur consuetudo.* Et majore affectu non amorem allegavit, sed quod est commune cum bonis, et multo justius, consuetudinem. D.—Nostri omnes *cum illa*, et, *prius.* Sed si *illa* casu ablativo accipis, versus efficitur justo longior. Igitur lege vel, *quicum illa*, in casu recto; vel, quod verius existimo, *qui cum ea.* Deinde repone cum Bemb. et plerisque Faerni libb. vett. *prior:* ut in Eun. *quia læsit prior.* B.

33. *Qui infelix*] Non *Qui:* sed, *Qui infelix:* et non *amat*, sed *misere*, dixit: et ita affectu proditur, qui ut alienus vult loqui. D.—Pro *amet* optimi Faerni, et omnes nostri habent *amat;* quod et versui convenit. B.

34. *Præsens præsenti eripi*] Adjuvant significationem hæc ex abundanti addita: ut, Æn. iv. 83. *Illum absens absentem auditque videtque.* Et, Æn. x. 600. *Fratrem ne desere frater.* Sic Cæcilius in Eratosthene, *Hæc caterva plena gladiatoria, quum suum sibi alius sauciat: socius socium.* Et totus hic locus est translatus a Virgilio, in iv. Æn. ver. 408. *Quis tibi nunc, Dido, cernenti talia sensus? Quosve dabas gemitus, quum littora fervere late Prospiceres arce ex summa, totumque videres Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor?* D.—*Præsens præsenti eripi*] Serv. Æn. iv. ad ver. 83. *absens absentem audit.* L.—Lectio *præsens præsenti* est ineptissima. Quare repone *præsens præsentem*, h. e. præsens amator præsentem amicam. Atque ita plane laudatur locus a Servio ad Æn. iv. 83. B.

36. *Istuc*] Deest, *dicis. Quis despondit?*] Latenter objurgat Æschinum, rem sine patre gessisse. Et dicitur figura *ἐντροχασμός. Quis despondit?*] Quia non interfuit pater. *Quis dedit?*] Quia rapuit ante quam peteret. B.

37. *Quando nupsit?*] Quia nuptiæ non factæ sunt. Et *nupsit* moleste additum, quasi aliena sit, quæ non legibus ducta sit. *Auctor his rebus quis est?*] Dativo casu; non *harum rerum.*, Et Sallustius, Jug. 7. *qui tunc Romanis imperator erat. Auctor his rebus quis est?*] Iterum objurgat, quia non interfuit pater, et agit sic dolens, velut sibi minus amoris præbitum fuerit, Micio: ut se his, quantum amor patitur, videatur ulcisci, quodque sibi negotium non confiteatur Æschinus. D.

38. *Cur duxit alienam?*] Utrum filiam? quæ possit aliena esse? nam omnes alienas filias ducunt. *An sedere oportuit*] *Sedere* proprie ignavæ cessationis est: ut, Æn. xii. 15. *sedeant spectentque Latini.* Et, *Quid sedes, Verres? quid spectas?* D.

39. *Tam grandem*] *Grandem*, ad ætatem veteres retulerunt, non ad corpus. Et in parte ætatis dicitur *grandis*, non in tota vita, nisi si addatur *natu*, ut, *Grandis natu parens adductus ad supplicium.* Et *Grandis infans*, et *grandis puer*, et *grandis ephebus*, et *grandis virgo* recte dicitur. Et unde scit Æschinus, an *grandem* hic fingit ignotam? an quia dixit pater, Commenta mater est esse ex alio viro nescio quo puerum natum? Ergo et illa *grandis:* et serus Milesius, qui tunc virginem petit, quum jam alteri data sit, vel rapta (*nupta* Mss.) sit alteri. D.—Pro *huc* cum edd. vett. et cod. Rivii et Donato repone *Hinc illinc.* Nam sensus est, Dum cognatus aliquis alicunde veniat; quo innuitur, nullum ei omnino fuisse cognatum, cui nubere posset. At si *huc illinc* legas; confitetur Milesium illum vere cognatum esse, et diu exspectatum, dum virgo grandiuscula sit facta. B.

40. *Dum cognatus hinc illinc veniret*] Proverbialiter *hinc illinc.* D.

41. *Et id defendere*] Non potuit magis amatorie, et magis pueriliter loqui, quam

MI. Ridiculum: advorsumne illum causam dicerem,
Cui veneram advocatus? sed quid ista, Æschine,
Nostra? aut quid nobis cum illis? abeamus: quid est?
Quid lacrumas? ÆS. Pater, obsecro, ausculta. MI. Æschine,
audivi omnia,
Et scio: nam te amo: quo magis, quæ agis, curæ sunt mihi.
ÆS. Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,
Ut me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet;
Et me tui pudet. MI. Credo hercle: nam ingenium novi tuum
Liberale: sed vereor ne indiligens nimium sies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?

ut non contentus quod ait, *hæc dicere te æquum fuit*: etiam adderet, *et id defendere*. Patet autem qualis affectus est, quum etiam patri ob alienam causam blanditur, ut ipse nunc simulat. D.

42. *Ridicule*] Vocativus est casus, ab eo quod est *ridiculus*. D.—Lege *adversusne*; quia hoc versu cæteræ omnes dictiones in *m* exeunt. B.

43. *Quid ista, Æschine, nostra?*] Hic jam ultima desperatio et Æschinum in confessionem protrahet, et in finem fallaciæ senem deducet. Et bene quidem *nostra* dixit: memor est enim se respondisse Æschino interroganti, Tibi vero quid istic rei est? Nihil mihi quidem. Totum autem hoc senex ad id redegit, non tam ut torqueret Æschinum, quam ut majus faceret beneficium suum, exponendo id in quod pene periculum amor ejus incideret. D.

44. *Quid est? quid lacrumas?*] Quasi repente animadverterit flentem, et quasi causam omnem nesciat, sic inquirit. D.

45. *Æschine*] Non exhibuisset personam patris, nisi pietate victus, pati filium nollet confessione torqueri. Virg. Æn. i. 385. *nec plura querentem Passa Venus, medio sic interfata dolore est.* Bene ergo intelligunt, qui sic accipiunt, perrecturum adhuc fuisse Micionem, nisi victus affectu, fallaciam projecisset. D.

46. *Nam te amo*] Bene addit, *nam te amo*, et cætera. Nam et invidis, et inimicis moris est scire, quid agamus. D.

47. *Ita velim me promerentem ames*] Quam pie additum est *promerentem*: tanquam illic sit votum Æschini, quum possit pater etiam immeritum amare. Et animadvertendum est, *ut* semper sequi, vel statim, vel ex intervallo, maxime in hujusmodi confirmationibus. Sic Cicero, Divinat. in Cæcil. 13. *Ita velim mihi deos propitios, ut, quum illius temporis mihi venit in mentem, etc. Velim* autem, pro *volo* antique dicitur. D.—*Ita velim me promerentem ames*] Merito ames. Multi enim necessitate amant: ac propterea indigne; hoc est in se quod vult, ut pro merito se amet pater. E.

48. *Ut me hoc delictum admisisse in me*] *Me in me, ἀξιγρικῶς* adjectum est. D.

49. *Et me tui pudet*] Ambiguum quidam hoc dictum putant: sed apparet adolescentem propter suum peccatum dicere, non quod quicquam turpe fecerit patri (*pater* Ms. et edd. vett.). D.

50. *Ne indiligens nimium sies*] Non ergo ingratus, sed negligens Æschinus: nec negligens, sed *indiligens*: nec in alterum, sed in se deliquit. Miræ clementiæ genus est, aut omnino ignoscere, aut crimen in levius commutare. Nam tota objurgatio ita amica est, ut non multum a blandimento discrepet: magisque proficiat apud audientem, ut vult Terentius, quam illa aspera atque præfracta. D.

51. *In qua civitate tandem te arbitrare vivere?*] Communem locum inducit a loco, a persona, a facto, a tempore. *In qua civitate?*] Aliter pronunciandum est, id est, presse ac leniter: ne faciat illud Tullianum, Catil. i. 4. *Pro di immortales! ubinam gentium sumus? quam rempublicam habemus? in qua urbe vivimus?* Et *tandem* pro *tamen* (male. Nam *tandem* eleganter additur interrogationibus, ut Gr. πότε, et vim addit; Germ. in aller Welt. Z.). *In qua civitate?*] Hoc est, oblitus es Athenis te esse, ubi vivitur legibus? Vide omnes sententias poni accusatorias, et nihil (*nimii*) amoris. Isti sunt orationum colores difficillimi: sed elaboravit Terentius Micionem facere leniter accusantem, et inducere Demeam durissime blandientem. *In qua civitate?*] Quod objurgat Micio, magni amoris est, et necessaria pro persona assentatio: non enim convenit patrem nimium diligentem filium, ejus præterire peccata. D.—*In qua civitate tandem te arbitrare vivere?*] Honesta objurgatio, ut et veniam det, et tamen corrigat. E.

Virginem vitiasti, quam te jus non fuerat tangere:
Jam id peccatum primum magnum, at humanum tamen:
Fecere alii sæpe, item boni: at postquam id evenit, cedo,
Numquid circumspexti? aut numquid tute prospexti tibi
Quid fieret? qua fieret? si te ipsum mihi puduit dicere,
Qua resciscerem? hæc dum dubitas, menses abierunt decem.
Prodidisti et te, et illam miseram, et gnatum, quod quidem in te fuit.
Quid? credebas, dormienti hæc tibi confecturos Deos?
Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum?

52. *Virginem vitiasti*] Vide et rem dici, et abesse tragicam inclamationem, et ostendi delictum: et ad veniam festinari. Nam statim dicet, *Jam id peccatum primum est magnum, at humanum tamen.* Et tota pronunciatio hujusmodi verbis summissa debetur. D.—Melius collocat Bemb. *non jus fuerat.* B.

53. Ne hic sit versus trimeter trochaicus hypercatalecticus, qualis apud Terent. alias nuspiam invenitur, gemina *magnum*, quod jam Faernus vidit; atque *id* euphoniæ causa transpone ita, *Jám peccatum primum id magnum; mágnum, at humanúm tamen.* B.

54. *Fecere alii sæpe, item boni*] Moris est exemplo lenire, quod purgare non possis. *Fecere alii sæpe, item boni*] Consolatio ab exemplo. Et *boni*, non quum hoc facerent, sed alias boni. *At postquam id evenit*] *Evenit*, inquit, non *commissum est:* nihil innocentius dici potuit. D.

55. *Numquid circumspexti?*] Συγκοπὴ ΗΑΑΗΤΑΝΑCΜΟC • (ἡ λόγος σύντομος Z.) pro *circumspexisti. Circumspicimus* præsentia, *prospicimus* futura. D.

56. *Qua fieret?*] Id est, qua ratione, quo modo fieret? et *Qua ratione*, id est, quibus adminiculis, vel per quas personas? *Si te ipsum mihi puduit dicere*] Optime hoc additum est: quasi non debuerit Æschinum apud Micionem pudere. D.—Lege ex nostris fere omnibus, *Si te mihi ipsum p. d.* B.

57. *Qua resciscerem?*] *Qua*, id est, per quos: et ad omnia subauditur, *Numquid circumspexti? Qua resciscerem?*] Deest *re*, vel *ratione*. *Menses abierunt decem*] Mire *abierunt*. Quasi dicat, Te cessante, menses cessere: et locus est incusationis a tempore. Et *abire* dicitur, quod paulatim nos deserit: hoc autem ex partu intelligit. D.—Menander apud Hermogenis Scholiastem: Ἐμβεβρόντησαι γελοῖον, ὃς κόρης ἐλευθέρας Εἰς ἔρωθ' ἥκων σωτῆρ, καὶ μάτην ποιούμενος Περιορᾷς γάμους σεαυτῷ. W.

58. *Prodidisti et te, et illam miseram*] Vide festivum senem, quantum se adolescenti accommodet: non enim illum, quem causa deposcit, sed amatorium ordinem fecit, prius dicendo *Prodidisti te*, quam *illam*, tum etiam *gnatum;* ut ex animo amare videatur id quod natum est. *Prodidisti*] Decepisti, vel deseruisti: ut Virg. Æn. i. 251. *unius ob iram Prodimur. Quod quidem in te fuit*] Sallustius, Jug. 14. *Quod in familia nostra fuit, præstitit, ut in omnibus bellis adesset vobis.* Et, Cicero, Verr. iv. 11. *Senator P. R. quod in vobis fuit, jacuit et pernoctavit in publico. Quod quidem in te fuit*] Pro, id quod in te erat: id est, quantum in officio tuo spei et auxilii partiumque tuarum fuit: vel, quantum ad te spectabat. Et hic est illud, quod obsequentissimus pater vult, omnia per se esse correcta. D.—*Quod quidem in te fuit*] Quantum in te fuit, perdidisti, et illam, et gnatum, quod tacuisti: quod tu (adde *nil* Z.) prospexisti. Factum enim est vel fortuna, vel eventu meo, quod rem curarem, et intercederem, te eam uxorem ducturum. At ille parum credens fidem poscit. E.

59. *Dormienti hæc tibi confecturos deos?*] Quam mitis, quam faceta objurgatio! Videtur satis Micio ille esse, qui ante est descriptus? *Quid credebas? domienti hæc, etc.*] Incerta distinctio: nam et per se *Quid*, et *Quid credebas*, legi potest: et velut hic subaccusatur Æschinus, *dormienti hæc tibi confecturos deos?* ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου. Et quæ sint quæ a diis, cessantibus præstari non possint, sequenti versu docet, ne videatur de diis male sensisse. *Dormienti*] Multo melius, quam si diceret *cessanti:* et non, *facturos;* sed quod plenum est, *confecturos.* Et mire Deos ponit in eo negotio, quod ipse præstat: tanquam hic et se et Deos excuset, quod non fecerint Æschino, quæ volebat, etiam dormienti. D.—*Quid credebas? dormienti*] Menander: Αὐτόματα γὰρ τὰ πράγματ' ἐπὶ τὸ συμφέρον Ῥεῖ, κἂν καθεύδῃσιν. Cicero vii. Verrin. *Quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus delata sunt.* L.

60. *Et illam sine tua opera in cubicu*

Nolim cæterarum rerum te socordem eodem modo.
Bono animo es, duces uxorem hanc. Æs. Hem! Mi. Bono animo es, inquam. Æs. Pater,
Obsecro, non ludis tu nunc me? Mi. Ego te? quamobrem? Æs. Nescio:
Quia tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis.
Mi. Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxorem arcessas: abi.
Æs. Quid? jam uxorem? Mi. Jam. Æs. Jam? Mi. Jam quantum potes. Æs. Di me, pater,
Omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc amo meos.
Mi. Quid? quam illam? Æs. Æque. Mi. Perbenigne. Æs. Quid? ille ubi est Milesius?

iri deductum domum?] Ἀπὸ τοῦ ἄλλου δδυνάτου. Ordo, *deductum iri domum.* D.

61. *Nolim cæterarum rerum te socordem*] Quam nihil imperiose ac pro auctoritate patria fit! *Nolim*, inquit, *te socordem cæterarum rerum esse:* non dixit, *ne sis socors.* D.

62. *Bono animo es*] Apparet flenti hæc dicta omnia esse. Et hoc decuit verecundum adolescentem, et ex vi tantæ orationis, et metu amittendæ puellæ. Et *es*, modo imperativi modo est, temporis præsentis. Nam *esto*, futuri est. *Duces uxorem*] Datur in ultima objurgatione, et breviter et plena securitas. *Hem!*] Singultientis fletu et gaudio dixit *Hem!* D. —Ne versus sit justo longior, tolle *hanc*, quod non agnoscit Donatus. Satis constabat, quam uxorem intelligeret. B.

63. *Obsecro non ludis tu nunc me?*] Mœstus amatoris animus ludentem serio loqui credidit: vera dicentem, quia optata sunt, putat ludere nunc. Potest et ob hanc causam dicere, *ludis tu me nunc?* quod nunquam eum antea luserit. *Ego te? quamobrem*] Magna vis pronominum cur non ludat; quibus et accessit consideratio rei. Nam primo *ego*, deinde *te*, deinde causæ propositio. Et recte *ludis.* Est enim amantis in falsum metum conjicere imminente lætitia, qualibet sententia: inimici vero in falsum gaudium quemquam impellere, sub alicujus mœroris adventum: et ideo negat se Micio in hac parte lusurum Æschinum, qui in aliis luserit. *Nescio*] Religiose dixit *nescio:* quasi non sit ratio, quare non credat patri, quamvis subjecerit causam. D.—*Obsecro! non ludis*] Diom. lib. i. L.—Pro *non* rectius Bentl. cum Faerno edidit *num.* Z.

64. *Quia tam misere hoc cupio esse verum*] Pro nimis: quia nimia miseria: ut, *Ne quid nimis:* hoc enim putant, qui virtutes mediocritates esse dixerunt. D.—Librorum quorundam *Nisi quia*, onerat versum. Ejiciendum ergo est *quia.* Vide nos ad And. iv. 1. 39. B.

65. *Abi domum, ac Deos comprecare*] Magnus institor sui beneficii est, qui a Diis petendum esse dixit, quod ipse præstabit: an ideo quia ordinis fuerat, prius rem divinam facere, et sic uxorem arcessere? Et bene repetitum est *abi:* quasi hærenti morantique: ut, *Vos istæc intro auferte: abite.* D.

66. *Quid? jam uxorem?*] Accessit ad beneficium tempus: et ideo *jam* quasi gestiens repetit adolescens. *Quantum potes*] Aut deest *cito:* aut *quantum potest esse.* D.—*Jam uxorem?*] Ms. R. et V. C. *jam uxorem ducam?* L.—Cum Donato et cod. vet. pro *potes* leg. *potest.* Vid. Phorm. iv. 3. 69. B.

67. *Ni magis te, quam oculos nunc amo meos*] Mire *nunc* addidit. Et eleganter inventum est, quod in se amator multum diligat, id est, oculos: ut e contrario in Eunucho, *adolescenti ipsi eriperem oculos:* id est, ipsos de quibus amat. D.—*Quam oculos nunc amo*] Ms. R. *nunc ego amo.* Catull. xiv. 1. *ni te plus oculis meis amarem.* L.—Codd. plerique, *Nunc ego amo meos.* Recte; ut in ea sede sit dactylus, non trochæus. B.

68. *Quid? quam illam?*] Commendat se Micio, et familiariorem amatori facit, mentionem faciendo sæpius de amica in uxorem ducenda. *Æque*] Sic infert hoc, quasi dubitando invenerit. *Perbenigne*] Multum putat, quia amator hoc dixit: ergo *benigne*, large abundeque. *Quid? ille ubi est Milesius?*] Non amat, si statim timere desinit: unde Virg. Æn. iv. 298. *Omnia tuta timens. Eadem impia Fama furenti Detulit armari classem, cursumque parari.* D.

MI. Abiit: periit: navem ascendit: sed cur cessas? ÆS. Abi, pater:
Tu potius Deos comprecare: nam tibi eos certo scio,
Quo vir melior multo es quam ego, obtemperaturos magis.
MI. Ego eo intro; ut, quæ opus sunt, parentur: tu fac ut dixi, si sapis.
ÆS. Quid hoc est negoti? hoc est patrem esse, aut hoc est filium esse?
Si frater aut sodalis esset, qui magis morem gereret?
Hic non amandus? hicine non gestandus in sinu est? hem!
Itaque adeo magnam mihi injecit sua commoditate curam;
Ne forte imprudens faciam, quod nolit: sciens cavebo.
Sed cesso ire intro, ne mora meis nuptiis egomet siem.

ACTUS QUARTI SCENA VI.

DEMEA.

DEFESSUS sum ambulando: ut, Syre, te cum tua

69. *Abiit: periit: navem ascendit*] Facete, *Abiit:* ne diceret, mentitus sum: atque ita dixit, ut infantibus nutrices de terriculis dicere solent: quas quum ipsæ confinxerint, abolitas volunt, postquam illos vident nimium pavere. Et mihi videtur ridens hæc dixisse: ut intelligat Æschinus, Micionem joco fuisse mentitum. D.

70. Lege, *Tu deos potius.* B.

71. *Tibi obtemperaturos magis*] Mira sententia, Deos obsequi bonis, quasi bonis hominibus multum debeant: et in excusationem precandi Deos, vide quæ facultas nata sit patrem sine assentatione laudandi. Non est autem injuriosum, ad patrem referre deprecationem Deorum: sed magis honorabile. Nam tale est apud Virgilium, Æn. ii. 717. *Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque penates:* ut ipse patrem portet, hic Deos. D.

72. *Ego eo intro, ut, quæ opus sunt, parentur: tu fac, ut dixi, si sapis*] Hic versus in quibusdam non invenitur. D.

73. *Quid hoc est negoti!*] Et mirantis hæc, et laudantis oratio est. Et bene videtur hujusmodi patrem Terent. probare. D.

74. *Qui magis morem gereret*] *Qui*, quo modo, qua re, qua ratione. D.—*Si frater, aut sodalis esset, qui magis morem gereret?*] Hic ita lenis est pater, ut hoc nec frater, nec sodalis ageret. Ita quemadmodum fratrem prætulit aut sodalem, quum *frater* fiducialiter agit, *sodalis* semper obtemperat. E.

75. *Hic non amandus?*] Omnia perfecit hic pater, ut et ametur, et laudetur, et foveatur. D.

76. *Magnam mihi injecit sua commoditate curam*] Mira sententia; mala etiam de bonis nobis nasci: an bonus parens magnæ curæ est filio? D.—Versus et sententia flagitat, ut pro *injecit* refingas *injicit.* B.

77. *Sciens cavebo*] Facere quod nolit scilicet. D.—*Ne forte imprudens quid faciam, quod nolit. Sciens cavebo*] Dabo operam, ne quod nolit pater faciam insciens, inspiciam et providebo. E.—Metri causa repone, et distingue, *Ne imprúdens faciam fórte quod nolit, sciens cavébo.* B.

78. *Sed cesso ire intro, ne mora meis nuptiis egomet siem*] Bene hoc, utpote objurgatus. D.—Cum Bemb. lege *moræ*, et versus gratia *sim* pro *siem.* B.

1. *Defessus sum ambulando*] Hic exemplum inducitur sævi patris ex affectu vero, et ob hoc invisi omnibus: non autem tantum (*tam*) amare vultu, quam ipsa re inducitur. Nam neque sibi, neque cuiquam alii, sed filio tantum consultum cupit. *De* autem, *valde* significat. *Ut, Syre, te cum tua monstratione*] *Ut*, pro *utinam:* et hæc omnia anhelans dixit. *Te cum tua*] Adhuc non credit in errorem se missum fuisse. *Te cum tua monstratione*] Ἰδιωτικῶς *te cum tua monstratione.*

Monstratione magnus perdat Juppiter!
Perreptavi usque omne oppidum: ad portam, ad lacum;
Quo non? neque illic fabrica ulla erat; neque fratrem homo
Vidisse se aiebat quisquam: nunc vero domi
Certum obsidere est usque, donec redierit.

ACTUS QUARTI SCENA VII.

MICIO. DEMEA.

Ibo, illis dicam nullam esse in nobis moram.
De. Sed eccum ipsum: te jam dudum quæro, Micio.
Mi. Quidnam? De. Fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adolescentis. Mi. Ecce autem. De. Nova,
Capitalia. Mi. Ohe, jam. De. Ah, nescis qui vir sit. Mi.
Scio.

D.—*Defessus sum ambulando*] Hæc scena accusationem tenet, quod adolescens vitiaverit virginem, et nunc meretricem rapuerit. Defenditur a patre. Hujus exordium sumitur. E.

3. *Perreptavi usque omne oppidum*] Tardus incessus, non perambulatio, sed *perreptatio* dicitur. *Ad portam, ad lacum; quo non*] Mire propinquiora omisit, utpote *porticum, macellum, Cratini ædes, templum Dianæ:* et ultima posuit, ut quantum peragraverit, demonstraret. *Ad lacum*] Facete poeta memorem inducit senem, quorum minime opus fuit meminisse. D.

4. *Quo non*] Duobus dictis, *Quo non* addidit: quasi et ad dicendum lassus appareat. D.—Ut Lindenbr. ita olim edidit Faernus. Sed eo pacto *fabrica*, quod emphasin habet, occultatur in Thesi. Repone igitur, *Quo nón? nec fábrica illi úlla erat: nec fratrem homo.* Nam *illi* pro *illic* passim apud Terent. et Plautum occurrit. Deinde *nec* pro *neque* nostri quam plurimi habent. B.

5. Versus causa repone *aibat*. Nam hoc semper apud nostrum ut disyllabon occurrit. B.

6. *Certum obsidere est, usque donec redierit*] Proprie *obsidere* dixit: convenit enim et irato, et repente aggressuro: et ab eo quod est *obsideo, obsidere* facit, producta media syllaba: ab eo quod est *obsido, obsidere* facit, eadem syllaba correpta. D.

1. *Ibo, illis dicam*] In hac scena est exemplum intempestivæ objurgationis, ac per hoc ridiculæ. *Ibo, illis dicam*] Moris est secum loqui vel senes, vel maxime aliquid ex animo agentes. *Illis dicam*] Sostratæ et filiæ. D.

2. Lege ex nostris plerisque, *te jam dudum quæro, o Micio.* B.

3. *Fero alia flagitia ad te ingentia boni illius adolescentis*] Magno sonitu, ac ingenti ostentatione futuræ accusationis exorsus est: magna sunt enim omnia, et *Fero*, et *alia flagitia*, et *ingentia*, et quod *ἐλφυκῶς, Boni illius adolescentis*, dicit. D. —*Fero ad te flagitia boni adolescentis capitalia*] *Capitalia* crimina sunt, quæ expresse pœnam merentur. Deinde species criminis sic proponitur: *hoc peccatum in virginem est civem*; deinde quod *puer natus* sit. Primum in omnibus propositionis assensus traditur. Exinde leve docetur esse, quod ille computat crimen. E.

4. *Boni illius adolescentis*] Ἐλφυκῶς, quæ semper amarius ponitur, quam criminatio manifesta. *Ecce autem!*] *Ecce* dicitur, quum repente triste aliquid rebus intervenit lætis, aut certe quum aliud agitur, aliud emergit novum: ut Virg. Æn. ii. 203. *Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta, Horresco referens, immensis orbibus angues.* Et, Æn. ii. 403. *Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus.* Et Cicero, Verr. v. 34. *Ecce autem repente ebrio Cleomene, esurientibus cæteris, etc. Nova*] Recentia: an mira et magna? ut, Ecl. iii. 86. *Pollio et ipse facit nova carmina.* D.

5. *Nescis qui vir sit*] Ἐλφυκῶς. Nam *vir*, ad laudem sumi solet: ut alibi, *virum te judico. Scio*] Satis ridicule; nec, quod ille cupit, abnegat Micio: ut consentiendo, iracundiam Demeæ acriorem fieri

DE. O stulte, tu de psaltria me somnias
Agere; hoc peccatum in virginem est civem. MI. Scio.
DE. Oho, scis et patere? MI. Quidni patiar? DE. Dic mihi,
Non clamas? non insanis? MI. Non. DE. Malim quidem.
Puer natus est. MI. Di bene vortant. DE. Virgo nihil habet.
MI. Audivi. DE. Et ducenda indotata'st? MI. Scilicet.
DE. Quid nunc futurum'st? MI. Id enim quod res ipsa fert:
Illinc huc transferetur virgo. DE. O Juppiter!
Istocine pacto oportet? MI. Quid faciam amplius?
DE. Quid facias? si non ipsa re tibi istuc dolet,
Simulare certe est hominis. MI. Quin jam virginem
Despondi: res composita est: fiunt nuptiæ:
Demsi metum omnem: hæc magis sunt hominis. DE. Cæterum,

possibilem sibi (*fieri sinat, et postea bilem ejus sibi* Z.) mitigare queat. Nam *scio* ad negotii totius gestionem retulit: non ad illud quod ait, *Nescis qui vir sit.* D.

6. Pro *O* nostri omnes, *Ah.* Forte utrumque est retinendum; ut Demea præ animi dolore vix loqui possit sine interjectione dolentis. B.

8. *Eho! scis et patere?*] Jam et illi irascitur, non (adde *solum*) Æschino. D.—Nostri *Eho;* sed melius Bembinus *Oho.* B.

9. *Non: malim quidem*] Alii volunt Micionem dicere, *Malim quidem:* alii Demeam. D.—Bentleius cum Faerno et Mureto rectius verba *Malim quidem* Micioni quoque tribuit. Nam mitiori Micionis ingenio magis convenire sunt existimanda. Z.

10. *Puer natus est. Di bene vortant!*] Hic bono exemplo inducitur Micio irascentem juste Demeam leniter ferre: quia exanimato ob mœrorem non convenit inclementer ire obviam, quum possit in tempore objurgari, postquam destomachatus fuerit. Et vide quam facete: quum ille, *Puer natus est,* ad argumentum mali attulerit: hic ita respondit, quemadmodum solent illi, quibus puellam nasci metuentibus, nunciatur puerum natum esse. Nam in omnibus quæ cupite venerint (*cupita evenerint*), *Dii bene vertant,* dici solet: quia sæpe homines ea optaverunt, quæ aliis (*illis*) aliter atque exspectaverunt, contigissent. Quam potestatem rerum vertentium semet in utramque partem, Vertumno Deo superesse (*subesse* Z.), veteres existimaverunt. *Virgo nihil habet*] Vult rem sine remedio videri: quia scit posse nuptiis finiri solicitudinem. Et vide amaritudinem Demeæ contra omnes, ut nec virgini ipsi parcat. D.

11. *Audivi*] Ἀφελῶς et cum ἐξουθενισμῷ respondendum, quasi leve sit, quod admissum sit. *Et ducenda indotata est*] Ducenda scilicet, nisi damnandus sit Æschinus: et hoc verbum necessitatis vim habet: ut, Æn. xi. 230. *Pacem Trojano ab rege petendum.* D.—*Ducenda indotata'st*] Lege Attica, si quis puellam devirginasset, ejus ἢ γάμον ἐπιτιμον, ἢ θάνατον eligere cogebatur. Syrian. Sopat. in Hermogen. Plaut. Aulul. iv. 10. 62. *Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam, Ut mihi ignoscas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent.* L.—Post *indotata'st* tolle notam interrogationis, ut infra 33. B.

12. *Quid nunc futurum est?*] More irascentium, quum ipse sciverit quid futurum sit, Micionem interrogat. Et hujusmodi interrogatio, secundum figuram suam non habet responsionem: sed Micio sic respondit, quasi simpliciter inquirenti. D.

13. *Illinc huc transferetur virgo*] *Virginem* quæ etiam cum viro fuit, vocat. Virgil. Ecl. vi. 47. *Ah, virgo infelix!* D.

14. *O Juppiter! istocine pacto oportet?*] *O Juppiter!* tragice adjecit a Micione versus (*aversus* Z.). *Istocine pacto,* ad ipsum Micionem respiciens dixit. D.

15. *Si non re ipsa tibi istuc dolet*] Nunc *rem* pro *veritate* posuit. D.—*Si non ipsa re tibi istuc dolet: simulare certe est hominis*] Si non re vera tibi dolet, debes saltem vel fingere. E.—Verbum *rogitas post facias,* quod vulgo in codd. extat, recte in Bemb. abest: nam versui repugnat. B.

16. *Simulare certe est hominis*] Non hoc dixit, quia hominis est mentiri: sed quia sæpe iracundiæ simulatio, custodia disciplinæ est. D.

17. *Jam virginem despondi: res composita est: fiunt nuptiæ*] Ne diceret, *despondi, composui, facio.* Et *despondet puellam* qui petit: *spondet* a quo petitur. Recte ergo socer futurus, *despondi,* dixit. D.

18. *Hæc magis sunt hominis*] Bene repetit *hominis*: ille enim dixerat, *Simulare certe est hominis.* D.

Placet tibi factum, Micio? MI. Non, si queam
Mutare: nunc quum non queo, animo æquo fero.
Ita vita'st hominum, quasi quum ludas tesseris:
Si illud, quod maxume opus est jactu, non cadit;
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
DE. Corrector! nempe tua arte viginti minæ
Pro psaltria periere; quæ quantum potest,
Aliquo abjicienda est; si non pretio, gratiis.
MI. Neque est, neque illam sane studeo vendere.
DE. Quid igitur facies? MI. Domi erit. DE. Pro divum fidem!
Meretrix et materfamilias una in domo?
MI. Cur non? DE. Sanumne te credis esse? MI. Equidem arbitror.
DE. Ita me Di ament, ut video ego tuam ineptiam;

19. *Cæterum, placet tibi factum, Micio?*] Nihil aliud volebat Demea, nisi ut sæviret Micio: quod impetrare non potuit, etiam ab eadem sentiente de pravitate et peccato Æschini. D.—*Cæterum, placet tibi factum, Micio?*] Videris scire, curam (Debebas scilicet curare rem Z.) male gestam, et fecisti ut vitiatam uxorem duceret. Interea tibi hoc factum complacet? Huic respondetur, Non mihi quidem placuit, si mutari possit; nunc tamen, quia non valeo mutare, necessario placet. Quippe cum vita hominum sic se habeat, quemadmodum est jactus tesserarum. Si enim illud quod opus est, non cadit, hoc jam consilii et artis est, corrigere quod miserit casus. E.

21. *Quasi quum ludas tesseris*] Rectum erat si diceret, Ita vita est hominum quemadmodum tesseris ludere, aut, quemadmodum ludus est tesserarum. Nota ergo genus locutionis. D.—*Ita vita est hominum*] Alexis apud Stobæum: Τοιοῦτο τὸ ζῆν ἐστὶν ὥσπερ οἱ κύβοι, Οὐ ταὐτ' ἀεὶ πίπτουσιν· οὐδὲ τῷ βίῳ Ταυτὸν διαμένει σχῆμα· μεταβολὰς δ' ἔχει. Quem locum imitatus est Tzetzes Chiliad. x. cap. 341. —ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς κύβοις Ἄλλοτε ἄλλα βάλλονται· οὕτω καὶ ἐν τῷ βίῳ Ἄλλοτε ἄλλα γίνονται μεταβολαῖς ποικίλαις. Ambros. de Tobia, cap. 2. *versatur enim eorum vita ut tessera.* Vid. Plato de Repub. lib. x. et Sophocles apud Stob. cap. 254. 256. Arrian. in Epictet. lib. ii. cap. 5. Plutarch. περὶ εὐθυμίας, et de Consol. ad Apollon. L.—Pro *quasi quum* repone *quasi si.* Ipse Donatus videtur *quum* supervacuum existimasse. Certe *quasi si* sæpe apud Plautum, et apud Terent. infra, v. 8. 18. B.

22. *Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit*] Utrum, quod opus est, jactu non cadit? incerta distinctio. D.—*Si illud, quod est maxime opus jactu, non cadit*] Hunc locum Cæsar imitatus videtur de bello civili, lib. iii. *Si non omnia caderent secunda, fortunam esse industria sublevandam.* Et Guntherus Ligurin. lib. i. 237. *Nunc igitur, veluti cum luditur alea, prudens, Si qua male acciderint, ea lusor corrigit arte: Sic nos, humanæ lusit quos alea sortis, Consilio fati casum properemus iniqui Corrigere, et tanto solatia ferre dolori.* L.

23. *Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas*] Ars adhibenda pro fortuna: non enim si male jactus ceciderit, deserendus est ludus: et *forte* nunc pro *fortuna* intelligendum. D.

24. *Corrector!*] Quia dixit, *arte ut corrigas:* sed moris est iratis ab ultimo verbo contradicentis incipere. D.

26. Nostri *vel gratis:* alii *at gratis.* Sed particulam *at,* aut, *vel* recte Bemb. non habet. Deinde versus requirit *gratiis* trisyllabon, ut semper est apud Ter. et Plaut. B.

27. *Neque est, neque illam sane studeo vendere*] In scopulo versatur Micio, in quo eligit ineptus potius videri, quam prodat Ctesiphonem patri. D.

28. Nostri optimi recte *facias?* non *velis facere,* sed *possis facere?* et insuper leg. *Quid illa igitur facias?* Nam responsum *domi erit* postulat *illa.* B.

29. *Meretrix et mater familias una in domo?*] Nescit enim, quod non Æschino sit rapta meretrix, arbitratur (*arbitratus* Z.) ambas in domo futuras. E.

30. *Cur non?*] Posset dicere, *non est Æschini amica:* sed celanda est culpa Ctesiphonis. D.—Versus hunc poscit ordinem, *Sanumne crédis te esse?* E.

31. *Ita me Di ament, ut video ego tuam ineptiam*] Ordo est, Ita me Di ament (ad-

Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
Mi. Cur non? De. Et nova nupta eadem hæc discet? Mi. Scilicet.
De. Tu inter eas restim ductans saltabis. Mi. Probe.
De. Probe? Mi. Et tu nobiscum una, si opus sit. De. Hei mihi!
Non te hæc pudent? Mi. Jam vero omitte, Demea,
Tuam istanc iracundiam; atque, ita uti decet,

de, *ut*), te facturum credo, ut habeas, quicum cantites. Ipse se fallit, non inquirendo ulteriorem (*interiorem* Ms. H. et B.) causam retentæ in domo meretricis. Mire autem *cantites:* quasi turpius sit cantare senem cum psaltria, quam coire. D.—Meliores nostri ita collocant, *Ut video tibam ego ineptiam.* B.

32. *Quicum cantites*] Amatoria videlicet cantica et meretricia, qualia erant quæ Græce λοκριὰ proprie dicebantur, id est, πορνιδίων σκόλια, apud Aristoph. in Ranis; vel πορνικὰ ἄσματα, Cyrill. περὶ ἐξόδου ψυχῆς: velut illius odæ pars est, quam in eam rem Athenæus laudat Dipnos. lib. xv. Nec alia fuit bubsequæ Virgiliani, quantumvis ἀγροικὴ cantilena, in Eclog. i. 6. *Formosam resonare doces Amaryllida sylvas:* et de qua Horatius, Satyr. i. Eclog. 5. 15. — *absentem ut cantat amicam, Multa prolutus vappa nauta, atque viator.* Quæ etiam θυμελικὰ ἄσματα a Cyrillo dicuntur: nam *els* θυμέλην sive scenam prodire soliti fuerunt, qui spectatores ejusmodi cantilenis assa voce oblectarent. Macer. l. C. lib. xxiv. ff. ad L. Jul. de adult. Atenim amatoriis cantilenis cum alias, tum maxime vino incalescente, ut etiam nunc sæpe fieri amat, convivia perstrepebant. Basilius περὶ μεθυόντων: γέλωτες παρ' ἀμφοτέρων, ἄσματα αἰσχρὰ, σχήματα πορνικὰ, ἐρεθίζοντα πρὸς ἀσελγείαν. Juvenal. Sat. xi. 171. *ille fruatur Vocibus obscœnis, omnique libidinis arte:* et quæ sequuntur: ubi vid. Scholiast. L.

33. *Et nova nupta eadem hæc discet*] Alius subaudiet *dicere* (*Psallere subaudi, et restim ducere*). Sed o magna in verbis elegantia! vide enim quam vim significet *discet:* et ideo non *uxor*, sed *nova nupta*, quam ad omnia docilem esse, ipsum indicat nomen. D.—Non hoc per interrogationem effertur, sed affirmative per irrisionem; ut supra, ii. B.

34. *Tu inter eas restim ductans saltabis*] Lusus est natus ab eo fune, quo introductus equus Durius (*equus ligneus* Mss. et edd. vett.) in Trojam est, cum nexis (*connexis* ed. Du B.) manibus fune, chorum ducunt saltantes. Hoc a quibusdam dicitur, sed ego puto, manu consertos choros puellorum puellarumque cantantes, *restim ducere* existimari: et id maxime convenire ad exagitandum importunitatem senis, veluti pueros imitantis. Simul etiam quia iste connexus manuum lascivus ac petulans adimit discretionem conditionis, dignitatis, ætatis, inter meretricem, novam nuptam, et senem. Et hoc, quemadmodum dictum est: et quanto stomacho jam ab Æschino recessum est, et transitum ad Micionis luxuriam describendam. D.—*Restim ductans saltabis*] Genus saliendi hoc tractum a Trojanis, qui cum funem tenerent, et equum introducerent, sic saltabant. E.—*Restim ductans*] Fuere veteribus in usu duo potissimum genera chorearum, bellicrepa sive πυρρίχη, et illa γελαστική, qua in theatris et comessationibus utebantur. Sed theatrales variæ erant: ἐμμέλεια enim τραγική, κόρδαξ κομική, σίκιννις σατυρική: inventoresque earum Satyri. Lucianus περὶ ὀρχήσεως: Οἱ Διονύσου θεράποντες, οἱ Σάτυροι, ταύτας ἐφεύροντες, ἀφ' αὐτῶν ἑκάστην ὠνόμασαν. Ideoque Arrianus in Indicis κόρδακα σατυρικὴν vocat, γενικῶς, a repertore ejus, non qui sic a reliquis discriminaret: καὶ ὀρχησιν ἐκδίδαξαι (Dionysius) τὴν σατυρικὴν, τὸν κόρδακα τὸν παρ' Ἕλλησι καλούμενον. Itaque *restim ducere* Terentio est, quod κόρδακα ἕλκειν Aristoph. utrumque comicum. Cujusmodi sane saltationes frequentes introduxuntur fabulis: Aristoph. in Vesp. Plaut. in Pseud. v. 1. Stich. v. 2. et alibi. Videnda. Athen. Dipnos. lib. i. Ulpian. in Demost. Olynth. 2. Pollux, Scholiast. Aristoph. in Nubib. et Etymol. Magn. L.

35. Etsi illud DE. *Probe* in Bemb. et duobus nostris reperitur: tamen est inepta, enervis, et putida repetitio, nec reliquis conveniens, quæ cum irrisione omnia dicuntur. Corrige igitur versum sic, *Et tute nobiscum, etc.* B.

36. *Jam vero omitte, Demea*] Mire urbanitatem expressit ultro (*non ultro* Z.) objurgantis, qui objurgatus est. D.—Versus probat lectionem codd. bonorum duorum, *O Demea.* B.

37. *Tuam istanc iracundiam*] *Tuam istanc* dicendo, et ridiculam et supervacuam significat. Et bene *iracundiam:* nam *ira*, de causa est: *iracundia* de vitio multum irascentis. D.

Hilarum ac lubentem fac te gnati in nuptiis.
Ego hos conveniam: post huc redeo. DE. O Juppiter,
Hancine vitam! hoscine mores! hanc dementiam!
Uxor sine dote veniet: intus psaltria est:
Domus sumtuosa: adolescens luxu perditus:
Senex delirans: ipsa, si cupiat, Salus
Servare prorsus non potest hanc familiam.

ACTUS QUINTI SCENA PRIMA.

SYRUS. DEMEA.

ÆDEPOL, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum.
Abi: sed postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc libitum est. DE. Illud sis vide

38. *Atque, uti decet, hilarum ac lubentem*] Bene addidit *lubentem*: multi enim *hilares* se simulantes, non *lubentes* sunt. *Hilarum*] Vetuste, non *hilarem*. D.

40. *Hancine vitam? hoscine mores? hanc dementiam?*] Ἐλλειπτικῶς omnia, utpote stomachose secum loquens: deest enim *esse*, aut quid tale. D.

41. *Uxor sine dote veniet*] Demea volens enumerare facta, concludit, quod uxor veniat domum *sine dote*, quod intus sit *meretrix*, quod *sumtuosa* sit *domus*, quod *adolescens luxu* sit *perditus*, quod *deliret senex*, ut si velit ipsa servare Salus, nunquam possit, familiam. E.

42. *Domus sumtuosa*] *Domus*, id est, homines. D.

43. *Ipsa, si cupiat, Salus, servare prorsus non potest hanc familiam*] Σωματοποία. Plautus, Asin. ii. 2. 2. *Lubentiorem te faciam, quam ipsa lubentia est.* Etenim ὑπερβολὴ est, *Ipsa Salus si cupiat servare, prorsus non potest hanc familiam.* Hinc licet æstimare quantum et caloris (*coloris* Mss. H. et B.) et gravitatis apud Terentium sit, ad imitationem Cæcilianam. Vide quantum creverit a superioribus, ut sic finiat. D.—*Si cupiat Salus*] Inscriptio vetus in Hispania:

NEC. HERCULES. QUEM. GADES. COLUNT.
NEC. BELLONA. QUAM. CAMERTES. ADORANT.
NEC. DI. OMNES. ROMANI. ERIPERE. ME. A MORTE POTUERE.

Plautus Capt. iii. 3. 14. *Neque jam servare Salus, si volt, me potest, nec copia est.* Cicero pro M. Fonteio, 6. *Salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest.* L.

1. *Ædepol, Syrisce*] Hic exemplum inducitur licentiæ servorum sub miti domino. *Ædepol, Syrisce, te curasti molliter*] Quia detexit Ctesiphonem (*Quia detegendus est Ctesipho* Z.) jam oportet ut ebrius inducatur Syrus: per cujus fallacias tegatur (*non tegatur* Z.) adeo. Et *Syriscum* se dicit, non *Syrum*, τῷ ὑποκοριστικῷ. *Molliter*] Delicate. D.—*Ædepol, Syrisce*] Egreditur servus vinolentus, quod nomen ita pronunciavit ut ebrius, demonstrare curo (*demonstrans, se bene esse curatum.* Z.). E.—*Ædepol, Syrisce*] Prisc. lib. xiii. et xviii. L.

2. *Lauteque munus administrasti tuum*] Ut quicquid esset bellissimum, carperes; cyathosque sorbillares. Aut *munus* servile, esse et bibere. D.

3. *Abi*] Verbum vel sibi vel alteri cum laudatione blandientis. Nam sic dicunt, qui jam compotes sunt votorum omnium, perfectique in rebus universis. D.—*Omnium rerum satur*] Plenus omnium rerum. E.

4. *Prodeambulare*] Nota duas præpositiones uni dictioni adjunctas, Ut, Georg. iii. 256. *Pede prosubigit terram*: et ἀμφιπεριφήνῃ, Iliad. β'. 305. Et optime ad delicias exprimendas hoc verbum convenit. Nam procedere segnem *deambulare* (*prodeambulare*) significat. Nam *deambulare* etiam intus potuit. D.—Lege et subdistingue, *Illuc sis vide; Exemplum disciplinæ.* B.

Exemplum disciplinæ. Sy. Ecce autem hic adest
Senex noster: quid fit? quid tu es tristis? De. Oh scelus!
Sy. Ohe, jam tu verba fundis hic, sapientia?
De. Tun' si meus esses? Sy. Dis quidem esses, Demea,
Ac tuam rem constabilisses. De. Exemplum omnibus
Curarem ut esses. Sy. Quamobrem? quid feci? De. Rogas?
In ipsa turba, atque in peccato maxumo,
Quod vix sedatum satis est, potastis, scelus,
Quasi re bene gesta. Sy. Sane nollem huc exitum.

ACTUS QUINTI SCENA II.

DROMO. SYRUS. DEMEA.

Heus! Syre, rogat te Ctesipho ut redeas. Sy. Abi.
De. Quid Ctesiphonem hic narrat? Sy. Nihil. De. Eho carnufex,
Est Ctesipho intus? Sy. Non est. De. Cur hic nominat?
Sy. Est alius quidam, parasitaster parvolus:

5. *Exemplum disciplinæ!*] Quia unus ex multis reliquis. An quia senior, et nuper etiam pædagogus, ut ipse ait, *Quem ego puerum tantillum in manibus gestavi meis.* D.

6. *Quid fit? quid tu es tristis?*] Mire securitatem ebrii hic expressit: numquid enim pertimescit interventum senis, ut volebat, Syrus? aut quicquam præcavet? Subblanditur tantum, et ita rerum oblitus est, ut quum eum sævum sciat, causam tristitiæ ejus inquirat. D.

7. *Tu verba fundis hic sapientia*] Utrum *sapientia verba?* an *tu sapientia?* quia dixit supra, *Tu quantus quantus es, nihil nisi sapientia es. Fundis*] Utrum, sine ulla cessatione profers? An *perdis?* secundum illud, *Nam quid tu hic agas, ubi si quid boni præcipias, nemo obtemperat?* D.—Distingue post *jam:* ut sensus sit, Ohe jam desine. Unus e nostris non male habet *fundes.* B.

8. *Dis quidem esses, Demea*] Ab eo quod est *Dis, ditis, dites* facit: ab eo quod est *Dives, divitis, divites.* D.—*Dis quidem esses, Demea*] Ut sit declinatio, hic *dis,* hujus ditis. E.—Plures et meliores libri, *Tu si meus esses.* Recte. Nam continuatur oratio, *exemplo omnibus curarem ut esses.* B.

10. *Quamobrem? quid feci?*] Nihil nunc in Syro nisi simplex et purum ob ebrietatem. Et vide, *Quamobrem? quid feci?* dicere, non esse sobrii Syri. D.

11. *In ipsa turba*] Non minus ridicula importunitas Demeæ est, quam ebrietas Syri: qui adversum temulentum tantæ gravitatis oratione personat, ut ex dicentis vultu et verbis, et ex audientis habitu et stupore magnam voluptatem percipiant spectatores: vides enim quanto pondere verborum cum ebrio litiget. D.

12. *Potastis, scelus*] Non quod plus videt senex, quam objicitur oculis: sed oratorie *potastis,* dixit, quum unum ebrium cernat: propter illud quod ait, *Exemplum disciplinæ:* quasi in omnibus sit, quod in uno nunc aspicitur. Virg. Æn. ii. 65. *et crimine ab uno Disce omnes.* D.—Faerni et nostri omnes codd. habent recte *potasti.* B.

13. *Sane nollem huc exitum*] Et hoc dictum argumento est, Syrum oblitum omnium rerum nihil respondisse Demeæ per fallaciam: sed tantummodo pœnitere quod exierit. D.—*Nollem huc exitum*] Ma. R. *nollem hunc exitum.* L.

1. *Heus! Syre*] Quam clare dicat, ostenditur ex eo quod præmisit *heus,* antequam loqueretur. *Ctesipho*] Mire additum nomen est: quum aut sine hoc, aut per pronomen intelligi possit Ctesipho. *Ut redeas*] *Redeas* dicendo, ostendit et illum inter pocula, a quo egressus est ebrius. D.—*Heus! Syre, rogat te Ctesipho, ut redeas*] Puer missus a Ctesiphone adolescente, ignorans patrem præsentem, revocat Syrum, et dicit, se missum a Ctesiphone: ut, cognoscat (*hinc fit ut cogn.* vel leg. *ubi cognoscit* Z.) pater intus esse filium, vehementer irascitur, intro ire cupiens tenetur a servo suo, sed, impetu facto, ingressus filium intus esse cognovit. E.

4. *Est alius quidam, parasitaster parvolus*] Non alius parasitaster, sed alius

Nostine? DE. Jam scibo. SY. Quid agis? quo abis? DE. Mitte me.
SY. Noli, inquam. DE. Non manum abstines, mastigia?
An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic? SY. Abiit.
Ædepol comissatorem haud sane commodum,
Præsertim Ctesiphoi: quid ego nunc agam?
Nisi dum hæ silescunt turbæ, interea in angulum
Aliquo abeam, atque edormiscam hoc villi: sic agam.

ACTUS QUINTI SCENA III.

MICIO. DEMEA.

PARATA a nobis sunt, ut dixi, Sostrata,

Ctesipho, qui est parasitaster. Et bene *non alter*, sed *alius*: quasi non duo, sed multi sint Ctesiphones. Et hoc sic pronunciandum est, ut simul et quærat, et dicat *Nostin'?* Quasi sycophanta, nunc addidit, *Nostin'*; nam veteratoris est, etiam mentientem confidere. D.—*Parasitaster parvolus*] Ms. R. et vett. codd. *parasitaster paululus*. L.—Recte in Bemb. et plerisque nostris est *paululus*. Nam *parvolus* de ætate etiam dicitur, *paululus* nunquam nisi de statura: ut hic fit. B.

5 *Quid agis? quo abis?*] Hoc jam ebrio convenit, non illi quem cognovimus Syrum. Nam quod retinet senem, confessionis genus est. D.

6. *Non manum abstines, mastigia?*] Etiam injecisse manum, ut teneret Demeam, ex ipsius verbis cernitur. D.

7. *An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic?*] Ut apparet, baculo minatur. *Abiit*] Quia prohibere non potuit, demisso et desperanti vultu, quid factum sit, dicit, et abiisse pronunciat. D.—Recte Bemb. *abit*. B.

8. *Ædepol comissatorem haud sane commodum*] Τῷ ἐπιχλεναστῷ (alii, τῷ εὐφημισμῷ) tantum inopinatus supervenit (*superveniet* Z.), ut omnia sic offendat, quemadmodum qui comissatum ingreditur: quia comissatoris est supervenire ad scortum, et vociferari aliquid in jocularem strepitum: quare totum salse, totum ad Demeam contulit. D.—*Ædepol commissatorem haud sane commodum, præsertim Ctesiphoni*] *Comissatores* dicuntur, qui post cœnam veniunt ad lætitiam, et ad voluptatem. Ergo nunc novum commissatorem Ctesiphoni misimus patrem, cujus rationem habeat. E.—Similis sententia illa Menandri: Ὁ σκληρὸς ἀνὴρ ἐστιν ἐν νέοις γέρων. W.

9. *Præsertim Ctesiphoni*] Bona exceptio, ut appareat omnibus incommodum, et in his Æschino, sed præcipue Ctesiphoni. D.

10. *Nisi dum hæ silescunt turbæ*] Non quæ jam sunt, sed quæ erunt. D.

11. *Hoc villi*] Ὑποκόρισμα est *vini*: ut *unus ullus, asinus asellus, vannus vallus, vinum villum*. D.—*Atque edormiscam hoc villi*] Alicubi jaceam, et hoc vinum digeram dormiendo. Diminutive enim vinum *villum* dixit. E.—*Edormiscam hoc villi*] Ms. R. et V. C. *hoc vini*. L.

1. *Parata a nobis sunt, ita ut dixi, Sostrata, ubi vis*] In hac scena collatio est personarum mitis parentis ac sævi. *Parata a nobis sunt*] De verbis abeuntis vult ostendere poeta, quam orationem cum Sostrata habuerit ingressus Micio. Et vides (*vide* Mss.) quas ἀλλείψεις interposuerit. Primo, *Parata a nobis sunt*: quæ, non dixit: sed, *ita ut dixi* dicendo, significat se dixisse omnia. Deinde *ubi vis*, fiant nuptiæ, vel quid tale, aut omisit: aut dicturus hoc ipsum, audit vehementius fores esse pulsatas: et, quod agebat, abjecit. D.—*Parata a nobis sunt, ut dixi, Sostrata*] Hæc scena controversiam tenet, (excidit *an* Z.) pacta et conventa rata sint. Qui adoptandum filium dedit, pactus est, ut ipsum curaret, quem in adoptionem dederat, suum tantummodo curans. Inventus alter filius apud eum, qui adoptaverat, cum meretrice redemta. Quæritur, An, qui adoptaverat reus sit? Hic per præsentem statum responsio efficitur, quia ille dixerat, *Cur recipis meum?* Respondetur, *Communia esse amicorum omnia*; alienum illum non esse, sed communem. Hujus igitur accusationis exordium damnationis sumtum, posteaquam comperit Demea, adolescentem in domo fratris esse. E.—Daceria probat rationem cod. Regii,

Ubi vis: quisnam a me pepulit tam graviter fores?
Dr. Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem? aut querar?
O cœlum, o terra, o maria Neptuni! Mi. Hem tibi,
Rescivit omnem rem: id nunc clamat scilicet:
Paratæ lites: succurrendum'st. De. Eccum adest

quo hic demum initium actus quinti statuitur. Nam vulgaris divisio videtur absurda propterea, quod ibi finis actus quarti constituitur, ubi Demea in scena remanet. Deinde pro *ut* Bentl. edidit *ita ut*. Z.

2. *Quisnam a me pepulit*] *A me*, modo id est *meas*. *Tam graviter*] Quia irati omnia concite faciunt, quum pulsandæ fores essent exituro foras Demeæ, sic eas pulsavit, ut et his ipsis irasci videretur. D.

3. *Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar? o cœlum! o terra! o maria Neptuni!*] Multum laboravit Terentius, ut ἀναλογίαν servaret in dolore Demeæ: quo major debet in Ctesiphone reprehensio esse, quam in delictis Æschini. Et nota, quod ubi non invenit quod dignum loqueretur, ab interjectione cœpit, *Hei mihi!* Et adhuc quum pro rei magnitudine oratio parva esset, *quid faciam?* inquit. In alieno indignatus est: in suo *quid faciam?* inquit. In alieno litigavit: hic ait, *quid agam?* In alieno clamavit et questus est: hic in suo relinquitur. Et præter διαπόρησιν, in Æschini peccato Micionem accusavit: in Ctesiphonis, elementa cum Diis omnibus ac toto mundo. Mira ἀξήνησις, et quam imitatur Virgilius Ge. iv. 504. in Orpheo, post amissam rursus Eurydicen, *quid faceret?* inquit: omnia enim consumserat primus dolor. *Quo se rapta bis conjuge ferret?* nam quid, præter omnes terras atque inferos, loci remanebat? *Quo fletu manes:* per quem fletum manes, quasi omnes primis luctibus impleverat lacrymis. *Qua numina voce moveret?* cui nec ira quidem inexperta remanserat. Et vide hic gradus doloris et iracundiæ, in tantum autem (*auctæ*) ut jam crescere non possint: quippe in initio fabulæ tantum tristis est Demea. Nam sic audit a Micione, *Quid tristis es?* et ipse, *Rogas me? ubi nobis Æschinus siet? quid tristis ego sim?* Inde mox procedit in pejus: adeo ut sic incipiat, *Disperii! Ctesiphonem audivi filium una fuisse in raptione cum Æschino.* Inde postea dicit, *Næ ego homo sum infelix!* Ad postremum, *Hei mihi! quid faciam? quid agam?* Et naturali quodammodo, postquam summus furor ad extrema pervenit, repente senex mutatur, et mitis est. D.—*Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem?*] Defensionis illud exordium est. E.

4. *O cœlum! o terra! o maria Neptuni!*] Neptunus, quia medius sit inter cœlum et inferos, dum utriusque regni particeps habetur, elementorum omnium potior (*potitor*). Nam ideo tridentem habet, pro numero trium elementorum: ut apud Virgilium idcirco dicit, Æn. i. 133. *Jam cœlum terramque meo sine numine, venti Miscere.* Et apud Homerum sic idem Od. ε', 291. Ὣς εἰπὼν, σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον, Χερσὶ τριαίνην ἑλών· πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας Παντοίων ἀνέμων· σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον. Et hoc est quod ait Horatius in Arte Poetica, 93. *Interdum tamen et vocem Comœdia tollit.* In hæc enim tria rerum natura dividitur. Ut Virg. Æn. i. 62.—*maria, ac terras, cœlumque profundum.* Et per hoc totum mundum accusavit. *O cœlum! o terra! o maria Neptuni!*] Utrum deos elementa vocavit, quod diis quoque irascitur, qui in iis commorantur, ut dolentes solent? An quia Deos esse non putat, ideo hæc omnia Neptuni dicit: quasi dicturus esset, *Neptunia fiant*, nisi intercederet persona Micionis: quem videns, ad aliud conversus, desiit diluvium et interitum rebus optare, objecto fratre, cui maxime irascitur, et propter quem detestabatur omnia. Tale est apud Virgilium, Ecl. viii. 58. *Omnia vel medium fiant mare.* An omnia accusat, ut indignantes solent? Ut, Æn. ii. 745. *Quem non incusavi amens hominumque, deorumque?* Et ut, Ecl. v. 23. *Atque deos atque astra vocat crudelia mater. Hem tibi!*] Τῷ ἴδιωτισμῷ *tibi.* Nulli enim Micio loquitur. D.

5. *Id nunc clamat*] *Id*, ob id. D.—Etsi Bemb. Victor. et Servius ad Æn. ii. 424. habent *ilicet;* tamen *scilicet* retinendum esse censemus. Nam nostrorum codd. consensu comprobatur; Terentii usui convenit, v. c. And. i. 2. 14. *Id populus curat, scilicet;* et sententiam adjuvat. *Ilicet* enim cum sit desperantis, repugnat sequenti *succurrendum est.* B.

6. *Scilicet: paratæ lites*] Videtur et ipse pertimuisse, dicendo *scilicet*, et *paratæ lites.* Sed ut rursus confirmet seipsum, quia *succurrendum est*, ait. *Succurrendum est*] Ctesiphoni scilicet. D.

Communis corruptela nostrum liberum.
MI. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
DE. Repressi, redii: mitto maledicta omnia:
Rem ipsam putemus: dictum inter nos hoc fuit,
Ex te adeo est ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum? responde. MI. Factum'st, non nego.
DE. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Micio? num qui minus
Mihi idem jus æquum'st esse, quod mecum'st tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
MI. Non æquum dicis. DE. Non? MI. Nam vetus verbum hoc quidem'st,

7. *Communis corruptela nostrum*] Qui communiter ambos corruperit. *Communis corruptela nostrum liberum*] Major accusatio est ista, quam prior: quippe quum jam modo de ambobus accusetur Micio, non de uno. D.

8. *Tandem reprime iracundiam*] Mire. Quia reprehendere nequit irascentem, nimietatem reprehendit irati. Et *ira*, de causa est: *iracundia*, de moribus. *Atque ad te redi*] Quia ira, ab eo quod est *ire*, dicitur, quod a se eat, qui irascitur et furit. Et, *ad te redi*, proprie dixit. Virg. Ge. iv. 443. *Verum, ubi nulla fugam reperit fallacia, victus In sese redit.* Et Cicero in Cæcil. 17. *Redit ad se, atque ad mores suos.* D.—*Tandem reprime iracundiam, atque ad rem redi*] Propositio est criminis. E.

9. *Repressi, redii*] Non quid dicatur, sed quo gestu dicatur, specta: et videbis neque adhuc repressisse iracundiam, neque ad se rediisse Demeam: sed quam mira est atque perspicua moralitas, in hujusmodi rebus apparet. D.

10. *Rem ipsam putemus*] Videtur paulo citius destomachatus, quam res etiam incertæ poscebant. Sed et hoc morale: nam juste irati, omissa sævitia, ad ratiocinationes sæpe festinant. Et præterea illud accedit, quod non invenit jam, quod condigne dicat: simul etiam quia increpitus est a fratre, quod apud se jam non sit per iracundiam vehementem. *Rem ipsam putemus*] Tractemus, purgemus. Nam et hinc *putamina*, purgamenta dicta sunt: ut Plautus in Capt. iii. 4. 122. ait, *Nucleum amisi, retinui pignori putamina.* Et Virg. Æn. vi. 332. *Multa putans*, inquit. *Putare* proprie, est falsa et cassa a veris et utilibus resecare: unde arborum purgatores, *putatores* dicuntur. Et *rem*, causam ipsam litis ostendit: ut, *Mitte ista, atque ad rem redi.* D.—*Dictum hoc inter nos fuit; ex te adeo est ortum, ne tu curares meum, neve ego tuum? responde*] Hæc propositio est legis. Crimen sic proponitur: *Cur nunc apud te potat? cur recipis meum? cur emis amicam, Micio?* Conclusio: *Quando ego tuum non curo, ne cura meum.* E.

11. *Ne tu curares meum*] Nam ambos curare, propemodum reposcere illum est, quem dedisti. D.

12. *Factum est*] Apparet Micionem invitum quidem fateri, sed facete contemnere objecta. D.

14. *Cur emis amicam, Micio?*] Inclamatio ista nominis magnam invidiam significat: ut, *Regnumne, Æschine, hic possides?* Et, Æn. xi. 362. *Pacem te poscimus omnes, Turne. Num qui minus mihi idem jus æquum est esse*] Aut *num*, aut *qui* abundat: et est ordo, Qui minus æquum est esse idem jus mihi, etc. *Qui* ergo, quare vel cur significat. D.

15. Lindenbrog. cum Faerno consentit. Variant codd. sed legendum arbitror, *Num qui minus Mihi jus idem sit tecum, quod mecum'st tibi?* Nam *tecum* poscit ipsa antithesis. Atque cætera conveniunt Plauto Amph. Prol. 76. *Qui minus Eadem histrioni sit lex, quæ summo viro?* B.

17. *Non*] Confidenter non repetivit, non habens rationem quam subjiceret: nisi illi proverbium venisset in mentem. Nam quia se videt in malam causam incidisse, totum verniliter et facete agit: et subjicit æquitatem, ubi justo se tueri non potest. Quod tamen a Demea statim convincitur, dicendo, *nunc demum istæc oratio nata*: ut ostendat illum perturbatum contraria protulisse dictis suis superioribus. D.—*Non æquum dicis*] Licet definitivus colligitur status, argumentem qualitatis est, causam non esse, juxta hæc, quæ in pacto collocata sunt, propterea quia *amicorum* sunt *universa communia.* E.—Donatus et cod. bonus G. Fabricii totum hoc tribuunt Micioni. Sed nostri omnes

Communia esse amicorum inter se omnia.
De. Facete: nunc demum istæc nata oratio est.
Mi. Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea:
Principio, si id te mordet, sumtum filii
Quem faciunt, quæso facito hæc tecum cogites:
Tu illos duos olim pro re tollebas tua,
Quod satis putabas tua bona ambobus fore;
Et me tum uxorem credidisti scilicet
Ducturum: eandem illam rationem antiquam obtine:
Conserva, quære, parce: fac quamplurimum
Illis relinquas: gloriam tu istam obtine.
Mea, quæ præter spem evenere, utantur sine:
De summa nihil decedet: quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse omne: hæc si voles
In animo vere cogitare, Demea,
Et mihi, et tibi, et illis demseris molestiam.
De. Mitto rem: consuetudinem ipsorum. Mi. Mane;

interponunt Demeam. Utrumque ita se commendat, ut nescias utrum præferas. B.

18. *Communia esse amicorum inter se omnia*] Inter Pythagoreos ortum dicitur. D.—*Communia esse amicorum*] Malchus de Pythagora: *τοὺς δὲ φίλους ὑπερηγάπα, κοινὰ μὲν τὰ τῶν φίλων εἶναι πρῶτος ἀποφηνάμενος*: Hieronym. advers. Rufin. *Pythagorica et illa præcepta sunt, Amicorum omnia sunt communia;* Seneca de Benef. vii. 14. *Me scito et de amicis interrogare; omnia dicitis illis esse communia; ergo nemo quicquam amico donare potest.* L.—Menander apud Suidam: *Τὰ τῶν φίλων κοινὰ, οὐ μόνον τὰ χρήματα, Καὶ νοῦ τε καὶ φρονήσεως κοινωνία.* W.

19. *Facete nunc demum istæc nata oratio est*] Alii totum jungunt: alii separant. Et bene *nata est:* nam sic dicimus de rebus repentinis: ut supra, *E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est, hera.* D.

20. *Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea*] In duas partes dividitur tota persuasio; nihil passurum Demeam damni, nihil (*nihil filios*) corruptelæ. D.

21. *Principio, si id te mordet, sumtum filii quem faciunt*] Figurativa locutio est: ut, *eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!* D.—*Principio, si id te mordet, sumtum filii quem faciunt*] Jam hic non ex pactione quæstio est, sed ex eo, quod corruptis nunc moribus vivit, quod bona consumit. Cui rei affertur defensio, quod de suo sumtus faciat. Quamquam hic intenditur illa quæstio, semper in corruptis filiis consuetudo illa est, quæ ametur (forte *animetur*, aut, *cavetur*. Z.). Etenim proposuit nutritorum consuetudinem ipsorum. Hoc purgatur ita, quod ætate ista faciant, et facile possit corrigere, cum ad maturitatem ætatis accesserit (*accessum sit:* aut *accesserint* Z.). E.—*Id te mordet*] Sic Græci quoque, *τοῦτ' ἐμὲ δάκνει.* L.

22. *Quæso*] Modo objurgatorium est *quæso.* D.—Nostri, *facito hæc;* sed Bembinus *hoc facito.* B.

23. *Pro re tollebas tua*] Pro patrimonii tui qualitate. D.—Bembinus habet *duo* et *tolerabas*, h. e. sustentabas, alebas. Sed nostri codd. et vett. grammatici exhibent omnes *tollebas.* Nam quod Faernus arbitratur, *tollebas* de adultis jam filiis non proprie dici: id quidem verum est, sed nihil ad rem. *Olim* enim ait. Igitur non de adultis agitur, sed infantibus. B.

25. *Et me tum uxorem credidisti scilicet ducturum*] Ἐπεγγγή. D.

27. *Conserva, quære, parce, fac quamplurimum illis relinquas*] Hoc sic pronunciandum, ut appareat hanc ipsam voluptatem displicere Micioni. *Conserva* parta. *Quære* nova. *Parce* omnibus. D.

28. Omnes nostri cum edd. vett. *gloriam tu istanc tibi obtine.* Repone autem, *Illis relinquas, gloriamque istanc tibi.* Nam *obtine* putidum esset si hic repeteretur. B.

29. *Utantur sine*] Aut deest *his*, ut sit, *his utantur:* aut *mea utantur*, antique locutus est. D.

30. *De summa nihil decedet*] Rei tuæ scilicet. D.

33. *Demseris*] Pro *demes.* D.

34. *Mitto rem*] Pecuniam. Et hæc exclamatio est moralis adversum nimis tar-

Scio: istuc ibam: multa in homine, Demea,
Signa insunt, ex quibus conjectura facile fit,
Duo quum idem faciunt, sæpe ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod is qui facit.
Quæ ego illis inesse video, ut confidam fore,
Ita ut volumus: video sapere, intelligere, in loco
Vereri, inter se amare: scire est liberum
Ingenium atque animum: quo vis illos tu die
Reducas: at enim metuas, ne ab re sint tamen

dos, ac non intelligentes homines. *Consuetudinem istorum*] *Loquor*, aut quid tale, subaudiendum. *Mitto rem: consuetudinem ipsorum*] Vel ab utilitate ad honestatem transit: vel a rebus ad illos ipsos, de quibus agitur. Cavetur enim, ne aut rem perdant, aut ipsi pereant. D.

35. *Mane; scio: istuc ibam*] Moralis et faceta correptio, continens in se latenter blandimentum, quo deliniatur auditor (*alter*: aut, *Demea frater*). *Multa in homine, Demea, signa insunt*] Obscurissimus sensus et re et verbis. D.—*Multa in homine, Demea, signa insunt, ex quibus conjectura facile fit*] Quod facile adolescentes corrigi possunt, dixit inesse in eorum moribus indicia melioris disciplinæ; et probat ex consuetudine, quod sic exercet correctionem: duo unam rem faciunt. Quod ille (*Duo quum unam rem faciunt: ille* Z.) qui adolescentulus est, impune facit, ille cum grandior natu, crimen admittit. Hoc enim dixit, *Non quod dissimilis res sit, sed quod hic, qui facit.* Orabat de moribus, quod facile corrigi possint quæ faciunt. Jam in loco verentur, jam intelligunt, quod jam liberum arbitrium habeant, quod facile reduci possint ad integram disciplinam. Huic incidit alia quæstio: hodie quia in luxuria vivunt, quemadmodum correcti licet perditis (*quemadmodum corrupti scilicet et præditi* Z.) malis moribus res suas diligenter administrabunt? Purgavit istud similiter consuetudine a proprio more senectutis, quod hæc ætas magis hoc vitium habeat, quod diligentiores faciat homines, ut res suas curent. Ergo etiam hoc (*ad hoc* Z.) *illos ætas acuet.* E.

36. Metri venustas postulat, ut legatur, *Signa insunt, quibus ex, etc.* B.

37. *Duo quum idem faciunt*] Obscure locutus est, quum hic sit sensus: Duo idem faciunt, quorum uni licet facere, alteri non licet. *Duo quum idem faciunt*] Nam ambo et sapiunt, et intelligunt, et loco verentur: non ingenii vitium, sed ætatis est. *Sæpe, ut possis dicere*] Melius est *sæpe* ad superiora conjungere: nam possunt duo idem facere et casu, non ut similitudinem (*non ut simili studio idem*) facere videantur: tunc ergo erit signum, *sæpe idem faciunt. Dicere* autem posuit, pro intelligere et scire: ab eo quod præcedit, id quod sequitur: ut, *Fœneratum istuc beneficium pulchre tibi dices*: et, *Memorem me dices esse et gratum.* D.

38. *Hoc licet impune*] Augustin. Epist. 5. *Quod enim in diversitate personarum uno tempore accidere potest, ut huic liceat aliquid impune facere, quod illi non liceat, non quod dissimilis sit res, sed is qui facit: ita ab una eademque persona diversis temporibus tunc oportet aliquid fieri, tunc non oportet, non quod sui dissimilis sit qui facit, sed quando facit.* L.

39. *Non quod dissimilis res sit*] An quia huic licet? D.—Recte Bemb. pro *quod* utrobique habet *quo.* B.

40. *Quæ ego esse in illis video*] Ordo et sensus hic est: Multa in homine, Demea, signa insunt, ex quibus conjectura facile fit: quæ ego illis inesse video, ut confidam fore ita ut volumus. D.—Codd. omnes nostri, *Quæ ego in illis esse video.* Recte. Eun. iii. 1. 10. *Qui sat habet, quod in te est.* B.

41. *Intelligere, in loco vereri*] Non, *in loco intelligere*: sed, *in loco vereri.* D.—In omnibus fere nostris est, *video esse sapere*: et apprime huc convenit. B.

42. *Inter se amare*] Cito (*Scite* Z.) dixit *inter se*: quod est, quum alter alterum invicem amat. D.—*Scire est liberum ing. a. a.*] H. e. Scire licet eorum ingenium atque animum liberalem esse et nobilem. Juvenalis: *Tu tibi liber homo, et regis convivia videris.* FAERN.

44. *At enim metuas*] Ἀντίθεσις ad priorem tractatum pertinens, qui est habitus de consuetudine rei familiaris. *Ne ab re sint tamen omissiores paulo*] Quia amant, potant, olent unguenta. *At enim metuas, ne ab re sint tamen omissiores paulo*] Oratorie *paulo*: nam non *paulo* omissiores fore Demea, sed *plurimum* fore credit et metuit. Et *ab re*, a patrimonio. D.

Omissiores paulo: o noster Demea,
Ad omnia alia ætate sapimus rectius:
Solum unum hoc vitium senectus affert hominibus,
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est:
Quod illos sat ætas acuet. De. Ne nimium modo
Bonæ tuæ istæ nos rationes, Micio,
Et tuus iste animus æquus subvortat. Mi. Tace;
Non fiet: mitte jam istæc: da te hodie mihi:
Exporge frontem. De. Scilicet, ita tempus fert,
Faciundum'st: cæterum rus cras cum filio
Cum primo lucu ibo hinc. Mi. Immo de nocte censeo:

45. *Omissiores*] Ἀνειμένοι, ἀνετώτεροι, negligentiores. Sic in Heautontim. *Ubi te vidi animo esse omisso. O noster Demea*] Blanda et cum quodam complexu ejus, qui reprehenditur, incusatio, et de more sublata. Et sic hoc dixit, tanquam dicturus esset, Multa te latent, simplex homo es. Nam hujusmodi sententia latenter quandam dicentis auctoritatem fiduciamque designat. D.

46. *Ad alia omnia ætate sapimus rectius*] Præterquam ad avaritiam. Et per hoc, quod optas liberis, vitium senectutis est. D.—Menander apud Stobæum: Εἰ τ' ἄλλ' ἀφαιρεῖν ὁ πολὺς ἐλαθεν χρόνος Ἡμῶν, τό γε φρονεῖν ἀσφαλέστερον ποιεῖ. W.

47. *Solum unum hoc vitium*] Cicero de Senect. 18. *Avaritia senilis quid sibi velit, non intelligo. Potest enim quicquam esse absurdius, quam quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere?* Horat. in Arte, 169. *Multa senem circumveniunt incommoda: vel quod Quærit, et inventis miser abstinet, et timet uti: vel quod res omnes timide gelideque ministrat. Hominibus*] V. C. *omnibus.* L.—Nostri omnes confirmant Lindenbrogii lectionem. *Senectus* est disyllabon, quasi *snectus*, ut *senex* sæpe *snex*. B.

48. *Attentiores sumus ad rem omnes*] Proprie *attentiores* reddit *omissioribus*: supra enim dixerat, *ne ab re tamen sint omissiores paulo. Quam sat est*] Quasi dicat, attentos nos esse non statim (*attentos nos esse nimium*, Ms. B. cum edd. ante Steph.) crimen est. D.

49. *Quod illos sat ætas acuet*] Μεταφορικῶς *acuet. Ne nimium modo bonæ tuæ istæ nos rationes, Micio, et tuus iste animus æquus subvortit*] *Ne* valde. *Subvortit* infra legendum est. Si *ne*, pro non, conjunctio est: et *subvortat* legendum est, ita ut subaudiamus *timeo*, vel aliquid tale. Et *tuæ* et *istæ* quod ait, significationem habent nulliusmodi rationem et ineptam (*rationum, et ineptarum*). Nam apparet non eas probari ab eo, qui sic loquitur: ut supra, *Jam vero omitte, Demea, tuam istanc iracundiam.* D.

51. *Tace, non fiet*] *Tace* nunc pro ἐνφημισμῷ positum est: quasi diceret, non subvertet: ne dixeris, quod mali ominis verbum est. D.—*Animus æquus subvortit*] V. C. *subvortant*: al. *evertant*. L.—Nostri omnes *subvortant*. Utrumvis probe. B.

52. *Da te hodie mihi*] Accommoda te ipsum voluntati meæ. Nam in (alii, *ad*) animum transtulit quod est corporis, ut in Eunucho: *Mihi sese dare, sermonem quærere.* Cicero, Verr. iii. 19. *Cerviculam jactare, et populo se accommodare. Da te hodie mihi*] Si non vis, inquit, propter te; vel propter me mitis esto. D.

53. *Exporge frontem*] Quia *contrahi* in verbo (*contrahi a severo*: aut, *contrahi contrario verbo*) dicitur. Et verbo isto ostenditur, quanto conatu opus sit ad explicandam tantam contractionem senectutis et severitatis. *Scilicet, ita tempus fert, faciundum est*] Vide si non hoc sit, quod Græci • MIPCOKAλημερον (Μισοκαλήμερον, i. e. odiosum, severum) dicunt: nam sic et *ita tempus fert*, et *faciundum* dicendo, ostendit se magis cogi necessitatibus, ut paulo sit tranquillior; et cum tanta difficultate promittit, tanquam mala subiturus sit. Atque adeo majorem partem secum disputat, necessario hoc velit nolit faciendum esse, ut sit lætior: et hoc quia *tempus fert: Faciundum est*] Satis mire: tanquam necessitate cogatur ad gaudendum agrestis senex • ξMICOKAλHMEPOC (Μισοκαλήμερος.). D.—*Exporge frontem*] In rugas enim contrahitur frons per iracundiam; cum lætitia fuerit, porrigitur et extenditur. E.

54. *Cæterum rus cum filio cum primo lucu ibo hinc*] Hoc ideo fecit, quasi gaudere interim non possit, nisi se vicinæ sævitiæ proximitate soletur. D.

55. *Cum primo lucu*] Ἀνασύκησις (Ἀρχαϊσμός). *Cum primo lucu*] Veteres dicebant *lucum*, pro *luce*, pro sole ponentes. Ergo *cum primo lucu*, quum primum sol cœperit illucescere. *Cum primo lucu*] Veteres masculino genere dicebant *lucem*

Hodie modo hilarum fac te. DE. Et istam psaltriam
Una illuc mecum hinc abstraham. MI. Pugnaveris.
Eo pacto prorsum illic alligaris filium.
Modo facito, ut illam serves. DE. Ego istuc videro:
Atque illi favillæ plena, fumi, ac pollinis,
Coquendo sit faxo et molendo: præter hæc
Meridie ipso faciam ut stipulam colligat:
Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo'st. MI. Placet.
Nunc mihi videre sapere: atque equidem filium,
Tum etiam si nolit, cogam ut cum illa una cubet.
DE. Derides? fortunatus, qui istoc animo sies:

(*Lucus.* Guido Juvenalis). *Ibo hinc*] Tanquam de malo loco. *De nocte*] Abundat *de.* D.—*De nocte censeo*] Tantummodo hoc age, ut nocte donea, dummodo hodie præbeas hilaritatem. E.—Nostri codd. universi sic, *Cum prima luce ibo, etc.* At versus ita est justo longior. Faernus delendum *immo* censet; contra sententiam. Potius ejice *ibo hinc*, quod Donatus non legisse videtur. Cæterum leg. *Cum primo luci.* Nam *luci*, quod est adverbium, ut *mani*, extat in cod. Fabricii, et sic laudat Charisius ex Sisenna. B.

56. *Fac te*] Eodem verbo utitur, quo jamdudum: ut laborem ad lætitiam se convertentis ostendat: id est, elabora ut sis hilaris (*Fac te: non dixit Esto; sed elabora, ut esse possis hilaris.* Uterque lib.). *Et istam psaltriam una illuc mecum hinc abstraham*] Vide singulas syllabas, imbutas amaritudine rustica atque agresti. Nam *istam* odium significat. *Psaltriam:* Sævitia in nomine est, quam deliciosam oportet: et, *una mecum:* quam cum adolescentibus esse convenerat: et *illuc:* ad quem locum psaltriam secum ire compellit. Deinde ne vel in itinere pœna cesset, *cum filio ibo hinc*, inquit, *illam vero abstraham.* Nam *illuc* eo animo dixit, quo supra, *ibo hinc.* Et apparet illum quasi mancipium ducturum puellam, non ut fidicinam. D.—Lege ex tribus nostris, *hilarum te face.* B.

57. *Mecum hinc abstraham*] Non abducam: sed quod est sævientis, abstraham. *Pugnaveris*] Magnam rem feceris. Sic Lucilius, *Vicimus, o socii, et magnam pugnavimus pugnam.* D.

58. *Ego pacto prorsum illic alligaris filium*] Hæc cum risu dicit Micio. Et *ligare*, est injicere alicui vincula. Quis vero dicitur *alligari* ad aliquid, sine quo esse non possit? Ergo proprie ad amicam alligari adolescentem dixit amatorem. *Prorsum* autem, certe, recte, ac vere significat. D. —Lege cum codd. et Donato *illi* pro *illic*, adverbialiter, i. e. *rure.* B.

59. *Ut illam serves*] Acuendum *illam:* hoc est, non jam filium, sed *illam* serva, in qua utrumque retinueris. *Ego istuc videro*] Hoc est, *ut illam servem.* D.

60. *Atque ibi favillæ plena, fumi, ac pollinis coquendo sit faxo, et molendo*] Atqui *molere* prius est, quam *coquere:* sed illud prius posuit, quo pulchritudo magis fœdatur: an quia prius torreatur triticum, ut tundi possit? Ut Virg. Æn. i. 179. *Et torrere parant flammis, et frangere saxo.* D.—*Favillæ plena, fumi*] Homer. Od. σ'. 27. γραὶ καμινοῖ ἶσοι: et ex eo Nicetas Choniat. καὶ γραῒ καμινοῖ ἶσοι ἐκ τοῦ καταβολᾶσθαι πυρί. Appone *atque* priori versui, sic ut priori detur *at*, et *que* posteriori. B.

61. *Coquendo sit faxo, et molendo*] Ne ametur scilicet. *Coquendo sit faxo, et molendo: præter hæc*] Ἀνάδοσις octava. D.

62. *Meridie ipso*] Quum sol vehementior est. Et nomen fecit de adverbio. *Meridiem* dixerunt veteres, quasi *medidiem*, r pro d posito, propter cognationem harum inter se litterarum. *Ut stipulam colligat*] Quod sub sole fieri necesse est. D.

63. *Tam excoctam reddam, atque atram*] Ἰδιωτικῶς dixit *reddam*, pro *faciam.* Et *excoctam*, ad tenuitatem siccati coloris (*siccantis coloris*, Hadr. Jun. Forte, *siccatæ cuticulæ*): *atram*, ad colorem retulit. Et vide quam aspera, quamque ingrata clausula sit, qua sævidici senis finitur oratio. D.—Pro *placet* malim *places;* ut sæpe alibi hæc permutantur. B.

64. *Placet, nunc mihi videre sapere*] Non contradicit: timet enim suasor, ne lætitiam rursus provocet ad jurgium. *Atque equidem filium*] Non solum suadet lætitiam, sed etiam ridere cogit invitum. D.

65. *Una cubet*] V. C. *cum illa tunc cubet.* L.—Pro *cogas*, cum præcesserit *equidem*, recte meliores libri habent *cogam*, h. e. cogerem si ego essem tu. B.

66. *Derides? fortunatus, qui istoc animo sies*] Hoc verbum vultu Demeæ sic profertur, ut subrisisse videatur invitus. Sed

Ego sentio. Mi. Ah! pergisne? De. Jamjam desino.
Mi. I ergo intro: et cui rei opus est, ei hilarem hunc sumamus diem.

ACTUS QUINTI SCENA IV.

DEMEA.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi;
Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias;

rursus *Ego sentio* amare severeque dixit. Et *ridet*, qui simpliciter ridet: *deridet*, *qui* cum alterius irrisione et contemtu ridet. *Fortunatus, qui istoc animo sies*] Non laudantis est quod ait, *fortunatus*: sed moraliter reprehendentis, ut si dicas, quum te aliquid cura offenderit, fortunatos stultos (adde, *imitaris* Z.), qui nihil sentiunt. At (AT EGO) hoc quoque dixit in Eunucho, *At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.* D.—Versus probat Bembini *isto*, pro *istoc*. B.

67. *Jamjam desino*] Et hic velut necessitatem queritur imponi sibi (*silendi*. Z.). D.

68. *Et cui rei opus est*] Cui rei credis, nisi nuptiis? hoc est, ludo atque lætitiæ, voto et gaudio nuptiali. *Hunc sumamus diem*] Non accipiamus, sed impendamus, et consumamus. Unde et *sumtum* dicimus pecuniam, quæ insumenda est. D.—Melior lectio est in Vatic. Basilic. et Bembino, *I ergo intro, et cui rei est, ei rei hunc sumamus diem.* Nam ita efficitur Senarius ut cæteri. In verbis *cui rei est*, subintellige *dies*: ut sit, cui rei dies hic dicatus est. FAERN.

1. *Nunquam ita quisquam bene subducta ratione*] In hac scena exemplum inducitur hominum, qui virtutem tædio deserunt, ob contemtum ejus apud omnes, seculumque vitiosius (Forte, *obtentu ejus, quod apud omnes severum esse vitiosum sit.*). Et adeo favet Terentius clementioribus ac mitissimis patribus, ut hunc quoque adducat ad sententiam Micionis, non tamen hoc sentientem, quod ita fieri oporteat, sed quod ita res cogat. Vult enim naturalem inesse veris patribus acrimoniam: sed eam semper invidiosam esse adolescentibus. *Bene subducta ratione*] Bene disposita, bene computata: *ducere*, enim est digitis computare: sed *ducere* (*seducere* Mss. H. et B. Forte, *adducere*) est apud alium et palam: *subducere*, apud se ipsum et secreto: quo magis in verbo isto majoris attentionis et diligentiæ signum est. D.—*Nunquam ita quisquam tam bene subducta ratione ad vitam fuit*] Demea cum animadvertisset mores suos castitate duros, integritate intolerandos laudem non mereri, consuetudinem mutat; hoc doctus de se facere propterea, quoniam hæc apud homines consuetudo est. Est ergo huic scenæ qualitas, An juste faciat, quod mutet consuetudinem? Sumtis autem consuetudinibus rationis (*consuetudinis illius rationibus* Z.), quod nemo hominum ita subducta ratione et collecta vixit, ut non aliquid aut sua re aut ætate muneretur, licet nunc sibi utendum (*mutaverit, colligit eadem nunc sibi esse utendum.* Z.). Siquidem in senectute, jam decurso spatio, dimittit vitam præteritam propterea, quia nihil melius clementia et facilitate esse cognovit. Quippe cum frater Micio vixerit vitam in conviviis, ab omnibus laudaretur (*laudetur, et* Z.) omnium famam justam honestatemque mereatur. Contra hic *sævus, tristis, agrestis, parcus, truculentus*, et *tenax* esse dicatur, laborem susceperit, ut uxorem duceret, dotaverit liberos, laboraverit primum, ut patrimonium quæreret, (adde *et* Z.), ætatem tereret. Efficitur quasi duplex vita et comparatio, ita ut laudetur una, vituperetur altera; et hoc non tantum ex vobis ex (*urbis, et* Z.) judicio populi. Est ergo quasi per thesin ista propositio, Quod mala altera sit. Utrum ex judicio populari mala sit illa, quæ ignoscitur et tabitur. Ut (*probatur; an* Z.) merito hic et juste consuetudinem vitæ voluerit mutare. E.—Pro *fuit* leges linguæ poscunt *fuat*, h. e. *esse possit.* Nam si *fuit* ab auctore esset, ob temporum consecutionem posuisset mox, *apportaret, moneret.* B.

2. *Quin res*] *Quin*, modo *cur non* significat. *Quin res, ætas, usus*] Tria posuit, ex quibus *res* pro experientia ponitur: et hac dicit se esse mutatum. Nam mox dicet, *Re ipsa reperi, facilitate nihil esse homini melius, neque clementia.* D.

3. *Aliquid moneat*] Σύλληψις est per casus: subauditur enim *quem*. D.

Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies:
Quod nunc mihi evenit: nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc,
Prope jam excurso spatio mitto: id quamobrem? re ipsa repperi,
Facilitate nihil esse homini melius neque clementia.
Id esse verum, ex me atque ex fratre cuivis facile'st noscere:
Ille suam semper egit vitam in otio, in conviviis:
Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus:
Sibi vixit: sibi sumtum fecit: omnes benedicunt, amant.
Ego ille agrestis, sævos, tristis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii,
Alia cura: porro autem, dum studeo illis ut quamplurimum
Facerem, contrivi in quærundo vitam atque ætatem meam.
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero,

4. *Quæ tibi putaris prima*] Ante alia eligenda: quæ et primo loco ponenda, ac per hoc optima. D.—Recte Bemb. et alii Faerni libri præstantiores habent *ut* ante *repudies*. B.

5. *Vitam duram quam vixi*] Ἀρχαϊσμός: ut Lucilius, *magnam pugnavimus pugnam. Nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc*] Prius dixit quid faciat, quam cur faciat. D.

6. *Prope jam excurso spatio*] Id est, ad calcem, et prope ipsos decursus metasque vivendi. Et est μεταφορὰ sumta a cursoribus. *Excurso spatio*] Id est, in summa senectute. *Id quamobrem? re ipsa repperi*] Quia secum loquitur, ideo multa reticet: et deest, *faciam?* et, *siquis quærat:* et, *dicam.* D.—Etsi omnes codd. exhibent lectionem Lindenbr. Priscianus tamen quinquies laudat rectius *decurso spatio;* quia *excurso* nemo dixit, nec adeo dicere potuit, cum excurrere nunquam sit transitivum. Deinde ut versui consulas, ejice *jam.* B.

7. *Facilitate*] Jam facilem se infert. Inter *facilitatem* et *clementiam* hoc interest: *facilis* enim, cujus ira cito solvitur: *clemens*, qui non irascitur. D.

9. *Ille suam semper egit vitam*] Hic jam quasi comparativa qualitas inducitur de utroque: et ut ille in initio Fabulæ locutus est, sic in fine hic loquitur. D.

10. *Clemens, placidus, nulli lædere os*] Mira varietas et in locis, et in partibus orationis. Et *clemens* est, qui colit mentem suam, nec eam vexat irascendo. *Clemens, placidus*] *Clemens* est circa recte agentes: *placidus* etiam circa delinquentes. Et *clementis* nulli lædere os: *placidi*, arridere omnibus. Et *clemens* animo, *placidus* vultu. *Nulli lædere os*] Id est, nullum præsentem lædere. Et vide quam grate a nominibus verba transeant (*a nominibus ad verba transeat*). *Nulli lædere os, arridere omnibus*] Voluptatis affectus est duplex: aut enim ex quiete voluptas est, aut ex aliquo actu: ergo hic utrumque complexus est. *Et nulli lædere os*] Adeo ut nulli se contristem faciat: et hæc est figura ἀναδρομὴ, quum recurrimus per ea quæ diximus: et ἐξηγητικῶς omnia repetita sunt. D.

12. *Ego ille agrestis*] Bene addit *ille*, quasi jam notus, hoc ipso quod ferus atque agrestis. Et *sævus* factis: *tristis* animo: *truculentus* vultu. Et aliter dici potest, ut *tristis* sit, qui dolet: *truculentus* et *sævus*, qui terret. Et ideo αἰξησις mira per ista decurrit. D.—*Agrestis, sævos*] Afranius apud Nonium: *Vixisti tristis, durus, difficilis, tenax.* Et quid *tristis* hoc loco, explicat Nonius in voce *Tristis.* L.

13. *Duxi uxorem*] Pendet, *Duxi uxorem:* sed *etiam* cum magno significatu addendum est: majore enim pondere subtrahitur conjunctio. Nam, *Duxi etiam uxorem*, dicendum fuit. *Quam ibi miseriam vidi!*] *Ibi*, inquit, quasi uxor locus sit: et hoc sine conjunctione, ut mala quæ enumerat, multa videantur. D.—Menander apud Stobæum: Τὸ γυναῖκα ἔχειν, εἶναί τε παῖδων, Παρμένων, Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει. W.

14. *Alia cura*] Non altera. D.—Ut versus stet, cum Faerno pro *porro* vulgari amplectere Bembini et Victoriani *heia*, quod, auctore Donato in Hecyram, est particula corripientis. B.

16. *Hoc fructi pro labore*] Charis. lib. i. Prisc. lib. vi. L.—Pro *his*, quod est in nostris codd. lege *eis*, ut dactylus sit in ista sede, non trochæus. B.

Odium: ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illum amant; me fugitant: illi credunt consilia omnia:
Illum diligunt: apud illum sunt ambo; ego desertus sum.
Illum ut vivat, optant: meam autem mortem exspectant scilicet.
Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paulo sumtu: miseriam omnem ego capio; hic potitur gaudia.
Age, age, nunc experiamur contra, ecquid ego possiem
Blande dicere, aut benigne facere, quando hoc provocat.
Ego quoque a meis me amari, et magnipendi postulo.
Si id fit dando, atque obsequendo, non posterioris feram.
Deerit: id mea minime refert, qui sum natu maxumus.

ACTUS QUINTI SCENA V.

SYRUS. DEMEA.

HEUS! Demea, rogat frater ne abeas longius.
DE. Quis homo? o Syre noster, salve: quid fit? quid agitur?
SY. Recte. DE. Optume'st: jam nunc hæc tria primum addidi

17. *Patria potitur commoda*] Accusativo casu extulit, quod nos ablativo dicimus: id est, *patrio potitur commodo*. Accius in Clytemnestra, *feras potiuntur plagas*. D.—*Patria potitur commoda*] Servius Æneid. iii. 278. ad illud *insperata tandem tellure potiti*. L.

19. *Illum diligunt: apud illum sunt ambo: ego desertus sum*] Hic ostendit Terentius verum patrem et molestiorem et odiosum esse magis adolescentibus. D.

20. *Illum ut vivat, optant*] Συλλήψις. Nam sic veteres loquebantur. Nos vero dicimus *Illi optant*: non *illum*. *Illum*] Micionem. D.

23. *Nunc experiamur*] Magis comice pluraliter *experiamur* dixit, quam si diceret, *experiar*. D.—Lege et distingue, *'Age nunc jam, experiámur porro cóntra, etc.* Nam *jam* et *porro* extat in Bembino. Sed ut versus stet, delendum est prius *age*. B.

24. *Quando hoc provocat*] Non addit quis: sed intelligimus, Micionem significari. D.—*Hoc provocat*] Vulgo *eo*: alii *huc*. Sed Bemb. antiquorum more *hoc* pro *huc*. *Provocat*] In certamen vocat: Plaut. Curc. ii. 3. 76. *Provocat me in aleam, ut ego ludam*. B.

25. *Magni pendi postulo*] Diligi et amari. E.

26. *Si id fit dando, atque obsequendo*] Bene naturam secutus est, qui artem ignorat, putans agi verbis omnia debere, non dando et obsequendo. *Si id fit*] Id est, Jam a liberis si magnipendor. *Non posteriores feram*] Sabauditur *partes*: aut, *non parvi faciam* (*fiam*), id est, non vincar a Micione. Et translatio est a partibus histrionum in fabula. *Non posteriores feram*] Primus in his ero, inquit, in (*in eo ero, inquit, i. e. in* Mss.) dando atque obsequendo. D.—*Non posteriores feram*] Hoc est, non posterior habebor. E.

27. *Deerit? id mea minime refert*] Vide, remanere in Demea non penitus ejectam securitatem (*severitatem*. Z.). D.—*Deerit? id mea minime refert*] Facile patrimonium quæram, unde producam vitam. E.

1. *Heus! Demea, rogat frater, ne abeas longius*] Hic ostendit poeta, quam absurde blandus conetur esse, qui non soleat: et quam immodica sit repentina largitas, ubi animus a parcitate nimia in contrarium vitium profusionis excurrerit. *Heus! Demea, rogat frater, ne abeas longius*] Ut apparet, jam edormivit crapulam Syrus: et satis moraliter dixit *frater*: nec addidit *tuus*. *Frater*] Moraliter. Nam deest *tuus*. D.

2. *O Syre noster, salve: quid fit?*] Jam non hæc blanda, sed dura sunt. Nam *salve* dixit ei, non solum quem sæpe viderit, sed cum quo toties litigaverit. *Quid fit? quid agitur?*] Interrogat et quum sciat, et quum damnet actus ejus.

3. *Recte*] Bene respondit *recte*: hæ enim interrogationes de salute atque incolumitate ejus sunt, qui interrogatur. *Hæc tria*] Deest *verba*. D.—*Jam nunc hæc tria primum addidi præter naturam*] Expressit

Præter naturam, O NOSTER, QUID FIT? QUID AGITUR?
Servum haud illiberalem præbes te; et tibi
Lubens bene faxim. SY. Gratiam habeo. DE. Atqui, Syre,
Hoc verum'st, et ipsa re experiere propediem.

ACTUS QUINTI SCENA VI.

GETA. DEMEA.

HERA, ego huc ad hos proviso, quam mox virginem
Arcessant: sed eccum Demeam: salvos sies.
DE. O, qui vocare? GE. Geta. DE. Geta, hominem maxumi
Pretii esse te hodie judicavi animo meo.
Nam is mihi profecto est servos spectatus satis,
Cui dominus curæ'st, ita ut tibi sensi, Geta.

mores, non voluntates. Sed expresse bonitatem, quando et quid dixerit, memorat, et de se quid dixerit, indicat, quid forte verum sit (*indicatque quod id revera verum sit.* Z.). E.

4. *Jam nunc hæc tria primum addidi præter naturam, o noster, quid fit? quid agitur?*] Hoc pressius dictum est. *Præter naturam*] Plus dicit quam si diceret, *Præter consuetudinem.* D.

5. *Servom haud illiberalem*] Dura et importuna repente commutatio ex tanta vituperatione in laudem Syri, ostendit contra naturam suam niti Demeam. *Præbes te*] Id est, te ostendis, factis probas. D.

6. *Et tibi lubens bene faxim*] Et *bene* ad quam rem adjectum est: an et *bene* * hoc addidit (Forte, *Et bene ad quam rem aptum est,* BENE FAXIM *addidit*). Quis enim credat tam subitis post sævitiam blandimentis, nisi factis quoque vera esse ostendantur? *Et tibi lubens bene faxim*] *Et,* additum est, ut ostendat hanc esse sententiam, Non solum te laudo, sed etiam juvo: illud dicendo, hoc faciendo. *Et tibi lubens bene faxim*] Potest hoc et sic intelligi, *bene tibi faxim, et lubens:* multi enim bene, sed non ex animo faciunt. Omnia ergo addidit, quæ *placidum* ostendant ipsum, atque *clementem. Atqui Syre*] *Atqui* abundat per παρέλκον. *Syre*] Asseveratio est non credentis (*credenti.* Z.). D.

7. *Hoc verum est*] Quasi falsum fuerit illud, quod jurgabat; et hoc sit verum, quod nunc dicit. *Propediem*] Ὑφέν. Nam *propediem* adverbium est temporis: ut si diceret, *cito.* D.—In vulgari distinctione versus *ipsa* priorem corripit: sed præstat ita versus distinguere, *Atqui, Syre hoc | Verum'st, etc.* B.

1. *Hera, ego huc ad hos proviso*] *Ad hos,* ad Micionem et Æschinum scilicet. *Proviso* duas res significat: procedo et video. D.—Memor personæ suæ laborat fidem facere, ut credi possit, quam bonus sit. E.—Recte Bemb. et duo nostri veterrimi *huc* pro vulgari *hinc.* Cæterum nostri habent *provisam:* etiam recte. B.

2. *Sed eccum*] Hoc apud se. D.

3. *O! qui vocare?*] Hac interjectione utimur, ubi ex intervallo notos videmus. *O! qui vocare?*] Post *o,* nomine vocaturus, non habuit quod diceret: et ideo subjecit, *qui vocare?* Virg. Æn. i. 327. *O quam te memorem, virgo? namque haud tibi vultus Mortalis, nec vox hominem sonat: o dea certe, An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una?* Moris est autem inferiores proprio nomine vocari, si blandiri velis: sed hic nominis oblitus, dum dubitat et inquirit, inhæsit pronomini. D.

4. *Animo meo*] Hoc est, secundum animi mei sententiam, et quantum ad animum meum pertinet. D.—Recte Bemb. *Pretii te esse hodie.* Ne *preti* totum in thesi occultetur.

5. *Nam is mihi est profecto servos*] In hoc laudando quia non laborat, subjecit specialiter merita ejus: aut, ut existimo, nihil habuit quod diceret nisi laudem, sine ullius facti mentione. Et *mihi,* id est, quantum ad judicium meum pertinet. D.

6. *Cui dominus curæ est*] Quum hic dominas habeat, *dominum* dixit: quia prævalet masculinum. Virg. Æn. ii. 632. *Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes Expedior.* Et præterea sententia generalis inducitur, quum nullum specialiter dominum significat. *Ita ut tibi sensi, Geta*] Maximum delinimentum in-

Et tibi ob eam rem, si quid usus venerit,
Lubens bene faxim: meditor esse affabilis;
Et bene procedit. GE. Bonus es, quum hæc existumas.
DE. Paulatim plebem primulum facio meam.

ACTUS QUINTI SCENA VII.

ÆSCHINUS. DEMEA. SYRUS. GETA.

OCCIDUNT me quidem, dum nimis sanctas nuptias
Student facere: in apparando totum consumunt diem.
DE. Quid agitur, Æschine? ÆS. Ehem, pater mi, tu hic eras?
DE. Tuus hercle vero et animo et natura pater;
Qui te amat plus quam hosce oculos: sed cur non domum

fert, eum nomine vocans, quod tantum (*quod usitatum in*) superioribus est. Et vide quam grate, postquam ipse dixit, nomine appellavit Getam (Ms. H. *postquam audivit, bis nomine appellavit Getam.* Forte, *postquam ipse dixit nomen, nomine a. G.*). D.—*Ita ut tibi sensi, Geta*] Ut tibi curæ fuisse sensi dominum. Domino enim est optimus servus, si dominus est affabilis, hoc est, benignus, et obtemperare propter bonitatem possit. E.—Versus commendat lectionem Bembini *uti* pro vulgari *ut*. B.

7. *Et tibi ob eam rem*] Quid *Et tibi?* utrum quemadmodum aliis? an quemadmodum Syro? *Et tibi ob eam rem siquid usus venerit*] Defectus quidam rustici præter naturam blandientis, cogit dicta repetere sine gratia. Hæ autem promissiones ad hoc præmittuntur, ut quum in subjectis agi a Demea hujusmodi res cœperint, non sit absurdum spectatoribus, Demeam tam cito esse mutatum. D.

8. *Meditor esse affabilis*] Sic hoc lentius (*locutus*, Lib. uterque), ut illud supra, *Jam nunc tria hæc addidi præter naturam, O noster, quid fit? quid agitur?* D.

10. *Paulatim plebem*] Moraliter inferiorum turbam, *plebem* dixit: hoc est, ut in urbe vulgus, ita in familia servos. Et fit translatio ab iis qui honores dolose, ac non pro merito petunt, ambitiosique sunt. *Plebem primulum facio meam*] Hoc est, mihi faventem. Et e contrario Virgilius Æn. ii. 396. *Vadimus immisti Danais haud numine nostro.* D.—*Paulatim plebem primulum facio meam*] Præstando paulatim (*Præstando me affabilem paulatim mihi* Z.) multitudinem cogo fautorem. E.

1. *Occidunt me quidem*] Adolescens et Demea inter se affabiles, imaginem præbent, et quam dulcis sit junioribus assentatio, et quam ingrata censura. Ἰδιωτικῶς autem dixit *Occidunt me*, pro *nimis lædunt et cruciant me. Occidunt me quidem*] *Quidem* pro exspectatione est: tanquam in hac mora nullus alius occidatur, nisi qui amat, id est, ego. *Dum nimis sanctas nuptias*] Et *nimis sanctas* ridicule additum est in ea ducenda, quæ jam peperit. Nam *sanctum* est, quod omni observatione inviolatum est. Et bene additum est *nimis*: quia *nimium* (*nimirum* Z.) pro vitio ponitur: juxta illam sententiam qua dicitur: *Ne quid nimis.* D.—*Occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias student facere*] Erant mores, uti cum nuptiæ agerentur, symphonia canerent (*symphoniæ canerentur.* Z.). Verum adolescens cupidus nuptiarum festinat, et volens ducere uxorem, contemnit illam religionem in nuptiis suis. D.—Male in Bemb. est *equidem.* Nam probatæ Latinitatis temporibus *equidem* non nisi primæ personæ junctum est. B.

2. Faernus, quem sequitur Bentleius, illud *totum* omisit. Z.

3. *Quid agitur, Æschine?*] Jam ipse docuit, *quid fit*, et *quid agitur?* blandimentum esse. Jam nunc hæc tria primum addidit (*addidi*) præter naturam. *O noster, quid agitur? Ehem! pater*] Non sine consternatione respondet Æschinus: etsi hic blande interrogat, et miti vultu: nam ex improviso objectus est Demea, et insperanti. D.—*Tu hic eras?*] V. C. *Tun' hic eras?* L.

4. *Tuus hercle vero et animo et natura pater*] Totum eripuit Micioni, cui ne animum quidem reliquit. D.—*Hercle vero et animo et natura pater*] Quum animo pater Micio videbatur, qui adoptaverat, hic utrumque sibi vindicavit, *et animo et natura.* E.

5. *Qui te amat plusquam hosce oculos*] Magis comicum, quam *amo. Sed cur non*

Uxorem arcessis? Æs. Cupio: verum hoc mihi mora est
Tibicina, et hymenæum qui cantent. De. Eho,
Vin' tu huic seni auscultare? Æs. Quid? De. Missa hæc face,
Hymenæum, turbas, lampadas, tibicinas:
Atque hanc in horto maceriam jube dirui
Quantum potest: hac transfer: unam fac domum:
Traduce et matrem, et familiam omnem ad nos. Æs. Placet,
Pater lepidissime. De. Euge! jam lepidus vocor.
Fratri ædes fient perviæ: turbam domum
Adducet, et sumtum admittet: multa; quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam: jube nunc jam

domum uxorem arcessis?] Bene subjecit, quæ volenti esse credebat (*quæ velle Æschinum cred.*). D.

6. *Verum hoc mihi mora est: tibicina, et hymenæum*] Hoc est quod ait, *dum nimis sanctas nuptias student facere. Hymenæum* quidam Liberi et Veneris filium dicunt esse, qui primus certas nuptias instituerit: ideo per laudem cantatur virginalibus nuptiis ob hujusmodi meritum. Alii virum fortem Atticum dicunt fuisse, qui raptas prædonibus virgines, oppressis latronibus, intactas patriæ restituerit. Alii, quod ὑμὴν dicatur membrana quædam, qua est munita virginitas, quæ primo disrumpitur coitu, *hymenæum* putant, veluti *hymnum* vocari virginalium nuptiarum. Ergo sic accipe *hymenæum* in nuptiis, quemadmodum θρῆνον in funere, vel in sacris *hymnum*. D.—*Uxorem arcessis?*] Ms. R. et V. C. *uxorem quæso arcessis?* L.—Recte Victorianus *moræ'st*. Olim, cum nullum inter verba, ut nunc contra fit, spatium relinqueretur vacuum, *mora est*, et *moræ 'st*, nisi a prudente lectore, distingui non potuerunt. B.

7. *Tibicina: et hymenæum*] Est autem vox, quæ in nuptiis dicebatur. E.—*Hymenæum qui cantent*] Ms. R. et vett. codd. *qui canat*. L.

8. *Vin' tu huic seni auscultare?*] Contemsit se ipsum dicendo *huic seni:* hoc solum afferens causæ cur audiendus non sit, quod sit senex. Et totum hoc apparet lætissimo vultu dici. D.

9. *Turbas, lampadas, tibicinas*] Bene totum pluraliter: ut qui reprehendit sic multa. Plautus, *Quos tu mihi parasitos, luscos, quos Summanos somnias?* Hæc igitur vultu pronuncianda sunt, ut appareat ea displicere dicenti. D.—*Hymenæum, turbas, lampadas*] Hæc nuptiarum solemnia observavit Apul. Miles. iv. *Jam feralium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur: jam tedæ lumen atræ fuliginis cinerem marcessit, et sonus tibiæ zygiæ mutatur in querulum Lydium modum: cantusque lætus Hymenæi lugubri finitur ululatu; et puella nuptura deterget lacrumas ipso suo flammeo.* L.—Pro vulgari *turbam* recte Donatus, Bemb. Regius quidam et Servius ad Æn. x. 432. exhibent *turbas*. B.

10. *Atque hanc in horto maceriam jube dirui*] *Maceria* dicitur paries nunc * alicujus demacerata (*paries non altus e calce macerata* W. *P. n. altus de macerato*. Forte, *P. n. altus sine calcis alicujus maceratione*. Z.). D.

13. *Euge! jam lepidus vocor*] Apparet Demeam experiendi causa assentari, non quod animo faciat. D.—*Jam lepidus vocor*] Miratur senex, sibi *lepidi* nomen imponi: et memoria in se rediens, qua jusserat, ut maceria dirueretur, secum loquitur: *Fratri ædes fient perviæ*. Sed rursus redit ad laudem sibi dictam: *Quid mea? Ego lepidus ineo gratiam*. E.

14. *Fratri ædes fient perviæ*] Elegantius quam *fratris*. D.

15. Bemb. habet *sumtum amittet*, deleto illo *et*, quod et versus respuit. Plerique nostri autem recte, *admittet*. B.

16. *Ego lepidus*] Irridens adolescentis animum sic inquit. *Ineo gratiam*] In gratiam eo, hoc est, amicos comparo. *Jube nunc jam*] Insultantis est verbum *jube*, tanquam præstet (*tanquam præsenti*) Micioni hoc dicit Demea. Aut apud se dicit hoc. *Jube nunc*] Quasi insultantes dicere solemus, nunc minari, nunc assistere, quem afflictum tenemus: ita et Micioni Demea dicit, *jube nunc. Jube nunc jam dinumeret Babylo illi viginti minas*] Nimis morale est, quum de absente tanquam de præsente agimus. Est autem, *jube nunc jam*, figura etiam apud Plautum frequentissima. *Jube nunc jam*] *Jube* sic dicit, quemadmodum supra ille, qui quum alius nemo adesset, alicui diceret (JUBE *sic dicit, quemadmodum supra.* [vers. 10.] ILLI. *Cui? ecquis amicus? nemo adest, cui diceret*). D.—*Jam dinumeret ille Babylo viginti minas*] Babyloni milites stulti dicebantur. Alii intelligunt Babylonce divites

Dinumeret illi Babylo viginti minas.
Syre, cessas ire ac facere? Sy. Quid ago? De. Dirue.
Tu illas abi et traduce. Ge. Di tibi, Demea,
Benefaciant, quum te video nostræ familiæ
Tam ex animo factum velle. De. Dignos arbitror.
Quid tu ais? Æs. Sic opinor. De. Multo rectiu'st,
Quam illam puerperam nunc duci huc per viam
Ægrotam. Æs. Nihil enim vidi melius, mi pater.
De. Sic soleo: sed eccum, Micio egreditur foras.

ACTUS QUINTI SCENA VIII.

MICIO. DEMEA. ÆSCHINUS.

Jubet frater? ubi is est? tun' jubes hoc, Demea?

esse. Et hic sensus ille est ergo, ut Micio Babylo sit, qui viginti minas dedit pro meretrice, quæ rapta est. Ego nunc *jam lepidus vocor*, Micio licet viginti minas dederit, hoc tantum (*hoc tamen non* Z.) accepit nomen, ego sine sumtu laudor. E.

17. *Dinumeret*] *Dinumeret* dixit, quasi multum numeret. *Illi*] Cui *illi?* Ctesiphoni, lenoni, an Æschino? an Syro? *Babylo*] Fratrem, *Babylonem* ob nimiam liberalitatem vocat: an *Æschinum* nimis prodigum? D.—*Illi Babylo*] Ms. R. *ille Babylo.* L.—Pro *illi* plerique codd. *ille.* Igitur locus paulo difficilior accipiendus est de Demea averso, qui secum loquitur hunc versum, ut proxime antecedentia; adeo ut sit sensus: Etsi frater iste prodigus viginti minas pro psaltria solverit; aut etiamsi ad gratiam adolescentium aucupandam denuo totidem minas consumat: ego tamen nunc parem ei gratiam refero. Nam *jube* recte Donatus interpretatur per *age: Babylo* autem seu Babylonius est prodigus et profusus, ob luxum, quo tum Medi et Persæ infames erant. Hinc Scholiastes Juvenalis ad iii. 221. *Meliora et plura reponit Persicus orborum lautissimus. Persicum quasi divitem posuit; eo quod Persæ divites: sic Horatius, Persicos odi, puer, apparatus: Terentius, Dinumeret nunc ille Babylo xx minas.* B.

18. *Syre, cessas ire ac facere?*] Ἰδιωτικῶς dicitur. *Dirue*] Hoc vultu dicitur adhortante. D.—*Quid ago?*] V. C. *Quid agam?* L.—*Quid ego?*] Quod extat in nonnullis codd. vett. vera est lectio; subaudi *faciam.* Cæteri habent *ago*, aut, *agam.* B.

20. *Quam te video nostræ familiæ tam ex animo factum velle*] *Ex animo alicui facere*, est id facere, quod ille in animo suo velit; aut certe ex tota mente præstare, non perfunctorie: sed *ex animo factum*, bene factum intelligere debemus, ut sit, *ex animo*, quasi ex sententia. D.

21. *Dignos arbitror*] Multa desunt, et *vos*, et *esse*, et *qui fiant.* D.

22. *Quid tu ais?*] Eo vultu dicitur *Quid tu ais*, quo videmus loqui eos, qui interrogant gesticulante vultu, quid sentiant de consilio suo, quos sciunt approbaturos esse. D.

23. *Huc per viam*] Ms. R. et vett. codd. *hac per viam.* L.—Concinnius nostri codd. *Hac nunc duci per viam.* Nam *hac*, per scenam scilicet, quæ ipsa platea est. B.

25. *Sic soleo*] Potest εἰρωνεία videri: quippe quando tale consilium probat Demea, quod probaret adolescens. D.—*Sic soleo*] Hic mentitur, consuetudinem sibi præstandi dicit (*cum consuetudinem sic præstandi dicit* Z.). E.

1. *Jubet frater?*] Apparet Micionem dixisse. *Cur dirui?* Syrum respondisse, *Quia hoc jubet frater tuus. Jubet frater?*] Dirui maceriam scilicet. *Tune jubes hoc, Demea?*] Interrogative pronunciandum totum: ita erit una persona. Et ostenditur breviter ex hujus verbis, quod prior dixerit Syrus. Et mirum initium: ne procemio opus esset Demeæ, ad profitendam mutationem voluntatis. D.—*Frater? ubi is est?*] Hæc scena deliberantis personam tenet. Deliberat enim Micio, an provecta ætate ducat uxorem? Ac primum (adde *cum* Z.) videt dirui maceriam, quærit causas. Responsio est, *Jubet frater.* Quamquam quidem intelligit (*quidam intelligunt* Z.), ipsum Micionem dicere, ut quasi cum audisset cujus sit, sed missus intelligi (*et quasi, cum audisset, quis jusserit, admiratum repetere* Z.), *jubet frater?* E.

DE. Ego vero jubeo, et in hac re, et aliis omnibus
Quam maxume unam facere nos hanc familiam,
Colere, adjuvare, adjungere. ÆS. Ita quæso, pater.
MI. Haud aliter censeo. DE. Imo hercle ita nobis decet:
Primum hujus uxoris est mater. MI. Quid postea?
DE. Proba et modesta. MI. Ita aiunt. DE. Natu grandior.
MI. Scio. DE. Parere jam diu hæc per annos non potest:
Nec, qui eam respiciat, quisquam est: sola'st. MI. Quam
hic rem agit?
DE. Hanc te æquom'st ducere: et te operam, ut fiat, dare.
MI. Me ducere autem! DE. Te. MI. Me! DE. Te, inquam.
MI. Ineptis. DE. Si tu sis homo,

2. *Hac re*] Maceriæ disjectione. *Et aliis omnibus*] Ut nuptiis senilibus. D.—*Et aliis omnibus*] Hic initium est persuasionis. Nam subjungit: *Quam maxime unam facere nos hanc familiam; colere, et adjungere*] Quod utique pertinet ad matrem puellæ, uti Micio ducat uxorem. Huic narratio supponitur, *primum hujus uxoris est mater.* Laudatur *proba et modesta.* Ergo persuasione ei filius teneret, ac suum (*Ergo persuasione ut filius obtineret, ac socrum* Z.) pater resumeret: adjecit illud, *Natu gravior. Parere hæc jam per annos non potest: Nec, qui eam respiciat, quisquam est: sola est.* Deinde ab ea persuasione: Tu voluptatem capies: *Hanc te æquum est ducere; et te operam, ut fiat, dare.* Hoc adolescentem (adde *monet* Z.) ut et ipsum patrem cogat. E.—Deme præpositionem *in*, consentientibus nostris et Faerni libris fere omnibus. B.

4. *Colere, adjuvare, adjungere*] *Colere*, ad nurum pertinet: *adjuvare*, ad Hegionem: *adjungere*, ad Sostratam. Et notandum *coli* a superiore: ut, Æn. i. 16. *Posthabita coluisse Samo: hic illius arma. Colere*] Subauditur *jubeo*, per ξεῦγμα. D.

5. *Imo hercle ita nobis decet*] Antiqui si addebant statim verbum, *nos decet facere, nos decet dicere:* si non addebant, *nobis decet*, dicebant. Vid. supra, iii. 4. 45. D.

6. *Primum hujus uxoris est mater*] Incipit a persuasione, sed latenter, ita ut ea quæ proposito consilio dicenda erant, ante demonstret, quam dicat quid fieri velit. Et hoc semper fit ab oratoribus in his rebus, a quibus incipere non oportet propter turpitudinem, aut incommoditatem rei, quæ persuadenda est. Considera adeo apud Virgilium, Æn. v. 606. ubi persuadet Iris matribus, ut naves suas incendant: et invenies hoc ipsum consilium ultimum poni post argumenta quamplurima, *Quin agite, et mecum infaustas exurite puppes.* Et initium a possibili factum est: nam dicit, *hujus uxoris est mater.* D.—Versus recte procedit, si emendaveris *uxori*, et legeris cum edd. vett. et uno nostro cod. *est. Quid postea?* Eadem constructio extat, And. iv. 4. 50. B.

7. *Proba et modesta*] *Proba* sibi: et *modesta* apud alios. Et vide laudes consiliatoribus inventas et usitatas (Bentleius conjicit, *conciliatoribus suetas* Z.). *Ita aiunt*]. Hoc ita respondet, quasi dicat, *Sed quid mea?* D.

8. *Scio*] Adhuc Micio non intelligit, quo res tendat: sed tamen vultu quodam admirantis, cur hoc dicatur, respondet. *Parere jam diu per annos hæc non potest*] Recte, ne contra filios suadere videatur. *Parere jam diu per annos hæc non potest*] Hoc autem addidit, ne contra filios pater suadere videatur nuptias, si illis coheredes esse procreandos suadeat. *Per annos hæc non potest*] Bene *per annos*: quia non est sterilis. D.—*Parere jam diu*] Priscian. lib. x. L.

10. *Hanc te æquom est ducere*] *Te*, Micio, scilicet. *Et te operam*] *Te*, Æschine. Nam ad illum conversus a Micione est. Et quare Æschinum operam dare æquum est? scilicet ut prosit socrui. D.

11. *Me ducere autem!*] Magna vis in pronominibus posita est. Nam *me* ille sic dicit, quasi quem minime deceat. *Te*] Ille (*hic*) sic respondet, quasi quem maxime oporteat. *Ineptis*] Verbum est, quod facit *Ineptio, ineptis, ineptit. Si tu sis homo*] Non *si es*, sed *sis* dixit: quasi in eo se hominem sit Æschinus probaturus. *Si tu sis homo*] Æschine. *Si sis*, pro, si esse volueris, et si credi homo vouleris. *Si tu sis homo*] Hic facete et mire coegit Æschinum ad persuadendum: non enim dixit, *Si tu sis homo, persuade*: sed sic, faciat (*sed*, HIC FACIAT): ut ab illo non factum, sed effectum exigeret. D.—*Si tu sis homo, hic faciat*] Si etiam cedas ad id quod cupio, continuo consentiat pater. E.

Hic faciat. Æs. Mi pater. Mi. Quid? tu huic, asine, auscultas? De. Nihil agis:
Fieri aliter non potest. Mi. Deliras. Æs. Sine te exorem, mi pater.
Mi. Insanis? aufer. De. Age, da veniam filio. Mi. Satin' sanus es? ego
Novus maritus anno demum quinto et sexagesimo
Fiam; atque anum decrepitam ducam! idne estis auctores mihi?
Æs. Fac: promisi ego illis. Mi. Promisti autem? de te largitor, puer.
De. Age, quid? si quid te majus oret? Mi. Quasi non hoc sit maxumum.
De. Da veniam. Æs. Ne gravere. De. Fac, promitte. Mi. Non omittis?
Æs. Non, nisi te exorem. Mi. Vis est hæc quidem. De. Age prolixe, Micio.

12. *Mi pater*] *Mi* vocativus casus est, ab eo quod est *meus*. *Quid? tu huic, asine, auscultas?*] Aptum convicium grandi et fatuo. D.—Ob libros plerosque Faernus edidit *Quid tu autem huic, etc.* B.

13. *Fieri aliter non potest*] A necessario. *Deliras*] Proprio vocabulo usus est, tanquam loquaci. Cf. Phorm. v. 8. 8. D.—*Fieri aliter non potest*] Pars utique deliberativa est, An necesse sit. E.

14. *Insanis? aufer*] Congrue seni *deliras*: juveni *insanis*. Et *aufer*, vel te, vel manum. Nam rogans, manum admovet scilicet, dicens *mi pater*. *Aufer*] Aut *te* deest, aut *manum*: aut pro eo quod est *abi*: ut sit, *aufer te*. D.—*Da veniam filio*] Ms. R. et vett. codd. *Da veniam, quæso, filio*. L.—Ut efficeretur octonarius iambicus acatalecticus, Faernus illud *ego* sequenti versui præposuit. B.

15. *Ego novus maritus*] Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur. Ergo Terentius εἰρηνικῶς. *Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo fiam! atque anum decrepitam ducam?*] Hic deest *et quis*, et *quid*, et *quando*, et *quomodo*: ut sit, quis? *ego*. Quid? *novus maritus*. Quando? *anno demum quinto et sexagesimo*. Quomodo? *anum decrepitam ducam*. *Anno demum quinto et sexagesimo*] Hæc ætas est, ut Varro ait, etiam comicorum senum. Et *demum*, adverbium tarditatis est. D.—*Ego novus maritus*] Repugno. Ab inhonesto argumentum ponitur: an turpe sit, uxorem ducere, etiam anum ducere. E.

16. *Atque anum decrepitam ducam!*] Hoc facete addit, tanquam faciendum hoc esset, si puella duceretur seni. *Idne estis auctores mihi?*] Hoc est, persuasores: ut, Virg. Æn. xii. 159. *Auctor ego audendi*. *Decrepitam*] *Decrepitam*, aut stomacho anili et iracundo: aut *decrepitam* obtusi animi et læsæ senectutis: aut *decrepitam*, cui sæpe moribundæ crepuerit planctu familia, id est, clamaverit. D.

17. *Largitor*] Verbum est imperativi modi, futuri temporis. *De te largitor, puer*] Acutius *de te* dictum est, quam *de tuo*. Et bene in eum, qui promiserat puellæ conjunctionem suam. D.—*Promisti autem?*] Ms. R. *promisisti*. Diomed. lib. i. *De te largitor*] V. C. *de te sis largitor, puer*. L.

18. Omnes nostri codd. recte, *Quasi si hoc non s. m.* B.

19. *Da veniam*] Præsta beneficium, concede quod petitur. *Ne gravere*] Ne te difficilem præbeas: qui *gravem se* dicitur *præstare*, quia id facile non præstat in beneficio, quod potest. *Da veniam, ne gravere: fac, promitte*. Altrinsecus agentium, fatigantiumque verba sunt. D.—*Non omittis?*] V. C. *Non omittitis?* L.—Ob codd et usum Terentii lege *gravare*. Nam sic sæpe alibi, *ne nega, ne crucia te, etc.* Deinde ob fidem codd. Faerni et nostrorum pro *omittis* lege *omittitis*. B.

20. *Age prolixe, Micio*] Aut *Age prolixe*, id est, age benigne: ut sit *prolixe* benigne, secundum veteres: aut per ἀσύνδετον, et ἔλλειψιν, *age* correptivum: ut ad *prolixe* subaudiatur, *noster esto*, aut quid tale: et *Micio* velut in suavi dictum sit (*veluti pro suavi dictum sit*. Z.) D.

MI. Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum, atque alienum a vita mea
Videtur: si vos tantopere istuc voltis, fiat. ÆS. Bene facis.
Merito te amo. DE. Verum, quid ego dicam? hoc confit quod volo:
Quid nunc quod restat? Hegio his est cognatus proxumus,
Affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
MI. Quid facere? DE. Agelli est hic sub urbe paulum, quod locitas foras:
Huic demus qui fruatur. MI. Paulum id autem? DE. Si multum sit, tamen

21. *Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum*] *Pravum*, si anum ducit nullo commodo suo. *Ineptum*, qui non voto filiorum ducat uxorem. *Absurdum*, homini qui nunquam duxerit, et nunquam ducere voluerit, seni duci uxorem, quæ adolescenti ducta non sit. D.—*Etsi hoc mihi ineptum, absurdum*] Hic effectum est, ut cogatur respondere uxorem ducturum. E.

22. *Si vos tantopere istuc voltis, fiat*] Cur hic non vertitur (*veretur* Z.) de voluntate Sostratæ? An quia illam consentire necesse est, vel propter pauperiem, vel ob amorem filiæ suæ? *Si vos tantopere istuc voltis, fiat*] Ridicule dixit et comice, uxorem se ducere, non quia velit, aut debeat; sed ut obsequatur jubentibus. D.

23. *Hoc confit quod volo*] Perficitur, inquit, quod volo: ut sumtum et turbam domum recipiat Micio, et ego ineam gratiam. D.—Primum ne trochaicus temere sit inter iambicos, lege *Merito tuo te amo;* quod idem occurrit Eun. iii. 2. Deinde hunc et seq. versum sic restitue, et suam cuique personæ redde orationem: ÆS. *Bene facis.* | DE. *Merito tuo te amo: verum.* MI. *Quid?* DE. *Ego dicam, hoc cum fit, quod volo* | MI. *Quid nunc? quid restat?* DE. *Hegio hic est his cognatus proxumus.* Ne versus, cessante Synalœpha, hiet, reponendum ducimus *Hegio hic*, moraliter et ex consuetudine, ut Heaut. v. 5. 21. *Archonidi hujus filiam;* et supra iv. 2. 42. *Scin' Cratini hujus ditis ædes?* B.

24. *Quid nunc, quod restat?*] *Quod restat*, pro *quod sequitur.* An *quod restat*, tanquam reliquiarum priorum (*reliquiæ rerum peractarum*), ac per hoc minimum? *Hegio his est cognatus proxumus*] Commendatio personæ quasi notæ, etiam Micioni, ob merita sua. Et bene addidit *proxumus:* nam multi gradus et veluti rami sunt propinquitatis in affinitate et cognatione dispositi. D.—*Hegio est his cognatus*] Demea mutatis moribus bonitatem suam poscit exprimere (adde *et* Z.) multis multa donare efficit: nam cogit ut Hegioni ager donetur. Et hic quasi deliberantis est species. Nam primo ab honesto, cui donetur, etiam qui *proximus* sit mulieribus, qui *nobis affinis*, qui *pauper* sit. Quare adjungit: *bene nos aliquid facere illi decet.* Denique inquit, unde fieri possit, ad manum est: *Agelli est hic sub urbe paullum, quod locitas foras.* Deinde confundit a dictis ejus, cui respondetur, quod *vitium commune* est senibus, *quod nimium ad rem in senecta attenti sint.* Ab inhonesto, hoc celatur. E.

25. *Affinis nobis*] Recte. Nam uxoris cognati, marito affines sunt. *Pauper*] Jam hoc nomine apparet aliquid flagitari. D. —Cuperus in Obs. i. 9. existimat, illud *bene* tribuendum esse Micioni: primum quod *facere alicui aliquid* sine *bene* simpliciter significet sæpe commodis beneficiisque afficere: deinde quod *bene* sit ejus, qui interrumpat aliquem, et simul eum pergere admoneat. Z.

26. *Quod locitas foras*] *Foras* dixit, locum pro persona ponens: quasi diceret, *nescio cui alieno:* sic et nos dicimus, *audi quid dicit* * *ecce hac*, pro *ecce hic* (*hic* omittit Ms. H.) Cicero, Verr. i. 26. *Hic tum alius ex alia parte.* Deest ergo aliquid, ut sit, *quod locitas foras versum.* Aut si *foris: foris posito*, id est, alieno. *Sub urbe est paulum agelli hic*] Totum cum contemtione (*cum contemtu*, alii) pronunciandum. D.—*Paulum*, quod Faernus in uno cod. reperit, ratio versus exposcit. B.

27. *Huic demus qui fruatur*] Id est, qui fructum capiat, non proprietate potiatur. Proprie ergo, et quasi de jure dixit *fruatur:* est autem *fruatur*, alatur: quia *frumen* dicitur summa gula, per quam cibum lingua demittit in ventrem. D.—Lege *Paulum id autem est?* D. *Si multum'st, tamen, etc.* ut efficiatur versus tetrameter acatalecticus, ut cæteri. Cæterum in nostris codd. extat *id autem est?* in uno vet. *Paulum*, et in aliquot Faerni antiquis, *si multum est.* B.

Faciundum est: pro patre huic est: bonus est: noster est: recte datur.

Postremo non meum illud verbum facio, quod tu, Micio,
Bene et sapienter dixti dudum, Vitium commune omnium est,
Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus: hanc maculam nos decet
Effugere: dictum est vere, et re ipsa fieri oportet.

MI. Quid istic? dabitur, quandoquidem hic volt. ÆS. Mi pater.

DE. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore et animo.

MI. Gaudeo.

DE. Suo sibi gladio hunc jugulo.

ACTUS QUINTI SCENA IX.

SYRUS. DEMEA. MICIO. ÆSCHINUS.

FACTUM est, quod justi, Demea.

28. *Bonus est: noster est: recte datur*] Ἐπιτροχασμὸς hortantis, et ἀσύνδετον multa congerentis. *Bonus est*] Potuit responderi, *quid mea? Bonus est: noster est*] Hæc omnia vultuose, tanquam invidiam parsimoniæ faciat Micioni. Et plus significat *noster*, quam si addatur, *quid noster? Noster est*] Bene addidit. Namque dixit, *pro patre huic est. Recte datur*] Quasi non quæratur, an dandum sit; sed illud solum, an *recte*. D.

29. *Non meum illud verbum facio*] Nunc *verbum* pro ἐξιώματι posuit, quod uno stringitur verbo. Ergo *verbum*, brevis sententia. *Non meum illud verbum facio*] Nota *verbum*, pro *sententia*, ut, *uno verbo dic, si quid est quod me velis*. Et, *miseram me! quod verbum audio? Verbum* dixit, veram sententiam. Nam *verba* esse a veritate dicta, testatur Varro. D.—Quod Palmerius et Gulielmius olim conjecerant, *Postremo nunc meum;* id clare habet Regius Chartaceus ex veterrimo quodam transcriptus. Recte: et frustra receptam explicare conantur. B.

31. *Hanc maculam nos decet effugere*] *Maculam* τῷ χλευασμῷ dixit, irridens opinionem Micionis: quia parsimoniam, *maculam* putet. Et simul auxit, primo *vitium*, deinde *maculam* dicendo. D.

32. Ordinatio versuum horum, quæ est apud Lindenbr. auctorem habet Faernum. Nos quidem hunc ordinem statuimus: *Effugere: dictum est vere, et re ipsa fieri oportet, Micio.* | MI. *Quid istic? dabitur quidem, quando hic volt. Æs. Mi pater.* DE. *Nunc tu mihi,* | *Micio, es germanus pariter animo ac corpore.* MI. *Gaudeo.* Nam in primo versu excidit *Micio*, quia sequebatur eadem vox: et in versu tertio *Micio* a præcedente *Mihi* absorptum est. *Quidem, quando* codd. consensus comprobat. Omnes libri, præter unum eumque mediocrem, habent *animo et corpore*. Sententia autem postulat *ac* pro *et*. Sensus enim est: *nunc*, cum hoc a te impetro, cum liberaliter et benigne facis; nunc pariter animo mihi germanus es, ac semper corpore fuisti. B.

35. *Suo sibi hunc gladio jugulo*] Ἀλληγορία. Et non *Suo*, sed *Suo sibi*, moraliter, et ut veteres solent loqui. D.—*Suo sibi gladio hunc jugulo*] Ipsum suo gladio interficio, quia ipse hoc dixit, unde nunc vincitur. E.—*Suo sibi gladio*] Simile fere illud apud Treb. Pollion. in Mario: *Addidisse hæc verba dicitur interemtor: Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Hieronym. Epist. ad Magnum: *Juxta fabulas poetarum, suo se ense laceravit.* Variant vero scripti Terentii codd. quorum pars magna sic habet: *Gaudeo, et suo gladio hunc jugulo.* L.

1. *Factum est quod justi, Demea*] Id est, diruta est maceria. D.—Rursus aliud præstaturus munus post Hegionem servo, vult Syrum etiam liberum. Implentur deliberativæ partes. Quamquam meritis partes suas (*Namque merita per partes sua* Z.) servus exsequitur, quod usque a pueris ambos curaverit sedulo, docuerit, monuerit, quod bene præceperit. Huic rei per irrisionem adjungitur etiam illud, quod obsonaverit cum fide, quod adduxe-

DE. Frugi homo es: ego ædepol hodie mea quidem sententia
Judico Syrum fieri esse æquom liberum. MI. Istunc liberum?
Quodnam ob factum? DE. Multa. SY. O noster Demea,
ædepol vir bonus es.
Ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo:
Docui, monui, bene præcepi semper, quæ potui omnia.
DE. Res apparet: et quidem porro hæc, obsonare cum fide,
Scortum adducere, apparare de die convivium:
Non mediocris hominis hæc sunt officia. SY. O lepidum
caput!
DE. Postremo, hodie in psaltria hac emunda, hic adjutor fuit,
Hic curavit: prodesse æquum'st: alii meliores erunt.
Denique hic volt fieri. MI. Vin' tu hoc fieri? Æs. Cupio.
MI. Si quidem

rit scortum, convivium paraverit de die, quod hanc psaltriam hodie nunc emerit. E.—*Quod justi*] V. C. *Quod jussisti*. L.—Hic versus præcedenti junctum efficit trochaicum. Verum ne concinnitas pereat, et *gladio* totum in Thesi abscondatur, *jugulóque* in ultima se efferat; repone *jussisti*, quod in codd. nostris fere omnibus reperitur. B.

2. *Frugi homo es*] Utilis, ut fruges. *Ædepol hodie mea quidem sententia judico Syrum fieri esse æquom liberum*] Hoc est quod jamdudum promiserat Syro: sed nunc opportune: videtur enim modo meritum præcessisse. Et *sententia judico*, κυριολογία. D.—Etsi multi codd. habent *ergo*, h. e. propterea quod frugi es: rectius tamen ob versum esse cum Faerno censeo *ego*. B.

4. *Quodnam ob factum?*] Jure; ascribi enim causas manumissionis in jure formula est. *Multa*] Oratorie maluit generaliter dicere, quam quærere specialiter, quod invenire non possit. Et Micio singulariter unum quærit, hic pluraliter multa respondet. *Ædepol vir bonus*] Jurat bonum: quia præter opinionem est. D.—*Ædepol vir bonus es*] In Ms. R. *es* desideratur. L.—*Es* abest a vett. nostris. Scribe vero *bonu's*; quod sono olim differebat a simplice *bonus*. B.

5. *Ego istos vobis usque a pueris*] Intelligit Syrus, laborantem pro se Demeam non habere quod dicat: et ideo ipse prosequitur ordinem meritorum: secundum quem apparet pædagogum fuisse. D.

6. *Docui, monui, bene præcepi*] Ridicule adduntur, et tantum (*sed tamen* Ms. B. et edd. ante Steph.) consuetudine: quia imputantur etiam facta prave pro bonis. *Quæ potui omnia*] Bene *quæ potui*: quasi plura vellet. D.

7. *Res apparet*] Mire irridet Demea, sic tamen ut serio agere videatur. D.

8. *Apparare de die convivium*] Id est, repente, neque ante prædictum, nec pridie constitutum. D.

9. *Lepidum caput!*] Servius, lib. i. Æneid. ver. 399. *puppesque tuæ, pubesque tuorum*. L.

10. *Postremo, hodie in psaltria hac emunda*] Et hoc totum serio dicitur, ut magis ridiculum videatur. *Hic adjutor fuit.*] In re bona *adjutores*, in re mala *impulsores* dicuntur. Ergo hic adjutor dicitur a non irascente: a criminante autem et irato, impulsor. *Hic adjutor fuit; hic curavit*] De more repetitum est *hic*: quum dicitur, *hic adjutor fuit, hic curavit*. Sic enim solemus onerare audientem (*onerare mentem audientis*) meritis ejus quem laudamus. Deinde quid non præstitit, qui et officium corporis, ut adjutor, et curam animi præbuit, ut consultor? D.—Pro *hac*, quod Faerno placuit, nostri codd. *istac*. Igitur versus causa repone *ista*. B.

12. *Denique hic vult fieri*] Abutitur Demea, sciens prodigam voluntatem adolescentuli. D.—*Denique hic vult fieri*] Ne videretur hereditatem invidere, quod manumittat servum. Denique (*servum, ait, Denique* Z.) vult filius fieri liberum servum. Qua re confirmata liber conficitur. Adjungitur aliud munus: vult enim congeminare Demea benevolentiam, ut et uxor Syri libera fiat. Merito illud adjungitur, quod *primam dedit* nato puero *mammam*, quasi jam infantis nepotis gratia illa accipiat libertatem. Adjungitur, *argentum* accipito *a me*, quo quasi beatus propter nepotem, etiam ipsam liberam faciat. E.

Tu vis; Syre, eho accede huc ad me; liber esto. Sy. Bene facis:
Omnibus gratiam habeo: et seorsum tibi præterea, Demea.
De. Gaudeo. Æs. Et ego. Sy. Credo: utinam hoc perpetuum fiat gaudium,
Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam!
De. Optumam quidem mulierem. Sy. Et quidem tuo nepoti, hujus filio,
Hodie primam mammam dedit hæc. De. Hercle vero serio,
Si quidem primam dedit; haud dubium, quin emitti æquom siet.
Mi. Ob eam rem? De. Ob eam: postremo a me argentum, quanti est, sumito.
Sy. Di tibi, Demea, omnes semper omnia optata offerant.
Mi. Syre, processisti hodie pulchre. De. Si quidem porro, Micio,
Tu tuum officium facies; atque huic aliquid paulum præ manu
Dederis, unde utatur: reddet tibi cito. Mi. Istoc vilius.

13. *Syre, eho! accede huc ad me*] Utrum ut eundem manu emittat, an ut palam fiat, jubet propius accedere, juris (*publici* addit Westerh.) consuetudine ludens? Et vide quam comicam manumissionem, quam facete induxerit atque condigne. D.

14. *Et seorsum tibi præterea, Demea*] Effecit Demea plus quam volebat. Nam qui conabatur amari, præfertur etiam his qui amantur. D.

15. *Gaudeo: et ego*] Gratulantium Syro hæc verba sunt: quibus de more ille *credo*, respondet. *Utinam hoc perpetuum fiat gaudium*] Integrum, solidum, et nusquam interruptum. D.

16. *Phrygiam ut uxorem meam*] Ut ipse Syrus, ita uxor Phrygia: secundum veteres, qui servis nomina a nationibus imponebant. *Una mecum videam liberam*] Hoc sic pronunciandum est, quasi gaudeat se recordatum Demeæ: quod quum ultro cogitat habuisse * plene oblitus fuit (*quasi gaudeat, se recordatum, quod Demea, qui eum ultro cogitat habuisse, plene oblitus fuit.*). D.

18. *Hodie primam mammam dedit hæc*] Ridiculum meritum: siquidem oportuerit primam esse quamcumque: an quia causa est, quod ingenui dicuntur serio a nutricibus liberis educandi? *Hercle vero serio*] Adverbia sunt confirmantia παρέλκον. D. —Pro *primam* hic et seq. versu ex codd. auctoritate et sententiæ elegantia repono *prima*. Deinde ob eosdem codd. in seq. versu lego *haud dubium'st*. B.

19. *Haud dubium, quin*] Ms. R. et V. C. *haud dubium est, quin*. L.

20. *Ob eam rem?*] Hoc eo vultu dicit, quo rem veluti excutimus, et ostendimus momenti esse nullius. *Argentum, quanti est, sumito*] Quanto pretio valet. *Argentum, quanti est, sumito*. Hoc verbo tenus (*utimur* W. Forte *usus est* Z.), ut faciunt qui persuadere aliquid cupiunt. D.

21. *Dii tibi, Demea, omnes semper omnia optata offerant*] *Omnes omnia*: antiqua elegantia, et figurata. D.—Repone, *Demea, omnia omnes semper optata, etc.* Sic supra, iii. 2. 1. *Quodsi omnia omnes sua consilia, etc.* et Plaut. Capt. ii. 2. 105. *Di tibi omnes omnia optata offerant*. B.

22. *Processisti hodie pulchre*] Nunc vere pulchre processit Syrus. *Siquidem porro, Micio, tu tuum officium facies*] Hoc est patroni, ut libertum non deseras, sed ut alas manumissum. Plautus, Curc. iv. 3. 15. *Facis melius quam pars lenonum, qui libertos habent, et eos deserunt*. D.

23. *Si tuum officium facies*] Tunc omnia recte gesta videbuntur, *si officium tuum* compleas, et huic aliquid dones, ne iniqua libertas sit in paupertate illi, qui manumissus est. E.

24. *Unde utatur*] *Utatur*, vivat: unde *usura*, vita dicitur: ut, Cic. Catil. i. 12. *unius usuram horæ gladiatori isti non dedisset*: an unde alatur, de quo usumfructum capiat, et cujus tibi sortem reddat? Et hoc melius: nam ideo addidit, *reddet tibi cito. Istoc vilius*] Hoc egit Terentius, ut, conversis officiis, usque adeo prodigum faceret Demeam, donec parcum redderet Micionem. *Istoc vilius*] Quasi *nihil minus*: negatio enim est floccum ostendentis, aut quid tale, cum ἐλλείψει: quia subauditur *quicquam*: et, *non dabo*. D.—

Æs. Frugi homo est. Sy. Reddam hercle, da modo. Æs. Age, pater. Mi. Post consulam.
De. Faciet. Sy. O vir optume! Æs. O mi pater festivissime!
Mi. Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?
Quod prolubium? quæ istæc subita est largitas? De. Dicam tibi:
Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivum putant,
Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo et bono:
Sed ex assentando, indulgendo, et largiendo, Micio.
Nunc adeo si ob eam rem vobis vita mea invisa est, Æschine,
Quia non justa, injusta, prorsus omnia, omnino obsequor;

Istoc vilius] Sine enim, ut istoc ne redeat. Ut Plautus, Curc. ii. 1. 28. *Vænire poteris intestinis vilius*: i. e. absque intestinis. E. —*Istoc vilius*] Elegantem sensum et originem ex Suetonio, doctissimo antiquario, profert Charisius, p. 180. *Isto vilius: Rex qui vocabat ad cœnam, si sibi ea res exhibenda indiceretur, quam exhibere non posset, ut Tranquillus refert, Isto vilius; hoc est, erit cœna.* Non dubito, quin Terentius ad hoc dictum respexerit. Ergo *Istoc vilius*, perinde hic est, ac *priora dedi, hoc non dabo.* B.

26. *Faciet*] Ne quid negatum in fine fabulæ videatur, addidit Demea *faciet*. Et *faciet*, quod petis scilicet: quod irridens dixit, quasi de prodigo dicere videatur. Et mire *faciet*: quia nec credibile erat statim consensurum qui negaverat, et perpetuo (*propterea* Mss. forte, *perpetua*) negatio esse in fine non debuit. D.—Laborat versus, nisi cum Victor. et Decurtato Faerni, et nostro Regio legas, *O pater mi f.* B.

27. *Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?*] Animadvertendum est, qua calliditate Terentius, quærens finem fabulæ, complere lætitiam per ipsum Demeam nititur in universos, qui in tota comœdia tristis ac sævus interturbavit et vociferatus est. D.—*Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?*] Quærit, cur suam subito consuetudinem mutaverit Demea. E.

28. *Quod prolubium*] *Prolubium*, quod Græci προθυμίαν, id est, promtus animus ad largiendum. *Subita est largitas?*] Repentina, ac per hoc ipsa est ingrata et immoderata: ut evenit, quum ex nimis parcis non largi et liberales, sed effusi prodigique redduntur. D.—*Quod profluvium*] Dicitur ultra naturalem mensuram alicujus rei abundantia. E.—Vulgo *proluvium*, sed meliores libri *prolubium*. Servius ad Æn. iii. 217. ex Varrone laudat: *Varro de Lingua Lat. lib. v. Prolubium et prolubidinem dici, ab eo quod lubeat; unde etiam lucus Veneris Lubentinæ dicatur.* B.

29. *Ut id ostenderem*] Abundat *id*: aut ἔλλειψις est, pro *per id*. *Quod te isti facilem et festivum putant*] Multum detraxit Micioni, dicendo *te isti putant*, per quod significatur errare adolescentes, et hunc non esse festivum. *Quod te isti facilem et festivum putant*] Bene in postremo dignitas personæ hujus servata est, ut non perpetuo commutata videretur: ut Truculenti apud Plautum. D.—*Ut id ostenderem*] Nunc jam ad declarationem vitæ sententiam (*Nunc jam ad declarationem vitæ suæ sententia redit* Z.), quod non recta vita est ea, quæ ex bonitate et clementia largiendo laudem quærit, sed illa melior, quæ peccata reprehendit, non parcit criminibus, et (*ex* Z.) integritate illa, quæ custos dicitur. E.

31. *Indulgendo*] Attende indulgentiam a Demea culpæ adscribi denuo. *Et largiendo, Micio*] Severe additum est nomen verbis ex animo plorantis (*prolatis*). D. —Duo ex nostris non habent *ex*: atque Donatus Oxon. Mss. *atque indulgendo*. Igitur versus causa repono, *Sed assentando, atque indulgendo, et largiendo, etc.* B.

32. Nostri codd. *mea vita invisa, Æschine, est*: ut versus ipse postulat. B.

33. *Quia non justa injusta, prorsus omnia, omnino obsequor*] Proverbiales sunt hujusmodi elocutiones, *fanda nefanda, digna indigna, velis nolis. Effundite, emite, facite*] *Effundite*, ad Æschinum pertinet: *emitte*, ad Ctesiphonem: *facite*, ad omnes. *Facite quod vobis lubet*] Proprie (*propere*) rediit rursus ad amaritudinem pristinam. Hæc ὑστεροπρωτία est figura, qua invitos nos permittere ostendimus, quod nolumus fieri. D.—*Quia non justa, injusta, prorsus omnia, obsequor*] Nunc autem in hæc omnia (*Nunc autem propterea omnino*: vel, *Nunc autem ob hæc omnia* Z.) vobis vita mea invisa est, quia non æqualiter et *justa*, et *injusta* persequor. E.

Missa facio: effundite, emite, facite quod vobis lubet.
Sed si id vultis potius, quæ vos propter adolescentiam
Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum,
Hæc reprehendere et corrigere me, et obsecundare in loco:
Ecce me, qui id faciam vobis. Æs. Tibi, pater, permittimus:
Plus scis quid facto opus est: sed de fratre quid fiet? De. Sino;
Habeat; in istac finem faciat. Æs. Istuc recte. Ω. Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

35. *Quæ vos potius propter adolescentiam minus videtis*] Hic ostendit Terentius, magis Demeam simulasse mutatos mores, quam mutavisse. D.

36. *Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum*] *Ἐλαττωτικὰ, minus, magis, parum.* D.

37. *Hæc reprehendere, et corrigere me, et secundare* (*obsecundare* Ms. H.) *in loco*] Tribus tria redduntur: et utraque *αὐξητικῶς*. Illa in malam partem superiora: hæc in bonam, quæ inferiora sunt. Non tantum enim culpæ est, minus providere, quam impense cupere: nec tantum mali est impense cupere, quantum parum consulere. Item reprehendere, bonum est: melius, corrigere: optimum, secundare. Nam qui reprehendit, non continuo corrigit; qui corrigit, non ilico secundat, id est, lætissimum reddit et fidelissimum (*felicissimum*). Alii *secundare*, obsequi dictum putant: et ideo additum esse *in loco*: quasi non semper faciendum sit. Ergo *secundare*, vel in melius convertere, vel obsequi intelligimus. D.—*Obsecundare in loco*] Ut oportuit, judicis sententiam declaravit, dum (*tum* Z.) adjecit *in loco*, uti diversa quæ faciat (*faciant* Z.) reprehendens, corrigens etiam in loco obsecundet et faveat: quemadmodum hic conversatione mollior visus est Demea, qui durus antea videbatur, et (*ita* Z.) Micio vix probabilis, qui videbatur tenere bonitatem. Denique assensus ab omnibus commodatus videtur rectori esse: *Tibi, pater, permittimus: plus scis, quid facto opus est.* E.—Leg. *Et reprehendere et corrigere quem; obsecundare in loco.* Nam illud *me*, cum statim sequatur *me*, putidum et ineptum est censendum. B.

38. *Tibi, pater, permittimus*] Noluit Terentius ab amoribus filiorum perpetuo repulsum patrem. D.

39. *Sino; habeat; in istac finem faciat*] Hæc quidem permissio est: sed et exceptionem in se continet: et cum quodam stomacho, et velut minaci denunciatione profertur. D.—Nostri omnes paulo melius, *Plus scis quid opus facto est.* B.

40. *In istac finem faciat*] Hoc est, aut ne aliam amet, aut ne alteram comparet: ne post istam luxurietur ulterius. *Istuc recte*] Bene. Et Micio non discessit de proposito suo, qui ut peccasse alias ostenderet fratrem ob nimiam asperitatem, cum exceptione quadam laudans verba ejus, *istuc recte* dixit. Quasi diceret, *non ut cætera:* et simul reposuit ei, qui supra dixerat, Ut id ostenderem, quod te isti facilem, et festivum putant, id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo et bono, etc. D.—*In istac finem faciat*] Optime monuit, ut hæc venia detur præterito delicto: etiam de futuro terrere videtur, ut in his meretricibus (*hac meretrice* Z.) finem luxuriandi faciat. Denique ita laudatus est, *istuc recte;* quod et veniam tribuisti, et admonuisti, ne peccet amplius, istuc recte videtur. Tamen quasi quædam amissione præteritorum et (*Tamen quasi quadam cum omissione præteritorum est* Z.) reprehensio, ut cætera illa quæ persuaserit recta non esse videantur, vel in manumisso servo Syro, vel in libertatem data muliere, vel in munere Hegionem tradi (*vel in libertate data mulieri, vel in munere Hegioni tradito* Z.), vel in suasione, ut ipse uxorem duceret, ut hoc (*duceret. Igitur ut hoc* Z.) consilium, quod nunc dictum est, *in istac finem faciat*, solum Micio laudasse videatur, dixit, *istuc recte;* tanquam superiora non recte. E.—Verba *istuc recte*, recte Donatus Micioni tribuenda esse existimat. B.

ÆL. DON. V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ COMMENT. IN TERENTII ADELPHOS EXPLICIT.

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT. HECYRAM.

Uxorem duxit Pamphilus Philumenam,
Cui quondam ignorans virgini vitium obtulit:
Cujusque, per vim quem detraxit, anulum
Dederat amicæ Bacchidi meretriculæ.
Dein' profectus in Imbrum est: nuptam haud attigit:
Hanc mater utero gravidam, ne id sciat socrus,
Ut ægram ad se transfert: revenit Pamphilus:
Deprehendit partum: celat: uxorem tamen
Recipere non volt: pater incusat Bacchidis
Amorem: dum se purgat Bacchis, anulum
Mater vitiatæ forte agnoscit Myrrhina.
Uxorem recipit Pamphilus cum filio.

ÆLII DONATI, V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ, PRÆFATIO IN HECYRAM TERENTII.

Hæc fabula Apollodori (Vid. Sidon. Apoll. iv. Epist. 12. L.) esse dicitur Græca. Nam et ipsa et *Phormio* ab eodem dicuntur esse translatæ: quum reliquæ quatuor sint Menandri comici. *Hecyra* autem dicitur ideo, quia per socrus et soceros in ea aguntur multa. Nam et ἑκυρὸς et ἑκυρὰ, soceri nomen, socrusque significant. Est autem mixta motoriis actibus ac statariis: multumque sententiarum et figurarum continet in toto stilo. Unde quum delectet plurimum; non minus utilitatis affert spectatoribus. Atque in hac primæ partes sunt Lachetis, secundæ Pamphili, tertiæ Phidippi, quartæ Parmenonis: ac deinceps aliarum personarum, quæ his adjunctæ sunt. Divisa est autem, ut ceteræ, quinque actibus legitimis, quos in subditis distinguemus. In hac Prologus est et multiplex, et rhetoricus nimis, propterea quod sæpe exclusa hæc comœdia, diligentissima defensione indigebat. Atque in hac *Protasis* turbulenta est, *Epitasis* mollior, lenis *Catastrophe*. Acta sane est ludis Megalensibus, Sexto Julio, C. Rabirio Ædilibus curulibus: egitque L. Ambivius. Modulatus est eam Flaccus Claudius tibiis paribus. Tota Græca est, factaque et edita quinto loco, Cn. Octavio, T. Manlio Cos. Cantica et diverbia summo in hac favore suscepta sunt. Προτατικὰ in hac πρόσωπα, id est, personæ extra argumentum duæ sunt, Philotidis et Syræ. In tota comœdia hoc agitur, ut res novæ fiant, nec tamen abhorreant a consuetudine. Inducuntur enim benevolæ socrus; verecunda nurus; lenissimus in uxorem maritus, et item deditus matri suæ; meretrix bona.

ARGUMENTUM.

Vitiatam in tenebris ante nuptias, cui annulum extorserat, meretricem amans dum ignorat Pamphilus, duxit uxorem gravidam ex compressu suo. Quam peregre profectus, quum reliquisset domi, rediens parientem offendit furtim et apud matrem suam. Qua re commotus, dum repudium, invitis parentibus et causam repudii nescientibus, parat, per meretricem, apud quam annulus inventus est, cognoscit tandem ita a se vitiatam uxorem, et ex se natum filium. *Primus* actus colloquium continet meretricis Philotidis ac lenæ Syræ inter se primum, deinde cum Parmenone: ut per harum personas, quæ προτατικαὶ dicuntur, argumentum spectator addiscat. *Secundi* actus tenor in hoc est; immeritam uxorem, veluti malam socrum, accusat Laches: et convenit Phidippum de eadem causa. Statim post quorum colloquium conquestio inducitur Sostratæ, quod falsum crimen invidiosumque sustineat. *Tertio* actui hæc adscribuntur: conquestio Pamphili peregre redeuntis, de amore suo circa uxorem: partitudo Philumenæ: Sostratæ verba super ægritudinem nurus, quam morbo credit afflictam: fletus Pamphili errantis, quum putat non ex se filium natum esse: colloquium Parmenonis cum pueris a navi venientibus, ut mox loquatur cum ipso (Rectius Ms. *et mox cum ipso* L.) Pamphilo; a quo in arcem mittitur; item Lachetis, Phidippique, et Pamphili verba de reconciliandā illi conjuge; et eorum abinvicem litigiosa dissensio. *Quartum* actum hæc complent: perturbatio Myrrhinæ ex interventu mariti; et ejusdem cum eo nimis callida ac muliebris astutiæ disceptatio: Sostratæ, Pamphili, Lachetisque colloquium: inclamatio patris et soceri adversum Pamphilum uxorem recusantem: conventio meretricis promittentis se jusjurandum matronis exhibituram de non admisso ad se Pamphilo. In *quinto* actu Bacchidis narratio de intus gestis, et colloquium cum Parmenone inducitur; quem nuncium mittit ad Pamphilum: Pamphilique ad ultimum actio gratiarum apud ipsam Bacchidem. Docet autem Varro, neque in hac fabula, neque in aliis esse mirandum, quod actus impares scenarum paginarumque sint numero: quum hæc distributio in rerum descriptione, non in numero versuum constituta sit; non apud Latinos modo, verum etiam apud Græcos ipsos.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

Bacchis *meretrix.*
Laches *senex.*
Myrrhina *mulier.*
Pamphilus *adolescens.*
Parmeno *servus.*
Phidippus *senex.*
Philotis *meretrix.*
Philumena *meretrix.*
Sosia *servus.*
Sostrata *mulier.*
Syra *anus.*

PUBLII TERENTII

HECYRA.

ACTA LUDIS MEGALENS. SEX. JULIO CÆSARE, CN. CORNELIO DOLABELLA ÆDIL. CURULIB. NON EST PERACTA. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI, TIBIIS PARIBUS. TOTA GRÆCA APOLLODORU EST. ACTA PRIMO SINE PROLOGO. DATA SECUNDO, CN. OCTAVIO, T. MANLIO COSS. RELATA EST LUCIO ÆMILIO PAULO LUDIS FUNEBRIBUS. NON EST PLACITA. TERTIO RELATA, Q. FULVIO, L. MARCIO ÆDIL. CURULIB. EGIT L. AMBIVIUS TURPIO. PLACUIT.

PROLOGUS.

HECYRA est huic nomen fabulæ; hæc quum data est

Ludis Megalensibus] Ms. R. et vett. codd. *Ludis Romanis.* L.—*Tibiis paribus*] Ms. R. *tibiis parilibus:* ut et in Andr. L. —*Acta primo sine prologo*] Variant scripti libb. quorum plurimi sic habent: *Cn. Octavio, Titò Manlio Coss. relata est iterum ludis funebribus, relata est III. Quinto Fulvio, etc.* L.—*Prologus*] Non omnes comœdiæ Terentii a Menandro videntur esse translatæ: nam hæc quæ Hecyra est, alterum Græcum habet auctorem; quis ille sit, habetur incertum. Alii Apollodorum volunt. Quid autem nunc ipsa contineat, explicabimus. *Prologus* inducitur duplex, propterea quia frequenter exclusa est, ut intelligitur. Videtur enim primam prologi partem antea dictam; posteriorem nunc esse sociatam. Consuetudinem quidem in omnibus diximus prologorum semper esse hanc, poetam commendare, argumentum dicere, audientiam postulare. Verum cum causa exordii semper ita sit, ut suspicio vel crimen, quod possit opinioni obesse, in principio defendatur, est hic purgandum quod frequenter exclusa est: videtur enim quiddam esse præjudicium, quod hæc comœdia placere non possit: defenditur autem causæ derivatione, per conjecturalem statum. Non enim ideo quia mala, est exclusa; sed quia *populus in funambulo animum occupaverit:* et hoc addit, quod semel exclusa est, vel quod rumor esset, datum iri gladiatores, populus convolavit cum tumultu, defuruit loco: hoc enim ad id pertinet quod iterum videtur exclusa. Ita in omnibus exclusionibus per causæ mutationem defensio comparata. Nunc verba tractemus. Græcum nomen *Hecyra,* Latine *Socrus* dicitur. Apposuit igitur ad faciendos dociles auditores, primum nomen: deinde proponit quæstionem, cum dicit: *Hæc quum data est nova, novum intervenit vitium et calamitas, ut neque spectari neque cognosci potuerit.* In quo defensio est magna, cum nunc dicit spectatam et cognitam repudiare. Deinde conclusio ejusdem causæ: *Ita studio populus stupidus in funambulo animum occuparat: nunc hæc plane est pro nova.* Ergo si antea nullum initium hujus agendæ fuit, tanquam redit: *et hic qui scripsit hanc, ob eam rem noluit iterum referre, ut iterum possit vendere.* Ne objiceretur, cur non repetita actio est post funambulum; si propter funambulum videtur exclusa, adjecta causa est, quoniam Terentius referre eam noluit, ut possit eam vendere. E.

1. *Hecyra est huic nomen fabulæ*] A nomine cœpit, ut incognitam probaret, et

Nova, novum intervenit vitium et calamitas,
Ut neque spectari, neque cognosci potuerit:
Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat: nunc hæc plane est pro nova:
Et is qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum possit vendere.
Alias cognostis ejus; quæso hanc noscite.

ideo spectandam. *Hecyra est huic nomen fabulæ*] Nominativo casu figuravit: quum in usu sit, ut dativo dicamus, quamvis præsto sint exempla, quibus veteres per omnes fere casus hoc genus locutionis enunciabant. *Hecyra est huic nomen fabulæ*] Hæc primo data est sine prologo, ludis Megalensibus: quos Sex. Julius et Cornelius Dolabella ediderunt, sed occupato populo studio funambuli, displicuit. Postea data est ludis Funebribus L. Æmilii Pauli: quos fecerunt Q. Fabius Maximus et Cornelius Africanus. Tunc quoque non peracta est, per studium populi circa gladiatores. Tertio ad postremum introducta, Q. Fulvio, L. Martio ædilibus: virtute actorum L. Ambivii et L. Turpionis est commendata. *Hecyra est huic nomen fabulæ*] Totus hic prologus subtilem conquestionem continet, ob hoc (*ad hoc*) ne aperte populum neglectæ (*non lectæ*. Liber uterque) fabulæ reum faciat, et facile revocet in favorem. *Hæc quum data est nova*] Ita dicitur, *data est fabula*, ut *data est coena, datum est prandium*. Et *edidit a dato* (*edita a data*) descendit. *Hæc quum data est nova, novum intervenit vitium*] Sic et Homerus, Od. ω'. 40. Κεῖτο μέγας μεγαλωστὶ ἐλασμένος ἱπποσυνάων. Et *dari* dicitur *fabula*, quum agitur: *stare*, quum placet. *Hæc quum data est nova, novum intervenit vitium*] Σύλληψις prima: deest enim, *huic:* et est figura παρονομασία, *nova, novum*. D.—Pro *fabulæ* repone *fabulai*. B.

2. *Vitium et calamitas*] Bene secundum augures. *Vitium* enim est, si tonet tantum: *vitium et calamitas*, si tonet et grandinet simul, et etiam fulminet. *Vitium et calamitas*] Translatio est ab augurio: et *vitio creati* dicuntur *consules*. *Calamitas* παρὰ τὴν καλάμην dicitur: *clades*, quia clamatur (*quia κλάδοις datur*): ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti, aut doli mali (*ut in dolis malis*. Ms. B. et edd. vett.). Sic Probus. D.—Repone *Nova, ei novum intervenit, etc.* B.

3. *Ut neque spectari*] *Vitium*, quod non spectata est: *calamitas*, quod non cognita. *Ut neque spectari, neque cognosci*] Mira defensio: siquidem non judicio comœdia exacta est, si spectari cognoscique non potuerit: placitura scilicet, si audiretur. *Ut neque spectari, neque cognosci*] Ideo theatrum, ideo spectatores, ideo actores: quia major pars in gestu est, quam in verbis. *Cognosci*] Vel probari, vel sciri: an Hecyra sciri dicatur, quæ scita sit nomine (*quæ sit omnino ita*, Ms. H.)? D.

4. *Ita populus studio stupidus*] A derivatione causæ. Non quia mala, inquit, exclusa est; sed quia populus funambuli admiratione obstupuit: quod infra de gladiatoribus dicet, ad commutationem causæ inducendam. *Ita populus studio stupidus*] Hic excusatur et populus, qui neque judicavit de fabula, neque tamen stulte erravit. *Stupidus*, pro stupens: ut, Ecl. vi. 20. *timidisque supervenit Ægle*. D.

5. *Pro nova*] Recte: jam enim non est nova. D.

6. *Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem*] Id est, ob eam causam: quasi dicat, non iterum acta est sine causa. Cur ergo non post funambulum relata est, ubi ille cessarat? in quo maluit avarum poetam populo inducere, quam suo operi diffidentem. D.

7. *Iterum referre*] Supervacuum est *iterum*. *Ut iterum possit vendere*] Aliis scilicet ludis: hoc, ut diximus, ad laudem fabulæ referatur (*refertur* codd. vett.): postquam tantum fiduciæ poetæ dedit. D. —Pro *possit* leges linguæ postulant *posset*. B.

8. *Alias cognostis ejus; quæso nunc hanc noscite*] Mire illi favorem petit ex aliis, quæ spectatori notæ sunt. *Ejus*] Poetæ (*notæ ejusdem poetæ* edd. ante R. Steph.). Quasi hæc omnino nota sit (QUÆSO NUNC HANC NOSCITE. *Quasi hæc omnino incognita sit*. Vid. Donat. ad vers. 1.). At in Andria, quæ omnium prima est, aliter ait, *Ut pernoscatis et quid spei sit relliquum: Posthac quas faciet deintegro comœdias, Spectandæ an exigendæ sint vobis prius*. D.—*Alias cognostis ejus, quæso hanc cognoscite*] Optime ammonuit, ut de præteritis poetam datum doceret, quo facilius posset scire populus, et hanc ejus comœdiam posse similiter comparari. E.

ALTER PROLOGUS.

ORATOR ad vos venio ornatu prologi:
Sinite exorator ut sim, eodem ut jure uti senem
Liceat, quo jure sum usus adolescentior:
Novas qui exactas feci ut inveterascerent,
Ne cum poeta scriptura evanesceret.
In his, quas primum Cæcili didici novas,
Partim sum earum exactus, partim vix steti.

1. *Orator ad vos venio ornatu prologi*] Magna arte hic Prologus scriptus est, nimis oratorie. Nam totiens expulsa fabula, quomodo honeste revocari potuit in proscenium, nisi primo ipsa impudentia pro fiducia proferretur? deinde actor peritissimus ipse Ambivius, probaret et poetam et comœdiam, cujus auctoritas elucet ex verbis? tum deinde subtiliter novo poetæ, a vetusto et magnæ auctoritatis Cæcilio peteretur exemplum, et peteretur ingeniosissime? Nam quod rudi Terentio contigit, accidisse memoratur veteri Cæcilio: quod huic semel, illi sæpe: quod huic in aliis nunquam, hoc illi fere in omnibus: quod huic, præter Hecyram, et actæ, et probatæ sunt cæteræ: illi partim exactæ, partim vix probatæ. Itaque his omnibus argumentis id actum est, ut neque desperandum sit de Terentio, quod expulsus est (alii, *explosus*: forte, *exclusus*): ut nihilominus illi tantum attribuendum sit, ut aut par Cæcilio, magno tunc poetæ, aut ultro melior etiam esse possit. Hic autem L. Ambivius histrio, fuit actor comœdiarum. *Orator ad vos venio*] Oratorem audire oportere, jus gentium est: oratorem non licet injuriam pati. Ideo ergo ne expellatur, non se prologum, sed oratorem nominat. Plautus Pœn. i. 2. 171. *impia secrete oratorem verberas*. D.—*Orator ad vos venio ornatu prologi: sinite exorator sim*] Alius est hic prologus a superiore, qui fuit superioris exclusionis: hic vero propter exclusionem tumultus convenientis populi, propter spectandos gladiatores. *Sinite exorator siem* vel *sim*: sinite, inquit, quod oro impetrem. E.

2. *Sinite exorator ut sim*] *Orator* est dum agit (*orat.* Mss. et edd. ante Steph.): *exorator* quum impetraverit (*impetravit*. Ibidem). Ita illud, dicentis: hoc, jam effecti significationem habet. Et *orator* est, cui causa defendenda mandatur. *Eodem ut jure uti senem liceat*] Ut, Æn. v. 350. *Me liceat casus miserari insontis amici*. D.—Bentl. duce Faerno edidit *Sinite exorator sim*. Z.

3. *Quo jure sum usus adolescentior*] Tanquam aliud agens affert exempla, quibus ostendat, turpe non esse Terentio exclusam esse unam illius fabulam, quum multorum poetarum multæ exactæ sint: et in his Cæcilii, cujus illo tempore magna auctoritas fuit. *Adolescentior*] Hæc comparatio minus a positivo sonat, et vim diminutivam exprimit: ut, Æn. vi. 304. *Jam senior; sed cruda deo viridisque senectus*. D.—*Quo jure sum usus adolescentior*] Hic prologus dicitur ab Ambivio Turpione, quia senex fuerat qui est in ea actor; petit ergo uti pari modo utatur senex benivolentia populi, qua et adolescens. E.

4. *Novas qui exactas feci ut inveterascerent*] Ἀόλλησις. *Inveterascerent*, denuo agerentur: quia nondum acta, nova dicitur fabula. *Exactas*] Expulsas. *Inveterascerent*] In consuetudinem venirent, spectarentur, amarentur. D.—*Novas qui exactas feci ut inveterascerent*] Qui labore meo novas comœdias exclusas ad populi aures revocavi, et veteres confeci. E.

5. *Ne cum poeta scriptura evanesceret*] Causa facti honestior est, non se poetæ unius, sed ipsius poematis causa laborare. D.

6. *In his, quas primum Cæcili didici novas*] A simili argumentum, quod fit per comparationem artificiosam et oratoriam rerum ac personarum. D.—*Quas primum Cæcili didici novas*] Comœdiarum scriptor Cæcilius fuit: ergo ad hunc laborem suum profert exemplum de altero auctore, qui populo placuerit; et ostendit populi quodammodo rem, et scenæ dubiam fortunam esse: uti comœdia excludatur aliquotiens. E.

7. *Partim sum earum exactus, partim vix steti*] Vide, plus esse in exemplo: siquidem partim exactæ sunt Cæcilii fabulæ, partim vix admissæ: quum una Hecyra exclusa sit. Et est sensus, aut displicui, inquit, aut aliquibus vix placui. *Partim sum earum exactus*] Pro in aliis (Cum in vett. libris sit *aut timidis*, leg. *ante mihi actis*). Et simul splendida locutio est. *Partim* adverbium est. Et proprie locutus est. Nam *fabulæ* aut *agi* dicuntur, aut *stare*. D.

Quia sciebam dubiam fortunam esse scenicam,
Spe incerta certum mihi laborem sustuli:
Easdem agere cœpi, ut ab eodem alias discerem
Novas, studiose; ne illum ab studio abducerem.
Perfeci ut spectarentur: ubi sunt cognitæ,
Placitæ sunt: ita poetam restitui in locum,
Prope jam remotum injuria adversarium
Ab studio, atque ab labore, atque arte musica.
Quod si scripturam sprevissem in præsentia,
Et in deterrendo voluissem operam sumere,
Ut in otio esset potius, quam in negotio:
Deterruissem facile, ne alias scriberet.
Nunc quid petam, mea causa æquo animo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium

8. *Quia sciebam dubiam fortunam*] Non igitur poetæ culpa, sed casus est, nam ideo fortunæ eventum extulit (*ad fortunam eventum retulit.* Sic infra ver. 22.). D.

9. *Spe incerta certum mihi laborem sustuli*] Sententiose, et verum. Nam ubi certa spes est, nihil opus est labore certo ac vehementi. *Spe incerta*] Pro, spei incertæ: an deest *in*? *Incerta certum*] Honesta figura, quæ dicitur ἀντίθετος. D.—*Spe incerta certum mihi laborem sustuli*] Hic se commendat, quo facilius impetret quod desiderat: *laborem certissimum sustuli;* at placendi spes est et (dele *et* Z.) incerta. E.

10. *Easdem*] Exactas. *Cœpi*] Difficultatem facti et molimen ostendit. *Ab eodem*] Cæcilio scilicet. D.

11. *Novas studiose, ne illum ab studio*] Παρόμοιον. *Ne illum ab studio abducerem*] Iterum causa honestatis. D.

12. *Perfeci, ut spectarentur*] Attende quantum pondus habeat, quod non *feci* dixit, sed potius *perfeci:* ut molem difficultatis ostenderet. *Ubi sunt cognitæ, placitæ sunt*] Elegans promissio, et hanc placituram, si cognoscatur. Et est conjectura a futuro tempore. D.—*Ubi sunt cognitæ, placitæ sunt*] Vides a simili, quemadmodum hic argumentum et conjecturam fecerit; si quidem illæ Cæcilii comœdiæ quæ exclusæ sunt, quia ante non erant cognitæ, posteaquam meo labore cognitæ sunt, placere cœperunt: ergo et istæ placebunt sine dubio, cum cognoscentur. E.

13. *Placitæ sunt*] Nota participium sine verbo. *Ita poetam restitui in locum*] Mire non Cæcilium, sed poetam: ut hoc generaliter populo præstitisse, non uni homini videatur. *Restitui in locum*] Quia remotum et exclusum dixit. D.—*Placitæ sunt*] Servius, Æneid. x. 106. L.

14. *Prope jam remmotum*] Geminavit m secundum antiquos, qui omnes in verbis liquidas duplicabant. D.

15. *Ab studio, atque ab labore*] Bene ostendit se populo profuisse, Cæcilium poetam ad laborem revocando atque artem. *Ab* (Faernus recte correxit sic, *revocando.* ATQUE ARTE MUSICA. *Ab* Z.) autem in tertio commode (*commate* Z.) audiendum est: ut, Æn. i. 431. *Hic portas alii effodiunt, hic alta theatri fundamenta locant alii, immanesque columnas rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.* D.—Consensu codd. repone *atque arte ab musica.* Hoc enim nec a versu nec a Ter. consuetudine abhorret. B.

16. *In præsentia*] Statim ut a populo ejiciebatur. D.—Pro *scripturam* leg. *scriptorem.* Nam verba, quæ sequuntur, *deterrere, in otio esse, scribere,* scripturæ non conveniunt. B.

18. *Ut in otio esset potius, quam in negotio*] Ex ipsis rerum nominibus ostendit facilitatem deterrendi. D.

20. *Nunc quid petam, mea causa*] Bene *petam* et *mea causa,* quasi orator. *Mea causa æquo animo attendite.* Commendatio personæ levis per aliam personam gravem, secundum præcepta in Rhetoricis. D.

21. *Hecyram ad vos refero*] A causa principium narrationis inducitur. *Hecyram ad vos refero*] Principium a principali quæstione, an cognita sit, et an spectanda sit. *Quam mihi*] A persona dicentis. D.—*Quam mihi per silentium nunquam agere licitum est*] Hic jam, comparatione a simili ducta et terminata, ad primam quæstionem redit: docetque quod sit frequenter exclusus non suo vitio, neque judicio de comœdia. Petit igitur audientiam ut populus præbeat: et ponit hic ipsam duplicem exclusionis causam.

Nunquam agere licitum est; ita eam oppressit calamitas.
Eam calamitatem vostra intelligentia
Sedabit, si erit adjutrix nostræ industriæ.
Quum primum eam agere cœpi, pugilum gloria,
Funambuli eodem accessit exspectatio,
Comitum conventus, strepitus, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras.
Vetere in nova cœpi uti consuetudine,
In experiundo ut essem: refero denuo.
Primo actu placeo: quum interea rumor venit
Datum iri gladiatores, populus convolat:

Nam primam sic colligit, *Quum primum eam agere cœpi, pugilum gloria, funambuli eodem accessit exspectatio.* Deinde actionem alteram sic memorat: *Vetere in nova cœpi uti consuetudine: in experiundo ut essem.* Hoc est, ut iterum tentarem. *Refero denuo.* Deinde adjecit quod utile fuerat ad comœdiæ judicium, *Primo actu placeo:* supponit deinde causam cur exclusus est, *quum interea rumor venit datum iri gladiatores, populus convolat, tumultuantur, pugnant de loco.* Declarata causa vel re, ad officium prologi redit, petens audientiam, *Nunc turba non est; otium et silentium est.* Et jam sublatæ sunt causæ quibus sum frequenter exclusus: ad audiendum operam date. E.

22. *Ita eam oppressit calamitas*] Hoc succedit pro illo, quod est a persona adversariorum. Simul ad fortunam retulit culpam populi: non enim dixit, quod præsto erat. D.

23. *Eam calamitatem*] *Calamitatem* repetit, ne nos fabulam illum dicere putaremus. D.

24. *Vostra intelligentia*] Ab auditorum persona (*a spectatorum*, vel, *judicum persona*). *Nostræ industriæ*] Rursus a sua. Et bene περιφράσει usus est: ne diceret, *vos nobis.* D.

25. *Quum primum eam agere cœpi*] Jam hinc narratio subtilis inducitur, et ut non lædat populum, et ut defendat poetam. *Pugilum gloria*] Περίφρασις, ἀντὶ τοῦ pugiles etiam gloriosi: ut minus turpe sit, antelatos eos esse. Sicut Virgil. Æn. v. 368. *vastis cum viribus effert Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit, Solus qui Paridem solitus contendere contra.* Hæc est gloria pugilum, gratia funambuli. *Pugilum gloria*] *Pugil* dictus est a pugna: et *pugna* a pugno. Veteres namque, ante usum ferri et armorum, pugnis et calcibus, et morsibus, corporumque luctatione certabant. D.

26. *Pugilum gloria, funambuli eodem accessit exspectatio*] Πολυλογία. *Funambuli eodem accessit exspectatio*] Duplex causa ad unam exclusionem adhibetur. *Accessit exspectatio*] Narratio cur exclusa sit: hoc est, non poetæ culpa dejecta (*rejecta*) est, nec judicio populi: et ideo nunc admittenda est. *Exspectatio*] Desiderium: ut Virg. Æn. ii. 283. *Exspectate venis.* D.—*Accessit exspectatio*] Vett. codd. *accessit spectatio.* L.—Ne orationis series perturbetur, pro *accessit* repone *accedens.* B.

27. *Comitum conventus*] Utrum eos comites dicit, qui sunt pugilum assectatores? an servos, qui dominos sequuntur? *Studium*] Certamen diversis faventium. *Clamor mulierum*] Bene *mulierum:* non enim timet eas, quibus suffragari vel refragari non licet in theatro. D.—Cum nesciam, qua ratione vel pugilum assectatores, vel asseclæ dominorum dici possint *comitum conventus;* forte legi debet *comiti conventus;* casu genitivo a *comitium.* B.

28. *Ut ante tempus exirem foras*] Τῷ ἐξουθενισμῷ, ne gravem passus videatur injuriam. D.

29. *Vetere in nova*] Ἀντίθετον primum. *Vetere in nova cœpi uti consuetudine*] Nisi novam comœdiam intellexeris, non erit aperta (*apta*, libb. vett.) sententia. Nam et supra dixit, *nunc hæc plane est pro nova.* An a Terentio *nova* ideo dictum est, quia nunquam alias exclusus est? Et bene *vetere:* ut ostendat turpe non esse, quod et aliis poetis sæpe contigerit. D.

30. *Refero denuo*] Aut *re* abundat, aut *denuo.* D.

31. *Primo actu placeo*] Rationabiliter dixit *primo:* quia quinque sunt actus, partes fabulæ. *Placeo*] *Placeo* dixit pro eo quod est, fabula placet, aut Terentius. Et mire, Non diu, inquit, pependit judicium, sed statim placuit (*placui*): ut quod sequitur, non judicio, sed perturbatione factum sit. *Quum interea rumor venit datum iri gladiatores*] Hoc abhorret a nostra consuetudine: veruntamen apud antiquos gladiatores in theatro spectabantur. D.

32. *Datum iri*] *Datum iri* dixit, ut fa-

Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.
Ego interea meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla est: otium et silentium est.
Agendi tempus mihi datum est: vobis datur
Potestas condecorandi ludos scenicos.
Nolite sinere per vos artem musicam
Recidere ad paucos: facite, ut vostra auctoritas
Meæ auctoritati fautrix adjutrixque sit.
Si nunquam avare pretium statui arti meæ;
Et eum esse quæstum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vostris commodis:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum, et se in vostram commisit fidem,
Nè eum circumventum inique iniqui irrideant.
Mea causa causam accipite, et date silentium;

bulam commendet: ut et omnia spectatori et populo dicantur. D.

34. *Non potui tutari locum*] Facete repetit *locum*. D.

35. *Nunc turba nulla est*] Ἀντανάδοσις πρὸς τὸ (ἀντὶ τοῦ) *tumultuantur*. *Turba*, id est, θόρυβος. *Nunc turba nulla est: otium et silentium est*] *Turbam* retulit ad id quod supra dixit, *clamor mulierum*. *Otium*, πρὸς τὸ *pugnant*; *silentium*, πρὸς τὸ *clamant*. *Nunc turba nulla est: otium et silentium est*] Quæ adhortatio per enumerationem. D.—Liber Bembinus et Donatus Faerni recte habent *Nunc túrba non est*. B.

36. *Agendi tempus mihi datum est*] Ab ædilibus scilicet. *Vobis datur potestas condecorandi ludos scenicos*] Quasi et aliquid agat populus, quum spectet. D.

38. *Nolite sinere per vos*] Σχῆμα διανοίας, ῥητορικὴ ἐνέργεια. *Artem musicam*] Oratorie: quasi non Terentii causa agatur, sed artis musicæ. D.—*Nolite sinere per vos artem musicam recidere ad paucos*] Date potius operam ut faveatis comœdias scribentibus, ne ars musica ad paucos revertatur: et si aliquid excludatur, comœdiæ adscribant. E.

39. *Facite ut vestra auctoritas meæ auctoritati adjutrix fautrixque sit*] Vos comœdias cum libenter audire cœperitis, erit studium scriptoribus maximum: unde mea ad clangendum (*pangendum* W. forte *clarendum* Z.) crescet auctoritas: siquidem multi per me placebunt. Et commendat se quod nunquam pretium statuit artis suæ maximum, ut avarus videretur: et quod maxime ipsum quæstum putaverit, populo semper placere. E.

40. *Meæ auctoritati*] Quia jam senex est. *Meæ auctoritati fautrix adjutrixque sit*] Qua Terentium probo; et est figura ἀναλογία. Vult autem se esse ejus auctoritatis, ut et populo placere jam debeat, qui ipsi placet. D.

41. *Si nunquam avare*] Commendatio ab ante dictis (*actis* codd. vett.), id est, a personæ attributis. *Si nunquam avare*] A meritis defensoris argumentum ad laudem fabulæ. *Si nunquam avare*] Per hæc verba Terentius vult demonstrare, quam gravis auctor sit, qui suas comœdias probet. Sic Horatius, Epist. ii. 1. 81. —*ea quum reprehendere coner, Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit*. D.

42. *Et eum esse quæstum in animum induxi*] Modo non *nunquam* subauditur: sed *si*: ut sit, Et si eum esse, etc. *Maximum quam maxime*] *Inique iniqui* παράμοιον. D.

43. *Quam maxime servire vostris commodis*] Plus dixit *commodis*, quam si diceret *voluptatibus*. D.

44. *Sinite impetrare me, qui in tutelam meam*] Ordo est, Sinite impetrare me, ne eum circumventum inique iniqui irrideant, qui in tutelam meam studium suum, et se in vestram commisit fidem. D.—*Qui in tutelam meam studium suum, et se in vestram commisit fidem*] Poeta enim quodammodo auctore commendatus est. E.

47. *Mea causa*] Quasi orator *causam* dixit. *Mea causa causam hanc accipite*] Hoc oratorie: sic enim fit, quum persona pro persona ad commendationem affertur. *Mea causa, causam*] Παρονομασία. *Et date silentium*] Quasi fabulæ ac poetæ. D.—*Mea causa causam hanc accipite, ac date*] Scit se optimi meriti esse, et quam frequenter populo placuerit: et idcirco propter se dicit audientiam esse comœdiæ dandam. (Reliquus Eugraphii in hanc

Ut lubeat scribere aliis, mihique ut discere
Novas expediat, posthac pretio emtas meo.

ACTUS PRIMI SCENA PRIMA.

PHILOTIS. SYRA.

Per pol quam paucos reperias meretricibus
Fidelis evenire amatores, Syra.
Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi,

fabulam commentarius primum editus est e Ms. per Westerhovium. Z.). E.

48. *Ut libeat scribere aliis*] Oratorie ἀπὸ τῆς ἑCATHOS (*ἰσότητος* B.). • *Mihique ut discere novas expediat*] Proprie *discere:* docet enim poeta, discit scenicus. D.—*Ut libeat*] Ms. R. *Ut lubeat.* L.—Pro *aliis* rescribendum censeo *alias;* nempe ut Terentio lubeat scribere *alias novas.* Sic supra vers. 10. occurrit *alias discere novas.* Et Ad. Prol. 25. *poetæ* occurrit, non *aliis poetis.* B.

49. *Novas expediat posthac*] Ab utili argumentatio est. Et bene, *ut expediat:* tanquam facturus sit, et si non expedierit, dum quæstum maximum servire populo putat. *Pretio emtas meo*] Æstimatione a me facta, quantum Ædiles darent: et proinde me periclitante, si abjecta fabula, a me pretium, quod poetæ numeraverint, repetant. Ergo *meo,* a me facto, a me statuto. Nam quomodo alibi dixit, *postquam ædiles emerunt?* Et bene, ut sequatur populus judicium ejus, qui æstimare vere fabulas potuerit. *Pretio emtas meo*] Ut quidam volunt, *periculo.* D.

1. *Per pol quam paucos reperias meretricibus fidelis*] Novo genere hic utraque προτατικὰ πρόσωπα inducuntur. Nam et Philotis et Syra non pertinent ad argumentum fabulæ. Hoc autem maluit Terentius, quam aut per prologum narraret argumentum, aut θεὸν ἀπὸ μηχανῆς induceret loqui. *Per pol quam paucos reperias*] Hæ personæ Terentii more extrinsecus assumuntur, ut sic argumenti obscuritatem spectator effugiat. *Per pol quam paucos*] Animadvertendum est in hac fabula, Terentium bonam meretricem inducturum, ne id contra morem videatur facere, etiam aliam meretricem non malam inducere: ut id exemplis fiat tritius, et usu verisimile. *Per pol quam paucos*] Ordo est, *Pol per quam paucos reperias.* Nam *per pol,* non est Latinum, sed κατὰ τμῆσιν *perquam,* id est, nimio (*nimis* Z.) *Quam paucos*] Quidam non *paucos,* sed *paucis* legunt. Sic enim Apollodorus αλτaICHPAS THC reI IONHNC THPAICCI PAγγιbaIωC • (*οὐδέποτ' ἐραστὴς ταῖς ἑταίραισι συνέβη βέβαιος.* Tan. Fab. Melius vero Bentleius, 'Ολίγαις ἐραστὴς γέγον' ἑταίραισι, Σύρα, *βέβαιος.* Z.). *Reperias*] Aptum verbum ad raritatem. Et ideo non dixit *pauci sunt,* sed *paucos reperias:* quasi quærens. Non autem reperitur, nisi quod quæritur: non quæritur, nisi quod præsto non sit. D.—*Pol quam paucos reperias meretricibus fideles evenire amatores, Syra*] Hæc scena, quæ priorem in prima parte (*quæ priori in parte* Z.) continet tractatum, an juste meretrix faciat, cum aliquem diligat, in postrema narratione sicut in om habet (*in postrema narrationem fabulæ, ut in omnibus, habet* Z.); quoniam argumentum in prologis Terentius nullum tenet. Omnes igitur ejus comœdiæ in primis scenis argumenti plurimam exprimunt partem. Ea igitur meretrix, quæ hic est, longe a fabula est constituta. Nam aliam meretricem amat Pamphilus. Nunc ista interponitur, ut ei peregre advenienti, atque miranti, quod meretricem duceret. Narratur (*miranti, quod meretrice relicta uxorem duxerit ille, narretur* Z.) quid causæ fuit. Quæ res dum exponitur, argumentum pars aliqua declarat (*argumenti pars aliqua declaratur.* Z.). E.—*Per pol quam*] Servius Æneid. i. 644. L.—Pro *paucos* leg. cum Apollodoro Donati *paucis,* h. e. singulis singulos; non *paucos amatores,* quasi uni plures contigisse vellet. Deinde ex Apollodori illo γέγονε lege *evenisse* pro *evenire* in versu seq. Id quod et versui et sententiæ commodius est. B.

2. *Fidelis*] Hujusmodi sententias rhetores διανοίας vocant. Et mire, non *esse,* sed *evenire* dixit; ut non rationis, sed casus sit id, quod rarissimum est. *Fidelis*] *Fidi,* in maximis: *fideles,* in minoribus negotiis. D.

3. *Vel hic Pamphilus*] Transitus a generali sententia ad specialem. *Vel*] Nunc veluti: alias conjunctio disjunctiva est, alias correptionem significat: ut apud Ciceronem, Verr. iv. 2. *vel optimam*

Quam sancte, ut quivis facile posset credere,
Nunquam illa viva ducturum uxorem domum.
Hem! duxit. SY. Ergo propterea te sedulo
Et moneo, et hortor, ne cujusquam misereat,
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquem nacta sis.
PH. Utin' eximium neminem habeam? SY. Neminem:
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret se, abs te ut blanditiis suis,

Messanæ vitam. Virg. Ecl. viii. 69. *Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.* Aut *vel, ut* modo. *Jurabat quoties Bacchidi! quam sancte!*] Tria sunt: quod *jurabat*, et *quoties*, et *quam sancte.* Quod totum de more amatorum et meretricum dixit, quæ jurejurando teneant, quos lege non possunt. D.—*Vel hic Pamphilus*] Vel *etiam* significat. Ut, Virg. Ecl. viii. 69. *Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.* E.

4. *Ut quivis*] Non modo Bacchis, quæ amica erat. D.

5. *Nunquam illa viva ducturum uxorem*] Παρένθεσις prima: jurabat nunquam illa viva uxorem ducturum. D.—Nostri plerique melius collocant, *viva uxórem ducturúm domum.* B.

6. *Hem! duxit*] Pronuncia ut mirantem ostendas. *Hem! duxit*] *Hem* adverbium demonstrantis est: ut, *Hem alter. Ergo propterea*] Modo *ergo* affectum exprimit reprehendentis tarde sibi consentientem: sic Virg. Æn. ii. 707. *Ergo age, care pater, cervici imponere nostræ. Propterea sedulo*] *Sedulo* instanter, et ex animo: vel sine dolo. D.—*Ergo propterea sedulo admoneo, et hortor, ne cujusquam te misereat*] Atque meretrix temperata est, lena vero asperior: ejus etenim truces mores esse plurimum. Debeat meretrice blanditia (*mores esse solent plurimum; debent autem meretricis esse blandi* Z.): aliter enim diligi non potest, nisi cum forma cum blandimentis conveniat (*cum forma quoque blandimenta conveniant* Z.). E.—Veteres nostri *Em*, cæteri *En.* B.

7. *Et moneo, et hortor*] *Monemus* consilio, *hortamur* impulsu. *Ne cujusquam misereat*] Deest *te.* D.—*Ne cujusque misereat*] Vett. codd. *ne cujusque te misereat.* L.—Bembinus, quem, ut semper fere, sequitur Faernus, habet, *ne cujusquam misereas:* nostri omnes, *ne cujusquam te misereat.* Recte, dummodo TE ponas post *ne.* B.

8. *Quin spolies, mutiles, laceres*] *Quin* pro *quo minus.* Et magna persuasio est ad malefaciendum. *Spolies*] *Spoliare* est, non minimam partem auferre. *Mutilare*, aliquid detrahere, sine quo res esse non possit. *Lacerare* autem, quum omnino non habeas, quod imminuas. *Mutiles*] Imminuas: unde *mutili* dicti sunt boves, aut capri, sine cornibus. Nam male, qui a *multa* putant dici: et inde *Mulciber* Vulcanus, quod sit mutilatus ac debilis: id est, claudus. Nam proprie *Mulciber* dictus est, quod omnia mulceat, id est, molliat ac vincat. D.—*Mutiles*] Hoc est, debiles reddas. Unde aiunt, quod dandus sit Vulcanus, inde dictum esse res virilis posuit mulier (*quod claudus sit Vulcanus dictus poetis Mulciber*). Quamquam illic intelligi potest, quod omnia mulceat, et mollia igne faciat. E.—Faernus ob Bemb. et alios aliquot codd. legit *quemque.* Sed duo perantiqui nostri *quemquem;* quod et versus confirmat, h. e. *quemcunque.* Cf. Cledonius, p. 1908. qui ipse *quemquem* hic legit. B.

9. *Utin' eximium neminem habeam?*] *Utin'* pro *ut ne.* Ἀνάστροφος. Et perseverat in ἀλληγορίᾳ. Nam *eximia pecora* dicuntur, quæ a grege excepta sunt ad usus dominorum suorum, ut uberius pascantur. Sed proprie *eximii* sunt porci majores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascuntur. Etenim boves, qui ad hoc electi sunt, *egregii* dicuntur: et *oves lectæ:* ut Virg. Æn. iv. 57. *mactant lectas de more bidentes.* Ita et *porci eximii. Utin' eximium*] Deest, *censes:* ut sit, Censes ut eximium neminem habeam? vel certe dones (alii, *dores*, alii *mones*). *Utin' eximium*] Separatum ex omnibus. Proprie *eximius porcus* est, exemtus a grege, atque signatus macula aut nota. *Habeam?*] Deest censes, aut vis, aut mones. D.—*Eximium neminem habeam?*] Exceptum et ab aliis separatum. E.

10. *Nam nemo quisquam*] Παρέλκον tertium. Nam abundat *quisquam. Scito, ad te venit*] Bene additum est *scito:* et moraliter, et acutius pronunciandum: est enim verbum illorum, qui familiares corrigunt. D.—Nostri omnes concinnius, *Nam nemo quisquam illorum, etc.* B.

11. *Quin ita paret se*] Hoc verbum *paret*, adversum munificos (*nullificos*) et segnes sumitur. Ut alibi, *Itane te parasti, ut spes nulla reliqua in te siet tibi? Abs te*] Pro, ex te. D.—Unus Bemb. habet *se;* cæteri Faerni et nostri omnes recte *sese.* B.

Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.
Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere?
PH. Tamen pol eandem injurium est esse omnibus.
SY. Injurium autem est ulcisci adversarios?
Aut qua via te captent, eadem ipsos capi?
Eheu me miseram! cur non aut istæc mihi
Ætas et forma est, aut tibi hæc sententia?

ACTUS PRIMI SCENA II.

PARMENO. PHILOTIS. SYRA.

SENEX si quæret me, modo isse dicito

12. *Suam voluptatem expleat*] Bene *expleat*, quod contrarium meretrici est, amatorem voluptate satiari. D.

13. *Hiscine*] Ἐρώτησις. Id est, talibus. Et vide si pulchra meretrix puella est. *Insidiabere?*] Insidiari malum est: sed contra insidiari, justum est. D.

14. *Tamen eandem pol esse omnibus injurium est*] Idem aliter, et vehementius intulit. Nam pejus est eandem esse omnibus, quam nullum excipere. *Injurium*] Iniquum. *Injurium* autem indignantis modo significatio est: et vim adverbii habet. D.—*Injurium esse omnibus*] Injurium est esse omnibus similem, id est, asperam seu sævam meretricem. E.

15. *Ulcisci adversarios?*] De more *adversarios* mutato nomine posuit; durum enim fuerat, si *amatores* diceret. D.—*Injurium est autem ulcisci adversarios?*] Defendit et hæc partem suam, quod asperam meretricem esse desiderat. Dicit enim, non amatores esse, sed *adversarios*, ex hoc quod ad libidinem complendam sine mercede festinant. E.

16. *Qua via te captent*] Qui te captant sæpe, tu eos vel semel cape. D.—Consensus codd. probat *Aut quâ via captent tê illi. Via* hic est monosyllabon. B.

17. *Eheu me miseram!*] Bene, quia non persuasit: sed (*suum* Z.) affectum doloris expressit. Intelligitur enim ex vultu ejus, non eam persuasisse quod voluit. *Eheu me miseram! cur non aut istæc mihi ætas et forma est*] Ἐμπαθῶς ait, quod reliquum est: quia quod volebat, persuadere non potuit. Et bene *istæc ætas et forma*: quia utrumque non habet. Et mire e contrario descripta est deformitas lenæ, et formam et voluntatem malam gerentis. D.

18. *Aut tibi hæc sententia?*] Δεικτικῶς; simulque ostendit secundum φυσιογνωμικὸν, difficile deformem reperiri bonam. D.

1. *Senex si quæret me, modo isse dicito*] Hoc servus dixit, in scenam de proscenio respiciens. *Senex si quæret me*] Duæ conjecturæ sunt in hac scena: an veræ sint nuptiæ: et an verisimile sit, abstinere potuisse adolescentem a virgine sibi nuptum tradita. *Senex si quæret me*] Magis expressit consuetudinem, dicendo *senex*: quam si diceret, *dominus major*. *Senex si quæret me*] Ut ex verbis suis tam meretrix, quam lena descripta est: ita et Parmeno ipse qualis sit, ostenditur ex sua sibi locutione. Exeundi autem causa de argumento sumitur: quia Pamphilus absens est, et exspectatur in dies ejus adventus. *Senex si quæret me, modo isse dicito ad portum*] Hæc omnia submissa et veloci pronunciatione efferenda sunt: hoc enim desiderant hujusmodi verba, utpote et servi et festinantis. D.—*Senex si quæret me*] Hæc, ut dixi, scena narrationem tenet; in qua conjectura est, non esse istas firmissimas nuptias; et alia incedens (*alia inde est* Z.), quod et adolescens illibatam diu in domo habuit uxorem, et a se intactam eo tempore, quo nuptiæ fuerunt; quibus (*de quibus* Z.) propriis locis argumenta tradimus. Ut oportet tamen servus exiens domo mandat, quasi præ sollicitudine si ad portum descenderet usque erat quando Pamphilus veniat, qui a patre veniat missus est (*trademus, ut oportet. Jam nunc servus exiens domo mandat conservo, ut, si forte quærat senex, ubi sit, dicat, se ad portum descendisse, sciscitatum quando Pamph. veniat, qui a patre in Imbrum missus est* Z.), ut hereditatem sibi relictam capere posset ab hoc, de aliis ut sine ipso causam hanc intelligat (*posset: ad hoc addit, ut, nisi ipse quærat, aliis causam hanc ne indicet* Z.): Si te, inquit, (adde, *non* Z.) interrogaverit, ne dixeris. Huc (*hæc* Z.) enim causa cum integra fuerit, quod ei dictum non est, me isse ad portum, facile alio loco dici possent (*potest* Z.). E.

Ad portum, percontatum adventum Pamphili.
Audin' quid dicam, Scirte? si quæret me, uti
Tum dicas: si non quæret, nullus dixeris:
Alias ut uti possim causa hac integra.
Sed videon' ego Philotium? unde hæc advenit?
Philotis, salve multum. PH. O salve, Parmeno.
SY. Salve mecastor, Parmeno. PA. Et tu ædepol, Syra.
Dic mihi, Philotis, ubi te oblectasti tam diu?
PH. Minime equidem me oblectavi, quæ cum milite
Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo:
Biennium ibi perpetuum misera illum tuli.
PA. Ædepol te desiderium Athenarum arbitror,

2. *Percontatum adventum Pamphili*] Honestam causam dixit, id est, Pamphili adventum. Et *percunctatum*, et *percontatum* scribitur: sed *percontatum* a conto dicitur, quo nautæ utuntur ad exploranda loca navibus opportuna: si vero *percunctatum*, ab eo quod a *cunctis* perquiratur, dicitur. D.

3. *Audin', quid dicam, Scirte?*] *Audis*, modo sentis, intelligis: ut Virg. Æn. i. 23. *Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci Audierat.* Item alibi, Georg. i. 514. *Neque audit currus habenas. Audin', quid dicam, Scirte?*] *Audis* modo pro advertis. *Audin' quid dicam, Scirte?*] Convenit nomen servo puero, παρὰ τὸ σκιρτᾶν, quod est gestire et ludere. *Scirte*] Καφὸν πρόσωπον inducitur. D.

4. *Nullus*] Pro non. D.

5. *Alias ut uti possim*] Inter *alias* et *alia*, hoc interest: quod *alias* alio tempore significat: *alia* aliter, aut per alia. *Integra*] Non dicta. D.

6. *Sed videon' ego Philotium?*] Mire inventa est causa narrandi ideo, quia peregre venit meretrix: alioquin si Athenis esset, omnia sciret. *Sed videon' ego Philotium?*] Sic solet dubitari, advenientibus ipsis, quos post multum temporis intervallum vident. *Unde hæc advenit?*] Cum quodam contemtu ejus *hæc* dicit Parmeno. D.

8. *Salve mecastor, Parmeno*] Olim salutantes addebant jusjurandum, ut hoc sedulo facere viderentur. *Me*] Aut adjectio est, et abundat: aut positum est pro μὰ syllaba: ut Græci μὰ τὸν Ἀπόλλωνα dicunt. *Et tu ædepol, Syra*] Irrisit ad *ecastor* addendo *ædepol*. Et quod illa Parmeno, ille hic addidit Syra. *Syra*] *Sura* veteres legerunt, U pro Y ponentes: ut, *Musia, Suria*. D.

9. *Dic mihi, Philotis*] Vide licentiam: supra *Philotium*, hic *Philotis* dixit. *Ubi te oblectasti tam diu?*] Facete dictum meretrici: non, *ubi fuisti?* sed, *ubi te oblectasti?* D.—Ut versum adjuves, mutato ordine, lege *Philotis, dic mi ubi, etc.* B.

10. *Minime equidem me oblactavi*] *Me* acutius proferendum est: et respondet πρὸς τὸ TE. D.—*Minime equidem me oblectavi, quæ cum milite Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo*] Ac oblectatio sit argumentum finitima actu (*An oblectatio sit, sumit argumentum ab arte* Z.), quod cum *milite*; ab habitu, quod *inhumanissimo*; a loco, quod *hinc profecta*; a tempore, quod *biennium*. E.

11. *Corinthum hinc sum profecta*] *Hinc* magnum ostendit dolorem habere Philotion, quod relictis Athenis Corinthi habitaverit. *Cum milite Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo*] Multa dixit: et *milite*, et *hinc*, et *inhumanissimo*. *Inhumanissimo*] Quid potuit de milite dici, nisi in superlativo? namque omnis miles inhumanus: hic vero inhumanissimus. *Corinthum hinc sum profecta*] Hæc argumenta sunt, an se oblectare potuerit a persona, quia miles inhumanissimus: a loco, quod hinc profecta: a tempore, quod biennium: a re, id est, ab injuria quam tulit. D.

12. *Biennium ibi perpetuum*] Ut continuationem sui casus ostenderet, *perpetuum* dixit. *Misera*] Muliebris interpositio τὸ *misera. Illum tuli*] Non, cum illo fui, sed *tuli*: adeo non me oblectavi. D.—*Biennium enim perpetuum misera illum obtuli*] Quo non queritur. Deinde humanitatem amoris meretrix (leg. pertuli) *Duo nunc queritur; primum diuturnitatem temporis; deinde inhumanitatem militis* Z.), et ut oportuit de rebus et de tempore. *Misera illum*] Quemadmodum Cic. Verr. *hoc uno prætore per triennium pertulisse*. Et moderate, ut hæc pertulisse se dixerit. E.

13. *Desiderium Athenarum*] Quod Corinthum profecta es. *Athenarum arbitror*] Quod dixit (*dixti*) *hinc* ante πεδουὴν Athenarum, et ἀμφιβολία *te desiderium cepisse* (*ante μεταλήψεως*. ATHENARUM TE

Philotium, cepisse sæpe, et te tuum
Consilium contemsisse. PH. Non dici potest,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
Vosque hic videndi, antiqua ut consuetudine
Agitarem inter vos libere convivium.
Nam illic haud licebat, nisi præfinito, loqui,
Quæ illi placerent. PA. Haud opinor commode
Finem statuisse orationi militem.
PH. Sed quid hoc negoti est? modo quæ narravit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
Fore, ut ille hac viva posset animum inducere
Uxorem habere. PA. Habere autem? PH. Eho tu, an non habet?
PA. Habet: sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ.

DESIDERIUM CEPISSE. Ἀμφιβολία). *Ædepol te desiderium Athenarum arbitror cepisse sæpe*] Quod cum milite inhumanissimo. D.

15. *Consilium contemsisse*] Pœnitudine esse possessam (*pœnituisse te esse profectam*). D.

16. *Huc redeundi*] Iterum a loco. *Abeundi a milite*] A persona. *Vosque hic videndi*] A re. *Redeundi, abeundi, vosque hic videndi*] Oratorie unam rem in tria divisit, Huc redeundi, Abeundi a milite, Vosque hic videndi: ut diceret, Huc veniendi. D.

18. *Agitarem inter vos libere convivium*] Inter *agere* et *agitare* hoc interest: quod *agere*, est aliquid (excidit forte, *serium*) vel necessarium facere: *agitare*, voluptarium. Ergo *agitarem*, exercerem. D.

19. *Nam illic haud licebat nisi præfinito loqui*] Legitur et *illi*: ut sit circumflexus accentus, et significet *illic*: ut, Æn. ii. 548.) *illi mea tristia facta*: et absolutum est. *Præfinito*] Deest tempore, aut quid tale. *Nisi præfinito loqui*] A tempore. Hic ostendit, quid dixit supra, *tuli*: et quid sit *agitare convivium libere*. *Nisi præfinito loqui, quæ illi placerent*] Duo dixit: et *præfinito*, et *quæ illi placerent*: ut neque quantum velles, neque quod velles, diceres. D.—*Nam illic haud licebat, nisi præfinito, loqui, quæ illi placebant*] Nam apud militem, nisi certus, esse sermo non poterat, vel in numero, vel in qualitate; ut et quantum dicerem, præfiniret, et quid dicerem. E.—Pro *illic* Donatus recte legit *illi*. Non enim aliter stat versus. B.

20. *Haud opinor commode*] *Commode*, pro blande, et bene: ut, *nunquam tam dices commode*. D.

21. *Finem statuisse orationi militem*] Argute *militem*: quia quasi inimicus sit orationi, quæ in pace plurimum potest. D.

22. *Sed quid hoc negoti est?*] Hic ad argumentum nunc descendit. In Phormione, *sed quid tu es tristis?* prælatis scilicet allocutionibus, et separatarum et permistarum personarum: ne jejune ad argumentum veniens, non (aut dele *non*, aut corrige *nunc* Z.) agere fabulam, sed narrare videretur. *Quid hoc negoti est?*] Bene addidit *negoti*, ut augeret invidiam facti. Nam potuit dicere, *Quid hoc est?* Sed, ut diximus, ad invidiam et magnitudinem rei, *negoti* dixit. *Quæ narravit mihi*] *Quæ*, qualia scilicet, et quanta. *Modo quod narravit mihi*] *Quæ*, legendum est: ut sit, qualia et quanta: et hoc ἐν ὑποκρίσει. D.

23. *Quod ego nunquam credidi*] Hoc totum cum invidia pronunciandum ex animo meretricis, quæ facinus indignum nuptias putat. D.—*Quod ego nunquam credidi fore, ut hac ille viva posset animum inducere uxorem habere*] Hinc proponit, ut res origine narrationi seducat audisse se, quam Pamphilam duxerit. Deinde serius (*Hic proponit, ut rem ad originem narrationis reducat, audivisse se, quod Pamphilus uxorem duxerit. Deinde servus* Z.) proponit id ipsum, quod confirmaturus est, sicut supra diximus, per argumenta. E.

24. *Ut hac ille viva posset*] Mire ostendit ex eisdem verbis eandem hanc esse, quam supra dixit, *nunquam illa viva uxorem ducturum. Posset animum inducere*] Quasi in rem duram et immanem. D.

25. *Habere autem?*] Ostendit pronunciatione, quod prope est, ut non habeat. D.

26. *Sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ*] Bene pro persona servi, qui vult dominum uxorium esse magis, quam amatorem Bacchidis. *Sed firmæ hæ vereor*]

PH. Ita Di Deæque faxint; si in rem est Bacchidis:
Sed qui istuc credam ita esse? dic mihi, Parmeno.
PA. Non est opus prolato: hoc percontarier
Desiste. PH. Nempe ea causa, ut ne id fiat palam.
Ita me Di bene amabunt, haud propterea te rogo,
Ut hoc proferam, sed ut tacita mecum gaudeam.
PA. Nunquam tam dices commode, ut tergum meum
Tuam in fidem committam. PH. Ah noli, Parmeno:
Quasi tu non multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego quæ percontor, scire. PA. Vera hæc prædicat;
Et illud mihi vitium'st maxumum: si mihi fidem

Animadverte Terentium in nuptiis hoc dictum (forte, *dubium*) servare, utrum firmas an infirmas dicat nuptias. *Ut*] Ne non. D.—*Sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ.* PH. *Ita Di Deæque faxint, si in rem est Bacchidis*] Faciant quidem Dii Deæque, ut vereor, ut firmæ istæ nuptiæ sint. Non tam prodest Bacchidi. Propterea qm (*Faciant quidem Dii Deæque, ut firmæ istæ nuptiæ sint. Nam tamen id non prodest Bacchidi propterea, quoniam* Z.) aliam fortasse Pamphilus ducet uxorem. E.—Pro *hæ* duo codd. recte habent *hæc;* ut evitetur homœteleuton. B.

27. *Si in rem est Bacchidis*] Bene additum, *si in rem est Bacchidis:* ut ostenderet, se non malignitatis, sed benevolentiæ causa, talia vota suscipere. *In rem*] Pro, utilitatem: *ab re*, contra utilitatem. D.

28. *Sed qui istuc credam*] Id est, nuptias esse infirmas. *Sed qui istuc credam, ita esse? dic mihi, Parmeno*] Superiore voto excusavit crimen curiositatis: jam videtur post (*propter*) Bacchidem autem velle. D.

29. *Non est opus prolato: hoc percontarier desiste*] Vide quam convenienter poeta, quum id agat, ut narrantem Parmenonem inducat, tamen multis diverticulis morales facetias internectat. *Non est opus prolato: hoc percontarier desiste*] Incerta distinctio, utrum *prolato hoc*, an *hoc percontarier.* D.

30. *Nempe ea causa, ut ne fiat palam*] Dubitantem servum nihil potius recusarem narrare: optima persuasione meretrix inducit causam: inquit (*Dubitantem servum, aut potius recusantem narrare optima persuasione meretrix inducit, dicendo causam; Nempe inquit* Z.), Ea causa proferre non vis, ne istuc palam fiat, sed audita nos taceamus: volumus, nam (*tacebimus. Volumus enim* Z.) rem gaudii tantummodo in animo ostendere. E.

31. *Ita me Di bene amabunt*] Pro *ament:* Æn. i. 273. *donec regina sacerdos e gravis geminam partu dabit Ilia prolem.* D.—*Di bene amabunt*] V. C. *ament.* L.—Nostri *Bene ament.* Nec Bembinus nec Donatus Faerni habet illud *bene.* Igitur ut stet versus, leg. cum Donato *Ita me Di amabunt.* B.

32. *Ut hoc proferam*] Prodam, Bacchidi scilicet, vel cuilibet. *Mecum gaudeam*] *Mecum*, intra me. Virg. Æn. i. 41. *Hæc secum.* D.

33. *Nunquam dices tam commode*] Hæc pronunciatio ejusmodi esse debet, ut ex ea appareat prope delinitum Parmenonem, vix se posse continere quin narret. *Nunquam dices tam commode*] Quasi ex parte labefactus est: sic enim loquitur. D.—*Ut tergum meum in fidem tuam committam*] Nunquam ita mihi persuades, ut fidei tuæ credam tergum meum, ut, dum tibi credo, circa plagas periclitari possim. E.

34. *Ah! noli, Parmeno*] Artificiose se fingit audire nolle, ut tacitura credatur, si audierit: quia curiositas signum est loquacitatis. Sic Horat. Epist. i. 18. 69. *Percontatorem fugito: nam garrulus idem est.* D.

35. *Quasi non tu multo malis*] Deest, *ita dicis:* ut sit, *ita dicis quasi.* Et nunc Philotis non est instantior hac calliditate, ut magis servum ad dicendum provocet. *Quasi non tu multo malis narrare hoc mihi*] Ἔλλειψις: deest enim, *Ita gravaris dicere*, aut *Ita negas te esse loquturum.* D.

36. *Vera hæc prædicat: et illud mihi vitium maximum est*] Hæc lentius apud sese: illud clare, *si mihi fidem das.* Etiam alia se habere vitia exceptione significat, in hoc quod dicit, *illud mihi vitium maximum est.* D.—Vulgo *perconter.* Sed Bemb. Victor. et duo ex nostris rectius *percontor.* Si enim *perconter* legeris, ordo erit, *Quam ego volo scire ea quæ perconter;* Sin autem *percontor;* ordo est hic, *Quam ego quæ percontor volo scire hoc.* B.

37. *Et illud mihi maximum vitium est*] Servile vitium est, tacere non posse. *Si mihi fidem das*] Animadverte, his dilatio-

Das, te tacituram, dicam. PH. Ad ingenium redis.
Fidem do; loquere. PA. Ausculta. PH. Istic sum. PA.
Hanc Bacchidem
Amabat, ut quum maxume: tum Pamphilus,
Quum pater, uxorem ut ducat, orare occipit:
Et hæc communia omnium quæ sunt patrum,
Sese senem esse, dicere: illum autem unicum:
Præsidium velle se senectuti suæ.
Ille se primo negare: sed postquam acrius
Pater instat, fecit animi ut incertus foret,
Pudorin' anne amori obsequeretur magis.

nibus etiam spectatorem suspendi, quo libentius audiat. *Si mihi fidem das*] Fideliter, pro *des* (*Si mihi fidem das, te tacituram.* Si fideliter condes). D.—*Si mihi fidem das, te tacituram*] Benevolentiam tuam promittis, silentium te redditurum (*retenturum* Z.), cum dixero. E.

38. *Ad ingenium redis*] Quia a se discesserat, si taceret. Cicero, *redit ad se.* D.

39. *Hanc Bacchidem amabat, ut quum maxume*] Ejusmodi est hæc tota narratio, ut defensionem adolescentis continere videatur: quod meretricem amicam necessitate coactus deseruerit. Mire igitur unde quæstio est, inde cœpit: *amabat*, inquit, *Bacchidem.* Sic et in Æneid. ii. 13. Virgilius, an fortiores Græci Trojanis: *fracti bello*, inquit, *fatisque repulsi Ductores Danaum.* D.—*Hanc Bacchidem amabat, ut quum maxime, tum Pamphilus*] Hic narratio sumitur, quod hoc tempore, quo vehementer Bacchidem Pamphilus diligebat, pater cœpit eum compellere, ut uxorem duceret. Primum exhinc accusatur (*excusatur* Z.) adolescens, quod non ipse nuptias petiit, sed coactus a patre est. Senex cum adhibuerit preces et verba, quod *senem esse* diceret, quod *illum unicum*, eumque habere *se præsidium* velle *senectuti suæ.* Deinde pro adolescente istuc est, ne continuo meretricem deseruerit, licet a patre cogeretur. Nam *ille*, inquit, *primo se negare.* Ad postremum frequenter a patre compulsus in hoc promovit, ut deliberet, non ut tam sentiret (*ut deliberaret, non ut consentiret* Z.). Hoc enim dicit, *fecit animi ut incertus foret*, piæ doctrinæ, anne amori obsequeretur magis. Deinde *Tundendo, atque odio denique effecit senex.* Vides, quemadmodum longe vel me, vel persuasionis voluptatem Pamphilo tradidet (*quemadmodum longitudinem amoris meretricis, vel persuasionis paternæ difficultatem Pamphilo tradiderit.* Z.). Neutiquam gravem ibi vitæ molestiam ægre tulit. E.

40. *Bacchidem amabat*] Ordo et sensus hic est: Hanc Bacchidem tum amabat Pamphilus, ut cum maxime amabat, quum pater uxorem ut ducat, orare occipit. Et *ut* positum pro *quemadmodum.* Et *maxime* bis numero subauditur. Et *cum maxime*, una pars orationis est: aut *cum maxime* pro nimis. D.

41. *Quum pater*] *Quum*, modo adverbium est temporis, pro *quando.* *Orare occipit*] Maxima necessitas est, orans pater. D.

42. *Et hæc, communia omnium*] Quid si injustum est, quod orabatur? ostendit justum, et frequentatum, quod dicebat pater. D.

43. *Sese senem esse dicere*] Omnem causam adolescentis senex amputavit, pro suo senili commodo rogans: potuisset enim adolescens dicere, Quam pro me curam geris, hanc precor pro me deponas. *Senem esse dicere*] Illud posset agere amator contra utilitatem suam: sed non poterat filius contra utilitatem patris. Ergo ut cogeret pater, suam causam interponebat. D.—Repone *Senêm sese esse dicere, illum autem esse unicum.* Nam *senem* in vulgari lectione occultatur male in Thesi. Unus Regius habet *Senem se esse;* et cæteri omnes *esse* ponunt ante *unicum.* B.

44. *Præsidium velle se senectuti suæ*] *Præsidium senectutis*, sobolem et successorem dicit. D.

45. *Ille primo se negare*] Utrum deest *ducere?* an *negare se nuptiis* (*an negare se. nuptias*). *Sed postquam acrius pater instat*] Tria dicit et *acrius*, et *pater*, et *instat.* *Sed postquam acrius pater instat*] Postquam, inquit, pater acrius instat, non compulsus est Pamphilus, sed tantum deliberavit. D.—Præter Bembinum cæteri omnes rectius ordinant, *Ille primo se negare.* B.

46. *Pater instat*] Major vis est quum pater instat, quam quum rogat. D.

47. *Pudorine, anne amori obsequeretur magis*] Sic ostendit in utramque partem,

Tundendo atque odio denique effecit senex:
Despondit ei gnatam hujus vicini proxumi.
Usque illud visum est Pamphilo neutiquam grave,
Donec jam in ipsis nuptiis, postquam videt
Paratas; nec moram ullam, quin ducat, dari:
Ibi demum ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo ibi ejus commiseresceret.
Ubicunque datum erat spatium solitudinis,
Ut colloqui mecum una posset: Parmeno,
Perii, quid ego egi? in quod me conjeci malum?
Non potero hoc ferre, Parmeno: perii miser!
PH. At te Di Deæque perduint, cum istoc odio, Laches.

ut tantum (*tamen*) in animo honesti adolescentis pudor amorem vincere debuisset. *Pudorine, anne amori*] Ἀνακόλουθον: non enim præposito *utrum*, intulit *anne. Pudorine, anne amori*] Latens excusationis ratio explicata est. *Pudori*, patris scilicet: *amori*, meretricis. D.

48. *Tundendo, atque odio*] *Tundere*, est sæpius idem repetere: translatio a fabrorum malleo. *Odio*] Assiduitate. Attendenda est difficultas uniuscujusque verbi. *Tundendo, atque odio denique effecit*] *Denique* temporis longitudinem significat. *Efficimus* vero, quod cum magno conatu et molimine facimus, vixque per nos finem accipit. *Tundendo, atque odio denique effecit senex*] Mire interposuit moras, ad postremum confessurus uxorem ductam. Primo, inquit, negavit: post, deliberavit: ad postremum, duxit. Non, inquit, ipse: sed effecit hoc senex. Ita mutatione personæ totam voluntatem adolescentis absolvit. *Denique effecit*] Oratorie tempus apposuit: nam hoc significat *denique*. *Odio*] Hoc est, instantia. D.

49. *Despondit ei gnatam*] Vide, non hic dici, Duxit uxorem Pamphilus: sed totum ad patrem referri. D.

50. *Neutiquam*] Non nimis. D.—Pro *neutiquam* duo codd. *ne utiquam*: et ita semper scribendum. Semper enim primam corripit. B.

51. *Donec jam in ipsis nuptiis*] Nota locutionem sensu magis, quam verbis manifestam. *Donec jam in ipsis nuptiis*] Deest, *positus constitutusve ita doluit, et ægre tulit*. Aut repetere debemus sic, In ipsis, inquam, nuptiis. *Donec jam in ipsis nuptiis*] In mentione nuptiarum effervescit animus amatoris. D.

52. *Nec moram ullam, quin ducat, dari*] Ubi nec aliquam dieculam, vel dilationem videt ad nuptias. *Quin*] Quo minus. D.

53. *Ibi demum*] Denique, postremo. Et mire additum est *ibi*: quia male pendebat, *in ipsis nuptiis*: et sic est, quasi dixisset, In ipsis, inquam, nuptiis. *Demum ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem, si adesset, credo ibi ejus commiseresceret*] Hoc ὑπερβολικῶς: ut Virg. Æn. xi. 259. *Vel Priamo miseranda manus. Ut ipsam Bacchidem*] Quæ nunc accusatrix est. Et est argumentum ab animo. *Ægre tulit*] Idem Virg. Æn. ii. 6. *Quis talia fando, Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssei, Temperet a lacrymis?* D.—*Ut ipsam Bacchidem, si adesset, credo, ibi ejus commiseresceret*] Ut si præsens Bacchis eo tempore fuisset, quæ utique læsa fuerat, quæ dolebat, ita ægre Pamphilo fuit in his nuptiis, ut Bacchis ejus commisereretur. Quemadmodum Virgilii illud est, Æn. xi. 259. *Vel Priamo miseranda manus*. E.

54. *Credo ibi*] *Ibi*, pro *tum*. D.

56. *Ut colloqui mecum una posset*] Παρέλκον tertium. Et argumentum a persona, quod ait, *mecum. Parmeno, perii!*] Argumentum a dictis: quod ait, *Parmeno, perii! Parmeno*] Moraliter, et antonomasiace nomen repetit. Et significanter fecit, non addendo *dicebat*, et in μιμητικὸν a διηγηματικῷ transeundo. Et mire interposuit nomen, ut affectum doloris ostenderet. Sic Virg. Æn. iv. 20. *Anna, fatebor enim*. D.

58. *Parmeno, perii miser!*] Ἐν ἤθει repetit nomen. D.—Nostri omnes, *Non potero ferre hoc*: quod metro est commodius. B.

59. *At te Di Deæque perduint*] Obtinuit et persuasit servus. Nam jam meretrix seni irascitur, non Pamphilo. *Cum istoc odio*] Cum instantia ac molestia. D. —Repone, *At té Di Deæque cúm tuo istoc odió, Laches*. Nam plerique Faerni codd. Donati illud *perduint* non habent; quod elegantius subauditur. Nam nimis inhumane profertur ab ea, quæ irata non est, nec animo commota. Aut pro *perduint* lege *faxint*, ut Plaut. Most. ii. 3. 33. B.

PA. Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum.
Nocte illa prima virginem non attigit:
Quæ consecuta'st nox eam, nihilo magis.
PH. Quid ais? cum virgine una adolescens cubuerit
Plus potus, sese illa abstinere ut potuerit?
PA. Non verisimile dicis: nec verum arbitror.
PA. Credo ita videri tibi; nam nemo ad te venit,
Nisi cupiens tui: ille invitus illam duxerat.
PH. Quid deinde fit? PA. Diebus sane pauculis
Post, Pamphilus me solum seducit foras:

60. *Ut ad pauca redeam*] Tanquam multa sint, quæ de Pamphili amore dici possint. *Ut ad pauca redeam*] Præceptum oratorium in longa narratione, pro veritatis inquisitione: reddit enim auditorem acriorem, quem spes finis recipit (*reficit*) fatigatum. *Uxorem deducit domum*] *Uxor* dicitur, vel ab ungendis postibus, et figenda lana: id est, quod quum puellæ nuberent, maritorum postes ungebant, ibique lanam figebant: vel quod lotos maritos ipsæ ungebant: cujus rei testis Ennius: *Exin' Tarquinium bona femina lavit et unxit.* D.

61. *Nocte illa prima*] Pronunciandum acutius *illa prima*: quasi dicat, plena desiderii, plena cupiditatis. Similiter addidit *virginem*. Et expresse, *non attigit nocte illa prima*, quasi dicat, plena amoris et plena dulcedinis: ut mirum sit quod infertur, *non tactam virginem*. Et hic argumentum est, quanta fecerit Pamphilus erga amicam suam. *Virginem non attigit*] *Virginem ἰμφασις* est: quamvis non amatam, virginem tamen: et non dixit, non amplexus est; sed, *ne attigit quidem*. D. —*Nocte illa prima virginem non attigit*] Affectum ostendit Pamphili amantis meretricem. Sed conjectura hic nascitur alia, An verisimile sit, adolescentem cubuisse cum virgine, et se ab ea abstinuisse? quam rem exsequitur meretrix in argumentis. Quod ait, *Cum virgine una adolescens cubuerit plus potus, illa se abstinere ut potuerit? non verisimile dicis; nec verum arbitror*. Hoc solvitur illo argumento, quod meretrix amatores omnes habet, cum quibus ei duco. Credit (*habet, qui cupidi ejus sunt, eo credit* Z.) adolescentes universos se femineo sexu abstinere non posse. Non intelligo causas amoris esse (*Non intelligit causas meretrix, esse posse* Z.) alias odii; ideo adjecit: *Credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit, nisi cupiens tui: ille invitus illam duxerat.* E.

62. *Quæ consecuta est nox*] Eam primam noctem scilicet. *Nihilo magis*] Quasi in nihilo possit esse magis aut minus. *Et nihilo magis*: asseverationis est. D.

63. *Quid ais? cum virgine una*] Invenitur quasi interjectio (*Quasi semper in Terentio*, edd. ante Steph. Forte, *ὡς ἐπὶ πολὺ*) *una*, id est, simul uno loco. *Cum virgine*] A persona. *Una*] A loco. *Adolescens*] A persona. *Cubuerit*] Ab habitu et occasione. *Cum virgine una adolescens cubuerit*] Argumenta in conjecturam necessario posita: quibus Terentius ex utraque parte disputans, *τὸ ἐπίβαινον* purgat, ne quis illum stulte hæc posuisse judicaret. Hæc (*Hoc* edd. vett. i. e. ideo, ea arte) enim meretrix tarde credit argumentis, ne a Parmenone vincatur. Hinc est quod ait Horatius, *Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.* D.

64. *Plus potus*] Ab impulsione, et ex accidentibus. D.—*Plus potus*] Prisc. lib. ix. L.

65. *Non verisimile dicis*] *Αἴξησις* perversa: prius est enim verum, deinde verisimile. Sed ideo sic dicit, quia est sæpe non verisimile, verum tamen: ut, Decios pro alieno commodo mori voluisse. *Non verisimile dicis*] Hoc jam plus est, tantum eum amasse Bacchidem, quantum non possit credi. D.—Nostri omnes, *neque verum*. B.

66. *Credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit*] Magno compendio usus est, non ostendens cur hoc falsum sit, quod putet meretrix; sed cur hoc putet: ita ex ejus persona totum refellitur, quod objicit. D.

67. *Ille invitus*] *Invitus* dicendo, quasi admonet iterum iterumque: ut Virg. Æn. iv. 361.—*Italiam non sponte sequor.* D.

68. *Quid deinde fit*] Interponitur persona ad exitum festinans: ut alibi, *Quam metui quorsum evaderes. Diebus sane pauculis post*] Hic exitus est. D.

69. *Pamphilus me solum seducit foras*] Ne testis quisquam et arbiter secretorum interveniat. *Me solum seducit foras*] Familiaris in servo jactantia, de dominorum familiaritate: simul quia decens est, ut per eum, quid gestum sit, spectatores sciant. D.

Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet:
Seque ante, quam eam uxorem duxisset domum,
Sperasse, eas tolerare posse nuptias:
Sed quam decrerim me non posse diutius
Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi ab suis,
Neque honestum mihi, neque utile ipsi virgini est.
PH. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.
PA. Hoc ego proferre, incommodum mihi esse arbitror:
Reddi patri autem, cui tu nihil dicas vitii,
Superbum est: sed illam spero, ubi hoc cognoverit,
Non posse se mecum esse, abituram denique.
PH. Quid interea? ibatne ad Bacchidem? PA. Cotidie.
Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese videt,

70. *Narratque, ut virgo a se integra etiam tum siet*] Hoc est illud quod supra dixerat, *Nocte illa prima virginem non attigit.* D.

71. *Seque ante, quam eam uxorem duxisset domum*] Bonus color purgationis: diceretur enim, Quare, si illam odio habebat, ducebat uxorem? D.

72. *Tolerare posse*] *Tolerare*, verbum est mala patientis. D.

73. *Quam decrerim me non posse diutius habere*] Ἀποστροφὴ καὶ ἠθοποιΐα, ἀπὸ διηγήματος εἰς μιμητικόν. *Decrerim*] Statuerim et defixerim. D.—*Sed quam decreverim me non posse diutius habere, eam ludibrio haberi, Parmeno*] Sensus est, Et quam ego decreverim non habere, vel quam decreverim me diutius habere non posse, iniquum est, eam haberi ludibrio. Quin integram parentibus reddam, quæ res integra est, quæ res mihi in hac honesta est, quod integra redditur. E.

74. *Eam ludibrio haberi*] Honesto verbo et pudoris pleno usus est: et nove pro vitiari. D.

75. *Quin*] Quo minus. *Integram*] Id est, honestam: non enim dixit, spoliatam virginem aut mulierem. *Ut accepi a suis*] Vigilanter quidem integram specificat: id est, talem, qualem accepit a suis: potuit enim vitiatam accepisse, ut sæpe evenit. Ergo non abundat, *ut accepi a suis*, sed habet significationem. D.—Etsi omnes codd. habent *a suis*: consuetudini tamen Terentii magis convenit legere *reddam, ut accepi, suis.* B.

76. *Neque utile ipsi virgini est*] Nam mihi turpe est, post nuptias intactam virginem reddere; incommodum virgini, quia fortasse credi hoc non potest. E.

77. *Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili*] Erga meretricem *pium, pudicum* erga virginem. Cogitur *pium* dicere Pamphilum, quem perjurum putabat. *Pium et pudicum ingenium narras Pamphili*] An simul erga virginem et pium et pudicum? an pium erga meretricem, pudicum erga virginem? D.

78. *Hoc ego proferre*] Verba Pamphili sunt: non, ut quidam putant, ad personam Parmenonis referentes. *Hoc ego proferre*] Amorem scilicet meretricis. D.—*Hoc ego proferre, incommodum mihi esse arbitror*] Ex amore Parmenonis interposuit narrationem, hoc esse quod fieri non debeat, diu fuisse cum marito virginem et Pamphilo non contactam. E.—Versus stat, si pro *mihi* legas *mi.* B.

79. *Cui nihil dicas vitii*] Nunc *vitii*, culpæ uxoriæ. D.

81. *Abituram denique*] *Denique*, moram significat, et postremam tarditatem: itaque postremo, vel sero abituram indicat. D.

82. *Quid interea?*] Exsultantis est, et gestientis audire. *Interea*] Inter eos dies. D.

83. *Postquam hunc alienum ab sese videt*] Pro *alienatum* dixit: ut in Phormione, *Quid? ego vobis, Geta, alienus sum?* Nam quomodo *alienum*, si amabat, dixisset? *Postquam hunc alienum*] Oratorie, non tam Bacchidem excusat (*accusat*), quam a verisimili causa vult inducere, quod ipsa sit in Pamphilum durior. *Alienum ab sese videt*] Id est, maritum: nam hoc nomen a meretricibus alienum est. D.—*Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese videt*] Purgavit causam meretrici (*meretricis* Z.), quod asperior facta est, dicendo, *Sed, ut fit.* Ut et ipsa consuetudo per omnia effecta sit, et improba orta (*Ut et ipsa, consuetudine meretricum omnium, procax effecta sit, et improba orta erga* Z.) amatorem suum, cum a se vidisset alienum. E.

Maligna multo, et magis procax facta ilico est.
PH. Non ædepol mirum. PA. Atqui ea res multo maxume
Disjunxit illum ab illa: postquam et ipse se,
Et illam, et hanc quæ domi erat, cognovit satis,
Ad exemplum ambarum mores earum existumans.
Hæc, ita uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta; incommoda atque injurias
Viri omnes ferre, et tegere contumelias.
Hic animus partim uxoris misericordia
Devinctus, partim victus hujusce injuriis,

84. *Maligna multo*] *Maligna*, difficilis. *Malignus* est, qui difficultatem sui ostendit. *Procax*] Dispoliatrix et petax; *procare* enim, est petere. Virg. Æn. i. 536. *procacibus austris*: id est, impudentibus. Nam qui multum petit, impudens est et procax. Unde et *proci* dicti sunt, qui filias alienas in matrimonium petierunt. D.—*Magis procax*] Non. Marcell. in *Procacitas*. L.—Ad evitandam mirabilem sane et perturbatam verborum collocationem repone, *Maligna magis et magis, etc.* præsertim cum duo codd. non habeant illud *multo*. Nonius tamen v. Procacitas, *Maligna multo* legit. B.

85. *Non ædepol mirum*] Obtinuit quod volebat Parmeno. Nam credidit Philotis injuriam factam Pamphilo. *Atqui ea res multo maxime*] Opportune concitatius Pamphilum defendit Parmeno, postquam Philotis inducta est, ut fateretur injuriam factam. *Atqui ea res*] *Atqui*, imo. Legitur et *Atque*. D.—*Non ædepol mirum*] Siquidem hæc ipsa causa est, quod Pamphilus amator a meretrice distractus sit, postea ortam intelliget (*posteaquam improbam factam intelligit* Z.), et eam esse meretricem, et (*sed* Z.) eam quæ domi fuerat, uxorem pudicam, modestam, temperantem, injuriam viri sustinentem. *Atqui illa res maxime disjunxit illum ab illa*] Cum (*Interrumpit, cum* Z.) amplius meretrix meretricem defendisset, quod improba facta esset amatori. E.—Plerique libri pro *Atqui* hic exhibent *Atque*. B.

87. *Et illam*] Meretricem malam. *Et hanc quæ domi erat*] Uxorem modestam. *Et illam, et hanc quæ domi erat*] *Illam* quæ meretrix esset: *hanc*, id est, uxorem. *Cognovit*] Diligentius et attentius consideravit. Nam *cognoscere* est diligenter et attente considerare. *Cognovit satis*] Bene *satis*, ex ipsius moribus, et ex meretricis. D.

88. *Ad exemplum*] Quasi ad imaginem, et collationem, et speciem comparationis. *Existimans*] Intelligens. D.—*Ad exemplum ambarum mores earum existimans*] Reputans et pertractans ambarum mores ad exemplum. E.—Illud *exemplum* et versum et sensum turbat. Igitur ne versum ut ineptum et inutilem ejiciendum cum Guyeto putemus; reponamus *ad amussim*, h. e. diligenter, accurate, absolute, scrupulose judicans et exigens mores ambarum. B.

89. *Hæc, ita ut liberali esse ingenio decet*] Qualitas comparativa. D.—Cum *liberale ingenium* hic ob seriem orationis non commode pro ipsa muliere accipi possit; repone, *Hæc, ita uti liberali atque ingenuæ decet*. Ita enim *ingenua* opponitur *meretrici*, quæ fere semper vel libertina vel peregrina erat. Atque Phor. i. 3. 16. *ingenua* et *liberalis* conjunguntur. B.

90. *Pudens, modesta*] Hæc contra vitia meretricia posuit. Pudens hæc, illa procax: modesta hæc, illa maligna: reliqua vero superadduntur ornamenta uxoris, matronæque laudes. *Incommoda atque injurias*] Callide, laudata uxore non repetit vitia meretricis apud meretricem: et simul contentus de uxoris laudibus, vitia meretricis intelligit. *Incommoda atque injurias viri omnes ferre*] Figura ἔλλειψις. D.

91. *Tegere*] Hoc plus est, quam ferre: et *tegere*; quod meretricem amaret. Et plus dixit *tegere*, quam celare. *Tegere* enim ad hoc dixit, ut non solum cuiquam non ediceret, sed et ne quis sciret. D.

92. *Hic, animus*] Oratorie dixit: non enim Pamphilum dixit: sed animum Pamphili. *Hic, animus*] *Hic* pro *tum*. Virg. Æn. ix. 246. *Hic annis gravis, atque animi maturus Alethes. Uxoris misericordia*] Ἀμφιβολία. *Uxoris misericordia*] Recte, quia ex misericordia amor nascitur. Sic et in Phormione, *misertum est: virgo ipsa facie egregia*. Virg. Æn. iv. 13. *heu, quibus ille Jactatus fatis!* D.

93. *Devinctus, partim victus*] De proximo repetivit παρόμοιον, *devinctus, victus. Partim victus hujusce injuriis*] Qualitas relativa. D.—Recipe lectionem omnium codd. *victus hujus injuria*. B.

Paulatim elapsu'st Bacchidi: atque huc transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est.
Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horunce: ea ad hos redibat lege hereditas.
Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.
Relinquit cum matre hic uxorem: nam senex
Rus abdidit se: huc raro in urbem commeat.
PH. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?
PA. Nunc audies: primo dies compluſculos

94. *Paulatim elapsus*] Adeo est tardus amor Pamphili et magnus, ut etiam post injurias difficile discedat. *Elapsus*] Animus, non Pamphilus. D.—*Paullatim elapsus est Bacchidi*] Quemadmodum seu laxari, seu laxare sedem incertum (*Quum sibi vincula laxari sensisset, amoris sedem incertam mutavit.* Z.). E.—*Elapsus Bacchidi*] V. C. *Elapsus est a Bacchide.* L.—Pro *huic* Bembinus recte *huc.* B.

95. *Postquam par ingenium nactus est*] An sibi par? an absolute bonum? ut dicimus, *Sic par est facere te.* Ergo aut sibi par, aut uxori; id est, liberali feminæ. *Par ingenium nactus est*] *Par ingenium*, eandem voluntatem. Sallustius, Jug. 41. *Quos eadem odisse, et eadem metuere in unum coegit.* Idem alibi, Catil. 20. *Nam idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.* D.—*Postquam par ingenium nactus est*] Postquam optimum puellæ ingenium recognovit, et sibi par. E.

96. *Interea in Imbro moritur cognatus senex*] Bene causa abitionis Pamphili narratur. *Moritur cognatus senex*] Bene, quod ait *senex:* nam acerbum funus non conveniebat fabulæ. In comœdia itaque apud Terentium, aut meretrix molesta, aut ex duabus una uxor moritur, aut senex. Ita ex hujusmodi mortibus, vel incommodum vitatur, vel lucrum insuper nascitur, ut non sit causa lugendi. D.

97. *Horum*] Maluit *horum*, quam *dominorum*, dicere. *Ad hos redibat lege hereditas*] Verbo juris usus est: ea enim legitima est hereditas, quæ familiæ debebatur. D.—Cum Bembinus legat hoc ordine, *ad hos ea*, et ex nostris duo habeant *rediit;* hanc lectionem amplectendam censeo. Cf. And. iv. 5. 4. B.

98. *Eo amantem*] Modo jam uxorem: non enim amicam. *Invitum Pamphilum extrudit pater*] Invitum recessisse vis verbi demonstrat. Nam proprie *extrudere* dicitur, qui manibus expellit: sed hic translatione usus est, ut ostenderet, tantum importunitatis verbis senis fuisse, quantum impulsio manuum efficere potuisset. *Extrudit*] Verbum necessitatis (West. addit, *et aptum importunitati.* Z.). D.—*Eo amantem Pamphilum excludit pater*] *Amantem* nunc scilicet uxorem, non meretricem, quam jam reliquerat. E.

99. *Relinquit*] Inertia præsentis temporis. Legitur et *Reliquit. Relinquit cum matre hic uxorem*] Præparatio ad futurum errorem. D.—*Relinquit cum matre*] Ms. R. et V. C. *Reliquit.* L.—Lege *Reliquit hic cum mâtre uxorem.* Nam omnes nostri *Reliquit.* Et duo ex nostris optimi illum ordinem verborum habent. Alioqui *matre* male in thesi mergitur. B.

100. *Nam senex rus abdidit se*] *Nam* hic inceptiva particula est: ut, *Nam meus conservus est homo haud magni pretii.* Plautus in Milite glorioso, ii. 1. 67. *Rus abdidit se*] Verbum reprehendentis senem: quod *se abdidit*, dixit. *Huc raro in urbem commeat*] *Huc* bene dixit, ut ostendat Parmenonem in urbe esse. Mira *οἰκονομία:* fac enim præsentem, et nullus error in fabula est. *Commeat*] *Commeare* est abesse inde, ubi te esse oporteat. Ergo hoc dicto ostendit, quam raro ad urbem veniat senex: quippe *commeatus* est ex aliqua commoratione temporalis abscessus. D.—Nostri omnes *sese.* Repone, *Rus abdit sese.* B.

101. *Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?*] Bene usque adhuc suspensa narratio est: et in hac interrogatione quasi substomachatur Philotis decepta, quod nihil videat infirmitatis in nuptiis, quod optaverat. *Quid adhuc habent?*] Hoc tristior meretrix dixit. D.—*Quid habent infirmitatis nuptiæ?*] Opportune quæsivit eo tempore, quo magis nuptiæ confirmatæ fuerant; siquidem dixit *amantem Pamphilum* a patre exclusum *invitum.* Cujus rei supponitur narratio postulationis dicitur litis principia de exordio simulatum (Vix dici potest, quam negligenter Westerhovius in his edendis versatus fuerit. Sed mirum non est, quod hic non fuit, quem compilaret; uti alias. Forte legi debet, *Cujus rei supponitur narratio.* POSTULATIO NUNQUAM. *Postulatio dicitur litis principium exortum ex ira simulata.* Z.). E.

102 *Nunc audies*] Sic ait, quasi jamdu-

Bene conveniebat sane inter eas: interim
Miris modis odisse cœpit Sostratam:
Neque lites ullæ inter eas, postulatio
Nunquam. PH. Quid igitur? PA. Si quando ad eam accesserat
Confabulatum, fugere e conspectu ilico:
Videre nolle: denique ubi non quit pati,
Simulat se a matre arcessi ad rem divinam: abiit.
Ubi illic dies est compluris, arcessi jubet:
Dixere causam tunc, nescio quam: iterum jubet:
Nemo remisit: postquam arcessunt sæpius,

dum audire cupienti, vel quasi ad molestam percontatricem. D.—Repone *primo hos dies compl.* Ita enim passim, *aliquot hos dies, etc.* B.

103. *Bene conveniebat sane*] *Bene*, pro multum: et *sane*, valide: quia qui sanus, idem et validus. D.—Rescribe ex cod. Regio *convenibat.* B.

104. *Interim miris modis odisse*] Huc usque Parmenonem poeta verba passus est dicere: cætera actibus servaturus. *Interim miris modis*] Mire ad finem comœdiæ rerum explanatio reservatur. Namque si quæras, fallitur Parmeno, quum non odio socrus, sed pudore simultatem adversus socrum Philumena simulaverit. *Interim*] Modo repente: et est adverbium temporis. *Miris modis*] Miris exemplis. D.—Cum apud Cledonium, pag. 1915. quamquam mendose, locus noster laudetur sic; *Miris modis odisse aiunt adolescentem Sostratam;* forte hic pro *cœpit*, quod facile potest subintelligi, substituendum est *adolescens;* quod ipsum de muliere occurrit infra iv. 4. 39. et alibi. B.

105. *Postulatio*] Expostulatio, querela: sed proprie *expostulatio* est apud illum ipsum, qui peccaverit: *postulatio*, de illo apud alterum. D.

106. *Quid igitur?*] Recte dixit, si hoc non fuit, quid ergo? *Postulatio*, querela, et quasi justa interpositio querelarum. D.—*Si quando ad eam accesserat confabulatum, fugere e conspectu ilico: videre nolle*] Cum socrus accedere vellet frequenter ad nurum, sæpe fugiebat. Fugitandi causa hæc est, quia puella est, quam Pamphilus violarat aliquando nocte, et ex illa annulum detraxerat, et hanc post duos menses duxit uxorem, et duobus mensibus nuptiarum eam non attigit; post vero cum ea esse cœpit. Ex primo compressu gravida facta est puella. Hoc igitur metuens, quod jam gravida esse cœpisset, suam præsentiam nurus socrui denegabat, ne partus in utero cerneretur. Eadem discedit ad matrem, *ad rem divinam*, hoc est, propter sacrificium evocata. Sæpius redit, et (*Sæpius repetita est sed* Z.) ægra simulata est; et socrus cum ad visitandum veniret, admissa non est. Sed ita hæc ut conjecturis confirmet, quæ (*Itaque hic velut conjecturis confirmat, quod* Z.), si vel propter iram, vel propter odia cum Pamphilo esse jam nollet, idcirco infirmæ sunt (*sint* Z.) nuptiæ. Nam *senex* pater *rure venit: patrem continuo convenit Philumenæ. Et quid egerint*, nescire se servus dicit. Ita ad postremum conclusio est, et probatum, quod infirmæ sint nuptiæ. E.

107. *Fugere e conspectu illico*] Bene *e conspectu:* utpote, quæ caveret gravida intelligi. Sed tamen subjungit, *videre nolle:* ut ignorantia Parmenonis appareat, qui argumentum odiorum credidit, quod Philumena neque videri vellet, neque videre. *Fugere e conspectu*] Ne videretur. D.

108. *Videre nolle*] Ne videret. *Denique ubi non quit pati*] *Pati* et sustinere, et sustineri intelligi potest hoc loco: utrum postquam non potuit sustinere socrum? an postquam illam socrus ferre non potuit, sic se celantem nurum? Potest etiam sic intelligi, Ubi non potuit augmenta odii sui ipsa nurus pati et continere, migravit ad socrum (*a socru*). *Non quit pati*] Tolerare aut tolerari: quia *patior* commune est. Nam *patior te*, et *a te*, dicimus. D.—*Non quit pati*] Ms. R. *non quivit pati.* L.

109. *Abiit*] Proprie *abiit:* quia non exspectavit, ut mitteretur. D.—Recte Bembinus habet *ad matrem;* et pro *abiit* legit *abit.* B.

110. *Ubi illic dies est complures*] Ἀρχαΐσως *dies*, non *diebus* dixit. *Arcessi jubet*] Non addidit *quæ*, quia intelligitur. D.—*Dies est compluris*] Priscian. lib. iii.

111. *Dixere causam tunc nescio quam*] Ideo *nescio quam*, quia nullius momenti, ac falsam. D.—Ejice illud *tum*, aut *tunc;* quod et versum gravat, et sedem habet incertam, et nihil confert sententiæ. B.

112. *Nemo remisit*] Hic jam apertius odium videtur, ubi nec jam fingitur causa. *Postquam arcessunt*] Subauditur *nostri*, id est, missi a socru. *Postquam arcessunt*]

Ægram esse simulant mulierem: nostra illico
It visere ad eam: admisit nemo: hoc ubi senex
Rescivit, heri ea causa rure huc advenit:
Patrem continuo convenit Philumenæ.
Quid egerint inter se, nondum etiam scio:
Nisi sane curæ est, quorsum eventurum hoc siet.
Habes omnem rem: pergam quo cœpi hoc iter.
PH. Et quidem ego: nam constitui cum quodam hospite
Me esse illum conventuram. PA. Di vortant bene
Quod agas. PH. Vale. PA. Et tu bene vale, Philotium.

ACTUS SECUNDI SCENA PRIMA.

LACHES. SOSTRATA.

PRO Deum atque hominum fidem! quod hoc genus est, quæ hæc est conjuratio?

Id est, missi a nobis scilicet. Et mira varietas. D.—Aliquot ex nostris, *arcessivit:* unde ex scripturæ similitudine natum est *arcessunt.* Sed recte duo habent *arcessit.* B.

114. *It visere*] Ut, Æn. i. 527. *populare penates Venimus. It visere ad eam*] *Visere*, officii est: *videre*, quærentis aliquem. *Admisit nemo*] Injuriosa etiam ipsa pronunciatio est. *Hoc ubi senex rescivit*] *Scimus* quæ ad nos deferuntur: *rescimus* celata. D.—*It visere ad eam*] Macrob. de different. (Sect. de Infinito modo, p. 744. ed. Lips.). L.

115. *Heri ea causa*] Bene *ea causa:* quippe qui se ruri abdidisset. D.

117. *Nondum etiam scio*] Παρέλκον tertium. *Nondum etiam*] Recte servavit reliquis partibus fabulæ pendulum et attentum spectatorem. D.

118. *Nisi sane curæ est, quorsum eventurum hoc siet*] Bene: quia curiosus est Parmeno, et idem garrulus. Nam per totam fabulam talis inducitur. *Nisi sane curæ est*] Ἔλλειψις: deest *scire.* Et est σύλληψις, *scio, scire*, cum ἀναβάσει. D.

119. *Habes omnem rem*] Quasi dicat, quam audire expetisti. *Pergam, quo cœpi hoc iter*] *Pergam hoc iter:* ut, Æn. vi. 240. *Tendere iter pennis. Quo cœpi hoc iter*] Ad portum scilicet. D.

120. *Nam constitui cum quodam hospite*] Dicit causam, cur in reliqua fabula non appareat persona hujus meretricis. *Constitui*] *Constitui* proprie. Nam de hujusmodi rebus dicitur convenire et constituere, de cujusmodi rebus apud extraneos meretrices agunt. D.

121. *Di vortant bene quod agas*] Sæpe enim res eveniunt aliter, quam volumus: et ideo Vertumnus colitur, qui præest rebus vertentibus. D.

1. *Pro Deum atque hominum fidem!*] In hac scena accusatio socrus est: quæ se conjecturaliter defendit, dicens nihil a se factum in perniciem nurus. *Pro Deum atque hominum fidem!*] Ἐμπαθὴς ab exclamatione cœpta scena est. Senex enim est difficilis et iratus. *Quod hoc genus est? quæ hæc est conjuratio?*] Conatur Terentius adversus famam socrum bonam reperire; et incipit a generali exclamatione, quo vehementior sit ejus accusatio: paulatimque ad speciale crimen descendit. *Quod hoc genus*] Accusatio a persona: cui accidit ex sexu et (*cui accedit extra sexum etiam* Z.) quod socrus est. *Conjuratio*] *Confessio* (*Consensio*) bonæ rei est, *conjuratio* malæ: et inde conjuratio Catilinæ dicta est. *Quæ hæc conjuratio?*] Accusatio a re. D.—*Pro Deum atque hominum fidem! quod hoc genus est? quæ hæc est conjuratio?*] Hæc scena locum communem tenet in socrum; qui dividitur his partibus a socru. Hoc (*tribus partibus: a sexu.* Hic Z.) enim dixit: *Utin' omnes mulieres eadem æque studeant, nolintque omnia?* Deinde et ab eo quod *socrus;* tertio ab eo, quod Sostrata est. Nam ab eo quod socrus, sic adjunxit: *Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.* Adeo (*Ab eo* Z.), quod Sostrata est: *Ita eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam. Et ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio*] Sumitur autem in locis communibus quod Laches credit,

Ut omnes mulieres eadem æque studeant, nolintque omnia?
Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus:
Viris esse advorsas æque studium est, similis pertinacia est.
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam:
Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.
So. Me miseram, quæ nunc, quamobrem accuser, nescio!
LA. Hem!

nurum, hoc est, uxorem Pamphili, propterea domo discessisse, quod socrus mores non posset sustinere. Cum supra diximus, sicuti (*Cum tamen, sicuti supra diximus, scilicet* Z.) partus celandi causa domo illa discesserit. E.

2. *Ut omnes mulieres eadem æque studeant*] Bono argumento utitur. Læsisti nurum, quia socrus es: et nulla socrus diligit nurum. *Ut omnes mulieres*] Accusatio a causa eadem. *Studeant*] Majoris operis est *studere*, quam *velle*. D.—Pro *Ut* legitur in Bemb. et Victor. *Utin'*, quod concitatius putat Faernus. At hic consistere nequit, quia ultimam semper producit. Igitur lege *Utn'*. B.

3. *Neque declinatam quicquam*] Id est, flexam vel inflexam, ab eo quod declinaverit; ne parum sit, diversam vel dissimilem dixisse: ut est illud, *illum tumulum inflexit*. D.—*Neque declinatam*] Menander: Γυνὴ γυναικὸς πάντ' οὐδὲ διαφέρει. D.

4. *Itaque adeo uno animo*] Nescias an ex sententia hac, vel adeo ex hac scena nomen fabulæ sit inventum. *Itaque adeo*] Necessaria sententiæ ἀμφιβολία, ad describendam utramque personam. D.—*Omnes socrus oderunt*] Hieronym. adversus Jovinian. cap. 29. *In Lepti urbe semibarbara et posita in solitudine moris est, ut nurus altera die ollam mutuam postulet. Cui illa negat, ut scias illud verum esse Terentii, quod consulto ambigue extulit: Omnes socrus oderunt nurus.* Idem in Michaam, cap. 7. *Terentius in Hecyra, Quid hoc est, inquit, omnes socrus oderunt nurus: quod quanquam ambiguum sit, tamen propemodum naturale est, ut nurus socrum, et socrus oderit nurum.* L.—Hunc versum, qui toto pede deficit, ambiguitate laborat, et filum orationis interrumpit, spurium esse censeo. Nam cum crimen aliquod commune *omnium mulierum* proferatur, male hic repente accusantur *socrus*. Atque si omnium est idem studium; qui fit, ut *nurus* et *socrus* tantopere inter se discrepent? B.

5. *Viris esse advorsas*] Aliud argumentum; Læsisti nurum, ut mihi adversareris. Nam mulier es, et mulieres omnes adversantur viris. *Æque studium est*] *Studium*, est voluntas hominis attentior atque impensior. *Similis pertinacia est*] Ἀδύνατος. Nam *studium* et bonum est: *pertinacia* vero nunquam non mala. D.—Ut versui laboranti succurras, repone *Viris advorsari æque, etc.* Cf. infra ii. 2. 29. et iv. 4. 32. B.

6. *In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam*] Tria in accusatione posuit, ex quibus duo sunt communia, unum ipsius: quod *mulier* est, et quod *socrus*, communia: quod ipsa specialiter *magistra* est ad malitiam, Sostratæ. Ex his colligit, injuriam passam nurum, per conjecturam. D.

7. *Et ei ludo, si ullus est, magistram*] Magna amplificatio criminis: dubitat an sit ludus malitiæ: et magistram non dubitat Sostratam, sed *certo scio*, inquit. D.—Omnes libri male habent *Et ei ludo*. Recte in Bembin. *et* abest. Cæterum leg. *Ei ludo, si ulla sit magistra, hanc esse, etc.* Nam de ludo non dubitat, quia ipse in præc. versu talem ludum esse dixerat; sed de magistra dubitandi causa erat, annon mulieres πολυκοφανίαν esse mallent. B.

8. *Me miseram!*] Et hæc ἐμπαθῶς cœpit, sed ad misericordiam spectat defendentis oratio. *Quæ nunc, quamobrem accuser, nescio*] Oratorie pro se loquitur mulier: siquidem majoris innocentiæ est nescire crimen, quam defendere. Et his verbis ostenditur, sine noxa esse etiam Philumenam: non solum hanc, quæ loquitur, Sostratam. D.—Denique adjungit mulier: *Me miseram! quæ nunc, quamobrem accuser, nescio. Neque abs te immerito esse accusatam, postmodum resciscet*] Quoniam præsenti tempore nullam ad cœnam (nulla adhuc criminationis Z.) de se habitæ potest esse purgatio, defensionem de futuris temporibus pollicetur, his scilicet, quibus rediturus est Pamphilus. Ejus enim adventu res absolvi potest, et discessionis causa agnosci. E.—*Me miseram! quæ nunc*] Servius Æneid. i. 410. L.—Lege hunc et seq. versum sic: *Me miseram, quæ nunc quamobrem accuser, nescio!* LA. *Hem, tu nescias?* | So. *Ita me Di bene ament, mi Laches.* Nam e ratione Faerni seu vulgari, senarii hi inter cæte-

Tu nescis? So. Non, ita me Di ament, mi Laches:
Itaque una inter nos agere ætatem liceat. LA. Di mala prohibeant.
So. Meque abs te immerito esse accusatam, postmodum rescisces. LA. Scio:
Te immerito? an quicquam pro istis factis dignum te dici potest?
Quæ me, et te, et familiam dedecoras: filio luctum paras:
Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis affines, facis;
Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent?
Tu sola exorere, quæ perturbes hæc, tua impudentia.
So. Egone? LA. Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas.

ros septenarios locum non commode obtinent. At ex nostra ratione septenarius cum clausula familiaris est Terentio. Reposui *nescias*; quia post indicativum verbum, quod repetitur, solet in conjunctivo poni. Deinde illud *non* cum septem codd. omisi, quia sensui officit. Nam *non* cum *nescire* junctum signif. *scire*: quod ab hoc loco est alienum. B.

9. *Non, ita me Di bene ament! mi Laches*] Modo *mi Laches* non est blandientis, sed ejus qui periclitetur innoxius. *Non, ita me Di bene ament!*] Ἀτεχνος πίστις per jusjurandum. *Non, ita me Di bene ament!*] Animadvertendum, veteres non minus εὐφημισμὸν in verbis, quam κακέμφατον neglexisse: velut hic, *ita me Di bene ament!* D.

10. *Itaque*] Modo duæ partes sunt orationis. *Di mala prohibeant!*] Seniliter odit uxorem, cujus amor optabilis fuit in adolescentia. *Di mala prohibeant!*] Ut una inter nos agamus ætatem. D.

11. *Postmodum rescisces*] Hæc figura ab oratoribus ἐπάγγελμα nominatur: in qua aliquid promittimus judicibus nos probaturos, quum metuimus, ne quid illis temere persuasum sit. *Postmodum rescisces*] Fiducia innocentiæ. *Resciscere* est, quum quod de industria celatur, vix argumentorum vi agnoscitur. D.—Cum Bemb. leg. *postmodo*, quod versus exigit. Tum illud *scio*, cum irato seni non conveniat, tribue ipsi Sostratæ: adeo ut absolute ponatur; ut Adel. iv. 1. 10. B.

12. *An quicquam pro istis factis*] Amare; παρὰ προσδοκίαν. D.

13. *Quæ me, et te, et familiam*] Jam sic accusat, quasi probaverit crimen: et est amplificatio. *Quæ me, et te, et familiam*] Hæc exaggeratio est, quæ δεινότης appellatur: quum ex uno maleficio multa fiunt ab oratoribus crimina. *Dedecoras*] *Dedecoratur*, quod honestum est (adde, *in animo* Z.): *turpatur*, quod honestum est corporale. D.—*Quæ me, et te, et familiam dedecoras: filio luctum paras*] Hic jam specialis accusatio est ipsius in Sostratam (*Sostratam* Z.), ab his rebus, quæ sequuntur, hoc est, quæ in affectu (*quæ oriuntur ab affectu* Z.) post jurgium. R.—Illud *omnem* post *familiam*, quod auctoritate Bemb. recepit Faernus, respuit metrum, codd. cæteri omittunt, et sensus damnat. Nam *omnis familia* complectitur servos et ancillas, ut Adel. v. 7. 12. sed *familia* hic dicitur de genere, et majoribus. B.

15. *Dignum, suos cui liberos committerent*] Multum sonanter, et accusatorio strepitu, nec masculinum genus, nec femininum posuit: nec unam (adde, *filiam*), sed liberos. Sic Cicero, Fam. iv. 5. *Ea cui tuos liberos committas*, quum de uno ageret: et, *Habemus enim liberos*, de puella. *Dignum*] Sic dixit *dignum*, ut honoris genus sit, accipere uxorem meruisse. *Suos cui liberos committerent*] Nota liberos in significatione etiam unius filiæ. D.—*Dignum decreverunt, suos cui liberos committerent*] Ejecta (*Sciendum* Z.) est, communi genere *liberos* esse positos, ut feminas intelligamus. E.—*Qui illum decreverunt dignum*] Serv. Æn. x. 532. L.

16. *Tu sola exorere*] Emergis, reperiris. Verbum hoc impudentiam notat. Cicero, pro Deiot. 1. *Exortus est servus, qui, quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus. Exorere*] Existis. *Exoriri* dicitur, qui non exspectatus invadit in aliquem. D.—Pro *impudentia* tres codd. recte *imprudentia*, ob versum, et sensum. Nam humani viri non est, uxorem impudentem dicere. B.

17. *Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas*] *Tu mulier, ἔμφασιν* malitiæ habet: et omnino expressio consuetudinis est ad indignationem.

An quia ruri crebro esse soleo, nescire arbitramini
Quo quisque pacto hic vitam vostrorum exigat?
Multo melius hic quæ fiunt, quam illic ubi sum assidue, scio:
Ideo quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris.
Jampridem equidem audivi cepisse odium tui Philumenam:
Minimeque adeo mirum: et, ni id fecisset, magis mirum foret.
Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum:
Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.
At vide, quam immerito ægritudo hæc oritur mihi abs te,
Sostrata:

Et *lapis* nunquam utilis, nisi ad telum, quem magis ad injuriam delegit. Nam saxum melius, quam lapis. Ut, Virg. Æn. xi. 131. *Saxaque subvectare humeris. Tu, inquam, mulier*] Sic Euripides, Androm. 85. Πολλὰς ἂν εὕροις μηχανὰς· γυνὴ γὰρ εἶ: et Virg. Æn. iv. 569. *varium et mutabile semper Femina. Lapidem, haud hominem*] Sufficeret, *lapidem putas:* sed de stomacho, *haud hominem*, additum est. Plautus, Mil. ii. 2. 80. *Herus meus elephanti corio circumtectus est, non suo. Haud hominem putas*] Ἔν ἥθει. Sic Apollodorus, σὺ μὲ παρτάσασιν • eHCAT (ἠγήσαιο) λίθον. D.—*Tu, inquam, mulier*] Tanquam solus senex (*sexus* Z.) sufficere possit ad crimen, et hæc ætas qua mulier est. Id (*Sic* Z.) enim Virg. Æn. iv. 569. *varium et mutabile semper Femina.* E.—*Tu, inquam, mulier*] Convicium sollemne in sequiorem sexum, *mulier.* Plaut. Casin. ii. 2. 36. *I foras, mulier es.* Euripid. Ὦ παγκακίστη καὶ γυνὴ· τί γὰρ λέγων Μεῖζον σὲ ὄνειδος ἐξέπεσε τὶς ἂν? Carcinus tragicus apud Athen. Dipnos. lib. xiii. Ὦ Ζεῦ, τί χρὴ γυναῖκας ἐξεπεῖν κακὸν Ἀρκοῦν ἂν εἴη, κἂν γυναῖκ' εἴπῃς μόνον? L.—Pro *egone* Faerni, versus postulat *egon'*, quod passim occurrit. B.

18. *An, quia ruri esse crebro soleo*] Memor sui est, qui dixerat, *rus abii* (*rus abdidit se*). D.—Ob versum et auctoritate trium codd. repone, *An quia ruri esse crebro soleo.* B.

19. *Quo quisque pacto hic vitam vestrorum*] *Vestrorum*, pro *vestrum:* sic veteres. D.—Alii *vestrarum.* Sed retine vulgare *vestrorum*, ut utrumque sexum intelligas. B.

20. *Multo melius hic quæ fiunt*] Ὑπερβολῇ usus est: ut in Adelphis, *An non prius totis sex mensibus olfecissem?* D.—Pro *illic* cum Mureto lege *illi*, quod versus exposcit. B.

21. *Ideo quia, ut vos mihi domi eritis*] Mire confirmat, unde sciat: ne suspiciose crimen objicere videretur. Et bene *mihi:* quia commoditas familiæ ad hunc redundatura est. D.—*Quia, ut vos mihi domi eritis, proin' ego ero fama foris*] Idcirco diligenter et caute vestram vitam in urbe commorantium rogo atque pertracto (*perscrutor* Z.) quia proinde ut vos domi eritis, ita me opinio et fama populi sermone celebrabit. E.—*Fama foris*] V. C. *pro fama foris.* L.—Unus cod. *dómi mihi eritis;* recte: quippe *domi* in ictu esse debet. B.

22. *Pridem equidem audivi cepisse odium tui Philumenam*] Primo objurgatio est Sostratæ, cur non amet nurum. Secundo, cur non ametur a nuru. Tertio, cur usque adeo (adde, *ut*) puella nupta deserat domum. D.

23. *Minimeque adeo mirum*] Satis amare, pro merito dicit odium, contra meritum amoremque: simul excusat nurum, quæ oderit talem socrum: et simul prævenit, *Quid si non læsa est, sed odio me habet?* D.—*Et, ni id fecisset, magis mirum foret*] Adeo tui mores noti omnibus, uti, quod puella jurgio discessit, mirum sit, mirum magis est, et (*discesserit, mirum non sit; mirum magis esset*, Z.) si inter vos amicitia perseveraret. E.

24. *Sed non credidi adeo*] Deest, *osuram fuisse.* D.

26. *At vide, quam immerito ægritudo hæc mihi oritur abs te, Sostrata*] Ἠθικῶς post acrem invectionem seipsum miseratur, ut invidiam duræ inclamationis in ipsam convertat. Sic in Andria, *Age nunc: jam ego pol hodie, si vivo, tibi Ostendam, herum quid sit pericli fallere.* Et continuo, *Chreme, Pietatem gnati! nonne te miseret mei? Tantum laborem capere ob talem filium? Quam immerito ægritudo hæc oritur mihi abs te, Sostrata*] Postquam de injuria dixit, de persona ejus cujus fama est, id est • cum (Forte, *cujus fama periclitatur, id est, sua, nunc injuriam ostendit* Z.). *Ægritudo hæc oritur*] *Oritur*, et magnitudinem rei significat, et repentinum impetum: ut supra, *Tu sola exorere.* D.—*Et vide, quam immerito ægritudo hæc oriatur mihi, Sostrata, abs te*] Omnis accusatio concluditur qualitate, quod non merito tantam ægritudinem seni fecerit, cum junxit, quod rus discesserit, ut illic habitaret, asserit, ut et voluptatibus earum, quæ in urbe

Rus habitatum abii, concedens vobis, et rei serviens;
Sumtus vestros otiumque ut nostra res posset pati,
Meo labori haud parcens, præter æquom atque ætatem meam.
Non te pro his curasse rebus, ne quid ægre esset mihi?
So. Non mea opera, neque pol culpa evenit. LA. Imo maxume.
Sola hic fuisti: in te omnis hæret culpa sola, Sostrata.
Quæ hic erant, curares: quum ego vos solvi curis cæteris.
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?

morarentur tantum sumtus quod in totum earum resque domestica sustineret, ut sibi ipse non parceret, et contra quo justum est, et ætas similes pati potest utique gratæ ingis esse debuerat referret (*fecerit. Nam junxit, quod rus discesserit, ut illic habitaret, ae cederet voluptatibus earum, quæ in urbe morarentur, rei serviens ita, ut sumtus, quum in otio essent ipsæ, res domestica sustineret, ut sibi ipse non parceret; contra quam justum esset et ætas similes pati posset injurias. Itaque gratæ mentis esse deberet cavere,* Z.) ne aliqua (adde *se* Z.) senem tangeret ægritudo. E.

27. *Rus habitatum abii*] Quia dixit, *Senex rus sese abdidit. Concedens vobis*] Ne diceretur, quod sit voluptatis causa. *Vobis*, melius pluraliter, quam si diceret *cui. Concedens vobis, et rei serviens*] *Concedens vobis*, id est, ut vos in urbe essetis. *Rei serviens*] Res servit divitibus, quia abundant: rei serviunt pauperes, quia se coartant ad angustias rei. Ita ergo res pro qualitate sua et servit, et ei rei (*eidem* Z.) servitur. Horatius, Epist. i. 10. 47. *Imperat aut servit collecta pecunia cuique.* D.

28. *Vestros sumtus, otiumque*] *Sumtus vestros*, idem quod alibi. *Otium*] Vitam urbanam. Vel quod nihil acquiritis: ut in Adelphis, *Hanc ego clementem vitam urbanam, atque otium secutus sum. Otiumque*] Hoc est, amorem (*hoc amare* Ms. H.), quasi nihil agentibus. *Ut nostra res posset pati*] Mediocris scilicet: ut comici patresfamilias. D.

29. *Præter æquum, atque ætatem meam*] *Præter æquum*, quia vos estis domini: vel quia vos fruimini, quum ego doluerim. *Ætatem*] Quia senex. Virg. Æn. vi. 114. *vires ultra sortemque senectæ.* D.

30. *Non te pro his curasse rebus*] Mirus sensus: Pro his, inquit, tot *rebus* unam et facilem redderes: curares, ne quid ægre esset mihi. Et *te* sic pronunciandum, quasi dicat, Etsi alii non curarent, tu curare debuisti. D.

31. *Non mea opera, neque pol culpa*] Vellet dicere, Nurus culpa evenit: sed melius dixit, *Non mea:* ne accusando confirmaret, quod dixit senex, *omnes socrus oderunt nurus. Neque pol culpa evenit*] Bene additum, *neque pol culpa.* Potuit enim fieri, ut non fecerit ipsa injuriam; sed tamen permiserit fieri: mire tamen nec ipsa accusat nurum. *Non mea opera, neque pol culpa*] Videtur unum dixisse *opera* et *culpa:* et tamen non est idem. *Opera* enim est, si scientes laserimus: *culpa*, si nescientes: quorum alterum sceleris, alterum stultitiæ est. D.—*Non mea opera, neque pol culpa evenit*] Quantum potest, mulier defendit se solam dehonestam, quod non jurgii vel discessionis ipsa causa sit. Hoc facile scit (*Sed hoc facile revincit* Z.) senex, quod sola fuit in domo, et necessario ad culpam ipsa sola sit causa. Denique ipsius diligentia et cura esse debuerat, ne qua ægritudo nasci posset. Ne senex non tam laboret probare crimen, quod intendit, qm inde sequitur, quod (*quam quod inde sequitur, id* Z.) adjungit: *Cum puella anum suscepisse inimicitias, non pudet?* Ut probaret animum emittatur (ILLIUS DICES CULPA FACTUM. *Ut probaret argumentum, elicit id* Z.) quo mulier possit dicere, quo magis redderet graviorem accusationem, si illa istuc diceret, quod illius culpa factum est (*esset* Z.) jurgium. E.

32. *Sola hic fuisti*] Ratio: et deest *enim*: ut sit, Sola enim hic fuisti, quod ad filium et maritum pertinet. Nam non sola, cum qua nurus. *Sola hic fuisti*] *Sola*, quantum pertinet ad regendam domum: cæterum et filius et nurus erant: sed *sola*, id est, sine me. *In te omnis hæret culpa*] Etsi in nuru culpa aliqua, in te omnis est tamen Sostrata (*Si est injuria aliqua, culpa in te omnis est, Sostrata.* Ms. H.) *Sola, Sostrata*] Optime geminavit *sola*, more irascentium: nondum nomen posuit, et *Sostrata*, additum ad amaritudinem inclamantis. D.

33. *Quum ego vos solvi curis cæteris*] *Vos*, pro *te:* ut, Æn. xii. 60. *Desiste manum committere Teucris. Quum ego vos solvi*] Nova figura, *solvi vos.* D.—Dedit auctor, suo more, *quum ego vos curis solvi cæteris.* B.

34. *Cum puella anum suscepisse inimicitias*] Hoc dicit, tanquam concesserit etiam nurum iniquam esse. *Cum puella*] (excidit *ut*) *Puellam* blande dixit: ita hanc cum amaritudine, *anum.* D.

Illius dices culpa factum. So. Haud equidem dico, mi Laches.
LA. Gaudeo, ita me Di ament, gnati causa: nam de te quidem,
Satis scio, peccando detrimenti nil fieri potest.
So. Qui scis, an ea causa, mi vir, me odisse assimulaverit,
Ut cum matre una plus esset? LA. Quid ais? non signi hoc sat est,
Quod heri nemo voluit visentem ad eam te intro admittere?
So. Enim lassam oppido tum esse aiebant: eo ad eam non admissa sum.
LA. Tuos esse illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem, arbitror:

35. *Illius dices culpa factum*] Prævenit defensionem: et eam sic pronunciavit ut crimen. *Haud equidem dico, mi Laches*] *Mi Laches* modo dixit, quasi gravissimum accusatorem arguens (forte *timens* Z.), et quasi defatigata et delassata ejus inclamationibus. Non ergo blandientis est modo *mi*; sed invidiose rogitantis. D.

36. *Gaudeo, ita me Di ament, gnati causa*] Quod similis filius non sit, an quod talem uxorem habeat, quam nec inimica accusare possit? Et *gnati causa*, dixit: quia talem uxorem habens, sua causa quid gaudeat, non (forte, *nunc* Z.) habet. *Nam de te quidem satis scio*] Id est, nihil detrimenti fit, si tu pecces; id est, nunquam, inquit, peccando pejor fieri potes: sed es eadem quæ semper es. Sensus est: Jam talis es, ut pejor fieri non possis. Sic Cicero, Verr. i. 1. *est idem Verres, qui fuit semper.* D.—*Nam de te quidem, satis scio, peccando detrimenti nihil fieri potest*] Hoc per ironiam pronunciandum. Nam certus sum, quod temperata (*te peccante*, aut, *tuo peccato* Z.) nulla damna sentimus, neque res nostra familiaris ullum patitur detrimentum. E.

37. *Peccando detrimenti*] Servas, inquit, numerum peccatorum, nec fit ullum copiæ detrimentum: sed quum plurimum delinquas, tantundem semper admittitur. *Peccando detrimenti*] Hic sensus obscurus est: attamen hic, dum quantumcunque, inquit, sceleris admiseris, id est, quantumcunque peccaveris, nihil de tua existimatione minuitur, nihil de pudore derogatur: eadem es quæ fuisti, quia pejor fieri non potes. *Peccando detrimenti*] Quidam hanc putant *εἰρωνείαν*: quasi dicat, Certus sum, quod ex nullo peccato tuo damnum pati possumus: sed male. D.

38. *Qui scis, an ea causa, mi vir*] Defensio a derivatione causæ: in qua ostenditur non hanc esse, quam objicit causam senex, cur abierit nurus ad matrem suam. D.—*Qui scis, an ea causa, mi vir, me odisse assimulaverit, ut cum matre plus una esset?*] Hic causa mutatur; quod illa forte domo discesserit, non quod socrus odium vitare vellet, sed diutissime cum matre moraretur. Quod revincit senex, odio potius factum, quod amissa sit (*quod heri admissa non sit* Z.). Mutat causam, cur amissa non sit, sed (*cur admissa non sit, et se* Z.) defendens mulier dicit: *Enim lassam oppido dicebant esse*] *Oppido* autem intelligimus valde. Contra senex rursus invenit (*invehit* Z.) quod ipsa potius puellæ morbus sit, ut ejus mores ægritudinem afferant, non quod illa morbo corporis aliquo laboret. Concludit invectionem et generale nomen (*ab generali nomine*, seu, *crimine* Z.) socrus, quod nulla sit earum, quin filium ducere velit uxorem; ac, si quam voluerit, illa datur quæ placita est conditio. Ad postremum cum duxerint filii, socrus iterum expellunt foras conjuges liberorum. E.—*Me odisse adsimulaverit*] Ms. R. *me odisse se adsimulaverit.* L.

39. *Ut cum matre*] Deest *sua*. *Ut cum matre una plus esset?*] Ἰδιωτικῶς dixit: id est, diu ac majorem partem. D.—Antiqui codd. Faerni et nostri recte collocant *plus una esset.* B.

40. *Quod heri nemo voluit*] Bene infirmavit defensionem senex, dicendo, Si propter matrem abiit, cur tu exclusa es, quum venires? D.

41. *Enim lassam oppido*] Infirmius defenditur socrus, ut error senis usque ad *καταστροφὴν* perseveret. *Enim lassam oppido*] Pro, *oppido enim* dixit. Supervacua ponitur interdum hæc conjunctio, aut pro altera conjunctione. *Oppido*] Valde: translatio a rusticis, qui interrogati, quemadmodum fruges provenissent, respondebant, *oppido*, id est, quæ sibi et oppido sufficere potuissent. *Eo*] Propterea, ideo. D.—Festus Pomp. videtur olim pro *oppido* hic legisse *affatim.* Nam, *Terentius*, inquit, *affatim dixit pro eo quod est Ad lassitudinem.* Cæterum versus, et Terentiani moris causa scribe, *aibant*, ut sit disyllabon. B.

42. *Tuos esse illi mores*] Acerbissime institit senex et accusationi uxoris, et de-

Et merito adeo: nam vostrarum nulla est, quin gnatum velit
Ducere uxorem: et quæ vobis placita est conditio, datur:
Ubi duxere impulsu vestro, vestro impulsu easdem exigunt.

ACTUS SECUNDI SCENA II.

PHIDIPPUS. LACHES. SOSTRATA.

Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse, ut te cogam;
Quæ ego imperem, facere: ego tamen patrio animo victus faciam,

fensioni nurus: siquidem hoc sensu dicat, nurum nec mendacii culpam incurrere, quæ vere ægrotet ex moribus malæ socrus. D.—*Morbum magis*] In Ms. R. *magis* desideratur. L.—Bemb. recte habet, *Tuos esse ego illi mores.* B.

43. *Nam vestrarum nulla est*] Pro *vestrum*: hoc enim venit ab eo quod est *vestra*. *Quin gnatum velit*] *Quin*, quæ non. D.

44. *Et quæ vobis placita conditio est, datur*] Imago hic quædam argumentationis, quæ dicitur ἀπ' ἀρχῆς ἀχρὶ τέλους: quod Latine dicitur, *Ab initio ad finem.* Et ut generaliter cœpit invectionem, ita generaliter conclusit in socrus: et est sensus, Eo improbius facitis, quod illas, quas elegeritis odistis. D.

45. *Ubi duxere impulsu vestro*] Bene verba eadem stomachose et significanter repetivit, ut improbitas ex proximo appareat impulsu. *Ubi duxere impulsu*] Videtur, ut supra diximus, hæc tota scena ad hoc interposita, ut fabulæ nomen hinc intelligeremus inventum. Et impudentiam socruum impulsus repetitio demonstravit. *Impulsu vestro*] Sic in Heautont. *Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier.* D.

1. *Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse*] In hac scena moralis allocutio Phidippi est ad filiam, mitissimi patris colorem ostendens. *Etsi scio*] Apparet et hic multa prius patri suo Philumenam locutam fuisse. Ergo hæc responsio est, non principium. *Scio meum jus esse, ut te cogam*] Hoc idem in Adelphis, *Non necesse habeo omnia pro meo jure agere. Ut te cogam*] Etiam invitam scilicet. D.—*Etsi scio, Philumena, meum jus esse, ut te cogam, quæ ego imperem, facere*] Hæc scena in exordio quidem locutionem ad filiam habet patris, quod cum in domo reperisset, cogeret uti ad Pamphili domum revertetur, et tamen tradentis, quod absente Pamphilo filia reverti noluit (*nolit* Z.). habet excusationem et defensionem, quod ni sit, reus fit injuriarum senex, quod filiam abduxerit suam marito absente, et apud (*apud se* Z.) ægram esse patiatur, tanquam curam atque diligentiam inde (*ipse filii* Z.) conjugis habere non possit. Igitur hujus accusationis initium tale est: *Phidippe, etsi ego meis me omnibus scio esse apprime obsequentem, sed non adeo, ut facilitas mea corrumpat illorum animos*] Hoc initium tollit id quod foras diceret se (*quod fortasse dicere posset* Z.) pater, Apud me filiam pietate contineo. Denique adjungit: *Quod si tu idem faceres*] Non consentiendo tantum, ut animos tuorum corrumpas, *magis in rem vestram, et nostram esset.* Deinde adjungitur vehemens et generalis accusatio: *Nunc video in illarum potestate esse te.* Et narratio supponitur: *Heri adii te de filia: ut veni, itidem incertum amisti.* Deinde quæstionum argumenta, cum invectione: *Haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatem hanc, celare te iras. Si quid est peccatum a nobis, profer: aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus, te judice ipso; sin ea est causa retinendi apud vos, quia ægra est: te mihi injuriam facere arbitror, Phidippe, si metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter.* Hoc ut diligenter confirmare possit, et jurejurando in se positum monstrat affectum: *At, ita me Di ament! haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es, ut tu illam magis salvam velis, quam ego.* Et adjungit, *filii causa.* Hujus rei purgatio supponitur sic, ut in illa collocetur causa, cur illa discesserit. Tamen, quod absens Pamphilus, idcirco non redeat, ex ea re suspicio datur, socrum talem esse, quam absente marito nurus sustinere non possit. Nam dicit: *Illam ad vos redire studeo, si possum facere ullo modo. Nam postquam attendi magis, et cœpi agere, ut redeat, etc.* E.

2. *Patrio animo victus*] Bene *victus*: quia non ratione facio. Victus est undecunque, qui (*victus est qui undecunque* Z.) recedit a jure. D.

Ut tibi concedam; neque tuæ libidini adversabor.
LA. Atque eccum Phidippum optume video: ex hoc jam scibo, quid siet.
Phidippe, etsi ego meis me omnibus scio esse apprime obsequentem,
Sed non adeo, ut mea facilitas corrumpat illorum animos:
Quod tu si idem faceres, magis in rem et nostram, et vostram id esset.
Nunc video in illarum potestate esse te. PH. Heja vero.
LA. Adii te heri de filia: ut veni, itidem incertum amisti.
Haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatem hanc,
Celare te iras: si quid est peccatum a nobis, profer:
Aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus,
Te judice ipso: sin ea est causa retinendi apud vos,

3. *Neque tuæ libidini*] *Libido* est quælibet voluntas temere suscepta. Et bene *libidini*: est enim non æquum, domo mariti abesse (Ms. B. et edd. vett. ante Steph. *animo mariti obesse*) nuptam. Etsi enim pro *voluntate* posuit *libidinem*: tamen subaccusavit hoc nomine. D.

4. *Optume*] Opportune. *Ex hoc jam scibo*] Legitur et *hinc*, locale adverbium: et quasi comminatur uxori, modo se inventurum ipsam peccasse, non nurum. *Quid siet*] Utrum quid sit rei? an quid siet nurus? utrum innocens, an iniqua? Et videtur hoc Sostratæ dicere: nam vicini sunt inter se proximi Laches et Phidippus. D.—Lectio Bembini versui est convenientior *hinc jam scibo*. Tum pro *siet* versus poscit *sit*. B.

5. *Phidippe, etsi ego meis*] Expostulatio Lachetis apud Phidippum, accusationem continens, tanquam causam injuriarum intendat. *Scio esse apprime obsequentem*] Principium a persona ejus cum quo agitur, et sua: et an utile sit, nimis obsequi hominem suis. *Apprime*] Vehementissime. D.—*Apprime obsequentem*] Charis. lib. ii. L.—Ne ἀνακόλουθον statuamus, Terentiumque adeo solœcismi reum faciamus, pro *etsi* repone *et*, id est, *etiam*. Oratorie, primo se fatetur levioris culpæ reum esse, quo gravioris arguat Phidippum. B.

6. *Sed non adeo, ut mea facilitas*] *Facilitas*, indulgentia. *Sed non adeo, ut mea facilitas*] Deest *tamen*: et est ἀνακόλουθον tertium. D.

7. Nostri codd. *in rem vostram et nostram*. Civilius hoc et moratius est, ut illorum commodum prius spectetur. Cæterum ob versum repone *magis rem in vostram, etc.* B.

8. *Nunc video*] Jucunde temperat ejus culpam, quem accusat, quum dicat illum coactum a suis facere sibi injurias. *Heja vero!*] Modo adverbium corripientis. *Heja vero*] Παρέλκον. D.—Ne in medium verbum cæsura cadat, repone, *Nunc video in illarum ésse te potéstate*. B.

9. *Adii te heri de filia*] Narratio. Et memoriter poeta, quia dixit *heri*, ea causa rure huc advenit, patrem continuo Philumenæ convenit. *Itidem incertum amisti*] Pro *amisisti, συγκοπῇ*. Et *itidem* quid est? an id, Incertum amisisti, ut ad te incertus veni? Jungendum ergo *ut veni, itidem*: ut sit, Ut veni, amisisti itidem incertum. Incertus, inquit, veni: incertus a te recessi. D.—*Incertum amisti*] Ms. R. *amisisti*. L.

10. *Haud ita decet*] Non usque adeo decet. Et est confirmatio. *Haud ita decet*] Bene additum est *ita*: etsi enim celandæ iræ: non usque adeo tamen, ut discordiam pariant. D.—Lege *si perpetem hánc vis esse aff.* Nam *perpetuam* respuit versus, qui in ea sede vel Creticum postulat, vel Pæonem quartum. Deinde omnes nostri codd. *hanc* ponunt post *perpetuam*. B.

12. *Aut ea refellendo, aut purgando*] *Refellit* qui negat: *purgat* qui (Mss. et edd. vett. *qui idem*) fatetur, et sic defendit. Ergo *refellimus* per conjecturam: *purgamus* per cæteros status (*per certos casus*. Ms. B.). *Vobis corrigemus*] Plus dixit *vobis*, quam *tibi*. D.—Ut peccata contra metrum tollantur, refinge *Aut éa refellendó tibi aut purgando corrigemus*. B.

13. *Te judice ipso*] Virgil. Ecl. iv. 58. *Pan etiam Arcadia mecum si judice certet*. Quid enim est *te ipso*, nisi scilicet reo culpæ, et tibi ipsi ac tuis favente? vel qui me speres vincere. *Sin ea est causa retinendi apud vos*] Reprehensio. D.—Ne *causá* in fine temere acuatur, repone, *sin ea est retinéndi causa apúd vos*. B.

Quia ægra est: te mihi injuriam facere arbitror, Phidippe,
Si metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter.
At, ita me Dii ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,
Ut tu illam salvam magis velis, quam ego: id adeo gnati causa;
Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum magnifacere.
Neque adeo clam me est, quam esse eum graviter laturum credam,
Hoc si rescierit: eo domum studeo hæc, prius quam ille, ut redeat.
PH. Laches, et diligentiam vestram, et benignitatem
Novi: et quæ dicis, omnia esse ut dicis, animum induco:
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad vos redire studeo,

14. *Arbitror, Phidippe*] Bene addidit nomen, excitans audientem. D.

15. *Satis ut meæ domi curetur diligenter*] *Ut*, ne non: et jungendum est *satis diligenter*: non enim, *metuis satis*. D.

16. *At, ita me Dii ament, haud*] Addidit jusjurandum: vix enim credibile est tantundem amare socerum, quantum patrem. *Etsi illi pater es*] Sallustius in primo libro, *et liberis ejus avunculus erat. Etsi illi pater es*] Compendium attulit Virg. Æn. ii. 289. *Heu fuge, nate dea.* Hoc enim sentit, Quanquam natus dea sis, fuge tamen. D.

17. *Id adeo gnati causa*] Honeste amori nurus rationem subjecit piam. Nam non continuo rectum est, nimis amari a socero nurum, nisi propter filium diligatur. Bene ergo *gnati causa*: incredibile est enim, patrem non patris pietate superari. D.—Illud, *quam ego*, cum oneret versum, et sententiæ noceat, ejiciendum esse existimo. B.

18. *Quem ego intellexi*] Et causam sui amoris ostendit, et mariti nullam erga conjugem culpam: quippe qui amet. Ut a Parmenone dictum, *Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater. Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum magnifacere*] Hic subtiliter oneratur culpa nurus: si quidem indigne injuriam faciat socero et marito. D.—*Se ipsum magnificare*] V. C. *magnifacere*. L.—Repudio Bembini *magnificare*, quod nusquam apud nostrum occurrit, et versus improbat. Recte igitur tres e nostris vett. *magni facere*. B.

19. *Neque adeo clam me est, quam esse*] Ingeniosissime poeta jam præparat causam simulaturo ob hanc rem iracundiam Pamphilo. D.—Repone *Neque adeo clam te est, quam esse eum latúrum graviter credam.* Nam transpositionem τοῦ *graviter* accentus postulat, et mutationem τοῦ *me* in *te*, sensus: quia sequitur *credam*. B. Si quid mutandum est, equidem corrigendum censeo *credas* cum interrogatione. Cf. Eun. ii. 2. 44. *Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse?* Z.

20. *Hæc prius, quam ille ut redeat*] Hic subtiliter etiam terrorem injecit iracundiæ mariti. D.—Pro *hæc* cum edd. vett. lege *hanc*: et pro *ut* nostri omnes recte *hæc*. B.

21. *Laches, et diligentiam vestram*] Principium similiter a persona est factum. *Laches, et diligentiam vestram*] Remotivo statu agit Phidippus pro persona sua. Nam in filiam removet culpam, cur non redeat: et relativam simul tentat qualitatem: potest enim videri, eam injuria socrus ad hanc voluntatem esse compulsam. *Laches, et diligentiam vestram*] Ab eo cœpit, quo maxime motus est, et quod in primis purgandum sibi fuit: ne suspectam aut voluntatem, aut diligentiam habere videatur affinium. Et cum affectu quodam, et gemitu dixit *Laches*, quod ille ait, *Phidippe*. Et bene a nomine cœpit, ut consentire illi videatur. *Et diligentiam*, quod ille ait, *Sin metuis, satis ut meæ domi, etc.* Et *vestram* melius, quam *tuam*: quum ille dixerit de se tantum. Et *benignitatem*, quod ait, *Haud tibi concedo, etsi illi pater es, ut tu illam, etc. Et diligentiam vestram, et benignitatem*] Ἀνθέσεως ad utrumque. Diligentiam: quia dixit, *Si metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter*. Benignitatem: quia dixit, *Haud tibi concedo, etsi illi pater es, ut tu illam salvam magis velis, quam ego*. D.—*Et benignitatem*] Additur in Ms. R. et vett. libb. *quam exhibebis erga meam familiam*: sed alia manu. L.

22. *Et quæ dicis, omnia esse, ut dicis*] Quod juravit: et quod dixit *gnati causa*, et quod addidit, *quod illam amet Pamphilus*. D.

23. *Et te hoc mihi cupio credere*] Melius,

Si facere possim ullo modo. LA. Quæ res te facere id prohibet?
Eho, numquidnam accusat virum? PH. Minime: nam postquam attendi
Magis, et vi cœpi cogere ut rediret; sancte adjurat,
Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.
Aliud fortasse aliis vitii est: ego sum animo leni natus:
Non possum advorsari meis. LA. Hem! Sostrata. So. Heu me miseram!
LA. Certumne est istuc? PH. Nunc quidem ut videtur: sed num quid vis?
Nam est quod me transire ad forum jam oportet. LA. Eo tecum una.

ACTUS SECUNDI SCENA III.

SOSTRATA.

ÆDEPOL næ nos sumus mulieres inique æque omnes invisæ viris,

quam si et hic juraret. *Et te hoc mihi cupio credere*] Bene collegit ex vicissitudine, quod volebat. D.

24. *Si facere possim*] Hic est remotio, *Si facere possim ullo modo:* et mollius dixit, quam si, *Nec facere possum*, dixisset: hoc enim vult intelligi, *Volo, et (at) non possum facere.* D.—Nostri codd. numeris paulo melioribus collocant, *Quæ rés te id facere próhibet?* B.

25. *Eho! num quidnam accusat virum?*] Gesticulatio quædam secretiora quærentis: sæpe enim de maritis puellæ parentibus queri solent aliquid ejusmodi, quod solis ipsis committendum est. *Eho! num quidnam accusat virum?*] *Eho,* interjectio ponentis aurem propiorem. Nam illa quærit, quæ solent de maritis puellæ matribus queri. *Nam postquam attendi*] Institi. Et vide, num desit *animum:* ut sit *attendi animum:* non enim plenum est, sed nudum. Adverti enim oculos, aut animum, subauditur. D.

26. *Sancte adjurat*] Τὸ *ad*, nunc auctivum est: significat enim *valde.* D.

27. *Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare*] Bene hic addidit poeta verba Philumenæ, ad quæ Phidippus respondebat, quum diceret, *Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse, etc. Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare*] Magnifice contra illud quod Laches dixit, ægre laturum Pamphilum: et ita locutus est, quasi hoc Pamphilo gratius esse debeat. *Perdurare*] Proprie et muliebriter dixit. D.—*Se absente perdurare*] Servius Æneid. xii. 816. L.

28. *Aliud fortasse aliis vitii est*] Sic dixit, ne diceret, Sed coge ut redeat: et mollius dixit *aliis* (Bentleius conjicit Donatum scripsisse *alii* Z.), quam si *tibi* dixisset. *Ego sum animo leni natus*] Hoc contra illud quod primum dictum est, *Etsi ego meis omnibus scio me esse apprime obsequentem: sed non adeo, ut facilitas mea illorum corrumpat animos. Ego sum animo leni*] Qualitas venialis. *Animo leni natus*] Hoc est plenum: nam *sum animo leni*, quum dicimus, ἐλλειπτικῶς profertur. D.—Recte pro *aliis* septem codd. habent *alii*, ut Laches ipse intelligatur. B.

29. *Non possum*] Conclusio. *Hem! Sostrata*] Quæ dixisti, *Non mea opera, neque pol culpa evenit. Heu me miseram!*] Ad se rediri totiens, quasi delassata, conqueritur. D.—*Non possum adversari meis*] Purgat naturam suam, quod tali vitio esse confessus est (*vitio sese confitetur esse* Z.), ut voluptati suorum adversari non possit. E.

30. *Certumne est istuc?*] Quod Philumena non redeat. *Numquid vis?*] Discedentis verbum. D.

31. *Transire*] Cito ire. D.

1. *Ædepol, næ nos mulieres sumus inique æque omnes*] In hac scena est allocutio, qua inducitur secum loquens anus: per quam orationem mores ejus, et animus mitis intelligi possit. *Ædepol næ nos*

Propter paucas: quæ omnes faciunt, dignæ ut videamur malo.
Nam, ita me Di ament, quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.
Sed non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, socrus
Omnis esse iniquas: haud pol me quidem: nam nunquam secus
Habui illam, ac si ex me esset nata: nec, qui hoc mihi eveniat, scio:
Nisi pol filium multis modis jam exspecto, ut redeat domum.

ACTUS TERTII SCENA PRIMA.

PAMPHILUS. PARMENO. MYRRHINA.

NEMINI ego plura acerba credo esse ex amore homini unquam oblata,

mulieres] Laches generaliter incusavit socrus: hæc plurimas defendit. Causa accusationis iniquæ, Non enim omnes sumus malæ. *Inique æque*] Comicum παρόμοιον. Et vide sententiam, defensionem accusatarum socruum continentem: contra illud quod ait, *Itaque uno animo omnes socrus oderunt nurus.* Officium enim boni poetæ est, nullum genus hominum specialiter lædere. Sic Virg. Ge. iii. 282. *Quod sæpe malæ legere novercæ.* Id est, non omnes novercæ, sed tantum mea (*malæ.* codd.). D.—*Ædepol næ nos sumus*] Hæc scena conquestionem tenet, quod immerito accusatur, quippe cum sibi intendatur accusatio non ex moribus, neque ex propria vita, sed communi nomine, quod socrus sit; quæ non omnes malæ sunt: sed cum paucæ invisæ sunt viris propter mores, efficiunt ut omnes dignæ videantur malo. E.—Illud *mulieres* Faernus recte ex auctoritate Bembini delet, quod oratio non poscit, et ratio trochaici repudiat. B.

3. *Nam ita me Di ament*] Bene jurat. Nam sine jurejurando incredibile est (excidit *quod*) sit bona socrus. *Quod me accusat*] Deest *in eo:* ut sit, In eo quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam. An *quod*, propter quod? D.—Cod. C. C. recte collocat *vir nunc;* ut *vir* sit in ictu. B.

4. *Socrus omnes esse iniquas*] Intelligitur, quibus iniquas, id est nuribus: quia socrus nomen est ad aliquid dictum. *Ita animum induxerunt*] *Inducere animum* est ita tenere, ut non amittant (*remittant* Z.): id est, persuadere animo suo. D.

5. *Haud pol me quidem*] Esse iniquam, subaudiendum est a superiore, ut sit *pol* pro pleno jurejurando. *Haud pol me quidem*] Subaudiendum *scio esse*, aut *novi esse*, aut tale quid, secundum ἔλλειψιν, quæ familiaris est his qui secum loquuntur. D.

6. *Nec qui hoc mihi eveniat*] *Qui*, unde. *Multis modis*] Vehementer. *Jam exspecto, ut redeat domum*] Quia nihil mirum in matre est, exspectare ut filius redeat: idcirco additum, *multis modis.* D.

7. Recte ob rationem trochaici catalectici Faernus e Bembino reposuit *multimodis.* Deinde pro *expecto* ob sensum et versum recipe *expeto.* Vid. ad Eun. iv. 6. 5. B.

1. *Nemini ego plura acerba*] Hic allocutio est per conquestionem. Et bene non se amatoribus modo, sed infelicibus amatoribus comparavit: et principium est a summa totius mali. *Nemini ego plura acerba*] Ab eo loco conquestionis, in quo dicitur, quod nulli fere talia adversa contigerint. *Nemini ego plura acerba*] Nimis cothurnati et tragici in hac scena dolores essent, non comici, nisi adderet, *ex amore. Nemini ego plura acerba esse credo*] Acerba dupliciter evenerunt Pamphilo: ex præterito, de meretrice: ex præsenti, de uxore. D.—*Nemini ego plura*] Veniens Pamphilus peregre cognoscit in portu a servo, uxorem suam, quam diligebat, domo discessisse. Ægre fert. Est enim maxima cura, quia suspicio est, puellam propter mores discessisse. Habet et incertum, quid faciat: amat uxorem, sed obtemperat matri. Ita habet conquestionem calamitatum suarum ex præterito amore similiter m l (*quod ex præterito amore meretricis similiter multa* Z.) sit passus. Unde major sollicitudo, amorem relinquat, an adversus pietatem faciat. Explicata conquestione quærit a servo, quid sit, cur uxor discesserit? E.—Noe-

Quam mihi: heu me infelicem! hancine ego vitam parsi perdere?
Hacine causa ego eram tantopere cupidus redeundi domum?
Cui quanto fuerat præstabilius, ubivis gentium agere ætatem,
Quam huc redire: atque hæc ita esse miserum me resciscere.
Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labos,
Omne quod est interea tempus, prius quam id rescitum'st, lucro'st.

PAR. At sic citius, qui te expedias his ærumnis, reperias.

tri libri collocant recte, *Nemini plura ego.* Illud *Nemini*, ut *Nemni* est pronunciandum. B.

2. *Heu me infelicem!*] Ab ipsa simplici exclamatione. *Heu me infelicem!*] Lacrymans hoc dicit. *Hancine ego vitam*] Ab eo quod ab adversis ad adversa delatus sit. *Parsi perdere*] *Parco*, conservo, *parsi* facit: *parco*, veniam do, *peperci*. Modo ergo continui, abstinui significat. D.—*Hanccine ego vitam parsi perdere?*] Hoc est, servavi, ne perderem. *Parsi* enim est ab eo, quod est *parco*. Sed si *parco* significat, veniam do, præteritum facit, *perperci*. Si *parco*, conservo, præteritum *parsi* facit. E.—*Parsi perdere*] Diomed. lib. i. Priscian. lib. x. L.

3. *Cupidus redeundi domum*] Ab eo quod contra spem contigit malum. D.—Accentus gratia repone *Hacine causa eram égo tantopere*. B.

4. *Ubivis gentium agere ætatem*] A malorum suorum comparatione. *Ubivis gentium agere ætatem*] Magna detestatio præsentis loci, eligere quasvis terras, vel quamvis gentem potius, quam eam in qua est. Virg. Æn. iii. 601. *Tollite me, Teucri; quascunque abducite terras.* Et *gentium* hic abundat. Et bene, *ubivis gentium agere ætatem*: quia supra dixerat, *hancine ego vitam parsi perdere?* Nimis enim tragicum fieret, *satius erat in mari perire*. D. —*Ubivis gentium*] Hoc est, ubicunque. E. —Illud *cui*, mutatum in *ah*, appone præcedenti versui. Nam ita et metro, et loquentis affectui vim addes. Cf. And. ii. 1. 7. B.

5. *Atque hæc ita esse miserum me resciscere*] Quod ait, lacrymantis est. *Resciscere*, est vix reperire, quod de industria fuerat celatum. D.

6. *Nam nos omnes, quibus est alicunde*] Aut deest *apud*, ut sit, Apud nos omnes. Aut *nos omnes*, pro nobis omnibus. *Nam nos omnes*] Ratio superioris sensus: et deest *apud*, aut *penes*, aut quid tale. *Nam nos omnes, quibus est*] Constat hanc σύλληψιν esse: retulit enim *lucro est*, non ad *nos omnes*, sed ad *quibus est alicunde*; ut sit ordo, Nam quibus est alicunde aliquis objectus labos, lucro est tempus, hoc est, nos omnes (*nobis omnibus*). *Nam nos omnes, quibus est*] Hac figura usus est etiam Tullius pro Murena 12. *Prætor quoque ne se pulchrum ac beatum putaret, ei quoque carmen compositum est.* Nam ille dativum casum subjecit, cum præposuisset nominativum. Et totum Apollodori est, qui sic ait * ΟΙ ΓΑΡ ΑCΙCΟΥΝΙΕC ΤΟΝ ΧΡΟΝΟΝΟΤ ΔΙΕΝ ΚΙ ΤΙΚΗΚΟΤΗC * (*Οἱ πόνοι γὰρ μέλλοντες τὸ τοῦ χρόνου τοῦ νῦν κέρδος κομίζουσιν.* Z.). *Quibus est alicunde*] Hoc genus locutionis absolutum (*Solœcum* B.) dicitur. Tale est apud Virg. Æn. x. 244. *Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris, Ingentes Rutulæ spectabit cædis acervos.* D.—*Nam nos omnes*] Etenim nos, qui peregre positi (*profecti* Z.) sumus, in lucro habemus. Hic omnino sensus est. Verum elocutio ardua. Nam quum proposuisset, *nos omnes*, subjunxit, *in lucro est.* Quum utique esse debuerit, *nobis omnibus*; ut sit integrum, *nobis.* Sed hoc locutionis genus antiqui absolutum appellabant. Ut Virg. Æn. x. 244. *Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris. Ingentes Rutilæ spectabit cædis acervos.* E. —Ad, evitandum Solœcismum lego ex uno cod. Regio *Nam omnibus nobis, quibus, etc.* Duo alii habent *Nam nobis omnibus.* B.

7. *Rescitum est*] ΧΧῆμα ἀκατΑΝΟΝ * (*παρηγμένον.* Z.). D.

8. *At sic*] Sed sic. *At sic, citius qui te expedias ærumnis, reperias*] At hoc modo, quod venisti, et discordias esse celerius reperire poteris: et quo modo his ærumnis te absolvas. Et bene *expedias ærumnis*, aut enim solvunt nos curæ abeuntes, aut impediunt et ligant advenientes. Ut, Æn. i. 562. *Solvite corde metum, Teucri, secludite curas. At sic, citius qui*] Sententia contraria. Nam supra sic collegit: Si ignorare mala sua unicuique bonum est: sequitur ut malum sit, ea cito cognovisse. Hic per contrarium: Si in adversis suis succurrere unicuique quamprimum bonum est: sequitur, ut cito ea cognovisse sit quam optimum. D. —*Expedias*] Dicit magis prodesse servus, quod Pamphilus sit (*citius sciat rem*: aut, *reversus sit* Z.). Ex hoc enim fieri potuit, ut dominum (*domum* Z.) seditione domestica possit absolvere. E.

Si non redisses, hæ iræ factæ essent multo ampliores:
Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, scio reverituras.
Rem cognosces: iram expedies: rursum in gratiam restitues.
Levia sunt hæc, quæ tu pergravia esse in animum induxti tuum.
PAM. Quid consolare me? an quisquam usquam gentium'st
æque miser?
Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori
deditum:
Jam in hac re ut taceam, cuivis facile scitu'st, quam fuerim miser:
Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mihi obtrudit pater.
Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea expedivi animum meum;
Vixque huc contuleram; hem nova res orta'st, porro ab hac quæ me abstrahat.

9. Versus causa repone *Si non redisses, hæc iræ.* Illud *hæc*, pro *hæ* habet unus cod. B.

10. *Sed nunc adventum tuum ambas*] Ne accusare alteram altera audeat. D.—*Scio reverituras*] Ms. R. *reveritas.* L.

11. *Rem cognosces*] Melius est *rem*, quam *litem. Rem cognosces: iram expedies: rursum in gratiam restitues*] Τρίκωλος sententia. Et bono ordine usus est. Prius enim fit querela, deinde ponitur iracundia, postremo reditur in consilium (*concilium*, h. e. arctam conjunctionem et familiaritatem. Z.). D.

12. *Levia sunt hæc quæ tu pergravia esse*] Genus consolationis, non a subtantia, sed a quantitate: non dicit non esse causam sollicitudinis (*non dicit enim esse causam sollicitudinis gravem* Z.), sed levem dicit. *Quæ tu pergravia esse*] Bene additum contra *levia*, non gravia, sed *pergravia. Levia sunt*] A quantitate. *In animum induxti tuum*] Id est, persuasisti tibi. D.—Illud *hæc* Bentleius cum aliis omisit. Z.

13. *Quid consolare me? an quisquam usquam*] Ut solet in vero angore, ipsa consolatione ægrescit dolor. Et ingeniose, non inquit *dicis*, sed *consolaris me:* et hoc ipso ostendis scire te, quod miser sum. D.—*Quid consolare me?*] Ille ipso medendi genere suscitat vulnera, et vehementer omnia, quæ sibi ex amore contigerint, enarrat, et suas innumeras miserias per partes enumerat. His conquestionibus mala sua exaggerat. Ad postremum tamen concludit iram interea se expediri unquam (*iram inter eas a se expediri unquam* Z.) posse. Hoc servus frangit, negans magnam causam contigisse; et facit a persona et a simili argumentum, comparans mulieres pueris. Dehinc trepidatio pro parturiente puella. Hæc enim jam movetur integro partu. Verum arbitrantur non Pamphilum auctorem hujus conceptionis. Ex hac tamen voce dolentis in partu adolescens nescio quid suspicatur, ergo interrogat nescio quid. E.

14. *Prius quam hanc uxorem duxi*] Hoc refert ad illud caput in quo ait, *Nemini ego plura acerba esse credo ex amore homini unquam oblata. Prius quam hanc uxorem duxi*] Ante rem. *Habebam alibi animum amori deditum*] An miser sit in amore ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, ante rem, in re, et post rem. *Habebam alibi*] Gravius dixit *alibi*, quam si *in meretrice* diceret. Et maluit *alibi* dicere, quam *ad meretricem.* D.

15. Tres codd. paulo concinnius collocant, *facile est scitu.* B.

16. *Quam mihi obtrudit*] Recte enim dici potuit, Quomodo ergo uxorem duxit, si amabat? Et bene *obtrudit*, quia invito. Sic alibi, *Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me.* Et *obtrudit*, pro obtrudebat, ἐνέργεια (ἀναλλαγὴ) temporis. D.—*Obtrudit pater*] V. C. *obtulit pater.* L.

17. *Vix me illinc abstraxi*] *Vix*, vel μόλις, vel statim significat. *Atque expedivi animum meum*] Curæ, ut diximus, aut ligant, aut solvunt: ut Virgil. Æn. iv. 479. *Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem:* amatoris (*amatoriæ*, alii,) enim curæ vincula dicuntur. D.—Pro *illinc* leg. *hinc*, quia in ver. 15. est *in hac re;* et pro *ea* leg. *eo* sc. *amore*, quia supra est *occupatus in alio amore.* B.

18. *Vixque huc*] Maluit *huc*, quam *ad uxorem* dicere. *Hem! nova res orta est,*

Tum matrem ex ea re me aut uxorem in culpa inventurum arbitror:
Quod quum ita esse invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?
Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet:
Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit:
Tot meas injurias; quæ nunquam in ullo patefecit loco.
Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,
Unde ira inter eas intercessit, quæ tam permansit diu.
PAR. Haud quidem hercle parvom, si vis vero veram rationem exsequi.
Non maxumas, quæ maxumæ sunt interdum iræ, injurias
Faciunt: nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
Quum de eadem causa est iracundus factus inimicissimus.

porro] *Porro*, deinde. Et vim habet deinde modo implicationem continuarum miseriarum referentis. D.

19. *Ex ea re me*] In Ms. R. *me* deest. L.—Lege *Tum aut matrem*. B.

20. *Quod quum ita esse invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?*] Ordinem servavit allocutionis, in quo a præteritis, a præsentibus, a futuris inducitur personæ loquentis oratio. *Nisi porro ut fiam*] *Porro*, postea, vel in postremum. Alii conjunctionem putant. D.

21. *Pietas jubet*] Apte, quia *ferre* dixit, addit *jubet*. D.

22. *Tum uxori obnoxius sum*] Matris cum dixisset, non intulit *uxoris*, sed mutavit casus. *Ita olim suo me ingenio pertulit*] *Olim*, ad diuturnitatem retulit, non ad spatium præteriti temporis. D.

23. *Tot meas injurias*] Hæ sunt injuriæ quas supra dixit, *Nocte illa prima virginem non attigit: quæ consecuta est nox, eam nihilo magis*. Et deinde, *Quid interea? ibatne ad Bacchidem? Quotidie. Tot meas injurias*] Aliam vim habet quod dixit, *me pertulit*: aliam, quod adjecit, *injurias meas*: aliam, quod *reticuit*. *Quæ nunquam ullo patefecit loco*] Non dixit *quas*, sed *quæ*, ut ad omnia, non ad *injurias*, referatur extrema conclusio. D.—*Quæ* sc. uxor. Tres codd. *nunquam ullo*, omisso illo *in*. Repone, *nunquam nullo patefecit loco*. B.

24. *Sed magnum nescio quid necesse est*] Bene de ambabus sentiens, putat magnam causam esse, quæ iram fecerit, et iram diuturnam. D.

25. *Quæ tam permansit diu*] Et a re et a tempore. D.

26. *Haud quidem hercle parum est*] Servilis ratio et sordida: et non his respondens omnibus quæ dixit Pamphilus, sed tantum novissimæ parti. *Parum*] Subaudiendum, *necesse est evenisse*, vel *evenit*. Nam consequens sententia tollit, quod ille dixit, *necesse est*. *Si vis vero veram rationem exsequi*] *Vero*, vel nomen est, vel conjunctio, vel adverbium. D.—Pro *haud* quod sensum turbat, Lolgius conjicit *at*: codex autem quidam Faerni habet *aut*, quod retinendum est. Deinde ut sensus sit salvus, lege *si vis veram verba ad rationem exigi*. B.

27. *Non maxumas, quæ maxumæ sunt interdum iræ, injurias faciunt*] Injuriæ faciunt iras non iræ injurias: sed hic *faciunt* ἀντιπεπονθὸς dixit, secundum superiorem rationem increpans errorem Pamphili, qui de iræ magnitudine æstimet injuriæ quantitatem. Alii *faciunt*, probant, ostendunt, intelligunt. Caute dixit *interdum*: plerumque enim sic. *Non maxumas, quæ maxumæ sunt*] Sensus est, In quo primum, Non iræ injurias faciunt, accipiendum est: secundum, Non maxumas maxumæ. *Faciunt*, pro ostendunt. D.—*Non maxumas*] Ovidius: *magnaque de facili jurgia lite cadunt*. L.—Ut sententiæ laboranti succurras, repone *non maxumæ—injuriæ*; adeo ut *iræ* per Græcismum positum sit pro *iras*. Apud Græcos, quos Noster passim sequitur, nomen sequitur casum pronominis, ut mox ver. 31. B.

29. *Quum de eadem causa*] Rectum erat si diceret, *quum in hisdem rebus*: adjiciendo *causa* obscuravit elocutionem suam: sed convenit servo hæc humilitas orationis. Nam plenum (*planum*) erat, si diceret: Nam sæpe est quibus in rebus alius ne iratus quidem est, cum de eisdem rebus est iracundus factus inimicissimus. *Est* autem

Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt!
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem illæ mulieres sunt, ferme ut pueri, levi sententia:
Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.
PAM. Abi, Parmeno, intro, ac me venisse nuncia. PAR. Hem, quid hoc est? PAM. Tace:
Trepidari sentio, et cursari rursum prorsum. PAR. Agedum, ad fores
Accede propius: hem, sensistin'? PAM. Noli fabularier:
Pro Juppiter! clamorem audivi. PAR. Tute loqueris, me vetas.
MY. Tace obsecro, mea gnata. PAM. Matris vox visa'st Philumenæ.
Nullus sum! PAR. Qui dum? PAM. Perii! PAR. Quamobrem? PAM. Nescio quod magnum malum
Profecto, Parmeno, me celas. PAR. Uxorem Philumenam

pro evenit dixit: et est ordo: Sæpe est, cum quibus in rebus alius ne iratus quidem est, de eadem causa iracundus factus est inimicissimus. *Iracundus factus inimicissimus*] *Iratus* quidem est, qui ex aliqua re lacessitus irascitur. *Iracundus*, qui ex parva nullave causa præcedente irascitur. D.

30. *Pueri inter sese*] Argumentum a simili. *Quam pro levibus noxiis*] Interrogative. *Noxis*, injuriis, culpis. D.—Pro *quam* sensus causa malim *quas*. B.

31. *Quapropter?*] Διαλεκτικῶς interrogat. *Quia enim, qui eos gubernat animus*] Αἰτιολογικὴ ἀπόκρισις. *Infirmum gerunt*] Ἐσχηματισμένως, ἀντὶ τοῦ *infirmus est*. Sed ἀνακολουθία ista convenit servo. D. —*Gubernat animus*] Plutarch. περὶ ἀοργησίας. Lucret. iii. 448. *nam veluti infirmo pueri, teneroque vagantur Corpore; sic animi sequitur sententia tenuis.* L.

32. *Itidem illæ mulieres sunt ferme ut pueri*] Artificiose *mulieres* a persona: a similitudine, *pueri*: a facto, *iras gerunt*: ab accidentibus similitudinis, *animus infirmus*: a collatione personæ mulieris accidentium, *levi sententia*: a facto, *Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit*: qua sententia totum hic sublatum est quod ait: *Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno, unde ira inter eas intercessit. Itidem illæ mulieres*] Sexus alius, ad (*Sexus alter quoad* Z.) ingenium, et sensus idem est. Et mire similitudinem contulit ad id quod agitur. D.

33. *Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit*] Sic Plautus, *fortasse te amare suspicabere* (*suspicarier* B). Nam veteres infinitivo modo adjungebant *fortasse*. *Conciverit*] Commoverit. *Iram hanc conciverit*] Legitur et *conscivisse* (*concivisse* B.). *Et rem conscivisse*, est rem novam fecisse. *Conciverit*] Decreverit, fecerit. D.—Versus causa lege *iram hanc concivisse, here.* B.

35. *Cursari rursum prorsum*] *Rursum* proprie retro *prorsum* ante significat: et est proverbiale, ut dicimus, *Sursum deorsum, intro foras, hac illac*, et similia: Græci ἄνω κάτω. *Trepidari sentio, cursari rursum prorsum*] *Trepidatio*, ad vocem refertur loquentium: *cursatio*, ad sonum pedum. Et *trepidatur* primo (*modo* Z.) ab his, qui morbum putant: *cursatur* ab his, qui partum sciunt. D.—*Rursum prorsum*] Al. *sursum prorsum*. Plaut. Amphitr. v. 1. 60. *Ego cunas recessim rursum vorsum trahere et ducere.* L.

36. In Bemb. legitur *Accedo propius.* B.

37. *Tute loqueris, me vetas?*] Mire expressus est mos auscultantium. D.—In Bemb. et Victor. recte est *audivi*, pro vulgari *audio*. B.

38. *Tace obsecro, mea gnata*] Non solum hic Juno Lucina non inducitur, sed etiam silentium parturienti insuper imponitur: quia furtiva conceptio est. Et tamen ejusmodi verba sunt matris, ut duntaxat argumentum scientibus manifesta sint: Pamphilo vero et Parmenoni, tanquam ægram continentis filiam videantur. *Tace obsecro, mea gnata*] Conceptum furtivum furtim convenit nasci. *Matris vox visa est*] Omnia hæc quæ sensu percipi possunt, *visa* dicimus. Virgil. Æn. vi. 257. *visæque canes ululare per umbram.* D.

39. *Nullus sum*] Rursus se infelicem et miserum appellavit hic. *Nullus sum*] Ἀξιωτικῶς. *Quia perii*] Satis amatorie. D.

40. *Me celas*] Vett. omnes et Ms. R. *me*

Pavitare, nescio quid, dixerunt: id si forte est, nescio.
PAM. Interii! cur mihi id non dixti? PAR. Quia non poteram una omnia.
PAM. Quid morbi est? PAR. Nescio. PAM. Quid? nemone medicum adduxit? PAR. Nescio.
PAM. Cesso hinc ire intro, ut hoc quamprimum, quicquid est, certo sciam?
Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam affectam?
Nam si periculum ullum in te inest, periisse me una haud dubium est.
PAR. Non usus facto est mihi nunc hunc intro sequi:
Nam invisos omnis nos esse illis sentio.
Heri nemo voluit Sostratam intro admittere.
Si forte morbus amplior factus siet,
Quod sane nolim, maxume heri causa mei:
Servom ilico introisse dicent Sostratæ;
Aliquid tulisse comminiscentur mali,

celant. Uxorem Philumenam pavitare] Vid. Servius in Æneid. i. ver. 92. *solvuntur frigore membra.* L.—Nostri omnes *celant*, præter unum, ubi est *celat.* B.

41. *Uxorem Philumenam pavitare*] *Pavitare τῷ ἐξουθενισμῷ. Pavitare nescio quid*] *Pavere* et *timere*, et ad corporis et ad animi perturbationem veteres referebant. Plautus in Bacch. i. 1. 73. *Nam et ex mari timida ecce ego pavitare, ægrotare, quia sic horruisse, ac palpitare venis* (Paulo melius West. edidit, *Nam ut in mari vecta es, æredo, timida es.* Ergo, *pavitare*, ægrotare: quia sic horruisse visa ac palpitare venis. Leg. *quia sic horrere est visa ac palpitare, antequam venires.* Z.). D.

42. *Quia non poteram una omnia*] Deest, *dicere. Quia non poteram una omnia*] Cum stomacho pronunciavit: et deest, *dicere.* D. —Lege ex nostris fere omnibus, *Interii, cur id mihi non dixti?* B.

43. *Nemone medicum adduxit?*] Scilicet ex quo scire posses. *Nescio*] Perturbatus Parmeno idem repetit verbum: et verbum aptum est personæ servili. D.—Nostri cum Faerni optimis libris legunt *nemon'.* B.

44. *Cesso hinc ire intro*] In vultu (*cultum* Ms. H.) proloquium. Sic autem dicit poeta, ut gravem morbum in uxore suspectans maritus, protinus ingrediatur, et partum improvisus offendat. D.—Pro vulgari *certum* recte Bemb. et Victorianus habent *certo.* B.

45. *Quonam modo, Philumena.*] Amatoria ἀποστροφή. Sic in Phormione, *Quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar, nulla est mihi vita expetenda. Offendam affectam*] Lassam, possessamque morbo ab eo quod est *afficit*: unde *affectus* dicuntur, propter quos afficimur. D.

46. *Nam si periculum ullum in te inest*] Multum dixit, Si in te periculum inest, me periisse non dubito: tantus autem affectus non est mariti tantum, sed amatoris quoque. *Nam si periculum ullum*] Non permisit amor dicere Perituram: sed *si periculum.* D.—Ex Vatic. et Basilic. lege *periclum*: atque lectio Bembini *in te ullum inest* multo concinnior videtur. B.

47. *Non usus facto est mihi*] Vide artificem Terentium, quemadmodum alias per Pamphilum, alias per ipsum Parmenonem invenit, quemadmodum nesciatur a cæteris, virginem ante nuptias ab ipso Pamphilo vitiatam esse. *Non usus facto*] Non utile. *Facto* abundat. D.

48. *Nam invisos omnes nos esse illis sentio*] Acute ejusmodi causam reperit, quæ vel hominem curiosum contineret: quæque non Parmenonem modo, sed mox etiam Sostratam arceat ab ingressu. D.

49. *Heri nemo voluit Sostratam*] Quasi alius dixerit, *Unde intelligis? Heri nemo voluit Sostratam*] Argumentum odii. D.

51. *Maxume heri causa mei*] Bene *maxume*: qui et propter ipsam, vel propter invidiam socrus non velit fieri graviorem morbum. D.

52. *Servum ilico introisse*] Mire ut criminosius, suspiciosumque sit: non Lachetis aut Pamphili servum, sed Sostratæ: nec Parmenonem saltem. D.—Pro *introisse* scribe *introiisse.* B.

53. *Comminiscentur*] Dicent, cum confinxerint. D.

Capiti atque ætati illorum, morbus qui auctus siet.
Hera in crimen veniet; ego vero in magnum malum.

ACTUS TERTII SCENA II.

SOSTRATA. PARMENO. PAMPHILUS.

NESCIO quid jamdudum audio hic tumultuari misera:
Male metuo, ne Philumenæ magis morbus adgravescat:
Quod te Æsculapi, et te Salus, ne quid sit hujus, oro.
Nunc ad eam visam. PAR. Heus, Sostrata. So. Hem!
PAR. Iterum istinc excludere.
So. Ehem Parmeno, tune hic eras? perii! quid faciam misera?
Non visam uxorem Pamphili, quum in proxumo hic sit ægra?

54. *Capiti atque ætati illorum*] Bene τῷ ἐνήμισμῷ maluit *illorum*, quam *puellæ* dicere: quod utique intelligitur. *Qui*] *Qui*, unde. D.—*Sit* rescribendum versus causa est. B.

55. *Hera in crimen*] Sostrata in litem. *Ego vero in magnum malum*] In quæstionis tormenta. D.

1. *Nescio quid jamdudum hic audio tumultuari*] In hac scena quasi quædam deliberatio est, continens suasionis dissuasionisque partes, quas in subditis considerabimus. *Hic*] Quia nimis vicini sunt. D.—*Nescio quid jamdudum audio hic tumultuari misera*] Hæc scena quandam quasi deliberationem tenet ad (*ob* Z.) ægrotam nurum, cum rumor sit, quod gravis morbus ingravescat. Deliberat socrus, quæ jam semel exclusa est. Denique ipsa propositio: *Nunc ad eam visam.* Destructio ex diversa parte: *Iterum istinc excludere.* Pars (*Perseverat* Z.) illa, ut pergat: *Quid faciam misera? Non visam uxorem Pamphili, quum in proximo hic sit ægra?* Dissuasio: *Non visas? ne mittas quidem visendi causa quemquam.* Nec aliquem mittas, qui videat. *Nam qui amat, cui odio ipsus est, bis facere stulte duco: laborem inanem ipsus capit, et illi affert molestiam.* Adjecit majus argumentum, quare ingredi non debeat, quia filius statim quod (*quum* Z.) venit, ingressus est. Ex ea igitur causa introire non debes. Etenim, *si remittent quippiam Philumenæ dolores, omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli*] Narrabit cuncta, quæ vis iracundiæ fuerit inter eas, unde exordium litis inceperint. Hæc sunt, quæ ad dissuasionem pertinebant. Egreditur Pamphilus, qui his (*qui tristis est* Z.) quod non in morbo puellam, sicut rumor fuerat, viderit, sed quod parturire eam viderit. Et inde vehementer commovetur; putat enim, non ex suo compressu gravidam parturire. Idem interrogatus a matre, *Quid morbi est?* consensum commodat ad quod ille (*illa* Z.) voluerit, ne prodat veritatem. Deinde et Parmenonem efficit discedere, ne vicinus vocem parturientis audiat. Postremo remanet solus, et secum deliberat, quod rogatus utrum taceat, neque indicet ei (*ejus* Z.) partum, an æquo animo ferat tantam injuriam et reducat uxorem. E.

2. *Magis morbus adgravescat*] Gravior fiat. Proprie, quia morbi graves sunt dicti. Virg. Georg. iii. 95. *ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis Deficit.* Sallust. *Morbi graves ob inediam insolita vescentibus. Male metuo, ne Philumenæ magis*] Instat Terentius bonam socrum facere, ut bonam meretricem faciat (*facit* Z.). D.

3. *Quod te, Æsculapi, et te, Salus*] Deest *propter*: ut sit, *Propter quod.* D.

4. *Nunc ad eam visam*] Sic Virg. Æn. vii. 454. *Respice ad hæc. Heus, Sostrata*] Vide quemadmodum per se ipsum Parmeno, per Parmenonem arceatur Sostrata: quæ neque deesse propter officium, neque ingredi propter socrum (*servum* Boecler.) inducitur. *Hem!*] Interjectio est novas res audientis. *Iterum istinc excludere*] Bene *iterum*: ut illi pudorem incuteret repetitione injuriæ. Et memoriter: jam enim dixit, *Nostra ilico it visere ad eam: admisit nemo.* Et simul vide, quam vehementius ad injuriam sonet *excludi*, quam *non admitti.* D.—Verba *iterum i. e.* lege per interrogationem. B.

5. *Ehem, Parmeno*] *Ehem*, interjectio est ejus, quæ commota sit nova re. D.

6. *Non visam uxorem Pamphili?*] Ut dixit supra, *servum Sostratæ*, non Parme-

PAR. Non visas, nec mittas quidem visendi causa quemquam.
Nam qui amat cui odio ipsus est, bis facere stulte duco:
Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam affert.
Tum autem filius tuus introiit videre, ut venit, quid agat.
So. Quid ais! an venit Pamphilus? PAR. Venit. So. Dis gratiam habeo.
Hem, istoc verbo animus mihi rediit, et cura ex corde excessit.
PAR. Jam ea de causa maxume nunc huc introire nolo:
Nam si remittent quippiam Philumenæ dolores,
Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli:
Quæ inter vos intervenerit, unde ortum est initium iræ.
Atque eccum video ipsum egredi: quam tristis est! So. O mi gnate!
PAM. Mea mater, salve. So. Gaudeo venisse salvom: salvan'

nonem: sic hic, *uxorem Pamphili* dixit magis, quam Philumenam: ut animum et officium ejusdem socrus et matris breviter demonstraret. D.

7. *Non visas, etc.*] Unam rem Sostrata consuluit, hic de duabus respondet: namque et illam non vult ingredi, et cavet ne ipse mittatur: et bene, *quemquam*: ne aperte pro se loqui videatur. D.—Lege *Non visas?* interrogative. Deinde pro *nec* repone *ne*, ob codices omnes meos et Faerni. B.

8. *Nam qui amat, cui odio ipsus est*] Aliam causam subjunxit: quia durum fuerat ipsi Sostratæ dici, quod supra dictum est. *Nam qui amat*] Una causa a sententia morali. *Cui odio ipsus est*] Deest *eam*, vel *eum*. D.

9. *Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam affert*] Hoc validissimum ad dissuadendum fuit. *Et illi molestiam affert*] Bene hoc adjecit: ne qui amat, hoc dicat, Laborem, dum promerear, quem amo (*Laborem non perdo, dum promereor de eo, quem amo.* Z.). D.

10. *Tum autem filius*] Alia causa ab eventu. *Videre, ut venit, quid agat*] Quod supra, *visere*. An *visere*, officii est apud ægros; *videre*, cognitionis? et ideo additum, *quid agat*. D.—Ob consensum Faerni nostrorumque librorum lege *Tum filius tuus int.* B.

11. *An venit Pamphilus?*] Bene imitatur affectum. D.—Pro *gratias*, quod est in libris quibusdam, amplectere lectionem codd. multorum *gratiam*. B.

12. *Hem!*] Interjectio feminina ac matronalis. *Ex corde excessit*] Geminavit præpositionem. D.

13. *Huc nunc introire nolo*] Cur, si venit Pamphilus, non sit introeundum, causa narratur. D.

14. *Nam si remittent quippiam*] Verbum activum quasi neutrum posuit. *Philumenæ dolores*] Δραματικῶς errat: non enim vere dolor morbi est, cum sit partus. D.—*Philumenæ dolores*] V. C. *Philumenam*. L.—Etsi *Philumenæ* apud Rufinum quoque in de Metris comicis laudatur, ab usu loquendi non abhorret, et quorundam codd. auctoritate comprobatur: tamen ob sequentia *sola soli* lectionem *Philumenam* præfero. Si enim *Philumenam* scribis, ea est ista *sola*; sin *Philumenæ*, quæ ista *sola* sit, nescias. B.

15. *Scio, continuo sola soli*] Ut, Æn. i. 391. *haud, credo, invisus cœlestibus, auras Vitales carpis.* Et sic, *sola soli* dicitur, quomodo *præsens præsenti*. Sic Virg. Æn. iv. 83. *illum absens absentem auditque videtque*. D.

16. *Quæ inter vos intervenit*] Melius sic, quam si diceret, *Quæ illi feceris*. *Unde ortum est*] Pro *sit*, ἀνακόλουθον tertium. D.—Vulgo *intervenit*; Bemb. *intervenerit*. At leg. *intervenerint*; quod et versus probat, et Donati auctoritas, qui ita legisse videtur. B.

17. *Quam tristis est!*] Χαρακτηρισμὸς (Προσωποποιία. Pet. Victor. V. L. xxxiii. 24.) locuturi Pamphili. *O mi gnate*] Ordo est, o mi gnate, gaudeo te salvum venisse; sed intercedit Pamphilus tristis. D.—Illud *est* versum cum oneret, dele: aut lege *quam tristis't*; vel *tristis est! mi gnate*, sine a. B.

18. *Salvan' Philumena est?*] Cito probat Pamphilo se amare nurum, cum post salutationem nihil prius, quam de salute uxoris ejus inquirat. *Salvan' Philumena est?*] Mire obviam sibi exeuntem filium nihil aliud, nisi de Philumena interrogavit: ut ostenderet ejus morbum curæ sibi esse. D.

Philumena est? PAM. Meliuscula est. So. Utinam istuc ita Di faxint.
Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam tristis? PAM. Recte, mater.
So. Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente invasit?
PAM. Ita factum'st. So. Quid morbi est? PAM. Febris. So. Cotidiana? PAM. Ita aiunt.
I sodes intro, consequar jam te, mea mater. So. Fiat.
PAM. Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque eis onera adjuta.
PAR. Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant? PAM. Cessas?

ACTUS TERTII SCENA III.

PAMPHILUS.

NEQUEO mearum rerum initium ullum invenire idoneum,

19. *Meliuscula est*] Verum est, quantum ad morbum pertinet. *Meliuscula est*] Hoc et ad morbum, et ad eventum partitudinis verum est: ita non mentitur Pamphilus matri. *Utinam istuc ita Di faxint*] Diligentiore officio loquitur, ut rea apud filium socrus. D.

20. *Quid tu igitur lacrumas?*] Locus ab eo quod agitur: quo significat, Si ita est, quare ergo tu tristis es? *Recte, mater*] Sic dicimus, cum sine injuria interrogantis aliquid reticemus. Et bene additum *mater;* ut duritia reticentiæ blando nomine molliretur. Alii *recte* sic accipiunt, ut intelligant, *nihil est mali.* D.

21. *Quid fuit tumulti?*] Antiqui sic declinaverunt, *tumulti, senati:* ut Sallustius, Catil. 53. *Decretum senati fit. Dic mihi*] *Dic,* verbum est instantis audire, et curiosius interrogantis. Virgilius, Ecl. iii. 1. *Dic mihi, Damœta, cujum pecus? Dolor repente invasit?*] Proprie *invasit,* quia repente. D.

22. *Ita factum est*] Moris est assentiri ad dicta interrogantium, qui quæ vera sunt celant. *Ita aiunt*] Bene aliis adscripsit: si falsum sit, ut ipsis adscribatur mendacium. *Ita aiunt*] In hac tota interrogatione et responsione colorem induxit secretum, ægre objurgantis. *Ita aiunt*] Religiose mendacium ad rumorem retulit. *Aiunt,* inquit, ne ipse falsum dicere videretur. D.

23. *I sodes intro*] Metuit, ne ingrediatur mater ad soceros: et ideo dicit, *I sodes intro.* Et apparet *intro* dicentem, manu annuere, ut domum redeat: et simul, quo magis faciat, addit causam: *consequar jam te, mea mater*] Adjecit et tempus *jam. Mea* necessario additum: *mea mater:* et *sodes,* quia *I intro* durum est. *Fiat*] Abiens dixit hoc mater, *fiat:* ne omnino jussis alienis parere videatur: quasi imperemus et nos, quæ nos ipsi facturi sumus. D.

24. *Tu pueris curre, Parmeno, obviam*] Probabilis causa, qua ablegat etiam Parmenonem, dum jubet eum pueris occurrere. Et simul notandum, quod in hac fabula ridicule vexatur usque ad ultimum servus et ablegatur, cum sit et piger et curiosus. *Atque eis onera adjuta*] Locutio antiqua figurata. Et est μεταφυσία (alii, ὑπαλλαγή), pro Ipsos onera portantes, eis onera adjuta. D.

25. *Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant?*] Jam vide quemadmodum servetur Parmenoni persona loquacis, curiosi, pigri. *Domum,* adverbiale est. *Domum qua redeant*] *Qua* si locum significet, videbitur reliquum præceptum servus non audivisse. Sin audivit, *qua,* quomodo intelligemus, id est, quemadmodum onus portent de navi: ut, *quid fieret, et qua fieret. Cessas*] De industria omnes ablegavit suos, ut non audirent quæ intus post scenam sunt acta: quæ tamen populo est narraturus. D.— Pro *redeant* Bemb. habet *veniant.* B.

1. *Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum*] In hac scena conquestio est ad deliberationem descendens, an habeat Pamphilus, an excludat uxorem: in qua tota oratio Pamphili ad argumentum

Unde exordiar narrare, quæ nec opinanti accidunt;
Partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus:
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam modo me intro ut corripui timidus, alio suspicans
Morbo me visurum affectam, ac sensi esse, uxorem: hei mihi!
Postquam me aspexere ancillæ advenisse, ilico omnes simul
Lætæ exclamant, Venit: id quod me repente aspexerant.
Sed continuo voltum earum sensi immutari omnium,
Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum.
Una illarum interea propere præcucurrit, nuncians
Me venisse: ego ejus videndi cupidus, recta consequor.
Postquam introii, extemplo ejus morbum cognovi miser.

spectans, amatoria magis, quam maritalis est. Nam aliter non perveniretur ad ultimam cognitionem omnium rerum, nisi adolescens furtivum conceptum uxoris, et partum, aliquanto lenius, quam conjugalis dolor expetit, toleravisset. *Nequeo mearum*] Hæc est Homerica illa διαπόρησις, Od. ix. 14. τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω; *Nequeo mearum rerum initium*] Hoc principium magna διαπορήσει oneratur: ut ostendantur ærumnæ et multæ et graves. *Idoneum*] Aptum, conveniens. D.—*Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum*] Conquestio est, quod de amore multa sit passus, quod multa viderit, multa audierit. Cum dixit: *Partim, quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus.* Hoc totum in principio est. Subjungitur narratio: *Nam modo me intro ut corripui.* Quod accepit auribus, illud est, quod ubi eum ante perspexerint ancillæ, omnes simul exclamavere, *Venit!* Quod perspexit, illud est, quod *vultum earum continuo immutari* videt. Hæc enim argumenta proficiunt ad id, quod partus celabatur; quod intro veniens parturientem videt; deinde quod vox parturientis prodit vitium, cum dixit: *Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri.* E.

2. *Unde*] A quo. D.

3. *Partim quæ perspexi his oculis*] *His*, quasi miseris, vult intelligi, quibus perspexi, vel audivi mala. An sic dictum est, ut apud Virg. Æn. iv. 359. *vocemque his auribus hausi?* D.

4. *Qua me propter exanimatum*] Inter *exanimatum* et *exanimum* hoc interest: *exanimatus*, est conterritus, conturbatus. Ut, *Sed quidnam Pamphilum exanimatum video?* Et Virg. Æn. v. 805. *Exanimata sequens impingeret agmina muris. Exanimus* vero, est occisus. Virg. Æn. xi. 30. *Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes Servabat senior.* D.

5. *Me intro ut corripui*] Raptim ingressus sum. *Timidus*] Pro timens, nomen loco participii. D.—Lege ex nostris omnibus, *Nam modo intro ut me corripui.* B.

6. *Morbo me visurum affectam*] Quia et hic morbus est (Hoc Scholion haud dubie pertinet ad vers. 13. ad vocem *alio*). *Hei mihi!*] Interjectio dolentis est. Virg. Æn. iii. 39. *Eloquar, an sileam?* Et dicitur hæc figura ἐπιμονή. *Hei mihi!*] Mire interposuit σκετλιασμόν. D.—Præter unum omnes nostri habent, *ac sensi uxorem esse.* B.

8. *Id quod me repente*] Deest *propter*: ut sit, propter id: ac per hoc, ideo. *Id quod me repente aspexerant*] Causa cur lætæ exclamaverint. *Id* ergo, *ob id.* D.—Nostri, *me derepente.* Sed melius est *me* ejicere cum egregio Fabricii codice. B.

9. *Sed continuo voltum earum sensi immutari omnium*] Mire Pamphilus etiam ancillarum metu impellitur, ut alienum nasci puerum suspicetur: nec ullo modo in memoriam redeat, hanc se puellam, vel hujusmodi (forte, *quæ nunc esset uxor Z.*) vitiasse. *Voltum earum*] Quæ viderint. D.

10. *Fors obtulerat*] *Offerri* dicuntur tam bona quam mala, si insperata objiciantur aspectibus. *Obtulerat*] *Oblatum* dicitur in utramque partem, quicquid exspectationem prævenit. D.—Pro *illis* duo nostri veterrimi *illuc.* B.

11. *Præcucurrit nuncians*] Priscian. lib. x. L.

12. *Ego ejus videndi cupidus*] Non erit plena vis repentini doloris, si aliquid præsentiens suspicatur; et ideo addidit, *ego ejus videndæ cupidus. Recta consequor*] Absolute, et sine adjectione: non enim addidit *via.* D.

13. *Extemplo ejus morbum*] *Morbum* mitiore animo, quam *vitium* dixit, a[illegible] *probrum.* Et recte: quia dixit, *alio suspicans morbo visurum affectam, ac* [illegible] *esse, uxorem.* D.—Faernus, ut trochi[illegible]

Nam neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat:
Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri.
Postquam aspexi, o facinus indignum! inquam: et corripui ilico
Me inde lacrumans, incredibili re atque atroci percitus:
Mater consequitur: jam ut limen exirem, ad genua accidit,
Lacrumans misera: miseritum est: profecto hoc sic est, ut puto:
Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.
Hanc habere orationem mecum principio institit:
O mi Pamphile, abs te quamobrem hæc abierit, causam vides:

staret, ex Bemb. et Victor. edidit *Póstquam intro ádveni, éxtemplo.* Forte leg. *introivi extempulo.* B.

14. *Spatium*] Moram. D.—Pro *celari* lege *celare;* uxor scilicet, quam statim adiit osculaturus. Deinde in seq. versu illud *ipsa* refer ad *res.* B.

15. *Ac res monebat*] Partus. D.

16. *O facinus indignum!*] *Facinus indignum,* non ad illam, hoc est, Philumenam, sed ad auctorem vitii refertur. *Et corripui ilico*] Ardens scilicet dolore. Et est causa cur cito exierit. D.

17. *Lacrumans*] Non furens, sed *lacrumans:* non iratus, sed *miseritus* (*percitus*). *Atque atroci*] Id est, vehementi. D.

18. *Mater consequitur: jam ut limen exirem*] Ostendit affectum misericordiæ suæ, *matrem* potius dicendo, quam *Myrrhinam,* et addendo *miseram. Ad genua accidit*] *Accidere,* est gestu corporis ostendere humilitatem cadentis: propter (*compositum ex*) *ad,* quod est juxta, et *cadere.* Sallustius autem sine præpositione dixit, *Qua accidam, aut quo?* D.—*Ad genua accidit lacrumans*] Diodor. Sicul. Eclog. 34. τοῖς μὲν πρὸς τὰ γόνατα πίπτων, τοῖς δὲ ταῖς χερσὶν ἐκφυόμενος ἐδεῖτο, καὶ μετὰ δακρύων καθικέτευε, βοηθῆσαι τοῖς ἀκληρήμασι. L.

19. *Lacrumans misera*] Miserabiliter se habens. *Miseritum est*] Ut recte supra dictum sit de illo, *Pium et pudicum ingenium narras Pamphili. Miseritum est*] Hoc ipse sibi. D.—*Profecto hoc sic est, ut puto*] Omnem narrationem calamitatum suarum sententia conclusit, *Uti res sic semper sit, ut, quemadmodum fortuna tradiderit,* inquit, *nos aut magni, aut humiles sumus* (*simus* Z.). E.

20. *Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus*] Mire dixit, *Dant sese.* Homerus Od. σ'. 135. Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Sed hic *sese* illo et validius dixit, et est hæc καθολικὴ sententia. Apollodorus: οὕτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα σέμνος ἦν καὶ ταπεινός. D.—*Omnibus nobis*] Liban. Soph. Declam. xvi. pag. 456. ὑποῖα γὰρ ἦν τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ τὸ φρόνημα ἔχειν. L.

21. Recte Bemb. *principio,* pro vulgari *a principio.* B.

22. *O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit*] A nomine et blandimento, mire: quia secreta confitetur: ut Virg. Æn. iv. 20. *Anna, fatebor enim, miseri post fata Sichæi.* A principio idem elaboravit, ut adversus pudorem conscientia et voce et confessione duraret. *O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit*] Venialis status, in quo confessio est et precatio. *Abs te quamobrem*] Morale blandimentum ante confessionem. D.—*O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit, causam vides*] Persuasio est. Unde illa deliberat. Pamphilus an (*ut* Z.) taceat tantum et celet partum, aut, si voluerit, ut eam uxorem ducat, donata injuria. Confessio ipsa criminis veniali statu constat, cum dixit: *Vitium est oblatum virgini olim, abs nescio quo improbo.* Deinde preces omnes adhibentur. Illa duo, quæ supra posui, conficienda (*conficit ita* Z.): *Quæque fors fortuna est, inquit, nobis quæ te hodie obtulit, per eam te obsecramus ambæ, si jus, si fas est, uti adversa ejus per te tecta tacitaque apud omnes sient.* Ut, si velit, reducat, sic petitur: *Cæterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.* Hoc voluptati dimittitur (forte, *voluntati remittitur* Z.). Illud oratus (*Illud, quod oratus est* Z.), an fieri possit, sic docetur: *Parturire eam, neque gravidam esse ex te, solus conscius.* Sed an pater ignorare possit, sic adjungitur: *Nunc si potis est, Pamphile, maxime volo, doque operam, uti clam eveniat partus patrem, atque adeo omnes: sed si hoc fieri non potest, quin sentiant, dicam abortum esse.* Neque hoc suspectum esse alicui poterit, cum septimo mense abortum provenire. Sed ne natum puero inhonestum fuit (*ne natus puer inhonestus esset* Z.), quod Pamphili filius diceretur, adjecit ab utili, et ab honesto: *Continuo corripiemur: hic tibi nihil erit quicquam incommodi.* Deinde conclusum est ad misericordiam captandam, *Et illi misera.* Quod concesserit scilicet (*Quod concessisse se dicit* Z.),

Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo.
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret suum.
Sed quum orata ejus reminiscor, nequeo quin lacrumem miser.
Quæque fors fortuna est, inquit, nobis quæ te hodie obtulit,
Per eam te obtestamur ambæ, si jus, si fas est, uti
Advorsa ejus per te tecta, tacitaque apud omnes sient.
Si unquam erga te animo esse amico sensisti eam, mi Pamphile,
Sine labore hanc gratiam te, uti sibi des pro illa, nunc rogat.
Cæterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.
Parturire eam, neque gravidam esse ex te, solus conscius.
Nam aiunt tecum post duobus concubuisse mensibus:

ut taceat tantum, *Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror.* Verum amore multum æstuans ingemiscit, quod necessitate separetur; quamquam dat sibi consolationem, non didicit ab amata discedere, ut ante exclusam meretricem discessit (*consolationem, quod non nunc discat ab amata discedere, quum ante exclusus a meretrice discesserit.* Z.). E.

23. *Nam vitium*] Est confessio. *Nam vitium est oblatum*] Cœpit a causa. *Oblatum*] Ad repentina pertinere superius annotavimus. Et *oblatum*, quasi non exspectanti et nolenti. *Virgini*] Quasi quæ falli posset. *Olim*] Recte *olim*: quia facilis venia circa vetera jam delicta: unde tentat temporis longinquitate extenuare peccatum. *Olim* ergo, ante menses novem. *Ab nescio quo improbo*] Mire contemsit personam, dicendo *nescio quo*, id est, nescio quem dixit: ut ostendat ignobilem, ita (*et*) abjectum. Nam si nomen illi est, habet et dignitatem: ut, Æn. ii. 89. *et nos aliquod nomenque decusque Gessimus.* Et ne placere videatur is qui fecit, *improbum* dixit. D.—*Nam vitium*] Servius, Æn. xi. 687. L.

25. *Sed quum orata ejus*] Bona παρένθεσις. *Nequeo quin lacrumem miser*] Videtur quasi distillantes fletur detergere. *Nequeo*] Deest *continere.* D.

26. *Quæque fors fortuna*] Precatio. *Fors fortuna*] Τύφη: id est, subita fortuna. Et *fortuna*, in incerto: *fors fortuna*, in bono ponitur. Virg. Æn. ix. 41. *Si qua interea fortuna fuisset.* Et ipse, *O fors fortuna!* D.

27. *Per eam te obtestamur*] Oratorie inducuntur et pro tacentibus (*absentibus*) preces. *Per eam te obtestamur ambæ*] *Obtestatio* est precatio cum mentione earum rerum, per quas petimus: ut, Æn. x. 45. *per eversæ, genitor, fumantia Trojæ Excidia obtestor. Si fas, si jus est*] Utrum hoc invidiose; an quasi femina, quæ leges nesciat? D.—*Obtestamur ambæ*] Al. *obsecramus.* L.—Pro *obtestamur*, quæ est lectio Donati et aliorum codd. Bentleius, duce Faerno et auctoritate codd. *obsecramus.* Z.

28. *Uti adversa ejus*] Mire non crimen, sed *adversa. Per te tecta, tacitaque*] *Tecta*, si reducis: *tacita*, si repudias sub alia excusatione. An idem significant? an potius, neque verbo indices? an *tecta*, ne videantur: *tacita*, ne dicantur? *Tecta, tacitaque*] *Tecta* sint, ne hæc alii sciant: *tacita*, ne ipse indicet. D.

29. *Si unquam erga te*] Virg. Æn. v. 798. *Si concessa peto, si dant ea mania Parcæ.* Terentius in Andr. *Si te in germani fratris dilexi loco, Sive hæc te solum semper fecit maxime. Si unquam erga te*] Ab anteacta vita. D.—Lege *Si unquam te erga a. e. a. sensti, etc.* B.

30. *Uti sibi des pro illa*] Subauditur *gratia.* D.—Recte Faernus ob versum et Donatum pro *uti* legit *ut.* B.

31. *Cæterum de reducenda*] Tentat etiam hoc persuadere, sed oratorie et verecunde. Et mire, *de reducenda* dixit, non *de respuenda. Quod in rem sit tuam*] Nam nisi reducatur, reddenda dos erit. D.—Cum iambum trochaicus non admittat, Faernus edidit *reddcenda.* B.

32. *Solus conscius*] A possibili. Nam hoc nomine ostendit tacere eum posse, quod conscius sit ipse solus. D.

33. *Nam aiunt*] Honestius *aiunt*, pro *ait*, dixit. Nam quis aut scire aut dicere potuit, nisi Philumena? ergo recte. *Aiunt* enim potius honestum est, quam *ait. Post duobus concubuisse eam mensibus*] *Post duobus*, simpliciter accipiendum, non post duos: est enim ἀντιστροφή, pro *duobus post*; id est, non statim ut nupta sit, sed, postquam nupta est, post duos menses nuptiarum: ut sint reliqui quinque menses. Et hinc apparet, ante duos menses, priusquam cum Pamphilo concumberet, vitiatam, quatuor (Westerhovius vult legi *quinque.* Sed satis inepte. Omnia enim sana sunt Z.) mensibus cum Pam-

Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic jam septimus:
Quod te scire, ipsa indicat res. Nunc si potis est, Pamphile,
Maxume volo, doque operam, ut clam eveniat partus patrem,
Atque adeo omnis: sed si fieri id non potest, quin sentiant,
Dicam abortum esse: scio nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur: hic tibi nihil est quicquam incommodi:
Et illi miseræ indigne factam injuriam contexeris.
Pollicitus sum; et servare in eo certum'st, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror:
Nec faciam; etsi me amor graviter, consuetudoque ejus tenet.
Lacrumo, quæ posthac futura'st vita, quum in mentem venit,
Solitudoque. O fortuna, ut nunquam perpetuo es bona!
Sed jam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit;

philo fuisse: ex quibus, duobus posterioribus amatam esse, reliquis tribus peregrinatum fuisse Pamphilum. An *post duobus*, pro post duos? ut Plautus, Pers. iv. 1. 4. *post principio denique*. Et, *post paulo*. D.—Vocem *eam* post *concubuisse*, quam Faernus ob Bemb. sustulit, nos ob codices et versum, qui in hac sede non amat trochæum, restituendam putamus. B.

35. *Quod te scire, ipsa indicat res*] Quia contristatus corripuisti te foras. D.

36. *Partus eveniat*] Philumenæ scilicet. D.

37. *Fieri id'non*] Ms. R. *id* deest. L.—Nostri vel non habent *id*, vel collocant ante *fieri*. B.

38. *Abortum esse*] Non est Latinum *aborsa est*; sed, *abortum fecit*. *Abortum esse*] Deest *natum*, vel *factum*, vel absolute: quomodo dicimus, *e re nata*: vel quemadmodum dicimus, *ex te mihi orta est injuria*. *Dicam abortum esse*] Rationabiliter dixit: fit enim abortus mense septimo sine pernicie feminæ. *Suspectum fore*] Suspicabilem, suspiciosum. D.

39. *Ex te recte eum natum putent*] Nove dixit *natum abortum*: quasi abortus nascatur. *Natum* ergo pro facto, conceptoque dixit. D.

40. *Exponetur*] Ad mortem scilicet. *Hic tibi nihil est quicquam incommodi*] Quum alienus exponitur, et non tollitur pro tuo. Et mire necandi pueri non fit mentio; quia Pamphili filius invenietur, quum ei etiam per patrem puellæ poeta succurrit. *Hic tibi nihil est quicquam incommodi*] Ab utili: et est παρέλκον quartum: ut, *nihil vidi quicquam latius*. D.

41. *Et illi miseræ indigne*] Ut non sit ἀνακόλουθον, superiori versui τὸ *et* addendum est: ut sit, *Et tibi nihil est quicquam incommodi. Et illi miseræ*] Conclusio per enumerationem (forte, *commiserationem* Z.): Et non læderis, inquit, et proderis miseræ. *Factam injuriam*] Mire *injuriam* dixit: ut non contemnenda sit, sed tollenda (*ut non condemnanda sit, sed dolenda*. Ms. H.). D.

42. *Pollicitus sum*] Plus quam promisi. *Quod dixi*] Quod promisi. D.

43. *Id vero neutiquam honestum esse arbitror*] *Neutiquam*, non est omnino negativum, sed aliquid assensionis habet. Est enim *neutiquam*, non nimis, non valde. D.—Bentl. edidit *reducenda*; et *ne utiquam* pro *neutiquam*. Z.

44. *Nec faciam*] Bene addidit, *nec faciam*: multa enim etiam inhonesta amore suscipimus. *Etsi amor me graviter consuetudoque tenet*] Hoc cum gemitu. *Etsi* non est complexivum, neque præpositivum, sed subjunctivum, id (dele *id*) est, pro tametsi. *Amor me graviter consuetudoque*] Quæ duæ res contra honestum et utile validissimæ. Et bene *tenet*, non tenuit. D.—Illud *me* ex codd. nostris colloco post *amor*. B.

45. *Lacrumo, quæ posthac futura est vita*] Bene propensior in affectum est, ut verisimile fiat potuisse reticere. Et *lacrumo* non pendet a superiori: sed interpositis diu fletibus dixit *lacrumo*. *Quæ posthac*] *Quæ* modo vim pronominis non tenet, sed querelæ. Et *lacrumo*, sic dixit ut Virg. Æn. iv. 30. *Sic affata, sinum lacrumis implevit obortis*. Et est ordo, *Lacrumo, quum in mentem venit*. D.

46. *O fortuna!*] Hic *fortunam* pro bona posuit (Igitur *bona* in textu non fuit. B.). *Ut nunquam perpetuo es bona!*] Legitur et *data*. Nam et sic pro bona intelligitur necessario. D.—Leg. *ut nunquam perpetua es data*. Nam *data* legit olim Donatus. B.

Quem ego tum consilio missum feci, idem nunc huic operam
Adest Parmeno cum pueris: hunc minime'st opus [dabo.
In hac re adesse: nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse in principio, quum data est:
Vereor, si clamorem ejus hic crebro audiat,
Ne parturire intelligat: aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

ACTUS TERTII SCENA IV.

PARMENO. SOSIA. PAMPHILUS.

AIN' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter?
So. Non hercle verbis, Parmeno, dici potest
Tantum, quam re ipsa navigare incommodum'st.
PAR. Itane est? So. O fortunate, nescis quid mali
Præterieris, qui nunquam es ingressus mare.
Nam alias ut mittam miserias, unam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo, in navi fui,

48. *Idem nunc operam huic dabo*] Si *idem*, ego: si *eidem*, hoc est, amori. *Operam dabo*] Difficultatem rei ostendit, dicendo *operam dabo*. D.—*Idem nunc*] Ma. R. *item nunc*. L.—Versum Guyetus ut spurium et ineptum damnavit: equidem, ut sententiæ succurratur, sic emendandum censeo, *Quó ego eum consilio missum féci, eodem huic operám dabo*. B.

49. *Adest Parmeno cum pueris*] Quia idem Parmeno est secretorum conscius, addidit, *cum pueris*. *Minime est opus*] Id est, omnino non est opus. D.

50. *Olim soli credidi*] V. C. *olim sibi credidi*. L.

52. Nostri omnes recte habent *exaudiat*. B.

53. *Aliquo mihi est hinc ablegandus, dum parit Philumena*] In tota comœdia non cessabit, cum sit piger; nec resciscet aliquid, cum sit curiosus Parmeno. D.

54. *Dum parit Philumena*] *Dum* alias *dummodo*, alias *donec*: nunc, *quamdiu*. D.

1. *Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter?*] Alia ratio est currentis ad argumenta; alia actuum comicorum. Sed perfecti poetæ est ita servire argumento, ut tamen spectator novis delectationibus teneatur. Nam in hac scena, donec perveniat ad Pamphilum Parmeno, hoc εὕρημα inducitur, cum hoc ostenditur, quid mali sit navigatio. *Ain' tu?*] Pro *aisne tu?* Et sic jam aliquid dixisse magni in præcedenti oratione ex respondentis sermone demonstratur. *Ain' tu?*] In scena nascitur oratio, aut in scenam defertur. D.—*Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter?*] Hæc scena interrogationem et expositiones breves continet, quem-admodum navigaverunt. E.

3. *Tantum, quam re ipsa navigare incommodum est*] Ἀνακόλουθον quartum: non enim intulit *quantum*, ut Virg. Ge. iv. 411. *Sed quanto ille magis formas se vertet in omnes: Tanto, nate, magis contende tenacia vincla*. D.

4. *O fortunate! nescis quid mali præterieris*] Bene majori affectu dicens, *O fortunate*, quam si responderet, *Ita*. D.—*Nescis quid mali*] Posidippus: Ὁ μὴ πεπλευκὼς οὐδὲν εἴρακε κακόν. L.—Menander: Πῦρ, καὶ θάλασσα, καὶ γυνή, κακὰ τρία. W.

5. *Qui nunquam es ingressus mare*] Proprie dixit *ingressus*. Nam qui jam navigavit, *egressus* dicitur. Sic Virg. Æn. i. 176. *Egressi optata potiuntur Troes arena*. D.

6. *Nam alias ut mittam miserias*] Παράλειψις oratoria. Et *miserias*, navigationes scilicet. D.

7. *Dies triginta*] Accusativus casus plenum numerum et continuationem rei significat. *Dies triginta, aut plus eo, in navi fui*] Hoc exitiosum vel sine periculo videri potest. Sed vide quid addat, *aut plus eo, in navi*. Absolute *eo*, ut alibi, *Annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut*

Quum interea semper mortem exspectabam miser:
Ita usque advorsa tempestate usi sumus.
PAR. Odiosum. So. Haud clam me est: denique hercle aufugerim
Potius, quam redeam, si eo mihi redeundum siet.
PAR. Olim quidem te causæ impellebant leves,
Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia.
Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium:
Ite intro: ego hunc adibo, si quid me velit.
Here, etiam tu nunc hic stas? PAM. Et quidem te exspecto.
PAR. Quid est?
PAM. In arcem transcurso opus est. PAR. Cui homini?
PAM. Tibi.
PAR. In arcem! quid eo? PAM. Callidemidem hospitem
Myconium, qui mecum una advectu'st, conveni.
PAR. Perii! vovisse hunc dicam, si salvos domum

conjicio. D.—*Plus eo, in navi*] Priscian. lib. vii. L.

8. *Semper mortem exspectabam miser*] Dura est exspectatio mali. Virg. Æn. vi. 614. *Inclusi pœnam exspectant. Semper mortem exspectabam*] Id est, horis omnibus, cum continuatione triginta dierum. D.—*Quum interea semper mortem exspectabam miser*] Gravior semper pœna est exspectare, quam pati. Ut, Æn. vi. 614. *Inclusi pœnam exspectant.* E.

9. *Ita usque*] *Usque*, vel diu, vel valde. D.

10. *Odiosum*] Esse scilicet in mari triginta dies. Et nomen pro adverbio posuit: *odiosum* pro odiose. *Haud clam me est*] Λανθάνει: pro, Ego maxime intelligo, quam odiosum sit. Nam qui jungunt et sic legunt (*qui sejungunt, et sic legunt*, ODIO SUM. Hæc verba videntur ponenda esse statim post *odiose*): errant, et non intelligunt. *Aufugerim*] Conjunctivum modum posuit pro indicativo futuro: vel, ut alii dicunt, promissivo. *Aufugerim*] Sic veteres, quod nos *fugerim.* D.

11. *Si eo mihi redeundum siet*] Pertinet huc Amphidis dictum apud Stobæum, Serm. 250. Ἐν οἷς ἂν ἀτυχήσῃ τὶς ἀνθρώπων τόποις, Ἥκιστα τούτοις πλησιάζειν ἥδεται. Phædrus i. 18. *Nemo libenter recolit, qui læsit, locum.* L.—Bentleius pro *siet* cum edd. vett. edidit *sciam*; quod utique elegantiorem efficit sensum. Z.

12. *Olim quidem te causæ impellebant leves*] Mire in servum fugitivum, qui ob vitium hujusmodi, non ob causam fugiat. Et bene *leves*, dixit: hæc enim non est *levis.* D.

13. *Quod nunc minitare facere*] Ut sit ordo, Olim quidem te causæ impellebant leves, Sosia, ut faceres quod nunc minitaris facere hac occasione. Artificiose: et in Andria sic ait recusanti perjurium servo Mysis, *Nova nunc religio in te incessit? Facere*] Ut faceres. Comicum est et Terentianum. D.

14. *Sed Pamphilum ipsum video*] *Ipsum* a quo missus sum: vel dominum, ut Græci dicunt *αὐτόν.* D.

15. *Ego hunc adibo*] Vel nova curiositate ait Parmeno. D.

16. *Equidem te exspecto*] Bene excepit (*exspectat* Ms. H.) Pamphilus Parmenonem, ut videatur vera dicturus. *Equidem te exspecto*] Apparet Pamphilum Parmenonis absentiam desiderare: eo quod nunc prior Parmenonem alloquitur. D.—Ne syllaba versui supersit, dele *nunc*, quod in libris incertam habet sedem. Tum corrige vel *equidem*, vel, quod melius, *exspectans.* B.

17. *In arcem transcurso opus est*] Ostendit quam longe sit, cum *In arcem* (forte, *transcurso* Z.) dicat. Et bene *In arcem*, quam Minerva condidit. *In arcem*] Pronuncia, ut ostendat quam longe sit in arcem transcurrere. *Transcurso*] Pro transcurrere. *Cui homini?*] Hæc verba cum sua pronunciatione vim recusationis in se continent. *Cui homini?*] Cum recusatione pronunciandum: et est pigri responsio, laborem ad alium transferentis. D.

18. *Callidemidem hospitem*] Priscian. lib. vi. L.

19. *Qui mecum una advectus est*] Apparet eum cum eo aliquid negotii habere, cum dicit, *qui mecum una est advectus.* D.—Lectio Bembini *vectus* pro *advectus* versui convenit. B.

20. *Vovisse hunc dicam, si salvos domum*

Redisset unquam, ut me ambulando rumperet.
PAM. Quid cessas? PAR. Quid vis dicam? an conveniam modo?
PAM. Immo, quod constitui me hodie conventurum eum,
Non posse: ne me frustra illic exspectet: vola.
PAR. At non novi hominis faciem. PAM. At faciam ut noveris:
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius,
Cadaverosa facie. PAR. Dii illum perduint.
Quid, si non veniet? maneamne usque ad vesperum?
PAM. Maneto: curre. PAR. Non queo: ita defessus sum.
PAM. Ille abiit: quid agam infelix? prorsus nescio
Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,

redisset unquam] Facete dixit. More enim hoc fit eorum, qui, longis itineribus maris periclitati, vovent aliquid, si pervenerint. Et convenit hoc Pamphilo, quem supra male navigasse audierat. D.—*Perii! vovisse hunc dicam, si salvos domum redisset unquam, ut me ambulando rumperet*] Quæ consuetudo est in mari: nam cum periclitantur, ut plurimum aliquod votum proferunt, si salvi terram viderint. E.

22. *Quid vis dicam? an conveniam modo?*] Non enim mandaverat quicquam, qui sine causa mittebat, oblitus bene dissimulare (*oblitus pæne se simulare* Z.), ut qui mentiuntur. Et sic pronunciandum *an conveniam modo?* ut reprehendere dominum Parmeno videatur. *An conveniam modo?*] Εἰρωνικῶς dixit. Nam non hoc interrogantis simpliciter. D.

23. *Imo quod constitui me hodie*] Deest, *nuncia*; ut sit, Imo nuncia. Et sumitur a superiori sententia, qua dixit, *Quid vis dicam? Imo quod constitui me hodie*] Apparet eum hanc conquisitam, et vix corrasam invenisse causam. D.

24. *Vola*] Ἠθικῷ ὑπερβολῇ usus est. Ita curras, ut volare magis, quam currere videaris. Et antea transcurrere jusserat: nunc adjecit imperio. Nam (*adjecit pro imperio domini*) non *curre*, sed *vola*. D.—Pro *illic*, quod versui repugnat, Faernus recte correxit *illi*. B.

25. *At non novi hominis faciem*] Moralis expressio pigritiæ in tot excusationibus posita est. *At faciam ut noveris*] Stomachose pronunciandum *At*; quod et Pamphilus repetit dicens, *At faciam ut noveris*. D.

26. *Magnus, rubicundus, crispus, cæsius, crassus*] Properatio, συναθροισμός: et acervo sine conjunctivo est usus. *Magnus, rubicundus*] Imperite Terentium de Myconio crispum dixisse aiunt, cum Apollodorus calvum dixerit: quod proprium Myconis est: ut Lucilius, *Myconi calva omnis juventus*. Unde etiam proverbium Græcum Μυκόνιος φαλακρός. Sed ego Terentium puto scientem facetius Myconium crispum dixisse. *Cæsius*] Glaucis oculis, quasi felis oculos habens et glaucos. D.—*Cæsius*] Oculis tortis paulum. E.

27. *Cadaverosa facie*] Sublivida, ac personata rubore et livore. Rubicundi enim et crassiorem faciem sæpe habent: quod est proprium cadaveris. Potest et pulposa intelligi et crassa, quasi cadaverosa, *caro* enim dicta est, eo quod careat anima. Et *caro* proprie dicitur mortuorum. Virg. Ge. iv. 255. *Tum corpora luce carentum*. Unde *carnifices* dicti, quod carnes ex homine faciant. *Pulpa* vero proprie ea quæ manducatur, eo quod pulsetur et conscindatur. Potest et *R* pro *D* poni: ut *caro* sit dicta quasi *cado*: ut Virg. Æn. vi. 481. *belloque caduci Dardanidæ*: quod jam scilicet sine anima sit et cadat. *Dii illum perduint*] More pigrorum male optat ei, propter quem mittitur. D.—*Cadaverosa facie*] Sidon. Apoll. lib. xiii. Epist. 3. *Sordidior est atque deformior cadavere rogali*. L.—Recte Bemb. et Donatus pro vulgari *facies* habent *facie*; et hæc verba non Parmenoni, sed Pamphilo tribuunt. At *Cadaverosa* displicet, quia a cadaverum forma, quæ varia et incerta est, facies definiri nequit. Igitur repone *Lentiginosa*. Sic apud Val. Max. i. 7. Ext. 6. *os lentiginosum* occurrit. Cf. Donat. ad Eun. iv. 4. 22. B.

28. *Quid si non veniet*] Omnia dicit, ne eat. *Maneto: curre*] Etiam Pamphilus tanquam de industria perseverat. *Non queo: ita defessus sum*] Hoc in gestu et spectaculo plus est; nam incessus et auctor (forte, *incessu et anhelitu*) exprimit lassitudinem. D.—*Usque ad vesperum?*] Usque ad noctem. E.

30. *Ille abiit*] Quasi dicat, licet ja loqui. *Ille abiit*] Quasi cum difficulte completam rem ostendit hoc dicto. D.

Suæ gnatæ partum: nam me miseret mulieris.
Quod potero, faciam; tamen ut pietatem colam:
Nam me parenti potius, quam amori obsequi
Oportet: atat eccum Phidippum et patrem
Video: horsum pergunt: quid dicam hisce, incertus sum.

ACTUS TERTII SCENA V.

LACHES. PHIDIPPUS. PAMPHILUS.

DIXTIN' dudum, illam dixisse, se exspectare filium?
PH. Factum. LA. Venisse aiunt: redeat. PAM. Quam causam dicam patri,
Quamobrem non reducam, nescio. LA. Quem ego hic audivi loqui?

32. *Suæ gnatæ partum*] Ἔκτεξήγησις. D.

33. *Quod potero, faciam*] Id est, celabo quantum potero: an quasi projiciens curas, et fessus angore dixit, *Quod potero, faciam:* id est, si non potero, cedam amori: et rursus tanquam pietatis admonitus, adjecit exceptionem, *tamen ut pietatem colam.* Servat enim in illo amorem poeta: cujus non pœnitebĭt, re cognita, et errore sublato. *Quod potero, faciam*] Id est, amori obsequar. Nam misericordia mulieris de amore descendit. *Quod potero, faciam*] Apparet hoc dictum, defectus (forte, *affectus* Z.) esse, non virtutis. *Tamen ut pietatem colam*] Recordatus est læsam matrem esse ab uxore: hoc enim credit: et ideo se ad exceptionem revocavit; ita se amori cedere oportere, ut non obliviscatur omnino pietatis. Et bene in eam causam contulit necessitatem non reducendæ uxoris, quæ invenietur nulla esse. Sunt tamen qui manente eadem sententia, totum hoc jungant, *Quod potero, faciam, tamen ut pietatem colam:* hoc est, in quantum potero, dabo operam adversus amorem, ut omisso eo, pietatem colam. Et subjungitur causa. *Tamen ut pietatem colam*] Deest *ita:* ut sit *tamen* pro duntaxat: ut sit, ita ut pietatem colam. Dixerat enim, *Quod potero:* et ideo addidit exceptionem, *tamen ut pietatem colam:* id est, non sum oblitus et matris. *Tamen*] Pro Ita tamen. D.—*Quod potero, faciam: tamen ut pietatem colam*] Deliberatio illa nunc breviter repetitur, an partum celet, an ducat uxorem. Verum tandem consentit, ut celet. Non vult autem reducere, quia adhuc credit, puellam idcirco discessisse, quod jurgium cum matre susceperit. Hoc enim dixit, *Quod potero, faciam: tamen ut pietatem colam.* E.

34. *Nam me parenti potius, quam amori*] *Amori*, scilicet uxoris, quia dixit, *Quod potero, faciam.* Et hoc est quod dixerat, *Quod potero, faciam.* (Verba *Et—faciam* absunt a Ms. H.). D.

35. *Atat!*] Interjectio est conterriti et conturbati. D.

36. *Horsum pergunt*] Modo *pergunt*, pro eunt: alias perseverant. D.

1. *Dixtin' dudum, dixisse illam, se exspectare?*] Facete principium est interrogantis ita, ut sciat quid sibi responsurus sit, quem interrogat. Illaturus est enim argumentum per ἐπαγωγήν. *Dixtin' dudum*] Quia dixerat, *Sancte adjurat, non posse Pamphilo se absente perdurare. Dixtin' dudum*] Captiosa interrogatione cœpit, dicturus, *Venisse aiunt, redeat.* D.—*Dixtin' dudum, illam dixisse, sese exspectare?*] Hæc scena utriusque parentis continet verba, quemadmodum cogant Pamphilum reducere uxorem. Simplex hic oratio est. Supra Phidippus dixerat, *Sancte adjurat, non posse, Pamphilo absente, perdurare apud vos:* hinc positum, *Dixtin' dudum, illam dixisse, sese exspectare filium?* E.—*Dixisse, se exspectare*] In Ms. R. *se* deest. L.

2. *Factum*] Id est, Dixisse illam, aut me. Et deest *est:* ut sit, *Factum est.* D. —Cum et male accentus incidat *causam*, et tria verba continua in *am* exeant: Terentius scripsit, *causæ quid dicam patri.* B.

3. *Quamobrem non reducam, nescio*] Habet causam, sed non vult veram dicere; et præterea non vult cum invidia matris suæ loqui, si in illam conferat, ut uxorem non reducat domum. *Quem ego hic audivi loqui?*] Ut solet, primo personas inducit secum loquentes: deinde ipsas convenire invicem: ut alibi, *Quis hic loquitur? Mysis, salve.* D.

PAM. Certum offirmare est viam me, quam decrevi persequi.
LA. Ipsus est, de quo hoc agebam tecum. PAM. Salve, mi pater.
LA. Gnate mi, salve. PH. Bene factum te advenisse, Pamphile;
Atque adeo, quod maxumum'st, salvum atque validum. PAM. Creditur.
LA. Advenis modo? PAM. Admodum. LA. Cedo, quid reliquit Phania
Consobrinus noster? PAM. Sane hercle homo voluptati obsequens.
Fuit, dum vixit: et qui sic sunt, haud multum heredem juvant.
Sibi vero hanc laudem relinquunt: Vixit, dum vixit, bene.
LA. Tum tu igitur nihil attulisti huc plus una sententia?
PAM. Quicquid est id, quod reliquit, profuit. LA. Immo obfuit:
Nam illum vivum et salvum vellem. PH. Impune optare istuc licet:

4. *Certum offirmare est viam me*] Adversus omnia obstinate agere, id est, contra omnes. *Offirmare est viam me, quam decrevi persequi*] Id est, ut matri potius, quam amori, morem gerat (*geram*). D.—*Certum offirmare est viam me, quam decrevi persequi*] Ut istam non reducam. F.

7. *Atque adeo, quod maxumum est, salvum atque validum*] Ordo est, primum *advenisse*, deinde *salvum*, postremo *validum*. *Salvum atque validum*] Ἀξησις ad salutem. *Validus* namque, robustus et habitior corpore. *Quod maximum est*] Legitur et *quod maxime est*. *Creditur*] Minus blande respondet, de repudio locuturus. D.—*Atque adeo*] Ms. R. *Et adeo*. L.—Placet *Et adeo*; quod et plurimi et vetusti habent. B.

8. *Advenis modo?*] Difficile invenitur præsentis temporis *modo*. Atque ut ostendat esse momentum etiam præsentis temporis, dixit *admodum*: quod est minus (*nimis* Mss. et edd. ante Steph.). *Advenis modo?*] Virg. Æn. x. 228. *Vigilasne, deum gens, Æneа? vigila. Admodum*] Excusatio cur adhuc non viderit patrem. *Cedo, quid reliquit Phania consobrinus noster?*] Utrum jactanter Laches de hereditate loquitur præsente socero, ut illum cupidiorem faciat ad revocandam (*remittendam*) filiam? Et fit sæpe hoc, ut ex alio principio pervenire quæramus ad ea, quæ volumus dicere. An ideo, ut se jactet, sciat ut rem, et divitias suas: cupidiorem socerum redditurus? D.

9. *Consobrinus noster*] Quasi sororinus. *Sobrini*, sunt ex duabus sororibus. *Consobrini*, ex fratre et sorore. Et propinquitate Terentius frequentata movetur (*Ac propinquitatis frequentatæ Terentius monet* codd. vett.) ut heredum. *Consobrinus noster*] Quum de fratre natus est alter, et alter ex sorore, *consobrini*: quum ex fratribus, *patrueles* dicuntur. *Sane hercle homo voluptati obsequens fuit*] *Sane*, satis, valide. Nam qui sanus, et validus est. *Voluptati obsequens fuit*] Contra facit Pamphilus: disjungi enim volens, nihil dicit, vel parum relictum. D.

10. *Haud multum heredem juvant*] Parum consulunt heredi. D.

11. *Sibi vero hanc laudem relinquunt: Vixit, dum vixit, bene*] Bene et facete, nihil heredi relinquunt, sibi vero relinquunt. *Vixit, dum vixit, bene*] Πλοκή: unum *vixit* aliud significat: et alterum *vixit*, aliud. *Vixit, dum vixit, bene*] Sententia est hortantis ad delicate vivendum. *Vixit, dum vixit, bene*] Hoc enim scilicet reliquit. D. —*Vixit, dum vixit, bene*] Ordo, *Bene vixit*. E.—*Vixit, dum vixit, bene*] Inscriptio vetus Tordæ in Transsilvania: *vixi, dum vixi, bene*. L.—Pro *reliquit* meliores libri habent *relinquont*. B.

12. *Una sententia*] Expressit animum avari senis. D.—Aut leg. *una plus sententia*; aut, *plus una hac sententia*. B.

13. *Quicquid est id quod reliquit, profuit*] *Quicquid*, et ad parvitatem refertur: ut, *At enim id mihi satis est, quod est de me opinionis: quicquid est. Quicquid est id quod reliquit*] Nullum in hoc sene fuit doloris officium, ante quam sciret aliquid relictum. *Profuit*] Id est, pro nobis fuit: ac per hoc nostrum est: potest enim ipse profuisse, potest res ejus. *Imo obfuit*] Morem eorum expressit, quibus relinquitur: qui quum audierint sibi aliquid esse relictum, tunc tristes se fingunt. D.—Ob consuetudinem Terentii malim legi, *Immo vero obfuit*. B.

14. *Nam illum vivum, et salvum vellem*] Non idem *vivum*, quod *salvum*. *Impune*

Ille reviviscet jam nunquam: et tamen utrum malis, scio.
LA. Heri Philumenam ad se arcessi hic jussit: dic jussisse te.
PH. Noli fodere: jussi. LA. Sed eam jam remittet. PH. Scilicet.
PAM. Omnem rem scio, ut sit gesta: adveniens audivi omnia.
LA. At istos invidos Di perdant, qui hæc libenter nunciant!
PAM. Ego me scio cavisse, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis posset: idque si nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo, et benigno in illam, et clementi fui,
Vere possum: ni te ex ipsa hæc magis velim resciscere.
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Quum illa, quæ nunc in me iniqua est, æqua de me dixerit:
Neque mea culpa hoc discidium evenisse, id testor Deos.
Sed quando sese esse indignam deputat matri meæ,

optare istuc licet] Bene *impune*: quia heredi pœna est, mortuos reviviscere. An, sine detrimento optas? ut quum medicus dicit de jam mortuo, *Ego si illum curarem, viveret. Impune optare*] Si optata evenirent, nunquam, inquit, optares ut ille reviviscerat. D.

15. *Ille reviviscet jam nunquam*] Mire poeta his verbis Phidippum quoque subinvidere indicat. Plus est *nunquam*, quam *non. Et tamen utrum malis, scio*] Mortuum illum magis, quam ut reviscat denuo. *Et tamen utrum malis, scio*] Quid malis de duobus, scio: utrum illum mortuum permanere, an reviviscere. D.

16. *Heri Philumenam*] Hoc erat, quo omnis tendebat oratio. *Ad se arcessi hic jussit*] Bene et *arcessi* et *jussit*: ut nihil uxor sua sponte fecerit. *Heri Philumenam ad se arcessi hic jussit*] Et *heri* et *jussit*, bene: ut breve tempus sit, et coacta videatur exisse. Et non *abduci*, sed *arcessi*: nec *a nobis*, sed *ad se*. D.—*Heri Philumenam ad se arcessi hic jussit*] Quasi nescientis (*nescienti*; aut, *ob nescientem* Z.) causas hoc mendacium fingitur, quod pater Philumenam heri arcessierit: id est, ad se vocaverit. Denique continuo Pamphilus, *Omnem rem scio, ut sit gesta: adveniens audivi*. Hoc sumit exordium, cur non reducat. Commendat personam suam, quod semper *fideli animo fuit in illam*, et, *dixerit* (*dicit*, vel, *addit* Z.), *non sua causa fieri discidium*. E.

18. *Omnem rem scio, ut sit gesta*] Virg. Æn. ii. 4. *Trojanas ut opes et lamentabile regnum, etc.* D.—*Audivi omnia*] Ms. R. *audivi omnia modo*. L.—Nostri in fine addunt *modo*; et in uno Regio deest *omnia*, recte. Nam jam dixit *Omnem rem*. B.

19. *At istos invidos Di perdant*] Bene *invidos*, qui matrimonio invideant: ergo revocanda uxor est. Et adeo non puduit mendacii honeste deprehensum senem, ut invidos faceret, qui vera prodiderant. D.

20. *Ego me scio cavisse*] Principium a tempore, a dictis, factisque, tam suis quam adversariorum: et ab anteacta vita et præsenti. *Ego scio me cavisse, ne ulla merito contumelia*] Mire addidit *merito*: non enim *cavere* inquit, ne fieret ea, potui. Igitur (*non enim cavere potui, inquit, ne fieret. Cavi igitur*) ne merito fieret, quod in me fuit. D.

21. *Idque si nunc*] Ab anteacta vita. D.

22. *Et clementi fui*] Pro *fuerim*: indicativum pro conjunctivo posuit. D.—*Et benigno in illam*] Plurimi vett. et Ms. R. *Quam fideli animo in illam, et clementi fui*: quod verius puto. L.

23. *Ni te ex ipsa hæc magis velim resciscere*] Παράλημψις. D.—*Ni te ex ipsa*] V. C. *nisi ex ipsa*. L.

24. *Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides*] Bene, non dictis, sed *ingenio*. D.

25. *Quum illa, quæ nunc in me iniqua est, æqua*] *Iniqua æqua*, παρανομασίαι sunt Terentianæ. Et bonum argumentum. Nam et Virg. Æn. i. 629. *Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat*, inquit: et Cicero, *te ipso teste iniquo, atque improbo: verum ad hanc rem satis idoneo: te, inquam, teste dicam. In me iniqua est, æqua de me dixerit*] Quia adversarii testimonium, si contra se dicat, tam grave est, quam vel boni viri. D.—Meliores et plures nostri meliore ordine ponunt, *Quum illa, quæ in me nunc iniqua, etc.* B.

26. *Neque mea culpa hoc dissidium evenisse*] Non ergo quid fiat, verum per quos fiat, quærendum est. Et nimis abrupte dixit *evenisse*, non *evenire. Hoc evenisse dissidium*] Ad confirmationem, non *evenire*, sed *evenisse* dixit. D.

27. *Sed quando sese esse indignam*] Hoc sic profert, ut eam ostendat causam esse dissidii: et hoc ipso tentat; utrum dotem

Cui concedat, cujusque mores toleret sua modestia:
Neque alio pacto componi potest inter eas gratia:
Segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena.
Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.
LA. Pamphile, haud invito ad aures sermo mihi accessit tuus,
Quum te post putasse omnes res præ parente intelligo.
Verum vide, ne impulsus ira prave insistas, Pamphile.
PAM. Quibus iris impulsus nunc in illam iniquos siem?
Quæ nunquam quicquam erga me commerita'st, pater,
Quod nollem; et sæpe, quod vellem, meritam scio:

relinquere possit (*fas sit*). Et ideo supra, *Neque mea culpa hoc dissidium evenisse, id testor deos*, inquit. *Deputat matri meæ, cui concedat*] Fortasse ergo indigna est, et recte deputat: mihi tamen mater colenda est; hoc sentit. *Deputat matri meæ, cui concedat*] Ἐν ὑποκρίσει *matri meæ*, ut idonea sit causa repudii. D.—*Sed quando sese esse indignam deputat matri meæ, cujus mores toleret*] Cum neque aliter gratia ulla inter eas componi possit, purgat se, quod pietatis causa nolit reducere uxorem. E.—Hunc et seq. versum sic lege et distingue, *Séd quando ésse indignam sese députat, matri meæ | Quaé concedat, quaéque ejus móres, etc.* Pro *cui* in Bembino a manu secunda recte est *quæ*. Et unus e Meadianis priorem versum collocat, uti a nobis factum esse vides. B.

28. *Cujusque mores toleret*] Hoc melius, quam *obsequatur* aut *inserviat*. *Mores toleret*] Bene *mores*, ut aniculæ: notat enim pravitatem: unde senes, *morosi* appellantur. Horatius, Carm. i. 9. 17. *Donec virenti canities abest Morosa. Mores toleret sua modestia*] O temperamentum! *mores* potius quam *injurias* dixit. D.

29. *Neque alio pacto componi potest*] Nisi ut concedat matri, toleretque mores ejus. D.—Versus causa lege, *Néque alio compóni pacto pótis inter eas grátia'st*. B.

30. *Segreganda aut mater est a me, Phidippe*] Bene tanquam ex deliberatione colligit, quod facturus est. Et mollius *Segreganda*, quam *Excludenda*. D.

31. *Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi*] Quam mollibus verbis repudium nunciatum est a Pamphilo! D.

32. *Ad aures haud invito*] Optime dictum, *haud invito*: non enim in totum volenti, quippe de dissidio: sed tamen quia pie locutus est, mediocriter approbavit. *Pamphile, ad aures haud invito*] Gravis oratio est a nomine incepta. Virg. Æn. xii. 19. *O præstans animi juvenis*. Et est figura λιτότης. Sic Virg. Ecl. vii. 17. *Posthabui tamen illorum mea seria ludo. Haud invito sermo mihi accessit tuus*] Senili loquacitate: pro, *recte locutus es*. D.

33. *Omnes res*] Plus dixit, quam si *uxorem* diceret. *Præ parente intelligo*] Bene *parente*: quod nomen commune et cum patre est, et cum omnibus, quos hæc necessitudo conjungit. Melius ergo, quam si diceret *matrem*. D.—*Quum te postputasse*] In Ma. R. *te* omissum est. L.—Repone, quod Terentio, tanto artifice, dignius est, *Quum res postputasse te omnis*. B.

34. *Verum vide ne impulsus ira prave insistas, Pamphile*] Leniter et suadenter. *Ira*] Non ergo judicio. *Insistas Pamphile*] Non enim *incipere*, sed *insistere* hic malum est. D.

35. *Quibus iris impulsus*] Non dixit *qua ira*, ne superbe loqueretur, sed *quibus iris*: ut hoc ipsum per εἰρωνείαν derideret, quod pater dixit, *impulsus ira*. An iris matris, aut meæ uxoris, et mea? an omnium trium? *Quibus iris impulsus*] Recte non vult iram esse, ne peccasse videatur uxor. Sic enim (*sic enim ait*) quasi nec ipsa peccaverit. *Quibus iris*] Ille *iram* singulariter dixit, hic *iras* pluraliter: ne videatur unius iræ causa mittere uxorem. D. —*Quibus iris impulsus nunc in illam iniquus siem?*] Qua iracundia motus, iniquus sim circa uxorem, quæ quod volui, promerita est, et quod nolui, nunquam fecit? Et sermo conclusus, quod necessitate ab ea separetur, quod (*ut* Z.) matris commodis obtemperet. E.—Refinge, *Quid ego ira impulsus*: ne versus sit justo longior, et ut in responsione eadem verba, eodemque accentu, repetantur. B.

36. *Quæ nunquam quicquam erga me commerita est, pater*] Adverte, proprietatem expressit *commerendi* et *merendi*. D.

37. *Et sæpe, quod vellem, meritam scio*] *Mereri* bona dicimus, *commereri* mala: id est, delinquere, peccare. Ergo hic *meritam*, pro Præstitisse dixit. Virg. Æn. iv. 333. *Ego te, quæ plurima fando Enumerare vales, nunquam, regina, negabo Promeritam*. D.—Ne *vellém* hic in ultima male acuatur, repone cum pluribus iisque melioribus libris, *sæpe meritam quod vellem scio*. B.

Amoque, et laudo, et vehementer desidero.
Nam fuisse erga me miro ingenio, expertus sum:
Illique exopto, ut relliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui sit fortunatior:
Quandoquidem illam a me distrahit necessitas.
PH. Tibi id in manu est, ne fiat. LA. Si sanus sies,
Jube illam redire. PAM. Non est consilium, pater:
Matris servibo commodis. LA. Quo abis? mane,
Mane, inquam: quo abis? PH. Quæ hæc est pertinacia?
LA. Dixine, Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eum?
Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres.
PH. Non credidi ædepol adeo inhumanum fore:
Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?

38. *Amoque, et laudo*] Non statim qui amantur, et laudantur: nec qui laudantur, etiam continuo desiderantur. Multa ergo dixit, *Amoque, et laudo, et vehementer desidero.* Et vide, amoris impulsus nimius hic est circa uxorem: et quasi oblitus suæ matris et vitiatæ, loquitur: sed tali opus est Pamphilo ad ejusmodi argumentum, donec perveniat ad καταστροφήν, in qua uxorem reduci necesse est. D.

39. *Nam fuisse erga me*] Quantum valet quod *fuisse* dixit, et non *esse!* quasi re transacta. *Erga me*] Hoc totum repudiaturus inaniter diceret, nisi ad exitum fabulæ poeta respiciens, reducturi animum in Pamphilo reservaret. Et nota repudiantem eam, quam laudat, pietate sola compulsum. D.

40. *Ut reliquam vitam exigat*] Satis flebiliter (*fideliter* Ms. B.) dixit, *reliquam exigat.* Virg. Æn. i. 78. *omnes ut tecum, meritis pro talibus, annos Exigat.* D.

41. *Cum eo viro*] Non (*nam*) invidere jam non est mariti. D.

42. *Quandoquidem illam a me distrahit necessitas*] Omnis conclusio verborum Pamphili, repudii confirmationem continet: plus tamen sententia significante, quam verbis. *Quandoquidem illam a me distrahit necessitas*] Excusatio in necessitate, quæ est inexorabilis. Et *necessitas*, partus scilicet, quam necessitatem domi offendit: quod ex alio scilicet peperit. Sed modo vult necessitatem, matris videri iracundiam (*injuriam*) quæ a nuru ita offensa sit. D.

43. *Tibi id in manu est, ne fiat*] Hoc opposuit, quod minime vult Pamphilus videri, et quod prodest socero. *Si sanus sies, jube illam redire*] Pro, *Si sanus es:* nam aliter *jubeas* dicere debuit. *Si sanus sies*] Bene pater supra *iram* dixit: nunc *insaniam* significat inesse Pamphilo. *Si sanus sies*] Non ergo culpa est, cui ut redeat jubere potest. D.—*Si sanus sies*] V. C. *Si sanus satis sies.* L.

44. *Non est consilium*] Durius erat, *nolo reducere:* ergo hoc lenius dixit. D.

45. *Matris servibo commodis*] Hoc verbo necessitatem, qua cogatur, ostendit. *Quo abis?*] Factum Pamphili ex patris verbis ostenditur, quod discessit: et bene; nam ulterius præsente patre resistere durum fuit. D.

46. *Mane, inquam: quo abis?*] Bene *quo abis:* quia patrem deseris et uxorem. *Quæ hæc est pertinacia?*] Sicut decuit socerum: et subindignatur, quia coram sibi fit contumelia. D.

47. *Dixine, Phidippe*] Artificiose Laches, ut minus miretur, et minus indignetur socer, irasci Pamphilum dicit: quando et prædictum est, et sic oportuit. *Dixine, Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eum?*] Renovavit verba sua eidem personæ. Nam ita dixerat, *Neque adeo me clam est, quam esse eum graviter laturum credam, hoc si resciverit.* D.—*Dixin', Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eum?*] Sic enim supra dixerat, *Neque adeo clam me est, quam esse eum graviter laturum credam.* E.

48. *Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres*] Invidiose adversum Phidippum, tanquam in illo sit, unde se purget, et non accuset Pamphilum. D.—Ut evitetur accentus in ultima *τοῦ filiám*, cum Bemb. pone *filiam ut remitteres.* B.

49. *Adeo inhumanum fore*] Bene, quasi iratus, inhumanum esse inquit. *Non credidi ædepol adeo*] Potuit enim dicere, *Non credidi inhumanum fore:* sed acerbe addidit *adeo.* D.

50. *Ita nunc is sibi me*] *Sibi* et *me*, magno pondere legendum est utrumque pronomen: ut, Virg. Ecl. iii. 25. *Cantando tu illum?* Id est, genero socerum, vel Pamphilo Phidippum, vel si quid tale in-

Si est, ut velit reducere uxorem, licet:
Sin alio est animo, renumeret dotem huc, eat.
LA. Ecce autem tu quoque proterve iracundus es.
PH. Percontumax redisti huc nobis, Pamphile.
LA. Decedet jam ira hæc; etsi merito iratus est.
PH. Quia paululum vobis accessit pecuniæ,
Sublati animi sunt. LA. Etiam mecum litigas?
PH. Deliberet, renuncietque hodie mihi,
Velitne, an non: ut alii, si huc non sit, siet.
LA. Phidippe, ades, audi paucis: abiit: quid mea?
Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet:
Quando nec gnatus, neque hic mihi quicquam obtemperant:

veneria. *Supplicaturum*] Parum est *satisfacturum, supplicaturum* addidit. D.—Ut gravius incedat versus, repone *Itan' is nunc sibi, etc.* Alter cod. enim e nostris habet *Itan'*, et alter *Is nunc*. B.

52. *Sin alio est animo, renumeret dotem huc, eat*] Hoc recte socer, non tam ut hic dotem recipiat, quam ut terreat, hoc dicit. Et *renumeret*, proprie: quia dos, pecunia est. Et θυμικὸς irascentis est, et exigentis debitum. *Eat* vero mire dictum: quasi ipse projiciatur, qui jubetur ire: et simul in hoc verbo quasi renunciatio caritatis est. *Renumeret dotem huc, eat*] Terrorem repetendæ dotis ostendit, quum dicit, *renumeret dotem:* simul cum injuria, *huc:* et iracunde, *eat*. D.—*Renumeret dotem huc*] Hoc esse nihil dosque pecunia dabitur (*Hoc est, mihi dos, quæ est pecunia, dabitur*. Z.). E.

53. *Ecce autem! tu quoque proterve iracundus es*] Addendo *quoque*, nonnihil assensus est: quasi dicat, *quomodo Pamphilus. Proterve iracundus es*] *Proterve*, immoderate, et superbe, dictum est ideo, quod proterat alium qui protervus est. Nam *protervus* est, qui, dum alius obvius est, proterit: quod faciunt et tauri in appetitu coitus feminarum, in quas calent. D.

54. *Percontumax redisti*] Proprie *contumax* dicitur contemtor potiorum. *Percontumax redisti huc nobis, Pamphile*] Magnæ indignationis est, absentes alloqui: ut alibi, *O Æschine, pol haud paternum istuc dedisti. Nobis, Pamphile*] Τῷ ἀπτικισμῷ. Nam aut abundat, aut significatu adjuvat pronunciationem. D.

55. *Decedet jam ira*] Quasi in ira sit culpa: non, *deponetur ira*, inquit, sed *decedet*. D.—Illud *jam*, quod sensus damnat, recte abest in pluribus iisque melioribus nostris codd. B.

56. *Quia paululum vobis accessit pecuniæ*] Facete: quasi dicat, Quia habetis unde dotem reddatis: aut, Quia nullam causam habetis repudii, sed ditiorem quæritis conjunctionem (*conditionem*). *Quia paululum vobis accessit pecuniæ, sublati animi sunt*] Et non, Major est factus Pamphilus: simul majore stomacho, quod cum labore celabat, aperte ostendit. D.—Meliores libri pro *paululum* recte exhibent *paulum*. B.

57. *Sublati animi*] Pro *elati, sublati* dixit. Et hoc proprie ferarum est, ut Æn. xii. 4. *Attollitque animos: Pœnorum qualis in arvis, Saucius ille gravi venantum vulnere pectus, Tum demum movet arma leo, etc.* Nam bestiæ pro animi qualitate vel erigunt corpora, vel deponunt, ait Cicero. *Etiam mecum litigas?*] Belle: et illum ex invidia iracundiorem, et hoc ad se dicentem, quod propter Pamphilum dicebat, effecit (*Belle: poeta et contra illum ex injuria iracundiorem, et huic senem succensentem, quod merito Pamphilum iratum dicebat, effecit* Z.). *Etiam mecum litigas?*] Invidiose, quasi jam cum Pamphilo litigaverit. D.

58. *Deliberet, renuncietque hodie*] Ferocius quam socerum deceret: attamen mature, quod *deliberet* dixit. D.

59. *Ut alii, si huic non sit, siet*] Magna fiducia conditionem filiæ asserit: quoniam jam si Pamphilus nolit, paratum alterum dicit esse. *Si huic non sit*] Subauditur *uxor*. Sed dura dictu reticuit, ut debebat. D.—Non male pro *non sit*, Bemb. habet *non est*. B.

60. *Phidippe, ades*] Nomine appellat: quod facere solemus, iratos mitigare conantes. D.

61. *Postremo inter se transigant*] Non enim hæc votiva sunt, quibus interesse delectet. D.

62. *Quando nec gnatus, neque hic*] Invidiose *gnatus*, et *non obtemperant*, et *hic* non familiariter dictum, quasi ab irato. D.

Quæ dico, parvi pendunt: porto hoc jurgium
Ad uxorem, cujus hæc fiunt consilio omnia:
Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre'st, evomam.

ACTUS QUARTI SCENA PRIMA.

MYRRHINA. PHIDIPPUS.

PERII! quid agam? quo me vortam? quid viro meo respondebo
Misera? nam audivisse vocem pueri visu'st vagientis:
Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam.
Quod si rescierit peperisse eam, id qua causa clam me habuisse

63. *Quæ dico, parvipendunt*] Quia obtemperamus etiam tacitæ voluntati. *Porto hoc jurgium ad uxorem, cujus, etc.*] Bene rursus in errorem reditur: ne quæ vera sunt, contra fabulæ propositum cognoscantur. *Porto hoc jurgium*] *Porto*, quasi aliquid magnum. D.—*Porto hoc jurgium ad uxorem*] Putat enim, ejus causa puellam discessisse. E.

64. *Cujus fiunt hæc consilio omnia*] Non transacta objiciuntur uxori, sed quæ nunc aguntur. *Consilio*] Utrum dispositione: an εἰρωνεία est in male consulentem? D.

65. *Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre est*] Non *quod irascor*, sed *quod mihi ægre est*, dixit. *Evomam*] Bene: quia ægritudinem solet vomitus relevare. Sic Cicero in Cat. ii. 1. quum dicit, *Quæ quidem lætari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit, foràsque projecerit.* D.

1. *Perii! quid*] Mire in hac scena iterum rixa est senis atque anus: et tamen varie et alio modo, ut mores inter se diversos, et tamen notos possimus agnoscere. *Perii! quid agam?*] Hæc proloqui oportet Myrrhinam, ut ex ejus persona reminiscatur spectator gestæ rei: simulque ex hujus personæ verbis, quid agat altera persona, monstretur. Nam perscrutari Phidippum universa conclavia, et ire per totam domum cognito partu filiæ suæ, apparet ex præsentibus dictis. *Perii! quid agam?*] Singula ita pronuncia, ut perturbatum (*perturbatam*: vel, *animum perturbatum*) ostendas. *Quid agam? quo me vortam?*] Figura διαπόρησις, apta turbatis. D.—*Perii! quo me vortam?* Ingressus Phidippus puellæ pater invenit filiam parturientem, primum adulterii crimen intendens. Sed hoc breviter frangit, quia ex illo parit, cui nuptum data est. Post inducit crimen injuriarum, quod partum celaverit. Egressa igitur mulier, quærit consilium, quemadmodum respondeat, quod pater cognoverit partum. Et consilium utique ad hoc quærit. E.

2. *Nam audisse vocem pueri visus est vagientis*] Virg. Æn. vi. 426. *Continuo auditæ voces, vagitus et ingens, Infantumque animæ flentes in limine primo.* Et est ὀνοματοποιία. Nam vox ipsa sic est, ut quasi vagitus sæpius sonet. *Pueri visus est vagientis*] Proprie dixit *vagientis*; et infantium est. *Visus est*] Quomodo, *Audire vocem visa sum modo militis.* D.

3. *Ita corripuit derepente*] Raptim intulit. Et *derepente*, una pars orationis est, ut *defessus*: adverbiis enim præpositiones separatim non adduntur. *Derepente*] Τφέν. Nam si separaveris, non est Latinum, *de repente.* D.

4. *Quod si*] *Quod*, pro Nam, aut Itaque: sed et nos in hujusmodi significatione sic dicimus. *Quod si rescierit*] *Scimus* manifesta: *rescimus* occulta. *Id qua causa*] *Id*, hoc ipsum, peperisse eam. D.—*Qua causa clam me habuisse dicam, non ego pol scio*] Accusatio illa: *Vir ego tuus sum?* deinde prima positio criminis: *Peperit filia, ex quo?* Cujus solutio: *Ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum?* Qua re soluta, aliud intenditur: *Quamobrem tantopere omnes nos celare voluerit partum: præsertim cum et recte, et tempore suo pepererit.* Et invectio in eam: *Sed nunc mihi in mentem venit, ex hac re, quod locuta es olim, quum illum generum cepimus.* Suspicatur autem, quod ægre mater puellæ ferat Pamphilum ob hanc meretricem, et hac causa partum celare voluerit. Ideo dicit: *Quamvis causam hunc suspicari, quam ipsam veram, mavolo.* Tunc quasi hæc vera causa sit, reddam (*reddit senex* Z.) rationem, non esse injuriam gravem a Pamphilo, quod amat meretricem: quoniam *hoc vitium innatum omnibus adolescentibus* videtur. Qua re inventa mulier aliquid defensionis apponit: *Adeon' me esse pervicacem censes, cui mater siem.* Adeo pervicacem, perseverantem in malo circa eam animatus (*eam, cui mater* Z.) siem, ut hoc animo me esse credas, si modo hoc

Dicam, non ædepol scio.
Sed ostium concrepuit! credo ipsum ad me exire: nulla sum!
PH. Uxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras:
Atque eccam video: quid ais, Myrrhina? heus, tibi dico.
MY. Mihine, mi vir?
PH. Vir ego tuus sum? tun' virum me, aut hominem deputas adeo esse?
Nam si utrumvis horum, mulier, unquam tibi visus forem,
Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. MY. Quibus? PH. At rogitas?
Peperit filia? hem! taces? ex quo? MY. Istuc patrem rogare est æquom?
Perii! ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum, obsecro?
PH. Credo; neque adeo arbitrari patris est aliter: sed demiror

matrimonium ex utilitate nostra esse potuisset. Virum hostem hac causa se commoverit, quam senex scit (*potuisset. Verum ipsum hac causa posse celari putat, quam senex sit* Z.) suspicatus. At ille rursus purgat, quod amicam habet Pamphilus, et (*et ait* Z.) ferendum esse: si modeste fecit, ut ad eam pergeret. Immo magis displiceret, si se ab amica separet cito, neque idoneus gener et (*sit* Z.) apud quem vilis fuerat consuetudo. Memor mulier precum suarum marito mandat, ut ad Pamphilum pergat, et quærat, an velit reducere uxorem. Si velit, reddat; sin nolit (intellige *ait*, vel, *reputet* Z.), quod recte hoc fecerit. E.

5. *Non ædepol scio*] Ideo quia vera causa dici non potest. D.

6. *Sed ostium concrepuit*] Plus est quam *crepuit:* nam *con* modo auctivum est. *Ad me*] Bene *ad me*, quasi litigaturum. D.—Plures libri iique meliores sic collocant, *exire ad me*. B.

7. *Ubi me ad filiam ire sensit*] Hoc ante (*arguit* Z.) rem: et simul argumentum delicti est, quod exiit a filia marito ingresso mulier. *Uxor ubi me ad filiam*] Mirantis est gestus et dictum. *Se duxit foras*] Ordo, *duxit se*. Et verbis usus est, intra domesticos parietes artis (*parietes et arces*, edd. ante Steph. *parietes aptis*, Wieling. Malim, *parietes natis*): τῷ ἰδιωτικῷ *se duxit*, pro *abiit*. D.—Pro *duxit* leg. *eduxit:* ut supra iii. 3. 4. B.

8. *Atque eccam video*] Apparet mulierem fugere, et viri aversari præsentiam: et ideo hoc separatim pronunciandum. *Heus! tibi dico*] Ostendit Myrrhinam avertentem se: quasi nihil inveniat quod dicat de filia. *Mihine, mi vir?*] Sic et in Andria, *tu hoc respondes?* quum turbatum se ostendit Davus. *Vir*] Ad maritalem conditionem retulit, non ad sexum: ut Virgilius in Bucolicis vii. 7. *Vir gregis ipse caper*. D.

9. *Tun' virum me*] Accusatio ab increpatione incipiens. *Aut hominem deputas adeo esse?*] Αἴτησις perversa. *Adeo* autem abundat. Virg. Ge. i. 24. *Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum Concilia, incertum est*. D.—Pro *sum* Bemb. recte habet *sim*. B.

10. *Nam si utrumvis horum*] Vir aut homo. *Mulier, unquam tibi visus forem*] Acerbe *mulier:* ut supra, *Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas*. D.—*Nam si utrumvis horum, etc.*] Priac. lib. viii. L.

11. *Quibus*] Callide mulier, et quasi nullius culpæ conscia, *Quibus* dixit: et *Quibus*, factis scilicet. *At rogitas?*] Bene irascitur interroganti. Nam interrogare quæ sciat (*scias*) impudentiæ est. D.

12. *Peperit filia*] Propositio criminis. *Hem! taces?*] Non *taces* nunc (*nunc stles* Z.); sed *taces*, celas. *Ex quo?*] Bene *ex quo*, quia argumentum impudicitiæ est puerperium taciturnum. *Istuc patrem*] Mira calliditas. Rea mulier hoc solo defenditur, quod accusat. *Istuc patrem rogare est æquum?*] Ex sua interrogatione accusavit accusatorem. D.—*Patrem rogare*] Ms. R. *rogitare*. L.—Cum *taces* vix corripiat posteriorem, repone *tacen'*. B.

13. *Perii! ex quo censes*] Mire additum ad affectum, *Perii*. *Nisi ex illo, cui data*] A verisimili argumentum. *Nisi ex illo, cui data est nuptum?*] Solutio criminis per fiduciam respondentis. Sallustius, *ita fiducia, quam argumentis, purgatior es*. D.

14. *Credo, neque adeo arbitrari*] Ab accusatione maritus ad defensionem sui

Quid sit, quamobrem tantopere omnes nos celare volueris
Partum; præsertim quum et recte, et tempore suo pepererit.
Adeon' pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires;
Potius quam advorsum animi tui lubidinem esset cum illo nupta?
Ego etiam illorum esse hanc culpam credidi, quæ te est penes.
MY. Misera sum! PH. Utinam sciam ita esse istuc! sed nunc mihi in mentem venit,
Ex hac re, quod locuta es olim, quum illum generum cepimus:
Nam negabas nuptam posse filiam tuam te pati
Cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris.

conversus, omisit quod cœperat. *Sed demiror quid sit*] Mollior factus, jam non irascitur, sed miratur. Adeo vides Phidippum nulla re alia, quam mulieris correptione lenitum. *Demiror*] Valde miror: quod minus est quam irascor. D.

15. *Quamobrem tantopere*] Alia intentio criminis. *Omnes nos celare volueris*] Recte: quia putat et Pamphilum esse celatum. *Omnes nos celare volueris*] Antiqua locutio, *illam rem celo te.* D.—*Tantopere omnes*] Vett. et Ms. R. *tantopere hos omnes.* L.—Trochæus in ea sede minus est gratus. Ergo repone *nos celari volueris:* ut infra, iv. 4. 23. B.

16. *Præsertim quum et recte, et tempore suo pepererit*] Vide, duæ causæ sunt celandi partus: si non *tempore suo* venerit, quod indicium stupri est: et si non *recte* evenerit; hoc est, monstri aliquid natum fuerit. Hic autem et tempore suo, et recte natum prædicat. *Præsertim quum et recte*] Attulit mulieri compendium credulitas senis semel correpti, ne aliter suspicetur. *Præsertim quum et recte, et tempore suo*] *Recte,* ad illud pertinet, Quod non monstrum peperit; *tempore suo,* ad spatium, quo prægnantes esse consueverunt, id est, ad mensium dinumerationem: quia et septimo mense nasci solent. D.—*Pepererit*] Ms. R. *peperit.* L.

17. *Adeon' pervicaci esse animo*] Invectio. *Adeon' pervicaci esse*] *Pervicax* est perseverans cum quadam vi. *Ut puerum præoptares perire*] Ab ætate infantis, invidia. D.

18. *Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires*] Ab accidentibus, invidia. Et bene additur *scires;* quia imprudentia in delicto veniam frequenter extorsit. D.

19. *Potius, quam advorsum animi tui lubidinem*] A voluntate peccantis, invidia, *Animi tui lubidinem* dixit, ut minima causa magnis sceleribus subjecta esset. *Esset cum illo nupta*] Antiqui non *illi nupta:* sed, *cum illo nupta.* Ergo ambo sibi invicem nubunt. D.

20. *Ego etiam illorum esse hanc culpam*] Bene, *etiam illorum:* non enim hoc se (*se solum* Z.) errasse ait, quod illorum putaverit culpam, quæ minor est: sed, *etiam illorum:* ut commune peccatum fuerit; sed nunc quidem totum credit esse Myrrhinæ. An *etiam,* pro *adhuc,* ut major sit dolor, qui nec opinanti acciderit? D.—Tres e nostris concinnius, *esse culpam hanc.* B.

21. *Utinam sciam ita esse istuc!*] Te miseram esse. Alibi, *miserum? quem minus credere est.* Et erit sensus, Utinam vere sis misera? *Utinam sciam ita esse istuc!*] Hoc quidam sic accipiunt, quasi Phidippus dicat, Penes te culpa est, quam illorum esse credebam: et utinam quod credo, penes te *(esset* Z.) culpam; ita non esse certo sciam: quia dixit, se miseram: et miseros non nisi innocentes dicimus. Ille enim hoc respondet: Utinam in hoc negotio miseram te, non scelestam reperiam. Sic Sallustius, *Atque ea cogentes, non coactos: scelestos magis, quam miseros distringi.* Et ideo sequitur, *Sed nunc mihi in mentem venit*] Argumentum ex antecedentibus dictis et factis. *Nunc mihi in mentem venit*] Recte *nunc:* quasi alias nihil suspicanti. D.—*Sciam ita esse*] In Ms. R. *ita* deest. L.

22. *Quod locuta es olim*] Pro ante. *Quum illum generum cepimus*] Ut *arbitrum capere* dicimus, id est, eligere. Et cum laude locutus est Pamphili. *Cepimus*] Elegimus. Virg. Georg. ii. 230. *Ante locum capies oculis.* D.—Ob versum, et Donati testimonium, infra, iv. 4. 89. lege, *De hac re quod, etc.* B.

23. Colloca commodissime ad versum sic, *Nam negabas filiam tuam posse te nuptam pati;* præsertim cum ordo verborum in libris aliis sit alius. B.

24. *Cum eo*] Viro. *Qui meretricem amaret: qui pernoctaret foris*] Non in hoc est

My. Quamvis causam hunc suspicari, quam ipsam veram, mavolo.
Ph. Multo prius scivi, quam tu, illum amicam habere, Myrrhina:
Verum id vitium nunquam decrevi esse ego adolescentiæ:
Nam id omnibus innatum'st: at pol jam aderit, se quoque etiam quum oderit.
Sed ut olim te ostendisti, eadem esse, nihil cessavisti usque adhuc,
Ut filiam ab eo abduceres; neu, quod ego egissem, esset ratum:
Id nunc res indicium hæc facit, quo pacto factum volueris.
My. Adeon' me esse pervicacem censes, cui mater siem,
Ut eo essem animo, si ex usu esset nostro hoc matrimonium?
Ph. Tun' prospicere, aut judicare nostram in rem quod sit, potes?

accusatio, quod hæc locuta sit: sed argumentum est, quod celare voluerit partum, quæ hoc olim dixerit. *Qui pernoctaret*] Propter illud quod dixerat, *Quid interea? ibatne ad Bacchidem? Quotidie.* Et nota familiariter hoc verbum poni a Terentio. Sic in Adelphis, *Sed si hic pernocto, causæ quid dicam, Syre?* D.

25. *Quamvis causam*] Hoc propter spectatorem dicitur, ut gestorum meminerit. *Quam ipsam veram*] Quia sola ex omnibus defendi non potest. D.—Pro vulgari *malo* duo Faerni et totidem e nostris recte *mavolo.* B.

26. *Multo prius scivi, quam tu*] Bene pergit: quia taciturnitas pro confessione accepta est. D.—Ob versum repone *Múlto prius, quam tú, illum scivi habére amicam, Myrrhina.* Certe *habere amicam* extat in nostris plerisque. B.

27. *Verum id vitium*] Hoc intelligi non potest, nisi *vitium* bis numero subaudieris. *Adolescentiæ*] Melius dixit *adolescentiæ*, quam *Pamphili:* ut quod in ætate fuerat, non timeret in ingenio. D.

28. *Nam id omnibus innatum est*] Amare in adolescentia. *At pol jam aderit, se quoque quum oderit*] Mire senectutem accusat senex, quum et velocem ostendit his verbis *jam aderit:* et addit, *se quoque oderit:* quasi dicat, Non solum non amabit, sed et odio habebit: et non alienas mulieres modo, nec uxorem quoque, sed etiam seipsum. Plus ergo illatum, quam ratio deposcebat: sed mire ad affectum senis exprimendum. *Se quoque etiam quum oderit*] Id est, ut pœniteat eum sui facti. Sed plus dixit, quam si diceret, *facta sua.* D. —*Jam aderit*] Codd. vett. et Ms. R. *jam aderit tempus.* L.—Vel lege, *Nám id innatum'st*, ut trochaicus sit cum præcedentibus; vel *Nam id ómnibus innatum, at, etc.* ut iambicus sit cum sequentibus. At cum nostri habeant, *aderit tempus, cum;* forte sic leg. et distinguendum, *Verum id vitium nunquam decrevi esse ego: adolescentiæ | Innatum est: at pol jam aderit tempus, se quoque etiam cum oderit.* B.

29. *Sed ut olim te ostendisti*] Quum superiora dicta sunt. D.—Ne *eadem*, quod accentu erigi debet,'in Thesi deprimatur, leg. ex edd. vett. et uno e nostris, *Sed, ut ólim te ostendisti, nil cessavisti éadem esse usque adhuc.* B.

30. *Ut filiam ab eo abduceres*] Vehementius dixit, quam si diceret, Ut filiam ei non redderes. *Ne quod ego egissem, esset ratum*] Quod ab eo abducis, non bona *socrus:* quod filiam, non bona *mater:* quod irrita facis quæ gessi, non bona *uxor* es, inquit. D.

31. *Nunc res indicium facit*] Hoc est, quod celavisti partum. *Id nunc res*] Quasi dixerit, *unde scio. Quo pacto factum volueris*] Non solum quod fecit, sed etiam quod voluit, objicit. *Quo pacto factum volueris*] Deest, *fieri.* D.

32. *Pervicacem*] Per vim agentem, perniciosam me esse censes? *Cui*] Deest *ei*, vel *circa eam. Cui mater siem*] Rursus a verisimili: an mater contra filiam faciat. D.

33. *Si ex usu esset nostro hoc matrimonium?*] Callide mulier ex his quæ dixit senex defensionem arripit. Nam ille sic ait, Negabas posse filiam tuam te pati cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris. *Ex usu nostro*] Modo, utile: si pro nostra esset utilitate. D.—Ne *usu* in Thesi occultetur, repone, *si esset nostro ex usu hoc m.* B.

34. *Tune prospicere*] A persona. *Aut judicare*] *Prospicere* futura: *judicare* præsentia. D.

35 Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret
Exeuntem aut introeuntem ad amicam: quid tum postea,
Si modeste ac raro hoc fecit? nonne ea dissimulare nos
Magis humanum est, quam dare operam id scire, qui nos oderit?
Nam si is posset ab ea sese derepente avellere,
40 Quacum tot consuesset annos; non eum hominem ducerem,
Nec virum satis firmum gnatæ. MY. Mitte adolescentem, ob-
Et quæ me peccasse ais: abi, solum solus conveni: [secro,
Roga, velitne uxorem, annon: si est, ut dicat velle se,
Redde: sin est autem ut nolit, recte ego consului meæ.

35. *Audisti ex aliquo fortasse*] Ἠθικῶς satis, et oratorie. *Aliquo*] Non a certa persona. Bene *aliquo:* ademit indicibus auctoritatem. *Qui vidisse eum diceret*] Non *qui vidisset*. D.

36. *Exeuntem aut introeuntem*] Sic Cicero pro Cœl. ii. *Tibi autem, Balbe, respondebo: primum precario, si licet, si fas est defendi a me eum, qui in hortis fuerit, qui unguenta sumserit, qui Baias viderit.* Non enim dixit, *amplectentem amicam. Aut introeuntem*] Σύλληψις prima (*prima. Ut* Ms. B. et edd. ante Steph.). *In ludum ducere et reducere. Exeuntem aut introeuntem*] Σύλληψις διαβολὰς et mollis est: quia luditur de sequentibus ad amicam; ἐξουθενισμὸς criminis de consuetudine. *Quid tum postea*] Ἰδιωτισμὸς, quo contemnimus crimina leviora. D.

37. *Si modeste*] Adhibito modo: vel certe cum pudore ac modestia, ut celatum voluerit. *Nonne ea dissimulare nos*] Duobus modis feruntur peccata: vel ignoscendo, vel cohibendo. Modo *dissimulare* est ignorantiam fingere. D.—Recte plerique nostri illud *ea* omittunt. Nam præcedit *hoc*, et subsequitur *id*. B.

38. *Magis humanum est*] Bene, quia et illud humanum *dissimulare:* an magis humanum dissimulare: quia et irasci, et arguere humanum est? *Magis humanum*] Nota pro *humanius*, Terentiano more. *Qui nos oderit*] *Qui*, unde vel quamobrem. Et recte: nemo enim, dolens quod non ametur, id facit quo magis odio sit. D.

39. *Nam si is posset ab ea sese derepente avellere*] Oratorie, non contentus defendisse Pamphilum, hoc ipso illum, quo accusatus est, laudat. *Derepente*] Una pars orationis est. D.

40. *Quacum tot consuesset annos*] Laudat ubique eos Terentius, qui consuetudine vincuntur (*molliuntur* edd. vett. *commoventur* W. Malim, *vinciuntur* Z.): ut alibi, *Hic parvæ consuetudinis causa, hujus mortem tam fert familiariter.* Et mox, *ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?* Ergo ferus, quem longa consuetudo non commovet. *Quicum tot consuesset annos*] Non *Quacum*, sed *Quicum:* ut *a quibus*, et non *a quis*. Et *consuesset* proprie dicitur in stupro. *Non eum hominem ducerem*] Non solum, inquit, homo non esset, id quod forsitan nihil nostra intererat: sed, quod nobis maximum est, vir stabilis filiæ esse non posset. *Non eum hominem ducerem, nec virum satis firmum gnatæ*] Potest et sic intelligi, Non eum hominem ducerem, qui consuetudinem longi temporis temere abrumperet. D.—*Hominem ducerem*] V. C. *dicerem*. L.

41. *Nec virum*] *Vir* modo maritus. *Nec virum satis firmum gnatæ*] Quem res Venereæ non moverunt: nam *firmum* etiam hoc possumus intelligere, validum in officio coitus. Sic Horat. Serm. ii. 3. 216. *fortique marito Destinet uxorem. Mitte adolescentem, obsecro*] His verbis solemnis commentitia argumenta contemnere: ut, *Misericordia, animus maternus: sino.* Et alibi, *Mitto omnia. Adde istuc, Imprudens timuit adolescens: sino: tu servus. Mitte adoloscentem*] Etenim ille dixerat, *Verum id vitium nunquam decrevi esse ego adolescentiæ. Adeon' pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire Potius, quam adversus animi tui lubidinem esset cum illo nupta?* D.

42. *Et quæ me peccasse ais: abi: solus solum conveni*] Recte hæc dicit mulier, utpote memor quod cum Pamphilo sit locuta. Et *solus solum* ideo, quia metuit ne orata sua non servet Pamphilus: et ideo multi sciant. D.—Non belle in duos pedes distribuitur *ais*. Repone, ut *sis* monosyllabon, *ais: abi, cum solum solut conveni*. B.

43. *Roga velitne, an non, uxorem*] Verba quibus cum Pamphilo loquatur socer: ne si aliter agat, respondeatur a genero (*socer: ut si res negetur, repudium detur genero.* Z.). D.—Versus gratia ex nostris fere omnibus, *Roga velitne annon uxorem*. B.

44. *Recte consului meæ*] Illum, inquit, nolle, signum erit me providisse filiæ. D.—In nostris deest *ego*, versu gratulante. B.

PH. Si quidem ille ipse non volt, et tu sensisti esse in eo, Myrrhina,
Peccatum; aderam, cujus consilio ea par fuerat prospici.
Quamobrem incendor ira, esse ausam facere hæc te injussu meo:
Interdico, ne extulisse extra ædis puerum usquam velis.
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem.
Ibo intro, atque edicam servis, ne quoquam ecferri sinant.
MY. Nullam pol credo mulierem me miseriorem vivere:
Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem, ut siet, resciverit,
Non ædepol clam me est: quum hoc, quod leviu'st, tam animo iracundo tulit.
Nec, qua via sententia ejus possit mutari, scio.
Hoc mihi unum ex plurimis miseriis relliquum fuerat malum,
Si puerum ut tollam cogit, cujus nos qui sit nescimus pater.

45. Siquidem ille ipse non vult, et tu sensisti] Animadvertendum, quemadmodum omnia, quibus se defenderit Myrrhina, in malam partem accipit Phidippus: et hinc magis accusat, unde illa se purgat. D.—Lege *sensti* ob versum. B.

46. Cujus consilio ea par fuerat prospici] Non dixit, cujus consilio repudium daretur Pamphilo: ita ad bonum omnia exitum spectant. D.—Versus gratia cum nostris codd. repone, *cujus consilio fuerat ea par prospici*. B.

47. Esse ausam facere hæc te injussu meo] Abducere filiam, celare partum, exponere puerum. D.—Lectio omnium codd. qui *te* ponunt ante *esse*, probanda est, sed deleto τῷ *esse*. B.

48. Interdico] Inter *edico* et *interdico* hoc interest: *edicimus*, quod jubemus fieri: *interdicimus*, quod vetamus fieri. *Edicimus* etiam uni generi hominum: *interdicimus*, diversis. Itaque *prætoris edicta* et *interdicta* dicuntur. *Interdico*, separatim dicendum legendumque: quia *interdico ne velis*, non est integrum. *Interdico, ne extulisse extra ædes*] Id agitur, ne sub incerto intercipiatur (*ne sine hoc interdicto interficiatur*) puer: et tragœdia fiat ex comœdia. D.

49. Meis dictis parere hanc qui postulem] Demonstrative et accusatorie dixit *hanc*, quasi tam contumacem. *Hanc qui postulem*] Quid est *hanc*, utrum mulierem? an uxorem? an contumacem feminam? D.

50. Ibo intro] Sibi ipse hoc dicit τῷ ἰδιοπαθῶς. *Edicam servis, ne quoquam ecferri sinant*] Et hoc recte poeta: quia ita opus est, ne compleat Myrrhina, quod promisit de exponendo puero. At enim, *dein' continuo exponetur*. D.

52. Nam ut hic laturus hoc sit] Sic ostenditur causa, cur perpetuo celandum sit seni vitium virginis. *Nam ut hic*] Quantum iracundiæ habiturus sit, quantum furoris: hoc enim significat *ut*. Et simul poeta, quod alibi obscure facit, hic aperte demonstrat, quod periculum sit in fabula, nisi καταστροφὴ succurrat.—*Nam, ut laturus hoc sit, ipsam rem si resciverit, non me præterit*] Et si verum sit (*scit* Z.) id, quod ea adulterio conceperit. Nam cum hoc, quod leve est, (adde *quod* Z.) celabamus partum, tam iracundo animo tulerit. E.

53. Non ædepol clam me est] Id est, scio. D.

54. Nec, qua via sententia ejus possit mutari, scio] Nescio quomodo ex iracundo placidus fiat. *Sententia ejus*] De puero non exponendo. D.

55. Hoc mihi unum] Hoc adhuc, inquit, malum non mihi evenerat, quum evenerint multa. *Hoc mihi unum ex plurimis miseriis reliquum fuerat malum*] Ex omnibus malis reliquum quum dicat, maximum malum significat. Nam non mediocre est, quod omnium miseriarum est ultimum, et inter mala multa reliquum, quod sic accipimus. Possumus et nos interrogative pronunciare. D.

56. Puerum ut tollam cogit] Recte *tollam*: quæstio, unde sit. Et vide, an *Si puerum ut tollam cogit*, quasi cum gemitu et percontative pronunciandum sit: etenim *Si*, obscuram locutionem facit: nisi forte *cum* vel *quod* significat. D.—*Si puerum ut tollam cogit*] Quod hoc graviter ferens Pamphilus hominem (*orationem nostram* Z.) celare non possit. Concludit enim, *Simul vereor*. E.—Satis bene *cujus*; sed melius *cui nos*. B.

Nam quum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est:
Neque detractum ei est quicquam, qui post possit noscier, qui siet.
Ipse eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens anulum.
Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra nequeat diutius
Celare, quum sciet alienum puerum tolli pro suo.

ACTUS QUARTI SCENA II.

SOSTRATA. PAMPHILUS.

NON clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam, uxorem tuam

57. *Forma in tenebris nosci non quita est*] Ab activo *queo*, passivum fecit *queor*, retinendo participium, *quita est*, sed antique dixit. D.—*Nosci non quita*] Priscian. lib. x. L.

58. *Neque detractum*] Solet enim fieri. D.—Multo melius nostri fere omnes, si *noscier* in *nosci* mutes, *Neque détractum ei tum quicquam est, qui post pósset nosci qui siet*. B.

59. *Ipse eripuit*] Hic ad exitum spectat παρασκευή: quia per annulum fiet cognitio. *Ipse eripuit*] E contrario, inquit, factum est, ipsa ut non eriperet, sed ipsi eriperetur. D.—*Virgini abiens anulum*] Pacuvius apud Festum: *Repugnanti ego porro hunc vi detraxi ungulum*. L.

60. *Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra*] Scilicet si sustulerimus, cogente sene, eum puerum, quem expositum iri Pamphilo paulo ante promisi. D.

61. *Quum sciet alienum puerum tolli pro suo*] Non solum, inquit, tolli ægre feret *alienum*, verum etiam *pro suo*. D.

1. *Non clam me est, gnate mi*] In hac scena, velut qualitas negotialis in disputationem venit: justumne sit repudiari conjugem causa matris, et omnino quid fieri debeat. *Non clam*] Vero ordine a purgatione sui incipit mater abitura: ne quod discedit, iracundiæ (*ne, quum discedit, iracunda* Z.) videatur. *Tibi me esse suspectam*] Id est, in suspicionem venisse. *Uxorem tuam propter meos mores hinc abisse*] Blandius *uxorem* significat, quam si diceret *Philumenam*. Et *mores*, proprie senum dicuntur: unde *senectus morosa*, et *morosi homines*, qui sui cujusdam moris sunt. D.—*Non clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam*] Mater Sostrata comperit, Pamphilum idcirco nolle reducere uxorem, quod vellet matris injurias vindicare. Credit enim jurgio matris puellam discessisse. Et hoc igitur proprie agit mater, uti rus ipsa discedat, si propter præsentiam (adde *suam* Z.) uxor redire non vult. Sed cum (*erat* Z.) alia causa Pamphilo, quæ repugnat. Ille enim propterea non reducit, quia parere puellam vidit, et suspicatur ex alio; sed hoc celat. Hic ergo in hac scena justitiæ tractatus est, ac per qualitatem negotialem ab eo quod fieri deceat amplius purgat se, nulla sua culpa factum, uti uxor domo discederet, ut (*et* Z.) odium sui caperet. Hoc per conjecturam tangitur, et quam .. (*ad quam firmandam* Z.) valet jusjurandum, quod ponit: *Ita me Di ament, itaque obtingant ex te, quæ exopto mihi, ut nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam mei*. Qualitas autem negotialis tractus (*Qualitatis autem neg. tractatus* Z.) ille est: *Nunc tibi me certum est contra gratiam referre, ut apud me præmium esse positum pietatis scias*. Et quam (*quum* Z.) veluti vicem deliberantis tenet, quicquid de possibili suspicatur, ponit ab utili, *Hoc et meæ famæ commodum esse arbitror, et vobis*. Quod quidem et in honesto collocat, siquidem *famæ* dixit *commodum*. Repugnat filius contra ab utili, et dicit: Quod tu rus habitatum migras, parum (*Quid tu r. h. migres? Parum autem cum* Z.) est migrare rus ex urbe, adjecit, ut illic habitatura sis perpetuo? Rursus ab honesto est hoc, quod famæ (*infamiæ* Z.) opinio sit futura, qui nubit, inquit (*futura apud eum, qui ignoret, verum quod sit. Denique* Z.) concludit ab utili: *Tuas amicas et cognatas te deserere nolo*. Sed hoc frangit illa, dicens: Jam senectutem suam ista contemnere, quod satis voluptate harum rerum perfuncta sit. E.—Non temere Daceria hanc scenam primam actus quarti esse contendit. Nam hinc initium recte fieri potest propterea, quod scena vacua est relicta. Z.

Propter meos mores hinc abisse: etsi ea dissimulas sedulo.
Verum ita me Di ament, itaque obtingant ex te quæ exopto mihi,
Ut nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam mei:
Teque ante, quam me amare rebar, ei rei firmasti fidem.
Nam mihi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris
Præpositam amori tuo: nunc tibi me certum est contra gratiam
Referre, ut apud me præmium esse positum pietatis scias.
Mi Pamphile, hoc et vobis, et meæ commodum famæ arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre;
Ne mea præsentia obstet, neu causa ulla restet reliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. PAM. Quæso, quid istuc consilii est?
Illius stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres?

2. *Etsi ea dissimulas sedulo*] *Ea*, id est, quæ scio: et *ea*, pro *eam rem*: sed absolute occurrit supra latæ sententiæ, et genere neutro. Et est ordo, Etsi ea dissimulas sedulo, non clam me est, etc. D.

3. *Verum ita me Di ament*] Conjectura, quæ solvitur (*firmatur* Z.) jurejurando. *Itaque obtingant ex te*] Pro se jurat, et ita rem Pamphilo probat, ut blanda sit. *Itaque*] Duæ partes orationis. D.—Bemb. *exoptem*: alii, *opto*: plerique *exopto*; quod placet. B.

4. *Nunquam sciens commerui*] Bona exceptio: quia possumus aliquem inscienter lædere, quæ res ad veniam pertinet. *Ut nunquam sciens*] Hic ordo est jurisjurandi, ut quum præposuerit *ita*, sequatur *ut*. Cicero, Divinat. 13. *Ita velim mihi deos propitios, ut, quum illius temporis mihi venit in mentem, etc. Merito ut caperet odium illa mei*] Bene dixit *merito*: nam ut nos immerito quis non oderit, non est in nostra manu: hæc est exceptio. Plautus in Trinummo, i. 2. 68. *Quin dicant, non est: merito ut ne dicant, id est. Merito ut caperet odium illa mei*] Id enim est culpa sine merito. D.—Pro vulgari *illa* placet lectio *illam*. B.

5. *Teque ante quam me*] Deest *tam*: ut sit ordo: Et quam te amare me rebar, tantum (*Deest Jam tum: ut sit ordo, Antequam te amare rebar, jam tum* Z.) firmasti fidem ei rei. *Teque ante quam me amare rebar, ei rei firmasti fidem*] Ordo et sensus hic est, Et quod ante rebar, ei rei firmasti fidem meam: neque me fefellit, quod ante rebar, te me amare. Nam ei rei hodie firmasti fidem, id est, probationem attulisti. D.—Cod. Acad. *ante quem*. Sed cum et ita restet ἀνακόλουθον, lege ex cod. veterrimo nostro, *Teque ante quod, etc.* ut ordo sit, *Quodque ante rebar, te me amare, ei rei fidem f.* B.

6. *Nam mihi intus tuus pater*] Dixit enim supra, *Atque in eam hoc omne quod mihi ægre est, evomam*: potuit enim evomendo narrasse, quod matrem filius præposuisset uxori. *Tuus pater*] Familiarius, quam si diceret *Laches*. D.

7. *Præpositam amori tuo*] Plus dixit, *amori tuo*, quam si *uxori tuæ*, diceret. D.

8. *Ut apud me præmium esse positum pietatis scias*] Laborat mulier, ne quod dictura est, odio aut dolore, aut certe ira facere videatur. *Præmium esse positum pietatis*] Sic Virg. Æn. i. 257. et 465. *Hic pietatis honos? Sunt hic sua præmia laudi.* D.—Præter Victor. plerique nostri habent recte *pietati*: ut Plaut. Pœn. v. 4. 17. *præmium ut esse sciam pietati*. B.

9. *Mi Pamphile, hoc et vobis, et meæ commodum*] Rem duram dictura, vide quantis præblanditur verbis, remque præmolliat (*præmollit* Ms. B. et edd. vett.), *nunc tibi me certum est contra gratiam. Contra* nunc, vicissim. *Et meæ commodum famæ*] Ab honesto. *Mi Pamphile, hoc et vobis et meæ*] Principium hoc aliquid est precantis feminæ. A blandimento ergo incipit, ut libenter audiat (*audiatur* Z.). D.

10. *Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre*] *Certo* dixit, ne sit dissuadendi locus. *Cum tuo me esse certo decrevi*] Ad hoc addidit, *certo decrevi*: ut non audeat dissuadere filius. D.

11. *Ne mea præsentia*] Non dixit jam *culpa*, sed *præsentia*. D.

12. *Quid istuc consilii est*] Bene: quia illa *decrevi* dixerat. D.

13. *Illius*] A persona. *Stultitia*] A causa. *Victa*] Non enim volens. *Urbe*] A loco. *Tu*] A persona. *Habitatum*] A facto. *Illius stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres?*] Vide quam oratorie omnia congesserit, a personis, a causis, a locis, a factis. *Illius stultitia*] Ab utili (*A futili*

Non facies: neque sinam, ut qui nobis, mater, maledictum velit,
Mea pertinacia esse dicat factum, haud tua modestia.
Tum tuas amicas te, et cognatas deserere, et festos dies,
Mea causa, nolo. So. Nihil jam mihi istæc res voluptatis ferunt:
Dum ætatis tempus tulit, perfuncta satis sum: satias jam tenet
Studiorum istorum: hæc mihi nunc cura est maxuma, ut ne cui meæ
Longinquitas ætatis obstet, mortemve exspectet meam.
Hic video me esse invisam immerito: tempus est concedere.
Sic optume, ut ego opinor, omnis causas præcidam omnibus:
Et me hac suspicione exsolvam, et illis morem gessero.
Sine me, obsecro, hoc effugere, volgus quod male audit mulierum.

Z.). Mire autem, et *rus*, et *ex urbe*, et *habitatum*, dixit. D.

14. *Non facies: neque sinam*] Primo, *non facies*: deinde, Si facere perseveraveris, *non sinam*. Et, *non facies*, non est interdicentis, sed quasi dicat, Scio te non facturam rem tam pravam. Sunt autem qui *neque sinam* jungant interioribus: sunt qui totum contexte legant *non facies*, usque *modestia*. *Ut qui nobis, mater, maledictum velit*] Ab honesto. D.

15. *Mea pertinacia esse dicat factum*] Bene retinet, quum vult sua interesse ne fiat. D.

16. *Tum tuas amicas te*] In dissuadendo commiscuit et honestatem et utilitatem. D. —*Cognatas deserere et festos dies*] Explicari hic locus debet ex Val. Max. lib. ii. cap. 2. §. 8. *Convivium etiam sollemne majores instituerunt, idque Charistia appellaverunt, cui præter cognatos et affines nemo interponebatur, etc.* Hoc in Gloss. est *cara cognatio*, τιμηουγγένεια. Tertullian. de Idololatr. *Caræ cognationis honoraria exigenda omnia.* Vid. Kal. Rusticum. L.

17. *Mea causa, nolo*] Non est superbum *nolo*: sed consuetudine dicitur. *Nihil jam mihi istæc res*] Contra omnia. Et ab ultimis incipit. *Istæc res*] Amicæ, cognatæ, dies festi. D.—Lege ex nostris omnibus, *Nil pol jam isthæc mihi res voluptatis ferunt.* B.

18. *Dum ætatis tempus tulit*] *Tulit*, pro passum est, permisit. Et in bonis enim, et in malis dicitur. *Dum ætatis tempus tulit, perfuncta satis sum*] Si, inquit, meæ voluptatis causa exercenda sunt, jam non delectant: si officii ac religionis, jam non possum, quæ sim anus. Necessaria divisio: quia ille et religionem incusserat festorum dierum. *Dum ætatis tempus tulit*] Non, inquit, reprehendar, quæ quum potuerim, perfuncta satis sum. Sic Virg. Æn. ii. 291. *Sat patriæ Priamoque datum.* *Satias me tenet*] Nimis materne atque aniliter. D.—Illud *me* post *satias* dele ex auctoritate Bembini, et nostri veterrimi. B.

19. *Hæc mihi nunc cura est maxuma*] Hoc nimis serio pronunciandum, et, *ne cui*, odiose, ne *tibi* diceret. *Ut ne cui meæ longinquitas ætatis obstet*] Hoc ad nurum, exspectationem ad filium refert: hinc enim odio digni parentes, *exspectati appellantur*. D.—Pro *meæ* antiqui Faerni, et plerique ex nostris habent *mea*. B.

20. *Longinquitas ætatis obstet, mortemve exspectet meam*] Quum sedulo agat (*Quam sedulo agit*. W. Malim, *Quamquam sedulo agat* Z.) socrus, ne quid per iracundiam statuisse videatur; vide tamen ut intermisceatur indignatio, et multa dolore depromta sint: quod poeta non invitus facit, ad mores exprimendos, personasque reddendas. D.—*Longinquitas ætatis*] V. C. *longuitas*. L.—Pro vulgari *exoptet*, Bemb. et Victor. recte *exspectet*. B.

21. *Hic video me esse invisam immerito*] Quia rus decrevi pergere: non quasi nurum vitatura, sed locum. Et mire *invisam*, et non addidit cui: sed dixit, *tempus est concedere*. Quia anus sum? an quia nurus in domo? D.—*Video me esse invisam immerito*] Et hic tetigit, quod supra dictum est per conjecturam. E.—*Invisam*] Menander: Πικρόν ἐστι θρέμμα γέρων ἐν οἰκίᾳ μένων. W.

22. *Omnes causas præcidam omnibus*] Bene *omnibus*: ne specialiter læsisset nurum. Et generaliter dixit: *Et illis morem gessero*] Mire *illis*, non *nurui*. Et *morem gessero*, scriter dictum: ut ostendat hoc illos olim voluisse, ut expelleretur domo: ut si dicas, inimicum tibi morem gessisse, quod se suspenderit. D.

24. *Sine me, obsecro, hoc effugere*] Quia dixerat maritus ejus, *Omnes socrus oderunt nurus. Sine me, obsecro, hoc effugere*] Po-

PAM. Quam fortunatus cæteris sum rebus, absque una hæc foret,
Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem. So. Obsecro, mi Pamphile,
Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum inducas pati.
Si cætera sunt ita, ut vis, itaque ut esse ego illam existumo,
Mi gnate, da veniam hanc mihi: reduce illam. PAM. Væ misero mihi!
So. Et mihi quidem! nam hæc res non minus me male habet, quam te, gnate mi.

ACTUS QUARTI SCENA III.

LACHES. SOSTRATA. PAMPHILUS.

QUEM cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi, uxor:
Istuc est sapere, qui, ubicunque opus sit, animum possis flectere;

tentissimum est ad extorquendum aliquod argumentum, quum illis quibus cari esse debemus, nostra causa potius, quam illorum, dicimus velle nos, aut nolle quod facimus. Nam et Pamphilus supra sic dixit, *Non facies, neque sinam. Quod male audit*] Supra dixit, ab honesto. D.—*Quod male audit mulierum*] Græca locutione positum, *audit mulierum*. E.

25. *Absque una hæc foret*] *Absque*, extra: ut sit adverbium magis, quam præpositio. Et *una, res* subaudienda. Et totum *ἐν ὑπερβάτῳ*, statimque jungendum, *Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem*. Vel certe, *absque foret*, pro abesset. Alii *hac* de uxore dici putant, ut *absque* sit præpositio. D.—Pro *sum* leg. *sim*: atque pro *hæc* recipe Donati *hac*: scilicet *re*, non, *uxore*, qui est error Donati. B.

26. *Obsecro, mi Pamphile, non tute incommodam rem*] Quum vidit actu suo filium esse persuasum, utrum (*esse passurum, ut rus* Z.) discedat, et animadvertit, ægre ferre discessum suum, veluti consolationem adhibet, ut æquo animo ferat quamcunque fortunam. E.

27. *Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum inducas pati?*] Horat. Carm. i. 24. 19. *Durum: sed levius fit patientia, Quicquid corrigere est nefas*. D.—In Bemb. pro *inducas* reperitur *induces*; quod melius affectum hortantis ad patientiam exprimit. B.

28. *Si cætera sunt*] Bene *cætera*, absque uno dicenti (*differenti*. edd. vett.). *Itaque ut esse ego illam existimo*] Quia potuit dici ei, O socrus, ergo dubitas de integritate nurus? addidit, *itaque ut esse ego illam existimo*. D.—*Si cætera sunt ita, ut vis*] Hoc est, si puella integris moribus vixit, et sicuti ego arbitror. E.—Vulgo *ut tu vis*; sed recte Bemb. *ut vis*. Codd. omnes collocant, *Si cætera ita sunt, ut, etc.* Denique recte viderunt, qui pro *illam* legi maluerunt *illa*, et referri ad *cætera*. B.

29. *Da veniam hanc mihi*] *Mihi*, propter quam putas non reducendam. *Væ misero mihi!*] Nec negat, nec promittit: sed intumescit (*ingemiscit*), utpote qui penitus dolore commotus, æstum animi dissimulare jam non potest. *Væ misero mihi!*] Nihil potuit pro rerum qualitate respondere, nisi ut ingemisceret. D.—Nostri *reduce*: sed Faernus edidit *reduc*. Tum ne *veniam* in Thesi totum lateat, lege, *Mi gnáte, da mihi hanc véniam, redduc, etc.* B.

30. *Et mihi quidem*] Ἄχθος: quid enim, *Et mihi?* an *Ei* (*an Ei mihi?* Nam *ei* est *hei* Z.)? multa sic in usu nostro sunt. D.

1. *Quem cum istoc sermonem habueris*] In hoc colloquio reconciliatio senum est post jurgium, mista disputatione Pamphili de non reducenda uxore. *Procul*] *Procul*, nunc (*non* Z.) prope. *Hinc stans accepi, uxor*] *Accepi*, audivi. Et modo *uxor*, ante *mulier*: et de uxore, *Di mala prohibeant*. D.—*Quem cum istoc sermonem*] Pater Pamphili non longe positus audivit, quod uxor loquebatur. Impellit amplius, ut istuc consilium perseveret, ut deliberatio tota pellatur. E.—Pro *hinc* tres codd. recte *hic*: et lege *astans*, ut Heaut. v. 2. 7. B.

2. *Istuc est sapere*] Τὸ *istuc*, exceptive

Quod faciundum sit post fortasse, idem hoc nunc si feceris.
So. Fors fuat pol! LA. Abi rus ergo hinc: ibi ego te, et tu me feres.
So. Spero ecastor. LA. I ergo intro, et compone, quæ simul tecum
Ferantur: dixi. So. Ita ut jubes, faciam. PAM. Pater.
LA. Quid vis, Pamphile? PAM. Hinc abire matrem? minime.
LA. Quid ita istuc vis?
PAM. Quia de uxore incertus sum etiam quid sim facturus.
LA. Quid est?
Quid vis facere, nisi reducere? PAM. Equidem cupio, et vix contineor.

dictum: quasi cætera stulte fecerit: et simul stomachum retinet, quo reprehendat cætera. *Qui, ubicunque opus sit*] *Qui* pro *quæ*, interdum abundat (Forte, *Qui pro quomodo. Et modo interdum abundat.* Certe in Ms. B. et vett. edd. post *pro* est lacuna, Westerh. auctore. Z.). *Animum possis flectere*] Modo non alienum animum, sed suum flectere. Et unde flectere? a jurgio ad modestiam, ex concessione (*modestiam, et concessionem*) ex domo. *Animum flectere*] Ad hoc *flectere animum* dixit, ut ostenderet ne nunc quidem purgatam apud se Sostratam de præterita culpa. D.—*Istuc est sapere*] Alexis: Εἰ μὴ γὰρ ἐν ἄνθρωπος ἀνθρώπου τύχαις Ὑπηρετήσω, οὐ φανήσομαι φρονῶν. L.

3. *Quod faciundum sit post fortasse*] Hæc etiam sententia videri potest generalis: et deest *ad id*: ut sit, flectere ad id quod faciundum. Potest et absolute accipi *quod*, pro, quæ res facienda sit. *Quod faciundum sit post fortasse*] Id est, concedendum: et vim necessitatis hoc verbum exprimit. D.—Ut *póst* et *núnc* in ictu sit, reponimus cum optimis codd. *Quód sit faciundúm fortasse póst, idem, etc.* B.

4. *Fors fuat pol!*] Fortuna faveat! quasi τῷ εὐφημισμῷ adversus triste dictum usa est. Nam *fors* fortuna bona est. Et *fuat, sit* significat: dixerat enim ille, *Quod faciundum sit post fortasse. Fors fuat pol!*] Id est, bona eveniat! quasi τῷ εὐφημισμῷ dicat, Bona dicito potius. An, bona fortuna sit per Pollucem? *Abi rus*] Hortantis est ad celeritatem. Virg. Æn. ii. 707. *Ergo age, care pater, cervici impone nostræ. Ibi ego te, et tu me feres*] Non dixit, Ibi nos invicem delectabimus: sed quia senex atque anus est, *Ego te, et tu me feres*, dixit. Et simul, quia nuper incusaverat mores senum (Forte, *socrum* Z.), revocare vult causam abscessionis suæ ad filii culpam aut nurus. *Ibi ego te, et tu me feres*] Aut quia noti inter nos sunt mores nostri: aut quia utrique una ætas est. Et sic pronuncia, quasi hoc ipsum necessitate decernat senex, cum dicit, *Abi rus. Ergo hinc, ibi ego te, et tu me feres*] Ipsa pronunciatio querelam continet de filiis et senectute. D.—*Fors fuat pol!*] Si tantum Fortuna æqua faveat! E.

5. *Spero ecastor*] Mire non confirmavit mulier, sed sperare se dixit, memor jurgii pristini, et senilis amaritudinis: maxime quod et ille non dixit, Ibi nobis jucunde erit: sed, *Ibi ego te, et tu me feres. I ergo intro, et compone quæ simul tecum ferantur*] Κωμικῷ χαρακτῆρι, et usu quotidiano, satisque moraliter: quia *mulieres dum moliuntur, et dum conantur, annus est.* D.—*Spero ecastor*] Bene memor senis mulier, non firmavit, sed *spero* inquit. E.—Cum optimis codd. ut et trochaicum adjuves, lege *quæ tecúm simul.* B.

6. *Dixi*] Denunciatio est confirmandæ sententiæ, nec mutandæ: et translata est de foro et causidicis. Cic. Verr. ii. 30. *Præco dixisse pronunciat. Dixi*] Hoc verbum in fine additum superiora confirmat: et est proprium his, qui peroraverunt causam. *Pater*] Ipsum nomen dehortationem significat, adjecta pronunciatione. *Pater*] Sic pronuncia, ut hoc vultuose dictum sit, *Hinc abire matrem?* D.

7. *Quid vis, Pamphile?*] Facete præsto *Quid vis* respondit. *Quid ita istuc vis?*] Rem supra audivit et personam: nunc causam quærit: quasi dicat, *Esto si nolis: quid tantopere non vis?* D.—Versus est trochaicus tetrameter acatalecticus, ut et nonus. FAERN.

8. *Incertus sum etiam quid sim facturus*] Non, *Quid faciam* dixit: sed, *Quid sim facturus*: ut incerta molimina etiam verbis posset ostendere. *Quid est?*] Et *Quid ita istuc vis*, et *Quod est*, eo vultu pronunciantur, ut consilium ejus et verba videatur contemnere pater. D.

9. *Quid vis facere, nisi reducere?*] Sic loquitur Laches, ut aliud Pamphilus respondere non audeat: et ideo dicit, *Equi-*

Sed non minuam meum consilium: ex usu quod est, id persequar.
Credo ea gratia concordes magis, si non reducam, fore.
LA. Nescias: verum id tua refert nihil, utrum illæ fecerint,
Quando hæc abierit: odiosa hæc est ætas adolescentulis:
E medio æquom excedere est: postremo jam nos fabulæ
Sumus, Pamphile, Senex atque anus.
Sed video Phidippum egredi per tempus: accedamus.

ACTUS QUARTI SCENA IV.

PHIDIPPUS. LACHES. PAMPHILUS.

TIBI quoque ædepol sum iratus, Philumena,

dem cupio, et vix contineor] Vt reducam scilicet. Adeo magna causa est non reducendi, ut cum velim, non possim. D.—Pro *contineo* meliores libri habent *contineor*. B.

10. *Sed non minuam meum consilium*] Caute satis, reducendi, inquit, cupiditas est: non reducendi consilium. *Id persequar*] Non *sequar*, sed *persequar* ait, ut constantiam demonstraret. D.—*Ex usu quod est, id persequar*] Coactus Pamphilus causam dicere, cur nollet uxorem reducere, revocat verba, ne (*ut*, vel, *an*, vel *utrum* Z.) possit, quod rogatus est, conticescere. *Ex usu*, id est, ex utilitate. Deinde fingit causam, ideo se nolle reducere, ut ita concordes ambas faciat. E.

11. *Credo ea gratia concordes magis*] Sententiose dixit, tunc posse inter se congruere et concordare mulieres, quum et illa esse desierit socrus, et illa nurus: hæc enim inter illas est dissidiosa conjunctio. Et satis ingeniose dictum; tolle enim inter mulieres proximitatem, et nulla causa discordiæ est. *Concordes magis*] Non magis concordes, verum (*Nunc Magis concordes utrum* Z.) pro minus discordibus dixit, an ut serviret sententiæ? D.—Ut sensui et versui, qui e ratione vulgari justo longior est, consulas, dele *non*; adeo ut illud *credo*, per ironiam, significet *Non credo*. Tum ex Bemb. scribe *reducam*. B.

12. *Nescias*] Utrum concordes futuræ sint, an discordes. *Verum id tua refert nihil*] Hoc verbum ex aliqua parte confirmantis est et consentientis. *Utrum illæ fecerint*] Utrum consentientes sint, an dissentientes. *Utrum*] Unum de duobus significat. D.—*Nescias: verum id tua refert nihil, utrum illæ fecerint*] Quid illæ egerint inter se, curare non debes. Perseverat in sententia, persuasurus, quod adolescentibus odiosa est semper senectus parentum. E.—Illud *id* antiquissimi Faerni non habent. *Illæ fecerint*] Philarg. ad Georg. iii. 105. *Hæ quoque non cura nobis leviore tenendæ. Legitur et Hæc: nam veteribus mos fuit, ut neutra femininis jungerentur. Unde Terentius: Tua nil refert, utrum* illæc *fecerint: et in Eun.* Hæc *adornant, ut lavent.* B.

13. *Odiosa hæc est ætas adolescentulis*] Supra in personam socrus culpam iratus contulerat discordiæ: nunc et uxori placatus, et nurui parcens, odiorum causam a personis transtulit ad ætates: sed ita tamen, ut magis juniores accusaret, ei (*et*) de adolescentibus questus, quum miseratur (*questus, commiseraretur* Z.) senes. *Odiosa hæc est ætas*] *Hæc*, cum gemitu pronunciandum est. D.—Pro vulgari *abierit*, versui accommodatius Bemb. legit *aberit*. B.

14. *E medio æquum est excedere*] Utrum ex urbe rus: an ex vita in mortem? Et satis moraliter. Nam in *medio stare* dicitur supervacuus vel molestus. Et cum stomacho dixit senili. D.—Cum optimis libris colloca, *Postremo nos jam f.* Atque pro *fabulæ* leg. *fabula*, uti Donatus videtur legisse, et viri docti dudum monuerunt. B.

15. *Senex atque anus*] Hæc duo nomina, ut posita sunt, caput indicant et inceptionem hujusmodi fabularum. *Jam nos fabulæ sumus, Senex atque anus*] Pronuncia *Senex atque anus*, quasi initium fabulæ: τῷ ἰδιωτισμῷ additum, *Pamphile*. D.

1. *Tibi quoque ædepol*] In hac scena ultimus error est, vicinus καταστροφῆ. *Tibi quoque ædepol sum iratus*] Quasi dicat, Non solum matri tuæ, aut (*at* L.) etiam socrui tuæ. *Tibi quoque ædepol*]

Graviter quidem: nam hercle abs te factum'st turpiter;
Etsi tibi causa est de hac re; mater quæ te impulit:
Huic vero nulla est. LA. Opportune te mihi,
Phidippe, in ipso tempore ostendis. PH. Quid est?
PAM. Quid respondebo his? aut quo pacto hoc aperiam?
LA. Dic filiæ, rus concessuram hinc Sostratam:
Ne revereatur, minus jam quo redeat domum. PH. Ah!
Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia.
Mutatio fit: ea nos perturbat, Laches.
PAM. Dum ne reducam, turbent porro, quam velint.

Recte: nam et amicos incusamus leniter incipientes, et graviora inferentes. Hanc ergo partus causa leniter incusat: deinde confirmat inferendo, *Graviter quidem:* et statim causam subjungit, cur quidem ei irascatur. D.—*Tibi quoque*] Hæc scena continet excusationem, cur nollet uxorem ducere, et removet causam in matrem, ut remotiva sit qualitas. Justum est enim non reducere, quum *matris commodis servit.* Verum et illud proditur, quod puella peperit. Senex enim puellæ pater indicat puerum natum, neque adjungit ullam de his rebus culpam. Ait igitur senex causam, ut reducatur invento puero. E.—Concinnius vetus noster 900 annorum, cum altero Regio, *Tibi quoque iratus ædepol sum, Phil.* B.

2. *Factum est turpiter*] Quod abcesserit (*abcesseris*) domo mariti. D.—Nostri fere omnes, *abs te est factum.* B.

3. *Etsi tibi causa est de hac re*] *Causam* more suo pro defensione posuit. Sic in Phormione, *Quid mihi dicent, aut quam causam reperient? demiror.* Et quæ causa fuerit, ipse dicit: *Mater te impulit*] *Mater te impulit,* absolute: deest enim *nam*: ut sit, Nam mater te impulit. *Mater te impulit*] Qualitas remotiva. D.—*Mater te impulit*] Ms. R. et vett. codd. *mater quæ te impulit.* L.—Pro vulgari *mater quæ te impulit,* recte Donatus *mater te impulit.* B.

4. *Huic vero*] Ipsi matri scilicet. *Opportune te mihi, Phidippe, in ipso tempore*] Utrum ταυτολογία est? an *opportune,* quia volebam: et *in tempore,* quomodo volebam? an, *opportune,* mihi: *in ipso tempore* tibi: id est, et mihi et tibi commode evenisti (*advenisti* Z.)? Et ἀπὸ τοῦ portu dictum *opportune.* D.

5. *In ipso tempore ostendis*] Ostenditur nobis id quod quærebamus. *Opportune,* et *in ipso tempore,* non est idem. Etenim *opportune* dicimus, quum, verbi gratia, invitati ad ipsum tempus incipientis (*incipiendi* edd. ante Steph.) prandii venimus: *in ipso tempore,* cum jam prandio apposito. D.

6. *Aut quo pacto hoc aperiam?*] Hoc modo ostendit, nec esse quod simulet: nec id, quod verum est, dicendum sibi esse. D.—Pro *aperiam,* nonnullorum codd. fides, sensus ratio, et ipsius Donati auctoritas, qui ita videtur legisse, suadent *operiam.* Certe Pamphilus supra promisit, se rem esse *celaturum.* B.

7. *Dic filiæ, rus concessuram hinc Sostratam*] Blande non addidit *tuæ:* quasi dicat communi filiæ. Et bene, non *socrum,* sed *Sostratam.* D.

8. *Ne revereatur*] Bene *revereatur:* ne odisse Sostratam, sed metuere videatur: et quasi ipsa socrus non odium meruerit, sed reverentiam. *Minus jam quo redeat domum*] Τμῆσις cum ἀναστροφῇ, ut sit ordo, Quo minus redeat. D.

9. *Nullam de his rebus culpam*] Relatio criminis potest videri. *Tua*] Deest *uxor:* quod nomen inferius posuit. *Tua*] Cum percussione audiendum (*Cum percussione animi dicendum*) est, ut subaudiatur uxor, ab eo quod dicturus est, *uxore.* D.

11. *Mutatio fit*] *Mutationem,* suspicionem dicit, erroremque jurgantium. *Mutatio*] Deest quarum rerum mutatio: ergo mutatio criminum, aut culparum. *Mutatio fit*] Criminis scilicet et peccati: id est, vel mea uxor crimen tuæ sustinet: vel tua (*tuæ*) ad meam tranalata est culpa. *Ea nos perturbat, Laches*] *Ea:* non ea mutatio, sed uxor, hoc est, Myrrhina. D.—Versum, ne cum Guyeto ut spurium damnes, sic restitue: PAM. *Mutatio fit.* PHI. *Ea nos perturbat, Lache.* Verba *Mutatio fit* Pamphilus aversus a senibus loquitur. Deinde *Lache* habet Bemb. et Priscianus. B.

12. *Turbent porro, quam velint*] Quantum velint: aut eam, quam velint, mulierem: sed melius est quod supra diximus. *Dum ne reducam, turbent porro*] Quomodo est pius erga matrem Pamphilus, si parvi facit, utrum socrus sua perturbetur, an mater a senibus? Solvitur sic: quia *quam,*

PH. Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,
Affinitatem hanc sane perpetuam volo:
Sin est, ut aliter tua siet sententia,
Accipias puerum. PAM. Sensit peperisse: occidi!
LA. Puerum! quem puerum? PH. Natus est nobis nepos.
Nam abducta a vobis prægnans fuerat filia,
Neque fuisse prægnantem unquam ante hunc scivi diem.
LA. Bene, ita me Di ament, nuncias; et gaudeo
Natum illum, et tibi illam salvam: sed quid mulieris
Uxorem habes? aut quibus moratam moribus?
Nosne hoc celatos tam diu? nequeo satis,
Quam hoc mihi videtur factum prave, proloqui.

non est generis feminini, sed est *quantum. Turbent*, errent (*perturbent*, edd. vett.) et tumultuentur, significat: vel turbentur. D.—Lege *Turbet porro, quam velit.* Nam ante dixerat Phidippus, *Myrrhina nos perturbat.* Igitur hic Pamphilus aversus convenienter respondeat necesse est. B.

13. *Ego, Pamphile*] Hoc pronomen initium continet orationis graviter inceptæ: ut, *Ego postquam emi te a parvulo. Si fieri potest*] Interposuit, ut supercilium soceri demonstraret. *Si fieri potest*] Recte additum, *si fieri potest:* quia non convenit rogari a socero generum, ut supra dixit (*dixi.* edd. vett. D.

14. *Hanc sane perpetuam volo*] Jam enim est confirmata: sed perpetuam cupit. D.—*Sane perpetuam volo*] Nuptiarum quippe hoc votum est, ætatem eæ ut durent atque perpetuæ sint; l. i. π. de rit. nupt. Virg. Æn. i. 73. *Connubio jungam stabili propriamque dicabo; Omneis ut tecum meritis pro talibus annos Exigat*— Quinctilian. Declam. 376. *Uxor mihi socia thori, vitæ consors, in omnem ætatem jungenda.* Ideo divortium matrimonii quædam velut calamitas, qua interveniente societas hæc dissolvitur. Vid. Gratian. Caus. 27. Quæst. 2. pr. et capp. seqq. parte ii. decreti. L.

15. *Sin est, ut aliter tua siet sententia*] Τῷ εὐφημισμῷ vitavit illud quod est ominosum, ne dissidium diceret: ut Virgilius, Æn. viii. 582. *gravior ne nuncius aures Vulneret.* D.

16. *Accipias puerum*] Jure: quia liberi patrem sequuntur. Et mire hoc maxime adjecit, quod maxime recusat Pamphilus: et propter quod uxor quoque non reducitur. Et *accipias*, pro accipe: ut *quiescas*, pro quiesce. *Sensit peperisse, occidi!*] Hoc maxime inopinatum est Pamphilo: quia socrus promiserat omnes ignoraturos. *Sensit*] Proprie sic. D.

17. *Puerum! quem puerum?*] Moraliter primo dubitat quid audierit: deinde quasi certus quid audierit, admiratur, dicendo *Quem puerum? Puerum! quem puerum?*] Bene cum consternatione animi: quod nunquam fando acceperat. *Natus est nobis nepos*] Bene, quia ambo avi. D.

18. *Nam abducta a vobis*] Bene, non *abierat*, sed *abducta fuerat:* ut magis sit culpa matris. *A vobis*] Pro, a Pamphilo. *Nam abducta a vobis prægnans fuerat*] Hoc totum cum indignatione in uxorem pronunciandum est. D.—Bembinus et Vaticanus, quibuscum videtur convenire Donati derivatio, legunt *prægnas*, et mox *prægnatem*, sine n littera. B.

19. *Neque fuisse prægnantem*] Prægnans est *ante gnatum*, vel *ante genitricem:* est enim *præ*, ante. D.

20. *Bene, ita me Di ament*] Agit gratias nuncianti: gratulatur ob susceptum nepotem: gaudet liberatam nurum. D.

21. *Natum illum, et tibi illam salvam*] Proprium affectum refert, sibi nepotem, illi filiam esse servatam. *Et tibi illam salvam*] Recte *tibi*, quia pater puerperæ est cui dicit. *Sed quid mulieris uxorem habes?*] *Quid mulieris*, dixit: ne diceret, qualem mulierem, aut aliquid gravius. Et totum percunctative potius, quam pronunciaret et diceret, Pessimam mulierem, et male moratam uxorem habes. Et reprehensio est cum contemtu: sic et, *quid hominis?* ut Virg. Æn. i. 82. *Tu mihi quodcunque hoc regni.* At contra cum honore sic dicimus, *quem hominem habes?* D.—Illud *tibi*, quod nostri libri cum edd. vett. ante *et* habent, plane delendum censeo. B.

22. *Moratam*] Id est, institutam. Et est participium sine verbo. D.

23. *Nosne hoc celatos*] Non partum celatos dicit: sed prægnantem filiam fuisse. *Nequeo satis, — proloqui*] Magna exaggeratio. D.

24. *Quam hoc mihi videtur factum prave*] Totum modeste, quamvis indignetur: quia apud maritum uxor non est vehementius

PH. Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, Laches.
PAM. Etiamsi dudum fuerat ambiguum hoc mihi,
Nunc non est; quum eam consequitur alienus puer.
LA. Nulla tibi, Pamphile, hic jam consultatio'st.
PAM. Perii! LA. Hunc videre sæpe optabamus diem,
Quum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem.
Evenit: habeo gratiam Dis. PAM. Nullus sum!
LA. Reduc uxorem, ac noli advorsari mihi.
PAM. Pater, si illa ex me liberos vellet sibi,
Aut se esse mecum nuptam; satis certo scio,
Non me clam haberet, quod celasse intelligo.
Nunc, quum ejus alienum esse a me animum sentiam,
Nec conventurum inter nos posthac esse arbitror;

accusanda. *Quam hoc mihi*] Quod prægnans fuerat filia: non quod natus est puer. D.

25. *Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, Laches*] Utrum quia minus et magis, quoniam sequitur • (*Utrum hic minus est magis, quoniam sequitur placet* Z.): εἰρωνεία est? ut sit ordo, Non minus mihi placet, quam tibi: et *placet*, pro displicet intelligamus? ut alibi, *Nunc me hospitem lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile, aliorum exempla commovent. Non tibi illud factum*] Sub εἰρωνείᾳ est dictum: hoc enim ait, Tantundem tibi placet hoc factum, quam mihi. Alibi, *Nunc me hospitem lites sequi, etc.* D.—Ne ad Donati ineptam interpretationem fugere cogaris, lege, *Non mihi illud f. minus dolet, quam tibi, Laches:* ut supra iv. 2. 30. *Hæc res non minus me male habet, quam te.* B.

26. Pro *Jam dudum* meliores libri, *dudum* sine *jam*. B.

27. *Quum eam consequitur alienus puer*] *Alienus:* quod senes gratulantur, id maxime lædit Pamphilum. *Consequitur alienus puer*] Μεταφορὰ a pecoribus, quæ, ut mox nata fuerint, matres sequuntur. Virg. Ge. iii. 316. *Atque ipsæ memores redeunt in tecta, suosque Deducunt.* D.—Pro *consequitur* duo codd. *sequitur;* quod versus gratia recipiendum puto. B.

28. *Nulla tibi, Pamphile, hic jam consultatio est*] De reducenda scilicet uxore. D.—*Consultatio'st*] V. C. *consolatio est.* L.

29. *Perii!*] Hoc sibi ipse Pamphilus dicit. D.

30. *Quum ex te esset aliquis qui te appellaret patrem*] Bene hoc putavit, quod Pamphilo non videtur: hoc est, ex illo esse quod natum est. D.

31. *Evenit*] Proprie *Evenit:* ideo et *bonorum eventus* dicitur. *Nullus sum!*] Ipse sibi iterum: hoc ulterius est, quam *Perii:* quia quum aliquis perit, reliquum vel cadaver est. D.

32. *Ac noli adversari mihi*] Causam interposuit senex, quo magis facere filius non recuset. D.

33. *Si ex me illa liberos vellet sibi*] Ut apparet, tantum commentus est causam. *Si ex me illa liberos vellet sibi*] Nactus est Pamphilus ex verbis senis causam aliam discidii. D.—Quod remedio fuerat Pamphilo in calamitatem sumit (*Quod remedio debebat Pamphilo esse, id ipsum ei suppeditat* Z.) consilium; quare ponit excusationem illam, quam supra dixit, *Pater, si illa ex me*] Finguntur hæ causæ, quod alienum ejus animum videat; ob hoc negat se debere revocare. E.—Placet Bembini ordo, *si ex me illa.* B.

34. *Aut se esse mecum nuptam*] Vetuste *mecum nuptam*, dixit. Et recte: quia partus confirmat nuptias. Et melius, *nuptam mecum:* quasi tectam et opertam uno cubiculo mecum. *Nubere* enim est operiri tegique: unde et *nubes*, quod tegere solent cœlum, dicuntur. Virg. Æn. xi. 77. *arsuraeque comæ obnubit amictu.* D.

35. *Non me clam haberet*] Id est, non tacuisset, partumque celasset. *Quod celasse intelligo*] Non dixit natum filium: ne interpositio affectu molliretur iratus. D.—Bembinus recte *quod:* Vat. et cod. Donati *quæ:* alii multi *quem.* Tum ut sit *clám* in Arsi, lege cum nostris fere omnibus *Non clám me haberet.* B.

36. *Nunc quum ejus alienum esse a me animum sentiam*] A præsenti tempore. D. Versus causa cum nostris ordina, *alienum á me esse animum.* B.

37. *Nec conventurum*] A futuro. D.—*Nec conventurum*] Ms. R. *Neque conv.* L.—Leg. *Neque cónventurum intér nos posthac árbitrer.* Nam *neque* confirmatur omnibus libris; unus omittit *esse;* et sensus, uti Muretus vidit, postulat *arbitrer.* B.

Quamobrem reducam? LA. Mater quod suasit sua,
Adolescens mulier fecit: mirandumne id est?
Censen' te posse reperire ullam mulierem,
Quæ careat culpa? an quia non delinquunt viri?
PH. Vosmet videte jam, Lache, et tu Pamphile,
Remissan' opus sit vobis, an reducta domum.
Uxor quid faciat, in manu non est mea.
Neutra in re vobis difficultas a me erit.
Sed quid faciemus puero? LA. Ridicule rogas:
Quicquid futurum'st, huic suum reddas scilicet;
Ut alamus nostrum. PAM. Quem ipse neglexit pater,
Ego alam? LA. Quid dixti? eho! annon alemus, Pamphile?
Prodemus quæso potius? quæ hæc amentia est?

38. *Quamobrem reducam?*] Firmior conclusio facta est per interrogationem, quam si esset pronunciativa. *Mater quod suasit sua*] A derivatione causæ defensio: et præterea status est venialis, ab imprudentia descendens (*ab imprudentia adolescentis mulieris*). *Sua*] Pro *ejus*: ut, Æn. iv. 633. *Namque suam patria antiqua cinis ater habebat.* D.—*Mater quod suasit*] Purgat pater Pamphili puellam veniali statu, quod imprudentia ætatis hoc admiserit. E.

39. *Adolescens mulier fecit*] Multa dixit: et *mater sua*, et *adolescens mulier*: et quasi docet hoc exemplo, parendum patri esse. *Mirandumne id est?*] Bene *mirandum*, non *irascendum*, dixit. Miramur enim magis si amici peccaverint, quam irascimur. D.

40. *Reperire ullam mulierem*] Quasi dicat, si hanc repudiaveris. D.—*Censen' te posse*] V. C. *Censesne te posse.* L.

41. *An quia non delinquunt viri?*] Ἐλεγχικῶς dictum: non enim non delinquunt. D.—*An quia non delinquunt viri?*] Unde credis, mulierem nullam esse in peccato? An suspicio tibi integra est mulieris (*tibi est, integras esse mulieres* Z.), quod viri non peccant? E.

42. *Vosmet videte jam, Laches, et tu Pamphile*] Nec rogare socerum, nec interesse (*intercedere* Z.) convenit, ubi certior sit ad repudiandum gener. *Vosmet videte jam, Laches*] Virg. Æn. ix. 525. *Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti.* D.

43. *Remissam opus sit vobis, an reductam domum*] In veris codicibus sic est, *Remissan', an reducta*: ut sit, *Remissane, an reducta.* D.—Illud *an* sensui et versui incommodum est, et a pluribus libris abest. Deinde *reductan'* aliquot optimi libri habent. B.

44. *Uxor quid faciat, in manu non est mea*] Ordo, Uxor mea quid faciat, in manu non est: deest *ejus*: ut sit, in manu ejus non est: sed in mea potestate positum est. *In manu non est*] Uxoris scilicet. Et est ordo, uxor mea quid faciat, in manu ejus non est. D.

45. *Neutra in re vobis difficultas*] Promittit facilitatem suam: ut tamen uxor roganda sit. An aliter, et ut supra annotavimus? D.

46. *Sed quid faciemus puero?*] Quid *me* fiet, et Quid fiet *mihi* dicitur. *Sed quid faciemus puero?*] Qui utique, quicquid erit, patri reddendus est. *Ridicule rogas*] *Ridicule*, vel adverbium esse potest, vel nomen: si nomen est, subdistingue *ridicule*: et sic interroga, cum vi pronunciationis. D.

47. *Huic reddas*] Pamphilo scilicet. *Huic suum reddas scilicet*] Sic dixit, *Huic suum* et *reddas*, quasi reposcat Pamphilus. Et non subjunxit, *ut alat*, sed, *ut alamus*: ut sua quoque interesse monstraret. D.

48. *Ut alamus nostrum*] Scilicet Pamphili filium, nepotem meum, utrumque nostrum. *Quem ipse neglexit*] Si *ipse* (*ipsa* Z.), legeris, clare dictum est: si *ipsa* (*ipse* Z.), lenius est: et videbitur senex ob murmurationem ejus intellexisse, quod nolit puerum tolli: et ideo appositum, *Quid dixti? eho, annon alemus, Pamphile? Quem ipse neglexit*] Legitur et *ipsa*, et hoc est melius: ut sit *pater* vocativus casus. *Quem ipse neglexit pater, ego alam?*] Hic sibi obmurmurans, vultu et verbis ostendit nolle suscipere filium. D.—Pro *ipsa*, quod in paucis extat codd. retine optimorum codd. *ipse*. Nam ex responsione Lachetis patet, Pamphilum hæc aversum dixisse. B.

49. *Annon alemus, Pamphile?*] Quod faciendum sit, a contrario vult senex pronunciatione demonstrare, quod scelus sit non fecisse. D.

50. *Prodemus, quæso, potius?*] Deseremus, projiciemus, porro dabimus: Virg. Æn. i. 255. *unius ob iram Prodimur.* Nam

Enimvero prorsus jam tacere non queo:
Nam cogis ea, quæ nolo, ut præsente hoc loquar.
Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?
Aut quid sit id, quod sollicitere ad hunc modum?
Primum, hanc ubi dixti causam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc uxorem domi:
Pollicita est ea se concessuram ex ædibus.
Nunc, postquam ademtam hanc quoque tibi causam vides;
Puer quia clam te est natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi si me esse ignarum putas.
Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum,
Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi?
Sumtus, quos fecisti in eam, quam animo æquo tuli?
Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres:
Tempus dixi esse: impulsu duxisti meo.
Quæ tum, obsecutus mihi, fecisti ut decuerat.
Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum;

a quo defendendi sumus, si nos deserit pater? D.—*Prodemus, quæso*] Hic nova suspicione Pamphili pater ducitur: ut adolescentem credat amare meretricem, et hac causa nolle reducere uxorem. Ideo adjecit: *Nam cogis ea, quæ nolo, ut præsente hoc loquar*] Et est invectio, qua conjecturalia argumenta colligit, quod hac causa uxorem nollet ducere, quod diligat meretricem. Scilicet a summo ad imum argumenta colligit. Nam primum dixit, propter matrem uxorem nolle reducere; ea causa sublata, reperit aliam, quod partum celavit. Ergo colligit vanas suspiciones. Et causæ quidem mutantur, et esse illam potiorem, quod meretricem diligit. Sed jungitur cum castigatione correctio. E.

51. *Enimvero prorsus jam tacere*] Multa reticentia de filiorum vitiis, et defensione quoque apud soceros uti parentes, sæpe Terentius demonstravit, et præcipue in Andria, quum dicit, *Ego illud sedulo negare factum, ille instat factum. Jam tacere non queo*] Quamvis tacendum sit. D.

53. *Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?*] Conjectura quod amet meretricem Pamphilus. *Tuarum lacrumarum esse me?*] Apparet illum a Sostrata hoc audivisse. Nam ipse filium reprehenderet (*Nam ipsa filium deprehenderat* Z.) flentem. D.

54. *Sollicitere*] Perturberis, commovere. *Ad hunc modum*] Id est, immoderate. D.—*Id quod sollicitere*] Ms. R. *quid sit hoc, id quod sollicitere.* L.—Pro *id* nostri meliores habent *hoc.* B.

55. *Primum, hanc ubi dixti causam*] A summo ad imum. D.

59. *Nactus alteram es*] *Nancisci* proprie dicitur, qui paratus ad tenendum, ante quam possit reperire quod teneat, statim, quod occurrerit, prehendit. D.

61. *Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum*] Mire est temporis invectio (*inversio*). Et *aliquando tandem ut adjungas*, deest *fac:* sed plenum pronunciatione est. D.—*Huc animum ut adjungas*] Vett. et Reg. exempl. *ut adducas.* L.—Pro *adjungas* omnes nostri habent *adducas:* ut infra, v. 3. 38. B.

62. *Quam longum spatium*] Ab ante actis. D.

63. *Sumtus, quos fecisti in eam*] Recte hoc dixit: quia impetrabilior esse debet indulgentissimus pater: ut alibi, *Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc, Quæ meo cumque animo libitum est facere: eine ego ut adverser?* D.

64. *Egi atque oravi*] *Agit*, qui justam rem dicit: *orat*, qui animo demisso precatur, ut quasi beneficium præstetur sibi. D.

65. *Tempus dixi esse*] *Tempus:* quia diu multumque sustinuit. *Impulsu duxisti meo*] Multum valet ad suadendum laudatio ejus, apud quem agimus: et ex ea parte laudatio, qua illum volumus inflecti. D.

66. *Quæ tum, obsecutus mihi, fecisti ut decuerat*] Ordo, Quæ fecisti tum obsecutus mihi, ut decuerat. *Quæ tum obsecutus mihi, fecisti*] Juveniliter satis; quia non dixit, Multum amans. D.

67. *Nunc animum rursum ad meretricem*] Hoc vultuose, et demisso labro: ut appareat invitum adduci ad reprehendendum, qui laudaverit modo. D.

Cui tu obsecutus, facis huic adeo injuriam:
Nam in eandem vitam te revolutum denuo
Video esse. PAM. Mene? LA. Te ipsum: et facis injuriam;
Quum fingis falsas causas ad discordiam,
Ut cum illa vivas, testem hanc quum abs te amoveris.
Sensitque adeo uxor: nam ei causa alia quæ fuit,
Quamobrem abs te abiret? PH. Plane hic divinat: nam id est.
PAM. Dabo jusjurandum, nihil esse istorum, tibi. LA. Ah,
Reduc uxorem: aut, quamobrem non opus sit, cedo.
PAM. Non est nunc tempus. LA. Puerum accipias: nam is quidem
In culpa non est: post de matre videro.
PAM. Omnibus modis miser sum; nec, quid agam, scio:
Tot me nunc rebus miserum concludit pater.
Abibo hinc, præsens quando promoveo parum:
Nam puerum injussu, credo, non tollent meo;
Præsertim in ea re quum sit mihi adjutrix socrus.
LA. Fugis? hem! nec quicquam certi respondes mihi?

68. *Cui tu obsecutus*] O (*ob* Mss. et edd. vett.) meretricis superbiam non ferendam. *Facis huic*] Scilicet uxori. D.

69. *Nam in eandem vitam*] Parcius *vitam* dixit, quam flagitium atque libidinem. *Te revolutum denuo*] Non *redisse*, sed *revolutum esse*: tanquam invitum aut nescium: reliquit enim quandam veniam, ut velit esse correctior. D.

70. *Mene?*] Hoc genus interrogationis negativam habet significationem. *Et facis injuriam*] Pro, *facis injuste*. D.

71. Pro *Cum fingis*, meliores libri habent *confingis*. B.

72. *Ut cum illa vivas*] Gravius est cum meretrice vivere, quam meretricem amare. *Testem hanc quum abs te amoveris*] Laudata est hic uxor modesta, quum illam testem, non impeditricem appellet socer. D.

73. *Sensitque adeo uxor*] Aliud argumentum, quo vult in Pamphilum referre non solum illius (*ipsius* Z.), sed etiam uxoris culpam. Et hic vide non accusari socrum. D.

74. *Plane hic divinat*] *Divinat* dixit, pro verum dixit: et nota *divinat*, de præterito dictum. Unde proverbium, *Aiunt divinare sapientem*: quia qui dicit verum, divinus est. D.

75. *Dabo jusjurandum*] Ubi argumenta et testimonia deficiunt, ibi jurejurando opus est: et id est ἔντεχνος πίστις. *Nihil esse istorum*] Satis concinne dixit *istorum*, ne in singulis commoraretur. D.—*Dabo jusjurandum*] Circumventus adolescens argumentis solo juramento se vult purgare. E.

76. *Reduc uxorem: aut quamobrem non opus sit, cedo*] Quia Pamphilus hoc solum defendit, non id esse, quod pater putat; nec causam, quæ vera sit, protulit: ideo senex, relicta tota quæstione, rediit ad id quod agitur, et ait, *Reduc uxorem*: aut dic, quæ res vetat. *Non opus sit*] Reducta scilicet. D.

77. *Non est nunc tempus*] Quia socer adest. Et oratorie confugit ad deditionem, defensione titubante. *Accipias*] Pro *accipe*, causa cur accipiat: *Nam is quidem in culpa non est*] In hoc dicto est quædam faceta irrisio ejus, qui nimis iracundus sit. D.

78. *Post de matre videro*] Bene de matre concedit, ut de puero extorqueat: quia scit parentum concordiam firmam esse per filios. D.

79. *Omnibus modis miser sum*] Quid est, *Omnibus modis?* utrum et circa parentem, et circa uxorem? an et in reducenda, et in non reducenda? *Miser sum*] An miser sum, cui maxime obtruditur, quod maxime fugio, id est, puer? D.

80. *Concludit pater*] Translatio de fera indagata. Sic Cicero, Verr. iii. 59. *circumdatos Verri cancellos* ait. D.

82. *Nam puerum, credo*] Omnia facit poeta, ne aut rem palam faciat, aut intercedat divortium. D.

83. *Adjutrix socrus*] Quæ dixit, *Continuo exponetur*. D.—*Quum mihi sit in ea re adjutrix*] Quia mulieres nunquam volunt a maritis, nisi se amari. E.

84. *Fugis? hem!*] Ex verbis patris ostendere voluit, quid agat Pamphilus: et ille *Abibo* dixit, hic, *Fugis?* D.

Num tibi videtur esse apud sese? sine:
Puerum, Phidippe, mihi cedo, ego alam. PH. Maxume.
Non mirum fecit uxor mea, si hoc ægre tulit:
Amaræ mulieres sunt, non facile hæc ferunt.
Propterea hæc ira'st: nam ipsa narravit mihi;
Id ego hoc præsente tibi nolebam dicere:
Neque illi credebam primo: nunc vero palam est.
Nam omnino abhorrere animum huic video a nuptiis.
LA. Quid ergo agam, Phidippe? quid das consilii?
PH. Quid agas? meretricem hanc primum adeundam censeo:
Oremus: accusemus gravius: denique
Minitemur, si cum illo habuerit rem postea.
LA. Faciam ut mones: eho puer, curre ad Bacchidem hanc
Vicinam nostram; huc evoca verbis meis.
Et te oro porro in hac re adjutor sis mihi. PH. Ah,
Jam dudum dixi, idemque nunc dico, Lache;

85. *Num tibi videtur esse apud sese*] Quasi ob amorem meretricis insanus. *Sine*] *Sine*, separatim accipe: quia vim habet comminantis. D.

87. Ob versum et sensum dele *mea*. Nam non Myrrhina potest intelligi, sed uxor Pamphili Philumena, ut supra 73. B.

88. *Amaræ mulieres*] Quasi vir dixit *amaras mulieres:* non enim laudat, sed causam dicit, unde uxor offenderit Pamphilum (*uxorem offenderit Pamphilus*). *Non facile hæc ferunt*] Non facile ferunt pellicatum, neque amorem aliarum in viris. D.—*Amaræ*] Menander, φύσει γυνὴ δυσήνιόν ἐστι καὶ πικρόν. Cf. Ovid. A. A. ii. 373. W.

89. *Nam ipsa narravit mihi*] Utrum finxit hæc dixisse filiam sibi? an vero κατὰ τὸ συμπάρεργον factum est? Ego neutrum puto: et sic intelligo, quod de uxore sua dicat, *Ipsa narravit mihi:* secundum illud quod supra dixit, Nunc mihi in mentem venit, de hac re quod locuta es olim, quum illum generum cepimus. Nam negabas nuptam filiam tuam posse te pati cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris. D.

90. Pro *nolebam* plures iique meliores libri exhibent *nolueram*. B.

91. *Neque illi credebam primo*] Quare non credebas? namque amaræ ad hanc rem mulieres sunt, et sæpe de nihilo suspiciosæ. Et bene hoc addidit, ne timuisse generum videretur. D.—Pro *vero* Bembinus habet *verum;* quod magis placet. B.

92. *A nuptiis*] Non dixit *a filia mea:* sed quod pater Pamphili magis doleat, *a nuptiis* inquit. Nam Philumenam nolle, irati est: odisse nuptias, amatoris. D.

93. *Quid ergo agam, Phidippe?*] Mire conturbatur pater, quasi res sua tantum agatur. Et vide quemadmodum poeta latenter festinet ad rerum cognitionem. D.

94. *Meretricem hanc*] Bene *hanc*, quasi eam quæ interturbat: sic enim sumitur hoc pronomen: ut, *Hancine ego vitam parsi perdere?* Et, *Tuaque animam hanc effundere dextra?* id est, malam. *Hanc*] Quasi dicat, Quæ nos perturbat. *Primum*] Bene *primum:* ut intelligamus deinde Pamphilum. D.

95. *Oremus*] Utrum rogemus? an quod est verius, omni genere eloquii commoneamus? unde *oratores orare* et *perorare* dicuntur: et *orator* nomen accepit. Virg. Æn. vi. 124. *Talibus orabat dictis.* Nam qui orat, accusaturus aut commoniturus orat. *Oremus*] Id est, eloquamur. Potest intelligi et *rogemus:* sed non convenit personæ potiori, et causæ, et ipsi verborum ordini. D.

96. *Si cum illo habuerit rem postea*] Ut in Eunucho, *Quocum uno tum rem habebam hospite.* D.

97. *Bacchidem hanc vicinam nostram*] Sic maluit, quam meretricem dicere: ne grave sit cum ea seni loqui, nisi quia vicina est. D.—Lege ex tribus nostris, *eho curre, puer, ad Bacch. h.* B.

98. *Huc evoca verbis meis*] Bene servata sunt personis congruentia. Nam socerum monere hanc rem tantum decuit, non etiam facere: ut cum pellice filiæ suæ mitius sermocinaretur. Et *huc evoca verbis meis:* deest *eam.* D.

99. Pro *Et* placet Bembini *At;* ne hoc ad puerum loqui videatur. B.

100. Pro *idemque* cod. C. C. habet recte *itidemque;* alius *itidem quod.* B.

Manere affinitatem hanc inter nos volo,
Si ullo modo est ut possit; quod spero fore.
Sed vin' adesse me una, dum istam convenis?
LA. Immo vero abi: aliquam puero nutricem para.

ACTUS QUINTI SCENA PRIMA.

BACCHIS. LACHES.

NON hoc de nihilo'st, quod Laches nunc me conventam esse expetit:
Nec pol me multum fallit, quin, quod suspicor, sit quod velit.
LA. Videndum est, ne minus propter iram hanc impetrem, quam possiem:
Aut ne quid faciam plus, quod me post minus fecisse satius sit.

102. *Si ullo modo est ut possit*] Manere scilicet, vel fieri ut maneat. D.

103. *Sed vine adesse me una, dum istam convenis?*] Melius pronunciaveris, si renitente et improbante hoc vultu dicere acceperis Phidippum: quasi non oporteat interesse socerum. Ideo mutat sententiam Laches, et relegat eum in procurationem alterius rei. D.

104. *Nutricem para*] Pro, quære. D.—*Immo vero abi*] In Ms. R. et vett. *vero* deest. L.

1. *Non hoc de nihilo est*] Rarus vitæ color in hac locutione miscetur a poeta. Nam meretrix loquitur et senex: et quod est mirabilius, bona meretrix, mitis senex: ut intelligas laborasse Terentium, ut et a lege comicorum recederet, et in actu tantum consuetudinem retineret. *Non hoc de nihilo est*] Debet mirari meretrix, quum ad senem ducitur: debet timere, quum ad patrem: debet suspicari aliquid, cujus amator jam maritus est. *Non hoc de nihilo*] Conjecturalis causa est: Recipis Pamphilum? non recipio. D.—*Non hoc de nihilo est*] Hæc scena mixta est. Nam et controversiæ speciem tenet deliberativæ. Controversia in hoc est, quod reus (*quod rea* Z.) sit injuriarum ex hoc, quod Pamphilum recipiat meretrix, posteaquam duxit uxorem. Conjecturalis est causa. Negat esse factum hoc. Quum argumenta deficiunt, fides efficitur per genera testimonii, ac primum per jusjurandum, deinde per fidem tormentorum. Nam servus promittitur (*Nam servas promittit suas* Z.) in tormenta. Quibus rebus cum purgata meretrix fuerit, persuadetur ei, ut ad matrem pergat, jurandi gratia. E.—Meliores libri collocant *me nunc* c. B.—Cum Laches hic non de scena abeat; Daceria demum post scenam tertiam actus quinti, finiri censet actum quartum. Z.

2. *Nec pol me multum fallit, quin quod suspicor*] Ordo et sensus hic est: Nec pol me multum fallit, quin quod velit, hoc sit quod suspicor: vel, quin quod suspicor, sit hoc quod velit. Ordo: Quin quod velit, sit quod suspicor. *Nec pol me multum fallit*] Non me fallit, quo minus id sit, quod me vocat, quod suspicor. D.

3. *Videndum est*] Providendum, cavendum. *Ne minus propter iram*] Quia non erat verisimile, bonum esse patrem meretrici interturbanti: reddit rationem senex, cur agat mitius, ne videatur personæ modus non esse servatus. *Impetrem*] Perficiam; dictum a patrando: cujus rei difficultas ob tarditatem complendarum nuptiarum, etiam ad alia negotia quæ sunt ardua, verbum hoc commodavit ac dedit. D.—Pro *hanc* sensus poscit *hinc*, i. e. ab *hac Bacchide*: ut Adel. iii. 3. 7. ubi *hinc* est ab hoc Syro. B.

4. *Quod post me minus fecisse satius sit*] Satisfaciendo minuisse. *Quod post me minus fecisse satius*] Si *sit* pro *videatur* acceperis, erit sensus, Ne quid faciam plus, quod post, dum pœniteat me, videatur satius minus fecisse. Si *sit* pro *erit* acceperis, erit sensus, Videndum est ne quid plus faciam: quod quum fecero, postea satius sit me non fecisse et satisfacere. Aut certe duas res significat, quibus inter utrumque temperandum esse demonstrat: ut per illud supra, lenitatem tenendam: per hoc infra, auctoritatem defendendam esse commoneat. An *minus fecisse*, pro pœnitere? Sic enim veteres dicebant, *muto factum*, et *nolo factum*: quum alicujus rei eos pœnitebat. *Sit*] Modo *sit* pro *videatur* posuit. D.—Ex

Aggrediar: Bacchis, salve. BA. Salve, Lache. LA. Credo ædepol te
Nonnihil mirari, Bacchis, quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare jussi.
BA. Ego pol quoque etiam timida sum, quum venit mihi in mentem quæ sim:
Ne nomen mihi quæstus obstet apud te: nam mores facile tutor.
LA. Si vera dicis, nihil tibi pericli est a me, mulier:
Nam jam ætate ea sum, ut non siet peccato mihi ignosci æquom:
Quo magis omnis res cautius, ne temere faciam, accuro.
Nam si id facis, facturave es, bonas quod par est facere; inscitum
Offerre injuriam tibi me, immerenti iniquom est.

Bemb. Victor. et Donato Faernus collocat *quod post me*, ut sit iambus in ultima. B.

5. *Aggrediar: Bacchis, salve*] Bene *Aggrediar*, quasi rem arduam, et incongruam seni: vel *Aggrediar*, ut meretricem circumveniam. Virg. Æn. iv. 92. *Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis. Bacchis, salve*] Non ita meretrici obsequitur senex: quamquam vult adimere timorem personæ suæ. *Credo ædepol te nonnihil mirari*] Ipsum procemium mollius et lenius est, ut ostendat se non jurgaturum senex. D.—Ex Bemb. hunc et duo seqq. versus ordinat Faernus ita: *Aggrediar: Bacchis, salve.* | B. *Salve, Laches.* L. *Credo ædepol, te nonnil mirari, Bacchis,* | *Quid sit, quapropter t. h. f. p. e. j.* Ut prior sit dimeter iambicus catalecticus, et posteriores iambici octonarii catalectici. Cæterum versus postulat, ut legas, *ædepol credo te.* B.

6. *Quid sit*] Deest *rei*: ut sit, *quid sit rei.* D.

7. *Ego pol quoque etiam timida sum*] Παρέλκον tertium. Ut, Æn. i. 9. *Multa quoque et bello passus.* Et obsequenter posuit non solum se mirari, sed etiam pavere. *Ego pol quoque etiam timida sum*] Bene *etiam*: ut hoc dicat, non solum miror, sed etiam timeo. Et nove, *timida sum*, pro timeo. D.—Ob versum recte Faernus vidit *mihi* esse ejiciendum. B.

8. *Ne nomen mihi quæstus*] Id est, nomen quod inest meo quæstui. *Nomen quæstus obstet*] Quem exerceo scilicet: id est, *quod est quæstui mihi* (*meo* Z.). *Ne nomen mihi quæstus*] Id est, quod meretrix sum. Legitur et, *nomen meo quæstui obstet.* D.—*Ne nomen mihi quæstus obstet*] Etiam ipsa vehementer timeo, ne quod meretrix dicor, impedimento sit commodis meis. *Mores facile* autem *tutor.* E.—*Obstet apud te*] Postremæ duæ voces in Ma. R. desunt. L.—Lege, uti dudum Faernus vidit, *Ne nómen quaésti mi óbsiet: nam m. f. t.* Nam Bemb. habet *quæsti*; idem liber, Vatic. et Victor. cum tribus nostris non habent verba, *apud te*, quæ repugnant versui, et parum sensui prosunt. Denique ne versui syllaba desit, lege *obsiet.* B.

9. *Si vera dicis*] Interrogabo scilicet. D.—Ordo verborum, qui est in libris Faerni et nostris, versui est convenientior, *si tibi est a mé pericli, múlier.* B.

10. *Non sit*] Non videatur. *Jam ea ætate sum, ut non sit peccato mihi ignosci æquom*] Quia jam ipse (*Num quia jam ipse* Z.) non do veniam; an quia non mihi peccanti non danda est? Et est ordo: Ut non sit mihi æquum peccato ignosci. Necessaria igitur ambiguitas: aut enim *sit* pro videatur: aut *peccato*, pro peccatorum: aut *peccato mihi*, pro peccanti mihi, aut peccato meo: aut deest *in*, ut sit, in peccato. D.—Quum ego ea ætate sum, ut peccato non dem, id (*peccato non dem veniam; ideo* Z.) diligenter curo, ne aliquid temere faciam. E.

11. *Cautius, ne temere faciam*] Seniliter additum post *cautius, ne temere faciam.* D.—Lege ex nostris fere omnibus, *Quo magis res omnes cautius.* B.

12. *Facturave es*] Etiamsi non facies. *Inscitum*] Me scilicet, si injuriam faciam. *Inscitum*] Inelegans, non bonum. Et non bene dixit *durum*, aut quid tale, sed *inscitum*: quo verbo maxime mulieres et meretrices utuntur. *Scitum* enim dicunt quod placet, *inscitum* quod displicet: ut, *Per ecastor scitus puer natus est e Pamphilo.* Hoc tale est quod dixit *inscitum* ex abundanti: quale est apud Virgil. Æn. xii. 185. *nec post arma ulla rebelles Æneadæ referent.* D.—Illud *nunc* Faernus auctoritate Bemb. delet. At nostri omnes, *Nam si id nunc facis.* Cæterum illud *inscitum* cum Faerno præpone sequenti. B.

13. *Offerre injuriam*] *Offerimus* injuriam

BA. Est magna ecastor gratia de istac re, quam tibi habeam.
Nam qui post factam injuriam se expurget, parum mihi prosit.
Sed quid istuc est? LA. Meum receptas filium ad te Pamphilum. BA. Ah!
LA. Sine dicam: uxorem hanc prius quam duxit, vostrum amorem pertuli.
Mane, nondum etiam dixi id quod volui: hic nunc uxorem habet;
Quære alium tibi amicum firmiorem, dum tempus consulendi est:

non merenti: *reddimus* ei qui meretur. D.—*Inscitum offerre injuriam*] Injustum valde non merenti tibi inferre injuriam. E.—Illud *me*, cum absit in Bemb. et in uno ex nostris, nec Donatus videatur legisse, cum Faerno spurium putamus. B.

14. *Est magna ecastor gratia de ista re, quam tibi habeam*] Imitatur hic et senile, et femineum tardiloquium. Suffecerat enim, *ago gratias*. D.—Ne versus claudicet, et dictio solœcisset, repone, *Est mágnam ecastor grátiam de istác re quod tibi hábeam:* ut Plaut. Rud. iv. 6. 32. B.

15. *Nam qui post factam injuriam se expurget*] Sic Adelphis ait: *indignum te esse injuria hac, indignis quum egomet sim acceptus modis. Parum mihi prosit*] Si sic accipiatur, ut scriptum est, λιτότης est aut ταπείνωσις. Et ita intelligendum, quasi dixerit, multum mihi nocuerit, imo me everterit. D.

16. *Sed quid istuc est?*] Nunc demum ad rem redit. *Meum receptas filium*] Intensio criminis. Et non *recipis*, sed *receptas*. Et ne diceret, Quid tua? *meum filium. Meum receptas filium*] Propositio accusatoria est: et breviter proposuit crimen, quod postea dilatatur. Et frequentativo usus est verbo, quod non raro, sed frequenter receptet. *Meum receptas filium ad te*] Status conjecturalis, quæ conjectura diluitur per ἄτεχνον πίστιν, id est, jusjurandum, ac tormenta servorum. *Ah!*] Quod falsum est, reclamavit meretrix statim: et voluit contradicere, si permitteret senex. D.—Accusatio sic ponitur: *meum receptas filium*. Et cum illa continuo negare vellet, hic quasi non accusantis tantum personam tenet, sed persuadere (*dissuadere* Z.) cupientis illud, quod diu promissum (*permissum* Z.) sit Pamphilo, ut ad meretricem pergeret. E.

17. *Sine dicam*] Virg. Æn. xii. 25. *sine me hæc haud mollia fatu, Sublatis aperire dolis. Uxorem hanc prius quam duxit*] Hanc quasi molestam (*modestam* Z.), et quæ hæc nolit pati. *Uxorem hanc prius quam*] A persona sua, Prius quam hanc duxit, vestrum amorem pertuli. Et quia multum diuque amaverit, *pertuli* dixit, quæ est longi temporis significatio. *Hanc prius quam duxit*] Ante rem: a præteritis et ante actis. *Vestrum amorem pertuli*] Ἀποσιώπησις; ut in Heautont. *At næ illud haud inultum, si vivo, ferent. Non jam, non tute cohibes? Vestrum*] Non, ipsius Pamphili. Ergo blande et honorifice: non enim illius amorem, et tuum quæstum: sed amorem vestrum, nihil potuit dici familiarius, *pertuli* autem, quantam vim patientiæ habet, quantumque ponderis, ne lædi mereatur ulterius. D.—Ut sit hic Trochaicus cum priori et posterioribus, lege, *Sine dum: uxorem, etc.* B.

18. *Mane, nondum etiam*] Ἀποσιώπησις tertia. *Nondum etiam dixi id quod volui*] Apparet senem tarde et longe loquentem interpellari vultu responsuræ meretricis: quum ille sibi silentium præberi velit. Sic Virgilius Latinum inducit dicentem, Æn. xii. 25. *sine me hæc haud mollia fatu, Sublatis aperire dolis: simul hæc animo hauri.* Et ad postremum de Turno, Æn. xii. 47. *Ut primum fari potuit, sic institit ore. Hic nunc uxorem habet*] Cum denunciatione pronunciandum est: quasi dicat, *Alia res est.* D.—Versus causa ante *volui* intersere *te*. B.

19. *Quære alium tibi amicum firmiorem*] Magna moralitas in denunciatione, magna proprietas: sic enim dicimus, *Quære tibi.* Virg. Æn. xi. 129. *Quærat sibi fœdera Turnus. Quære alium tibi amicum firmiorem*] *Firmiorem* pro firmo: non enim firmum concedit esse Pamphilum: quem vult intelligi deceptorem esse Bacchidis, non jam amatorem stabilem. *Quære alium tibi amicum firmiorem*] Oratorie senex quasi consulit meretrici, quam vocaverat incusandam. *Quære alium*] A præsentibus et a futuris. *Amicum firmiorem*] Callide senex, quasi jam non Pamphilo consulat, sed Bacchidi, *Quære alium*, dixit. *Dum tempus consulendi est*] Sensus, Dum ætas in flore posita est, facies vendibilis etiam nunc est. Et ordo, Dum tempus est consulendi tibi: et bis subaudiendum est *tibi*. D.—Cum Faerni libri *amicum* non habeant, et in aliis incertam teneat sedem, recte spurium putatur. Tum Bemb. et Vict. recte, *dum tibi tempus c. e.* B.

Nam neque ille hoc animo erit ætatem, neque pol tu eadem istac ætate.
BA. Quis id ait? LA. Socrus. BA. Mene? LA. Te ipsam: et filiam abduxit suam:
Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, extinguere.
BA. Aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem,
Sanctius quam jusjurandum, id pollicerer tibi, Lache,
Me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.
LA. Lepida es: sed scin' quid volo potius sodes facias? BA. Quid vis? cedo.
LA. Eas ad mulieres huc intro, atque istuc jusjurandum idem
Polliceare illis: exple animum iis, teque hoc crimine expedi.

20. *Nam neque ille hoc animo erit ætatem*] *Ætatem*, pro, tam diu quam longa est ætas. *Neque pol tu eadem istac ætate*] Σχῆμα λόγου πλοκή: prius *ætatem* adverbium, et posterius nomen. D.—*Erit ætatem*] Τὸ *ætatem* in vett. libb. et Ms. R. omissum est. L.—*Ætatem* male abest in nostris. B.

21. *Quis id ait?*] Non interrogatio, sed firma negatio est. *Quis id ait?*] Quum dicat senex, *Meum receptas filium:* mirum est illam dicere, *Quis id ait?* sed ab accusatore testimonium quærit. Et bene *ait*, quasi vanum: sic enim dicimus, *Ait, aio*, de rebus nugatoriis. *Quis id ait?*] Moraliter meretrix missa fecit omnia, quæ in medium senex contulit: et soli intentioni, Meum receptas filium ad te Pamphilum: Quis *id ait?* respondit. *Socrus*] Terribiliter, quasi quæ maxime sciat, et quæ maxime doleat. Ergo et oculis et labris pronunciandum est. *Et filiam abduxit suam*] Addidit ad personam testis et facta: quia minus idoneum videbatur, socrum dixisse de pellice: et simul ostendit quantopere hoc animadvertendum sit, ex quo tantæ turbæ sint concitatæ. *Abduxit suam*] *Abduxit*, proprie. *Arcessi* enim dicitur ad maritum: *abduci* a marito ad divortium. Sic Virgil. Æn. x. 79. *et gremiis abducere pactas?* D.—*Quis ait hoc?*] Jam negantis est, quod intentato (*intento* Z.) crimini quæritur testis. Sed cum dictus auctor est, adjecit argumentum ad probationem, quod filiam abduxit suam, quod puerum ob eam rem clam natum voluit extinguere. Purgationem sumit ex jurejurando, *aliud si scirem.* Hic (*Hinc* Z.) jam deliberativa illa imago est. Promittit quidem illa, et commemorat magnam faciens benevolentiam (*sed commemorat, non aliam facere illud meretricem* Z.) post nuptias, quia turpis est apud nuptam meretricis ista purgatio. E.

22. *Puerumque ob eam rem*] Hoc sic pronunciat senex, quasi qui dicat, *Ecce quarum rerum tu causa!* Et hæc oratio de iis est, quibus ostendimus nos posse graviter accusare, sed nolle. D.

23. *Aliud si scirem, qui firmare*] Mire, dum quærit quo firmet fidem, fidem sibi acquisivit atque adscripsit. *Apud vos possem fidem*] Bene *vos:* quia et *hic* dicit, et *socrus.* D.—Lege, versu ipso jubente, *Aliud si scirem.* B.

24. *Sanctius quam jusjurandum*] Bene dum aliud agit, etiam personam commendat. Nam non est levis, quæ jurejurando nihil sanctius sciat. *Sanctius*] Firmius. D.

25. *Me segregatum habuisse*] Bono significatu usa est: quasi ipsa hæc fecerit. Et bene *segregatum:* non enim *disjunctum* aut *repudiatum* proprie diceret: cf. Donat. infra, v. 2. 30. *Uxorem ut duxit*] *Ut* adverbium est temporis, pro *ex quo.* D.—Ne iambicus sit inter trochaicos, tolle illud prius *me.* B.

26. *Lepida es*] Senex cum meretrice loquens, eo potius nomine laudavit eam, quo meretrices solent laudari, quam quo matresfamilias: sic et supra, quum *inscitum* se diceret, rationem habuit, quæ esset cum qua loqueretur. *Sed scin' quid volo potius*] Hinc deliberativa incipit. *Sodes*] Si audes, si vis. D.—Illud *vis* cum et versui et sensui supersit, recte Muretus delendum esse existimavit. B.

27. *Eas ad mulieres huc intro*] Non dixit ad *socrum* et ad *uxorem*, terribilia nomina et inimica meretrici: sed quod facile est, *ad mulieres.* Sic alibi, *mulier mulieri magis congruit.* Et ne longe videretur, addidit *huc intro. Atque istuc jusjurandum*] Id est, quod tu mihi pollicebaris. D.—Forte leg. *atque istic jusjurandum idem | Polliceare; illisce exple animum, teque, etc.* B.

28. *Exple animum his, teque hoc crimine expedi*] *Explere*, pro *exinanire*, Terentianum est. *Expedire* dicitur, qui pedem re-

BA. Faciam: quod pol, si esset alia ex hoc quæstu, haud fa-
Ut de tali causa nuptæ mulieri se ostenderet. [ceret, scio;
Sed nolo falsa fama esse gnatum suspectum tuum;
Nec leviorem vobis, quibus est minume æquom, viderier
Immerito: nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.
LA. Facilem benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit:
Nam non sunt solæ arbitratæ hæ: ego quoque etiam credidi.
Nunc quum ego te esse præter nostram opinionem comperi;
Fac eadem ut sis porro: nostra utere amicitia, ut voles.
Aliter si facias: sed reprimam me, ne ægre quicquam ex me audias.
Verum te hoc moneo unum: qualis sim amicus, aut quid possiem,
Potius quam inimicus, periclum facias.

tentum liberat. *Exple animum*] Quod illis prosis. D.

29. *Quod pol, si esset alia ex hoc quæstu*] Vigilanter poeta, ne non verisimile videretur, id ullam fecisse meretricem, ipse lectorem prævenit: et sic vere in omnibus Terentius, quæ minus pervulgata sunt, quæque abhorrent a consuetudine, agit. D.—Ne *quæstu* in Thesi lateat, repone *ex quæstu hoc*. B.

30. *Ut de tali causa*] Id est, amore mariti ejus et pellicatu. *Nuptæ mulieri se ostenderet*] Plus dixit, quam, *nuptam alloqueretur*. D.

31. *Sed esse falsa fama nolo gnatum*] Bene, quo sit gratiosior, non propter se dicit, quod facit, facere. D.—Placet ordo verborum, qui in nonnullis reperitur libris, *Séd nolo ésse fálsa fama*. B.

32. *Nec leviorem vobis*] Quid *leviorem?* an minus carum? ut contra *gravis* intelligitur. Virg. xii. 458. *ferit ense gravem Tymbræus Osirim. Gravis* etiam molestus intelligitur: ut Sallustius, *Graviore bello qui prohibituri venerant socii, frigere. Gravis* etiam languidus. Virg. Geor. iii. 95. *ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis Deficit, abde domo. Nec leviorem*] Ut contra, *gravis*, honore dignus et carus. *Quibus est minume æquom*] Parentibus scilicet. D.

33. *Immerito*] Bona exceptio: hoc enim et cavere nobis, et præstare aliis possumus. *Immerito: nam meritus est de me*] Παρόμοιον. *Nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem*] Et hoc artificiose Terentius, ne vel meretricem dure a Pamphilo segregaret. *Quod queam, illi ut commodem*] Sic in Andria, *Magis id adeo mihi ut incommodet, quam ut obsequatur gnato*. D.

34. *Facilem, benevolumque lingua tua*] *Facilem* ad peccatum, *benevolum* ad iracundiam retulit. *Lingua tua*] Consuetudine magis, quam ratione dicit, *tua lingua:* ergo pro homine ipso. *Lingua tua jam*] Subdistingue *jam:* ut appareat, si *lingua tua jam*, quanto magis *facta*. D.

35. *Nam non sunt solæ arbitratæ hæ*] Nunc fatetur se quoque accusatorem fuisse: nunc vero benevolum factum. *Hæ*] Cum ἀποστροφῇ. *Ego quoque hoc etiam credidi*] *Quoque* et *etiam* supervacue posita sunt: sed hic confirmationem ostendunt. D.—Pro *hæ* duo libri *hæc*, ut sæpe ante. Tum omnes habent, *ego quoque etiam* hoc *credidi*. B.

36. *Præter nostram opinionem*] Pro contra. *Præter nostram opinionem*] Hoc est, innoxiam. D.

37. *Fac eadem ut sis porro*] Hoc est persevera purgata esse: vult enim et de futuro cautum esse: ut supra, *nam si id facis, facturave es. Nostra utere amicitia*] Non jam *amore*, sed *amicitia*. D.

38. *Aliter si facias*] Ἀποσιώπησις. *Ne ægre quicquam ex me audias*] Utrum *ægre* pro *male?* an *ægre* pro *invita?* D.—Lege, *Aliter si: sed réprimám me*. Est aposiopesis rei congrua; ut Virgilius, *Quos ego: sed, etc.* Cf. Heautont. i. 2. 25. B.

39. *Verum hoc te moneo unum*] Hæc figura oratoria παραλήψεως dicitur. *Qualis sim amicus, aut quid possiem*] In secunda oratione Sallust. ad Jugurtham, *Nam vim magis, quam benevolentiam ejus, experiri mallem. Qualis sim amicus, aut quid possiem*] Hoc genus comminationis minus habet amaritudinis, sed plurimum gravitatis. D.—Ut *té* in ictu sit, sequere lectionem nostrorum libb. *Verum hoc tú moneo unum*. B.

40. Pauci tantum habent in fine respon-

ACTUS QUINTI SCENA II.

PHIDIPPUS. LACHES. BACCHIS.

NIHIL apud me tibi
Defieri patiar; quin, quod opus sit, benigne præbeatur.
Sed quum tu satura atque ebria eris, puer ut satur sit, facito.
LA. Noster socer, video, venit: puero nutricem adduxit.
Phidippe, Bacchis dejerat persancte. PH. Hæcine ea'st?
LA. Hæc est.
PH. Nec pol istæ metuunt Deos: neque has respicere Deos opinor.
BA. Ancillas dedo: quo lubet cruciatu per me exquire.
Hæc res hic agitur, Pamphilo me facere, ut redeat uxor,

sionem Bacchidis, *Faciam sedulo.* Plures et meliores recte non habent, ut adeo hic versus cum initio seq. scenæ unum efficiat trochaicum. FABRN.

1. *Nihil apud me tibi defieri patiar*] Verba nutricis fuisse poeta demonstrat, petentis ordine longo, quæ sibi præbenda sint: unde quasi tædio singulorum, generaliter hæc respondit, *Nihil apud me tibi defieri patiar*] *Apud me*, dixit pro Apud eum, ubi futura es. *Defieri patiar*] Noluit dicere *deesse*; sed *defieri* dixit, ut id quod minus usitatum est, magis delectet auditum. *Benigne præbeatur*] *Benigne*, large: hoc enim est gratius, non solum *præbere*, sed *benigne præbere*. D.—*Nihil apud me tibi*] Prima pars scenæ orationem tenet, ut nutrix puerum diligenter nutriat. Postrema (*Postremo est* Z.) pars superioris controversiæ acrior. Pater puellæ negat juranti credi oportere meretrici. Qua fide perdita pollicetur illa tormenta de servis. Ita fit verisimile. E.

2. In Regio Chartaceo deest *opus*. At in cod. C. C. etiam sine *opus*, sed *quin quod est*. Egregie. Nam *quod est*, significat Quod domi est, quod res nostra præbet. B.

3. *Sed quum tu satura atque ebria eris*] Hoc est in nutricibus non solum non turpe, sed etiam necessarium. Et, *hic satur*, et *hæc satura* fecit. D.—*Sed quum tu satura*] Prisc. lib. vi. L.—Ne nimis invenuste dispertiantur accentus, repone, *Sed tú cum satura atque ébria es, et púer ut sátur sit, facito.* B.

4. *Noster socer, video, venit*] *Noster*, blandientis dictum est. Virg. Æn. ii. 149. *Noster eris.* Et magis hoc consuetudine dictum est, quam integritate. Aut certe ordo est, Noster socer venit: et deinde, *video.* Aut deest *ut*: ut sit, *ut video.* D. —Ut omnia per tempus præsens enuncientur, lege cum Bemb. et duobus nostris *adducit.* Tum inversis verbis lege, *nutricem puero adducit.* B.

5. *Dejerat*] Deos jurat: ut, Æn. vi. 351. *Maria aspera juro.* Aut valde jurat. *Bacchis dejerat*] Si correpte, *dejerat*, deos jurat: si producte, valde jurat. Et bene senem iratum præoccupavit dicendo, *dejerat sancte*: ne confligeret cum meretrice, et fieret fabula longior. *Hæcine ea est?*] Imitanda irati contemplatio: quasi dicat, Hæc est, quam uxori Pamphilus anteponit? D.

6. *Nec pol istæ metuunt Deos*] Hoc argumentum est, non illam vera jurare. Sanctum, ait, jusjurandum est, aut metu religioso, aut suppliciis sacrilegorum. At vero nec religiosæ sunt meretrices, inquit, nec dant pœnas: quippe quæ a Diis contemnantur. Tale est apud Virgilium de violato luco, qui vindicatus non est: Ecl. iii. 8. *Novimus et qui te, transversa tuentibus hirquis, Et quo, sed faciles nymphæ risere sacello. Neque has respicere Deos opinor*] Et inferiores sunt, inquit, quam in quas Dii vindicent. *Neque has respicere Deos*] Nec merentur ut Diis pœnas referant, quia nec curæ Diis esse dignæ sunt. Et est ἀμφιβολία, quæ sensu manifesta est. D.

7. *Ancillas dedo*] Repudiato jurejurando ad aliud transit firmius documentum. *Quolibet cruciatu per me exquire*] *Per me*, hoc est, me permittente: ut quod per legem tibi non licet, per me liceat. *Per me* ergo, me auctore et permittente. D.

8. *Hæc res hic agitur*] Aut sic intelli-

Oportet: quod si perficio, non pœnitet me famæ:
Solam fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant.
LA. Phidippe, nostras mulieres suspectas fuisse falso
Nobis, in re ipsa invenimus: porro hanc nunc experiamur.
Nam si compererit crimini tua se falso uxor credidisse,
Missam iram faciet: sin autem est ob eam rem iratus gnatus,
Quod peperit uxor clam, id leve'st; cito ab eo hæc ira abscedet.
Profecto in hac re nihil mali est, quod sit discidio dignum.
PH. Velim quidem hercle. LA. Exquire: adest: quod satis sit, faciet ipsa.
PH. Quid istæc mihi narras? an quia non tu ipse dudum audisti,

gendum est, quasi dicat, Hoc agebamus quum tu advenires; aut cum asseveratione pronunciandum est, ut sit *res* veritas: quasi dicat, Hic non verba sunt, sed res agitur. *Hæc res hic agitur*] Propositio eorum quæ dictura est, hoc modo, Hæc res hic agitur: quæ res? Pamphilo me facere, ut redeat uxor, oportet: quod si perficio, non pœnitet me famæ, solam fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant. Multa Terentius feliciter ausus est, arte fretus. Nam et socrus bonas, et meretrices honesti cupidas, præterquam pervulgatum est, facit: sed tanta vigilantia causarum et rationum momenta subjungit, ut ei soli merito videantur omnia licere. Nam hoc contra illud est, quod alibi ait, commune esse jam omnibus comicis bonas matronas facere, meretrices vero malas. D.—Illud *licet* ab initio versus, in melioribus libris recte abest, quia a versu respuitur. B.

9. *Non pœnitet me famæ*] Hæc figura λιτότης dicitur: minus enim dicit, quam significat. Nam, *non pœnitet me famæ*, pro eo quod est, Magnam famam cupide acquisiverim, significat. *Non pœnitet me famæ*] Ne quæreremus, qui hoc meretrici prodesse posset. D.—Pro *perficio*, quod versum jugulat, qui Creticum vel ei parem pedem in cæsura postulat, repone *effecero*. B.

10. *Solam fecisse*] Bene *Solam*: ne nescisse officium meretricis poeta videretur. *Solam fecisse id quod aliæ meretrices facere fugitant*] Id est, reconciliasse uxorem marito. D.

11. *Nostras mulieres suspectas fuisse*] Id est, in suspicione positas. Nam esse suspectas, ambiguum est: et nunc ejus partem manifestam videmus. D.—Exsequitur itaque varias causas, propter q; t (*propter quas*, cum Z.) leves sunt, discidium esse non poterit. E.

12. *Nobis, in re ipsa*] *Nobis*, aut abundat, aut, *cum molestia nostra*, significat. *Porro hanc nunc experiamur*] *Porro nunc*, futurum tempus ostendit. Nam si jam invenisti quid, experiaris et ea, quæ restant in reliquum tempus: quia jam de præteritis purgata est. *Hanc experiamur*] Id est, utamur opera ejus. D.

13. *Crimini tua se falso uxor credidisse*] *Crimen* proprie dicitur id, quod factum (*falsum* Bentl.) est, Cicero, *Veruntamen fac, tametsi criminosum id est.* Id est, falsa insimulatio est. *Crimini*] *Crimen* nunc, pro falsa suspicione. Virg. xi. 407. *formidine crimen acerbat.* Et, xi. 122. *semperque odiis et crimine Drances Infensus juveni Turno.* Id est, et quod eum odiase, et quod se illi odio esse suspicaretur. D.—Illud vulgare *falso*, cum sit ineptum, et repugnans versui, Faernus recte fide codd. omisit. Nam *crimen* per se habet notionem falsitatis. B.

14. Pro *autem* repone *item*, versui et sententiæ commodius. B.

15. *Cito ab eo hæc ira abscedet*] Bene: in duabus enim personis causa videtur esse turbarum, socrus et Pamphili. D.

16. *Profecto in hac re nihil mali est, quod sit discidio dignum*] Moraliter, quasi quærendo et discutiendo hoc intulit. *Discidio*] Divortio. D.

17. *Velim quidem hercle*] Ut nihil sit dignum, hoc est, non peccaverit Pamphilus. *Quod satis sit, faciet ipsa*] Id est, quicquid ad plenam ducit purgationem, faciet. D.—Responsio Bacchidis *faciam*, in fine versus, recte abest in libris optimis, ob versum et sensum. B.

18. *Quid istæc mihi narras?*] Reprehensio est, quasi longorum verborum Lachetis. *An, quia non tu ipse dudum*] Correptio est. Nam audivit, *Manere affinitatem hanc inter nos perpetuam volo. An, quia non tu ipse audisti dudum, de hac re animus meus ut sit, Laches?*] Utrum quia dixit, *Manere affinitatem hanc inter nos*

De hac re animus meus ut sit, Laches? illis modo exple animum.
LA. Quæso ædepol, Bacchis, quod mihi es pollicita, tute ut serves.
BA. Ob eam rem vin ergo introeam? LA. I, atque exple animum iis, ut credant.
BA. Eo; etsi scio pol iis fore meum conspectum invisum hodie. Nam nupta meretrici hostis est, a viro ubi segregata est.
LA. At hæ amicæ erunt, ubi, quamobrem adveneris, resciscent.
PH. At easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognoverint: Nam illas errore, et te simul suspicione exsolves.
BA. Perii! pudet Philumenæ: sequimini me huc intro ambæ.
LA. Quid est quod mihi malim, quam quod huic intelligo evenire; Ut gratiam ineat sine suo dispendio, et mihi prosit?

perpetuam volo: an quia apud uxorem defendit adolescentem in amore meretricis? *Illis modo exple animum*] Quia dicat, quæ amaræ sunt et molestæ. D.—Lege, *Quid mi istæc narras? quiane non tute ipse d. a.* Nam *Quid mihi istæc* plures et optimi habent libri; et cætera postulantur a versu. B.

19. Pro vulgari *exple*, recte meliores libri exhibent *explete*. Nam sermo est, non ad Lachetem solum, sed et ad Bacchidem. B.

20. *Quod mihi es pollicita, tute ut serves*] Id est, jusjurandum apud mulieres. D.

21. *Ob eam rem vin ergo introeam*] *Vis* dicit: ut ostendat in hac re cunctationem suam. D.—Mutato ordine lege, *Atque exple iis animum, u. c.* B.

22. Ut collocatio sit elegantior, ex cod. Petrensi lege, *Eo; etsi scio pol his meum fore.* B.

23. *Nam nupta meretrici hostis est*] Caute etiam hoc præstruit poeta, ne non verisimile videatur potuisse meretricem (*nuptam*) concorditer cum pellice agere. *Nam nupta meretrici hostis*] Alia, scilicet inimica (*Aliena, seu inimica*). D.—*Nam nupta meretrici hostis est*] Hoc est, in mutua mariti et uxoris societate non est mala suspicio; sed in eorum discessione aut hæc meretrix, aut ille adulter judicatur. E.

24. Pro *hæ* lege ex Bemb. et aliis, uti versus poscit, *hæc;* quod apud Nostrum sæpe in plural. feminino occurrit. B.

25. *At easdem amicas fore tibi*] Hic quidem senes: verum aliæ causæ sunt, quæ mulieres faciunt molestas: et hæ (Leg. TIBI PROMITTO. *Hoc quum scieverint verum. At aliæ causæ sunt, quæ mulieres faciunt molestas et acerbas: hæ*) autem spectatoribus notæ sunt ex argumento. D.—Etsi hic versus in Bemb. et in C. C. et Petrensi omissus est: tamen cum quibusdam spurius existimari non debet. Etenim a re non abhorret, utrumque senem, inprimis Phidippum, qui ibi paterfamilias est, Bacchidi hanc dare fidem. Cæterum ratio versus requirit *cognoriat.* B.

26. *Et te simul suspicione exsolves*] Hoc est quod supra dixit, *crimen:* nos quoque suspicionem interpretati sumus. *Exsolves*] Expedies. D.—*Suspicione exsolves*] Ms. R. *evelles.* L.

27. *Pudet Philumenæ*] *Pudet* duo significat: sive ille peccarit quem pudet, sive ille cujus pudet. Et familiariter *Philumenæ*, tanquam notæ ex Pamphilo. *Pudet Philumenæ*] Conscientia communis viri et pellicatus. *Sequimini me intro hæc ambæ*] Ancillis dicit, quæ sunt κατὰ πρόσωπα. D.—Versus gratia repone, *vos sequimini intro huc ambæ.* B.

28. *Quid est quod mihi malim, quam quod huic*] Sensus hic est, Quid est quod magis optem mihi evenire, quam quod simul proderit etiam meretrici? *Quid est, quod mihi, etc.*] Sic hoc ergo intulit pro novo. Mirandum est enim evenire potuisse, ut idem et seni et patri prosit, quod meretrici. *Quid est quod mihi malim*] Ut amicitia mihi et sibi prosit. Et ostendit commune sibi bonum esse. *Evenire*] *Evenire*, bis subaudiendum. D.—Repone, *Quid est mihi quod malim.* B.

29. *Ut gratiam ineat sine suo dispendio*] Recte. Difficile est enim gratiam inire sine damno. *Et mihi prosit*] Mire: quia difficile est amicum sine damno acquirere. Et quia *cum lucro* non potuit dicere: et hoc ipsum bonum fecit, quia sine damno. Ergo velut tria sunt: ut *gratiam ineat*, ut *sine damno*, et ut *mihi prosit.* D.—Sensus causa lege, *Ut gratiam ineam sine meo dispendio, et mihi prosim.* Nam senex meretrici, quam vehementer oderat, non potest bene cupere. B.

Nam si est, ut hæc nunc Pamphilum vere ab se segregarit:
Scit sibi nobilitatem ex eo, et rem natam, et gloriam esse:
Referetque gratiam ei, unaque nos sibi opera amicos junget.

ACTUS QUINTI SCENA III.

PARMENO. BACCHIS.

ÆDEPOL næ meam herus esse operam deputat parvi pretii,
Qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem,
Myconium hospitem dum exspecto in arce Callidemidem.
Itaque ineptus hodie dum illic sedeo, ut quisque venerat,
Accedebam: Adolescens, dicdum quæso, es tu Myconius?

30. *Pamphilum vere ab se segregarit*] Proprie ab meretrice *segregari* dicitur: ab uxore *disjungi*. D.

31. *Scit sibi nobilitatem ex eo, et rem natam*] Quasi dicatur, *Ecce quam amavit Pamphilus!* Sed hoc sentire et dicere patris est, stulta pietate magnificantis filium. Ut, *meum gnatum rumor est amare*. Et proprie *nobilitatem* dixit. Nam et *meretrix* et *gladiator nobiles* dici solent. *Scit sibi*] Quod nimis (*minus* Mss. H. et B. cum edd. vett.) amat, ait *nobilitatem*. *Ex eo*] Utrum ex Pamphilo? an *ex eo*, ex ea re: id est, quod segregaverit vere ab se Pamphilum? et hoc est melius. Nam nobilis meretricis est non timere, ne alterum non inveniat: aut nobilis est, cognitam fieri etiam senibus. *Et rem natam*] Ex patrocinio et amicitia senis. *Rem natam*] Quia multa in eam contulit. *Et gloriam*] Ex facto raro in meretricibus. *Et gloriam esse*] Quia defendit eum apud soceros et uxorem: et quod marito meretrix conjugem reddit. D.—Pro *natam* cod. Regius unus habet *nactam*. Repone, *Scit se nobilitatem ex ea re nactam et g. e.* Nam primum non de re præterita, sed futura hic agitur. Deinde, *si vere ab se segregarit*, res non crevit, sed damnum obvenit. Denique inter *nobilitatem* et *gloriam*, quæ cognatæ sunt significationis, *res* locum commodum non habet. B.

32. Lege *Refert grátiam ei, unáque nos sibi ópera amicos júngit*. Nam cod. Acad. habet *Refertque*: Bemb. et Victor. illud *que* ut inutile sensui et versui incommodum recte omittunt. Sane *refert, jungit*, ut supra *scit*, elegantiora sunt, quam futura. B.

1. *Ædepol næ meam herus esse operam deputat parvi pretii*] In tota hac fabula servus piger et curiosus inducitur: neque quicquam illi evenit ex sententia sua. *Ædepol næ meam*] Totum a stomachante dicitur: quasi qui nunc maxime injuriam persenserit. *Ædepol næ meam*] In hac scena καταστροφὴ populo exponitur. *Deputat parvi pretii*] Quia sic scilicet abutitur. Deputat parvi eam, qui deputat eam in re nullius pretii consumendam. D.—*Ædepol næ meam*] Nunc Parmeno redit, qui missus in arcem fuerat, ut amicum conveniret, qui nullus erat; sed vocem parturientis ne audiret. Videt autem de domo uxoris Pamphili exire meretricem. Quæ cum esset ingressa, ut se purgaret, in digito ejus annulus est cognitus, quem viuator puellæ rapuerat, et meretrici dono dederat. Nunc igitur egressa Parmenonem ad Pamphilum mittit. Ipsa autem quid actum sit, narrat, ante menses X. Ex quo enim compressa est virgo, X menses sunt; et jure hic partus factus sit X mensium. E.—Bemb. et nostri meliores recte habent *preti* pro *pretii*. B.

2. *Frustra ubi totum desedi diem*] Deest *illuc*: ut sit, illuc ubi frustra totum desedi diem. *Totum desedi diem*] Nota accusativo casu usum esse. D.

3. *Myconium hospitem dum exspecto*] Memoriter et vigilanter servus Myconium hospitem et Callidemidem dixit: ne videretur negligentia, vel oblivione sua non invenisse, ad quem missus est. *Myconium hospitem*] Bene ostendit se memorem et signorum et nominum, ut videatur vere illusus, quum operam dederit. D.

4. *Itaque ineptus*] Moraliter additum *ineptus*: et *ineptus*, quasi inaptus. D.—Lectio *quisquam*, pro *quisque*, quam duo codd. exhibent, et ad versum et ad sententiam commodior est. B.

5. *Adolescens, dicdum, quæso*] Verniliter et comice se ipsum servus imitatur: et est μίμησις. *Es tu Myconius?*] Nam ut tria mandata sunt inquirenda, tria inquisita sunt ordine. D.—Ne versui desit

Non sum: at Callidemides? non: hospitem ecquem Pamphilum
Hic habes? omnes negabant: neque eum quemquam esse arbitror.
Denique hercle jam pudebat: abii: sed quid Bacchidem
Ab nostro affine exeuntem video? quid huic hic est rei?
BA. Parmeno, opportune te offers: propere curre ad Pamphilum.
PAR. Quid eo? BA. Dic me orare, ut veniat. PAR. Ad te? BA. Immo ad Philumenam.
PAR. Quid rei est? BA. Tua quod nihil refert, percontari desinas.
PAR. Nihil aliud dicam? BA. Etiam, cognosse anulum illum Myrrhinam
Gnatæ suæ fuisse, quem ipsus mihi olim dederat. PAR. Scio.
Tantumne est? BA. Tantum: aderit continuo, hoc ubi ex te audierit.
Sed cessas? PAR. Minume equidem: nam hodie mihi potestas haud data'st:
Ita cursando atque ambulando totum hunc contrivi diem.
BA. Quantam obtuli adventu meo lætitiam Pamphilo hodie!

syllaba, lege *tun' es Myconius?* præsertim cum unus cod. habeat *tu es.* B.

7. *Omnes negabant*] Bene transit a μιμητικῷ ad διηγηματικὸν, et συντόμως. *Neque enim quemquam esse arbitror*] Id est, non puto eum esse in mundo. D.

8. *Jam pudebat*] Sedere, an interrogare? D.

9. *Ab nostro affine exeuntem video*] Satis moraliter inducitur servus dicere *ab nostro affine*: quum domini ejus sit, non ipsius. Sic et prius, *noster socer, video, venit*, pro Pamphili socer. *Exeuntem video*] Docte poeta præmonstrat locuturam personam. *Quid huic hic est rei?*] Rursus curiosus nihil sciturus est, et excursurus piger. D.

10. *Parmeno, opportune te offers*] Attendendum quod ab initio comœdiæ usque ad finem Parmeno mittitur ut currat: et celatur ut nesciat, quod curiose desiderat. *Propere curre ad Pamphilum*] Facete poeta inde incipientem facit, quod ille minime vult, dicendo *curre*. D.

11. *Quid eo?*] Id est, ad Pamphilum. *Ad te?*] Vide curiosum non recusare laborem, quo causam sciat. *Ad te?*] Non ad te conveniendam, sed domum, *ad te* significat. *Imo ad Philumenam*] Mire tota fabula invenit, quamobrem currat Parmeno. D.

12. *Quid rei est?*] Totum pro persona. *Tua quod nihil refert, percontari desinas*] Οἰκονομικῷ διαυλῳ et eximie dixit, quasi minus sit injurium prohibere interrogare, quam interroganti non respondere. Et memento hanc esse, cui in principio nihil celaverit Parmeno (*hunc esse, qui in principio nihil celaverit Philotin.* Z.). D.—*Tua quod nihil refert, percontari*] Glossar. Πολυπραγμονῷ *sciscito, percontor. Terent.* Sic Plaut. Sticho ii. 1. 48. *Tua quod nihil refert, ne cures.* Menand. Ἃ μὴ προσῆκεν, μήτ' ἄκουε, μήθ' ὅρα. Aristides περὶ τοῦ παραφθέγματος, p. 50. Ἵνα τοίνυν εἰδῇς, ὅτι καὶ ὅλως ἀρχαῖον νόμιμον τοῦτο καὶ ἑλληνικὸν, φορεῖν ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ. L.

13. *Nihil aliud dicam?*] Vult rem per mandata colligere. *Etiam, cognosse anulum illum Myrrhinam*] *Etiam* adverbium est vel consentientis, vel reminiscentis: sed magis reminiscentis modo. Sic Cicero, Verr. ii. 35. *Etiam, quod pene præterii, capella quædam est, mire facta.* D.

14. *Scio*] Non *audio* inquit, sed *scio*. D.—Consensu Faerni nostrorumque librorum repone, *olim mihi*. B.

15. Pro *audierit* versus poscit *audierit*. B.

16. *Sed cessas?*] Hoc est, tardas et quiescis? urget autem cum (*eum* Ms. B. et edd. vett.) cursu. *Minime equidem*] *Cessandi* subauditur. *Potestas haud data est*] Cessandi scilicet. D.

17. *Ita cursando atque ambulando*] Est enim cursus et navigantis et equitantis. D.

18. *Quantam obtuli adventu meo*] Reliqua pars argumenti per μονῳδίαν narratur. D.

Quot commodas res attuli! quot autem ademi curas!
Gnatum ei restituo, qui pæne harum ipsiusque opera periit:
Uxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo:
Qua re suspectus suo patri, et Phidippo fuit, exsolvi:
Hic adeo his rebus anulus fuit initium inveniundis.
Nam memini, abhinc menses decem fere, ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum, sine comite, vini plenum,
Cum hoc anulo: extimui ilico. Mi Pamphile, inquam, amabo,
Quid exanimatus es obsecro? aut unde anulum istum nactus?
Dic mihi. Ille alias res agere se simulare: postquam id video,
Nescio quid suspicarier magis cœpi: instare ut dicat.
Homo se fatetur vi in via nescio quam compressisse;
Dicitque sese illi anulum, dum luctat, detraxisse.
Eum hæc cognovit Myrrhina in digito modo me habentem.
Rogat unde sit: narro omnia hæc: inde'st cognitio facta,
Philumenam compressam esse ab eo, et filium inde hunc natum.

19. *Quot commodas res attuli!*] *Quot*, tam (*quam*) multas. Et more suo *attuli* dixit. *Quot autem ademi curas!*] Sic ante, *Ut metum, in quo nunc est, adimam: atque expleam animum gaudio. Quot commodas res attuli! quot autem ademi curas!*] Hæc omnia admirantis sunt: ut Virg. Æn. iv. 10. *Quis novus hic nostris successit sedibus hospes!* D.

20. *Gnatum ei restituo, etc.*] Ἐξαριθμησις. D.—Ut versui laboranti medearis, repone, *pæne qui harum*. B.

21. *Reddo*] *Redditur* nobis, quod nostri cupidum est: *restituitur* nobis, cujus cupidi sumus. Bene ergo *gnatum restituo, uxorem reddo*. D.

22. *Quare suspectus suo patri et Phidippo fuit*] Ergo non unum beneficium, sed tria sunt. *Exsolvi*] Variavit tempora, *restituo, reddo, exsolvi*. D.

24. *Nam memini abhinc menses decem*] *Menses decem* dixit: et recte, ut de hoc peperisse demonstret. *Nocte prima*] Primis partibus noctis, vel primore (*primis tenebris*): ut, Æn. ix. 244. *Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem*. D.

25. *Confugere anhelantem*] Ex his argumentis potest colligi, hunc esse qui virginem vitiaverit. *Confugere anhelantem*] Vide signa conjecturalia: quod *confugere* vidit, timebat: quod *anhelantem*, colluctatus fuerat: quod *domum*, celari volebat: quod *sine comite*, pudendum fuerat facinus; quod *vini plenum*, temerarium: quod *annulum* habebat, partum (*raptum*, alii) indicat. Vides igitur his indiciis ut virginem apparet vitiatam (*indiciis, virginem, ut apparet, vitiatam*). D.

26. *Mi Pamphile, inquam, amabo*] Hæc blandimenta sunt muliebria. D.

27. *Quid exanimatus es obsecro? aut unde annulum istum nactus?*] Principalia signa vitii illati, perturbatio et annulus. *Quid exanimatus es obsecro? aut unde annulum istum nactus?*] Brevitati consulit Terentius: nam in Græca hæc aguntur, non narrantur. D.—Illud *es* cum a versu repudietur, rescribe *exanimatu's*; item *nactu's*. B.

28. *Simulare*] Fingere, ac pro vero falsum tradere. *Ille alias res agere se simulare*] Id est, alias res agentem se fingere: pudebat enim amicæ de alterius stupro fateri: et ei amicæ, quam tum deperibat. D.—*Ille alias res agere se simulare*. E.—Illud *id* in cod. nullo est, nisi Victoriano, ubi et ipsum deletum est. B.

29. *Nescio quid suspicarier*] Pro aliquid. D.—Lege et interpunge sic, *Nescio quid suspectarier, magis cœpi instare ut dicat*. B.

30. *Homo se fatetur vi in via virginem nescio quam compressisse*] Bene additum *homo*: et oratorie *nescio quam*; ex quo dicto omnis error est natus. Nam appone nomen, et nulla fabula est. *Nescio quam*] Vel quia vere nesciebat: vel quia sic dicendum fuit, ne amare illam videretur. D.—Illud *virginem* ob fidem optimorum codd. dudum delendum putarunt viri docti. B.

31. *Dum luctat*] Ita Ms. R. et vett. libb. al. *luctatur*. L.

32. Repone *Eum cognovit Myrrhina hæc: in digito modo me habente*. Nam non Bacchidem, sed ipsum anulum cognovit Myrrhina. B.

Hæc tót propter me gaudia illi contigisse lætor.
Etsi hoc meretrices aliæ nolunt: neque enim est in rem nostram,
Ut quisquam amator nuptiis lætetur: verum ecastor
Nunquam animum quæsti gratia ad malas adducam partis.
Ego, dum illo licitum'st, usa sum benigno, et lepido, et comi:
Incommode mihi nuptiis evenit: factum fateor:
At pol me fecisse arbitror, ne id merito mihi eveniret.
Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquom est ferre.

ACTUS QUINTI SCENA IV.

PAMPHILUS. PARMENO. BACCHIS.

VIDE, mi Parmeno, etiam sodes, ut mihi hæc certa et clara attuleris:
Ne me in breve conjicias tempus gaudio hoc falso frui.
PAR. Visum est. PAM. Certene? PAR. Certe. PAM. Deus sum, si hoc ita est. PAR. Verum reperies.
PAM. Manedum sodes: timeo ne aliud credam, atque aliud nuncies.

35. *Hæc tot propter me gaudia*] Inclusit (*Concluſit* Ms. B. et edd. ante Steph. recte, i. e. finivit) narrationem fabulæ more suo; ne hæc in futuro actu exspectaremus. D.

36. *Etsi hoc meretrices aliæ nolunt*] Color necessarius a verisimili. Se (*Scit se* uterque liber) enim alibi dixisse, *Bonas matronas facere meretrices malas*, meminit. *Neque enim est in rem nostram*] *In rem*, in utilitatem, id est, pro commodo. D.—Claudicanti in cæsura versui sic opitulare, *Etsi hoc meretrices non volunt aliæ: neque enim in rem est nostram.* B.

38. *Quæsti gratia ad malas*] Priscian. lib. vi. Fab. Fulgent. de prisco serm. in voce *Diobolares.* L.

39. *Ego, dum illo licitum est*] An meruerit (*metuit*) Pamphilus? D.

40. *Incommode mihi nuptiis evenit*] Sic dixit, quemadmodum dicimus, *Et male evenit*, aut *Bene ei contigit. Incommode mihi nuptiis evenit*] Ἀνθυποφορά (Ὑποφορά). Et est ordo, Incommode mihi evenit ex nuptiis: et *incommode*, pro incommodo. *Nuptiis*] Deest *ex*: ut sit, *ex nuptiis. Factum, fateor*] Ἀνθυποφορά. D.—*Incommode mihi evenit*] Maximum incommodum accepi, quod Pamphilus duxit uxorem. *Factum fateor*] Confiteor. Sed non mei meriti est, quod deserta sum. Unde ferenda hæc sunt incommoda. E.

41. *Ne id merito mihi eveniret*] Ergo hæc dolemus, quæ merito contingunt. D.

42. *Multa ex quo fuerint commoda ejus*] Ratio cur nova omnia fiant, et contra officium meretricis. *Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum est ferre*] Hoc eo tractu vocis, et ea æquanimitate dicendum, quale in Adelphis, *Quando cum quæstum occœperis, accipienda et sumsitanda injuria adolescentium est.* D.

1. *Vide, mi Parmeno, etiam sodes, ut mihi hæc certa*] Bene *hæc* repetit: verum est enim, ut quod misere cupimus, id etiam tardius credamus effectum. Sic et in Heautont. *Ego vereor magis.* D.—*Vide, mi Parmeno*] Ea quæ vehementer cupimus, parum credibilia videntur, dum metuimus. Ideo sæpius quærit, et nuncii ordinem repetit, cum dicit: *Manedum, sodes. Sic te dixisse opinor, invenisse Myrrhinam apud Bacchidem annulum suum.* Quibus rebus confirmatis rursum exsultat gaudio: *Quis me est fortunatior?* E.—Versus sunt trochaici tetrametri; sed hic et septimus, acatalectici, cæteri catalectici. FAERN.

2. Pro *conjicias* legendum existimo *pellicias.* B.

3. *Deus sum, si hoc ita*] Plaut. *Rex sum; regem autem quid loquor? imo Deus.* Et in Curcul. i. 3. 11. — *Sum Deus.* L.—Pro *Certene* vulgari recte Bemb. et Victorian. habent *Certen'*; ut versus sit trochaicus catalecticus. B.

4. *Mane dum*] *Dum* abundat. D.

PAR. Maneo. PAM. Sic te dixisse opinor, invenisse Myrrhinam,
Bacchidem anulum suum habere. PAR. Factum. PAM. Eum, quem olim ei dedi;
Eaque hoc te mihi nunciare jussit: itane est factum? PAR. Ita, inquam.
PAM. Quis me est fortunatior, venustatisque adeo plenior?
Egon' te pro hoc nuncio quid donem? quid? quid? nescio.
PAR. At ego scio. PAM. Quid? PAR. Nihil enim:
Nam neque in nuncio, neque in me ipso tibi boni quid sit, scio.
PAM. Egone, qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,
Sinam sine munere a me abire? ah, nimium me ingratum putas!
Sed Bacchidem eccam video stare ante ostium:
Me exspectat, credo: adibo. BA. Salve, Pamphile.
PAM. O Bacchis, o mea Bacchis, servatrix mea.
BA. Bene factum, et volupe'st. PAM. Factis, ut credam, facis:
Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocunque adveneris,
Semper siet. BA. Ac tu ecastor morem antiquom atque ingenium obtines,

5. *Sic te dixisse opinor*] Miro affectu inducitur, vix adduci ad credendum, quod gaudet, Pamphilus. D.—Ne pro trochaico fiat iambicus, vel corrige *dixe*, vel cum cod. Mead. lege inverso ordine, *Sic dixisse opinor te*. B.

6. Duo codd. concinnius, *suum anulum*. B.

7. *Ita, inquam*] Quasi jam ante fassus, dico (*Quasi jam lassatus dicit*). D.—Duo ex nostris verius, *Eaque hoc mihi te nunciare*. B.

8. *Quis me est fortunatior, venustatisque adeo plenior?*] Ob beneficia Veneris; cui contrarium *invenustus*, cui contra reciderit (*eciderit*) quod amat. D.—*Venustatisque*] Q. Aur. Symmach. lib. i. Epist. 72. *Res cecidit ex voto, utor teste quo volui, jam mihi comici adolescentis voce clamandum est, Quis me hodie fortunatior venustatisque adeo plenior?* Aliter, sed male, Terentii locum Non. Marcellus laudat in voce *Vetustas*. L.

9. *Quid donem? quid? quid? nescio*] Μελληστρός: ut, Æn. vi. 532. *Pelagine venis erroribus actus? An monitu divum? an quæ te fortuna fatigat, Ut tristes sine sole domos, loca turbida, adires?* D.—Ne versus pede claudo incedat, lege ex nostris universis, *Egone pro hoc te nuncio*. B.

11. *Nam neque in nuncio*] Magis scire vult, quam munus accipere. *Nam neque in nuncio, neque in me ipso boni quid sit, scio*] Facete agit Terentius: quanto magis Parmeno curiosus est, tanto magis nescit illa, quæ cupit. D.—*Neque in me ipso*] Ms. R. *neque in memetipso tibi, etc.* L.

12. Editio vet. et unus e codd. Regiis recentior recte, *Egon' te, qui ab Orco*. Nam ita fit iambicus, ut sequens. B.

16. *O Bacchis! o mea Bacchis! servatrix mea*] Bene additum est, *servatrix mea*. Et (*Ut* edd. vett.) *mea*, quod supra dixit, amatoris est. D.

17. *Factis ut credam facis*] Difficile enim erat credere, his rebus gaudere meretricem. D.

19. *Ut voluptati obitus*] *Obitus* occursus: *ob* enim, significat contra. Ergo *obitus*, aditus. Legitur et, *voluntate obitus. Obitus, sermo, adventus tuus*] Inter *obitum*, et *adventum* hoc interest: quod *obitus* est, quem casus affert: *adventus*, quem voluntas et destinatus locus. D.—*Ut voluptati obitus, sermo, adventus*] Singula sunt. Et est sensus: *Ut voluptati sit sermo tuus. Obitus* autem abscessus (*accessus* Z.) est, ab eo quod est *obeo*. E.—Pro *adventus* sensus suadet *affatus*. Nam male Synonyma *obitus* et *adventus* separantur. Quodsi igitur nostram rationem sequeris, gradatim procedit sententia. Etenim *sermo* ad omnes, sed *affatus* ad hunc vel illum. B.

20. *Morem antiquom*] Respexit ad versum Ennii lib. v. Annal. *Moribus antiquis res stat Romana, virisque*: quem citant Cicero lib. v. de Rep. Augustin. Episc. lib. ii. cap. 21. de Civit. Dei.

Ut unus hominum homo te vivat nunquam quisquam blandior.
PAM. Ha, ha, he, tune mihi istuc? BA. Recte amasti, Pamphile, uxorem tuam:
Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.
Perliberalis visa'st. PAM. Dic verum. BA. Ita me Di ament, Pamphile.
PAM. Dic mihi, harum rerum num quid dixti jam patri? BA. Nihil. PAM. Neque opus est,
Adeo mutito: placet non fieri hoc itidem, ut in comœdiis,
Omnia omnes ubi resciscunt: hic, quos par fuerat resciscere,
Sciunt; quos non autem æquom'st scire, neque resciscent, neque scient.
BA. Immo etiam, qui hoc occultari facilius credas, dabo.
Myrrhina ita Phidippo dixit, jurijurando meo
Se fidem habuisse, et propterea te sibi purgatum. PAM. Optume'st:
Speroque hanc rem esse eventuram nobis ex sententia.
PAR. Here, licetne scire ex te, hodie quid sit quod feci boni?
Aut quid istuc est, quod vos agitis? PAM. Non licet. PAR. Tamen suspicor:

Volcat. Gallican. in Avidio. Plaut. Capt. i. 2. 20. *Ille demum antiquis est adolescens moribus, cujus nunquam voltum tranquillavi gratiis.* L.

21. Cum Bemb. aliisque probatis libris lege, *Ut unus omnium homo:* ut *unus* et *omnium* opponantur. Dein plures libb. cum edd. vett. recte habent *nusquam*. Nam si *nunquam*, dixisset *viserit*. B.

22. *Tune mihi istuc?*] Quia blandimentum magis meretricium est. D.—Ex Bemb. Vict. et nostris leg. *Tun' mi istuc?* B.

23. *Nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram*] Hoc est, nunquam sic videram, ut eam nossem. *Quod nossem*] Id est, quod meminissem, quod scirem: ac per hoc, nunquam videram: ut alibi, Adel. iv. 5. 7. *Non equidem istuc, quod sciam.* D.—*Eam, quod nossem, videram*] Hoc est, non sic videram, ut eam nossem. E.

24. *Dic verum*] Bene instanter ex meretrice quærit, quid de forma uxoris sentiat: scit enim hanc judicem esse pulchritudinis posse: vel quod femina, vel quod æmula. D.—*Perliberalis visa'st*] Vid. Fest. in voce *Liberales*. L.

25. *Numquid*] Num aliquid: acuendum ergo *quid*. *Neque opus est, adeo mutito*] Vel tenui dicto. D.—*Numquid subolet patri?*] Metuit, ne pater audiverit aut suspicetur aliquid de compressu. E.

26. *Non fieri hoc itidem, ut in comœdiis*] Mire: quasi hæc comœdia non sit, sed veritas: aut deest *aliis*. *Ut in comœdiis*] Deest *fit*. D.—*Ut in comœdiis*] Quasi hæc comœdia non sit. Constat enim, in comœdiis in postrema parte personas plurimas poni. E.—Leg. *placet haud fieri*. B.

27. *Omnia omnes ubi resciscunt*] In fine enim comœdiæ nihil cuiquam celari solet. *Hic, quos par fuerat*] *Hic*, in hac comœdia, aut in hac re. D.—Accentus gratia ex Bemb. sequor hunc ordinem, *quos fuerat par*. B.

28. *Neque resciscent, neque scient*] *Resciscunt* ad quos pertinet. Et *resciscunt* qui nesciunt, *sciunt* qui negligunt. Et *resciscimus* ex alio, *scimus* etiam per nostram opinationem. *Rescire*, est recognoscere, et vix invenire quod quis nescierit. D.

29. Pro *occultari* plurimi codd. *Occultari posse*; quod sensu probatur, sed versu repudiatur. Igitur ut utrique rei consulas, lege *occultum iri*. Nam Pamphilus de futuro erat inprimis sollicitus. B.

30. Etsi omnes libri habent *jurejurando*: leges linguæ tamen *jurijurando* poscunt. B.

33. *Here, licetne scire ex te*] Ridicule instat scire, ignoraturus Parmeno. D.—Illud *me* ante *scire* a sensu non postulatur, imo a versu repudiatur, et in melioribus libb. abest. B.

Egone hunc ab Orco mortuum? quo pacto? PAM. Nescis, Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi, et ex quanta ærumna extraxeris.
PAR. Immo vero scio; neque hoc imprudens feci. PAM. Ego istuc satis scio.
PAR. An temere quicquam Parmenonem prætereat, quod facto usus sit?
PAM. Sequere me intro, Parmeno. PAR. Sequor: equidem plus hodie boni
Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam. Ω. Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

35. *Egone hunc ab Orco mortuum?*] Verba sunt cogitantis, ideo, et ἐλλειπτικῶς loquitur. *Nescis, Parmeno*] Addidit stimulos curiositati ejus. D.—*Ego hunc ab Orco*] Hoc est, a Plutone, qui est Deus inferni, mortuum liberavi. Hic Parmeno eadem repetit verba Pamphili, et secum quasi hæc cogitans loquitur. E.—Bembinus, et Faerni Donatus *Ego hunc:* nostri *Egon' hunc.* Nihil interest. B.

36. Ne versus claudicet, illud *me*, quod in aliis libris abest, in aliis ponitur ante *extraxeris*, repone post *et*. B.

37. *Immo vero scio, neque hoc imprudens feci*] Recte: parvum enim beneficii meritum, si ab imprudente præstitum videatur. D.

38. *Temere quicquam Parmenonem prætereat*] Quod interdum non (dele *non*) temere prætereat, quod habet faciendi necessitatem. *Temere quicquam Parmenonem prætereat*] Sibi ipsi hoc dicit, et se nominat: ut, Æn. ii. 549. *Degeneremque Neoptolemum narrare memento.* Et, *Age nunc: Phormionem, qui volet, lacessito. Temere quicquam*] Utrum hoc dicit, Non temere, neque per imprudentiam geritur, quicquid utile est? An hoc dicit, Nihil potest transire temere, quod utile factu est, quin gratiam sui habeat? An hoc dicit, An quicquam Pamphilus prætereat temere: ita ut non remuneret bonum factum Parmenonis, quod sibi utile fuerit? Et convenit hoc dictum meretrici abeunti. D.—Hic versus nec Parmenoni, e ratione vulgari, nec Pamphilo, ex Bemb. sed Bacchidi tribuendus est, lætanti et Parmenonem ridenti. Itaque cum Bemb. *Parmeno* legi debet in casu recto. B.

40. *Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam*] Quia non convenit servo scienti recte facere, bene addidit *imprudenti* sibi evenisse, ut bene faceret: quod prudens nunquam fecerit. *Imprudens quam sciens*] Ἄνπιθετον secundum. Nam imprudentem scienti reddit, non prudentem. D.—*Feci imprudens, quam sciens*] Plaut. Capt. Prol. 44. *Ut sæpe jam in multis locis Plus insciens quis fecit, quam sciens boni.* L.

ÆL. DON. V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ COMMENT. IN TERENTII HECYRAM EXPLICIT.

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT. PHORMIONEM.

CHREMETIS frater aberat peregre Demipho,
Relicto Athenis Antiphone filio.
Chremes clam habebat Lemni uxorem, et filiam;
Athenis aliam conjugem, et amantem unice
Gnatum fidicinam: mater e Lemno advenit
Athenas: moritur: virgo sola (aberat Chremes)
Funus procurat: ibi eam visam Antipho
Quum amaret, opera parasiti uxorem accipit.
Pater et Chremes reversi fremere: dein minas
Triginta dant parasito, ut illam conjugem
Haberet ipse: argento hoc emitur fidicina.
Uxorem retinet Antipho a patruo agnitam.

ÆLII DONATI, V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ, PRÆFATIO IN PHORMIONEM TERENTII.

HANC comœdiam, manifestum est, prius ab Apollodoro sub alio nomine, hoc est, *Ἐπιδικαζόμενον*, Græce scriptam esse, quam Latine a Terentio *Phormionem*. Quamobrem nulla dubitatio est, hanc solam esse cui nomen poeta mutaverit: et errare eos, qui in hac Phormionem parasitum putant a formula litis, quam intenderit, nominatum: quum Græca lingua fiscus sparteus (Gloss. *Formio* Κόφινος· παρῆκται δὲ ἀπὸ τοῦ Ἑλληνικοῦ, ὡς ὁ Ἡσίοδος. Verba Hesiodi laudantur in Etymol. Magno: Οἵσεις δὲ ἐν φορμῷ: in voce *φορμίσκοι*. Basil. Mag. in Exercitatt. *φορμὸς* ὁ καλαθίσκος. Ulpian. l. 12. §. 18. ff. de instr. et instr. *formiones, et spongias, et amas, et scopas* L.) et stramen nauticum sic dicatur: a cujus rei vel capacitate, vel utilitate, etiam ab Apollodoro parasitus Phormionis nomine nuncupatur. Hæc igitur proprie tota *motoria* est, et in affectibus constituta pene majoribus, quam comicus stilus posceret: nisi quod arte poetæ omnia moderata sunt. Primas in ea partes, ut ipse poeta professus est, tenet *Phormio*, secundas *Geta*, tertias *Demipho*: subinde cæteri,

prout cujusque actus ostendit. Prologus Phormionis nimis concitatus est, adeo ut ipse semet veluti reprehendat ob hanc ipsam pervicaciam, et simul argumentum suæ purgationis inducat. Atque in ea quum et protasis, et epitasis, et catastrophe magni moliminis et negotii sint: ita variis leporibus asperguntur, ut etiam rerum tristium gravitatem poeta lepidus comica serenitate tranquillet. Hæc acta est ludis Megalensibus, Lucio Cornelio Merula Ædili Curuli, et L. Posthumio Albino: agentibus L. Cassio Attilio, et L. Ambivio: modos faciente Flacco Claudii filio tibiis Serranis, totaque diverbiis facetissimis, et gestum desiderantibus scenicum, et suavissimis ornata canticis fuit. Editaque est quarto loco, M. Valerio et C. Fannio Coss. Persona etiam in hujus protasi non una est, sed duæ: quarum altera extra argumentum posita est, cui narratur fabula: altera in argumento, quæ narrat fabulam. Argumentum quoque non simplicis negotii habet: nec unius adolescentis, ut in Hecyra: sed duorum, ut in cæteris fabulis. Scire autem convenit uno die transigi Phormionem: non, ut Heautontimorumenon, duobus. Prologus correpte ἀπὸ τοῦ προλέγειν dicitur, non producte ἀπὸ τοῦ πρωτολογεῖν. Nam officium prologi ante actionem (Ms. *ante narrat.* L.) quidem rei semper est: verumtamen et post principium fabulæ inducitur, et apud Plautum in Milite glorioso, et apud cæteros magnæ auctoritatis veteres poetas.

ARGUMENTUM.

Quum Chremes Demiphonis frater, adscito sibi ad fallaciam nomine, quo Stilphonem se dici fecerat, duas eodem tempore habuisset uxores, Athenis divitem, pauperem Lemni: ex divite sustulit filium, qui dictus est Phædria: ex paupere furtim suscepit atque educavit filiam, Phanium nomine, eamque consilio cum fratre habito destinavit filio ejus Antiphoni uxorem dare. Quibus complacitis, uno tempore profecti Athenis senes, Demipho in Ciliciam, Chremes Lemnum ad arcessendam filiam, quæ jam illinc cum matre navigaverat, occasionem dederunt amandi adolescentibus. Nam statim Phædria citharistriam sub lenone cœpit ardere: Antipho illam filiam patrui Phanium desponsatam sibi, nesciens nescientem, mox ut Athenas venit, nec patrem reperit, falsa duplici ejus nomine, matrem mortuam dum lamentatur, adamavit: consilioque et opera parasiti, secundum leges Atheniensium, quasi sibi cognata esset, tanquam in jure victus et velut coactus, eam accepit uxorem per absentiam patris. Qui quum advenisset, et vellet eam expellere: primo confutatur per impudentiam parasiti: post cum suo fratre sic decipitur, ut, dum eam credit ab Antiphone posse disjungi, eam parasitus ipse ducat uxorem: et det ducturo xxx. minas præsenteis dotis, puellæ nomine; quas Phormio acceptas Phædriæ dedit: ille lenoni ad citharistriam redimendam. Quibus gestis tandem Chremes agnovit filiam suam conjunctam esse fratris filio. Quare dum mutato consilio xxx. minas a Phormione per rixam conatur exigere, per eundem proditus uxori suæ Nausistratæ est: et factus libidinis reus, non ante veniam meruit a matrefamilias, quam et xxx. minarum, et amoris citharistriæ veniam dedisset filio. *Primus* Actus est in colloquio Davi et Getæ: per quos discit populus argumentum. *Secundi* Actus tenor continet adventum senis turbulentum, et ejusdem jurgium adversus Getam et Phædriam. *Tertio* Actui attribuitur litigium senis et Phormionis: tum consultatio cum advocatis: tum Antiphonis in scenam reditus, colloquiumque cum Geta: tum lenonis et Phædriæ colluctatio: tum adhortatio Getæ de inveniendo argento ad redimendam Phædriæ citharistriam. *Quartum* Actum ista concelebrant: adventus Chremetis, ejusdemque cum fratre deliberatio per errorem de ejicienda Phanio: Getæ verba de fallendis senibus: Antiphonis oratio apud semet ipsum de amore tractantis: Getæ

rursus cum senibus callida, et mox cum Antiphone de eadem causa simplex disputatio: senum inter se colloquium de expulsione mulieris: et ad extremum verba Chremetis agnoscentis nutricem, ac per eam filiam suam cum Antiphone conjunctam. In *quinto* Actu per Demiphonis errorem Phormio accipit argentum dotis nomine: et convenitur Nausistrata, ut exire domo compellat Phanium. Nunciatur Antiphoni et Phormioni per Getam, Phanium a patre agnitam, permissamque ut uxor habeatur: quæ quum ita nupta sit, exposcitur argentum a Phormione per rixam senum: a quibus ille oppressus, rem omnem aperit Nausistratæ: ad quod primum irata, ut in tali re uxor, mox lenitur in fine fabulæ, et tutissimum a patris iracundia præstat Phædriam.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

ANTIPHO *adolescens.*
CHREMES *senex.*
CRATINUS *advocatus.*
CRITO *advocatus.*
DAVUS *servus.*
DEMIPHO *senex.*
DORIO *leno.*
GETA *servus.*
HEGIO *advocatus.*
NAUSISTRATA *matrona.*
PHÆDRIA *adolescens.*
PHORMIO *parasitus.*
SOPHRONA *nutrix.*

PUBLII TERENTII

PHORMIO.

ACTA LUDIS ROMANIS, L. POSTHUMIO ALBINO, L. CORNELIO MERULA ÆDILIB. CURULIB. EGERE L. AMBIVIUS TURPIO, L. ATILIUS PRÆNESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI, TIBIIS INPARIBUS. TOTA GRÆCA APOLLODORU EPIDICAZOMENOS FACTA EST. IIII. C. FANNIO, M. VALERIO COSS.

PROLOGUS.

POSTQUAM poeta vetus poetam non potest
Retrahere a studio, et transdere hominem in otium:

1. *Postquam poeta vetus poetam non potest*] Hoc initium a destructione personæ adversarii sumitur, conjunctum cum insinuatione personæ Terentianæ. *Postquam poeta vetus poetam non potest*] Nota *postquam* apud veteres non præterito modo, sed etiam præsenti tempori adjungi. Ut, Ecl. i. 31. *Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.* Quamquam sunt qui *Postquam* simpliciter, pro *quoniam*, accipi velint. *Postquam poeta vetus*] Qui jam diu est, non qui jam diu fuit. Ergo ut vinum, *vetus:* non vetus, ut Ennius. *Postquam poeta vetus poetam*] Jocunda repetitio: ut, Æn. xii. 139. *Diva deam;* et, Æn. i. 688. *notos pueri puer indue vultus. Postquam poeta vetus poetam non potest*] Ἀντίθετον primum per σύλληψιν primam, ita ut extrinsecus *novum* audiri poetam oporteat. D.—Semel tibi datum præceptum circa prologos perseverat; nunquam Terentium ratione uti in prologis, qua utuntur omnes: quippe cum adversarius Luscius Lanvinus maledictis frequentissime eum persecutus sit, quibus oportet in prologo respondere. Hanc quidem quæstionem etiam ipse fecit: quod enim Terentius, nunquam prologis uteretur, nisi haberet adversarium cui malediceret, certum est. Ita nascitur hic quasi quædam controversia, qua reus efficitur Terentius, quod facit (*faciat* Z.) contra legem, quod injuste agat, omittendo prologorum consuetudinem, et tantum maledicta ponendo. Huic per qualitatem respondet: adversarium suum cogere se, ut istud quod Terentius facit, possit efficere. *Postquam poeta vetus*] Id est, Luscius Lanvinus poetam nostrum Terentium non potuit coercere, quo minus comœdias scriberet, et hominem ad otium revocaret, cœpit eum maledictis terrere, credens non scripturum comœdias Terentium, si ei sæpe malediceret. Objicit præterea primum quæstiunculam, quod leves comœdias Terentius fecerit. Criminatur quod non fecit, quod Luscius Lanvinus in comœdiis fecit. Ita fit objecti criminis ex quadam adversarii accusatione purgatio. E.

2. *Retrahere a studio*] Sic loquitur, quasi rem scenicam magis lædere voluerit Luscius, quam Terentium. *Transdere*] *Transdere* veteres sonantius, quod nos lenius dicimus *tradere:* ut *tralatum*, nos *translatum* e contrario. *Et transdere hominem*] Comice et venuste inseruit *hominem:* ut, Æn. v. 259. *Levibus huic hamis consertam auroque trilicem Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse Victor, apud rapidum Simoenta sub Ilio alto, Donat habere viro, decus et tutamen in armis.* D.—*Transdere hominem*] Vett. codd. et Ms. R. *tradere.* L.—Victorianus liber et aliquot nostri *ab studio.* B.

Maledictis deterrere, ne scribat, parat.
Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui esse oratione, et scriptura levi:
Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum
Cervam videre fugere, et sectari canes:
Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi.
Quod si intelligeret, quum stetit olim nova,
Actoris opera magis stetisse, quam sua:
Minus multo audacter, quam nunc lædit, læderet;

3. *Maledictis deterrere*] Sensus hic est: Ipse se, inquit, adversarius fatetur victum, qui a rebus exclusus, ad verba delapsus est. *Maledictis deterrere*] Deest *eum*; ut, Æn. i. 76. *Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam, Connubio jungam stabili.* D.

4. *Qui ita dictitat*] Impudentiam ostendit per frequentativum verbum. *Quas antehac fecit fabulas*] Et hic lentum accusatorem facit, qui præterita ingerat, et de quibus jam sit judicatum in melius. D.—Sensus postulat, *quas ante hic fecit f.* Nam e ratione vulgari *fecit* refertur ad veterem poetam. Sed e nostra *hic* indicat, uti par est, Terentium. Cf. ad And. Prol. 13. et Eun. 31. B.

5. *Tenui esse oratione, et scriptura levi*] Imperitum inducit criminatorem, qui hoc objiciat, quod proprium debet esse comici stili. Revera autem hoc deterior Menandro Terentius judicabatur, quod minus sublimi oratione uteretur: quod ipsum nunc purgat, dicens in tragœdia (*tragœdiam* ed. Argent.) altiora transire posse. D.—*Tenui esse oratione, et scriptura levi*] Hoc est, soliditatem in verbis nullam, nullam in rebus. Hoc objectum est: ostendit etiam nullam gravitatem: quoniam istud quod objecerat, ista (*istum ipsum* Z.) fecisse; ideo objecit quod non fecit, quod fecit idem Luscius Lanvinus. E.

6. *Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum*] Ideo videmur leves, tenuesque, inquit, quia non in comœdia prodigia facta sunt, et tragœdias concitavimus. Et callide hic non solum errorem reprehendentis, sed etiam imperite scripsisse ipsum ostendit Luscium Lanvinum. *Scripsit*] Legitur et *fecit*. *Adolescentulum*] Ut comicam personam ostenderet, artificiose imminuit *adolescentulum*, quo magis persona a sublimitate tragica discederet. D. —Pro *scripsit*, Donati fide et consuetudine Terentii repone *fecit*. Vid. Heaut. Prol. 31. B.

7. *Cervam videre fugere, et sectari canes*] Hic affectus a comœdiis removendus est. *Cervam videre fugere, et sectari canes*] Ambiguitas per accusativum casum, perseverans usque ad ultimum de industria, ut etiam ipsa perplexitas odiosa sit. D.—*Et sectari canes: et eam plorare, orare, ut subveniat sibi*] In qua utique perspicis nihil quod comœdiarum sit. Non enim aut amator erat, aut suspicione ducitur, aut affectus est alicujus, aut irascitur pater, quod nolit filius ducere uxorem, aut aliquid horum, quod solet esse in comœdiis ut debet. Primum enim quod ad comœdiam pertinet id est, *adolescens insanus* (*Primum enim q. a. c. pertinet illius, est adoles. i.* Z.), qui affectus a comœdiis longe videtur alienus: quod deinde *cervam videt fugere, et sequi canes*, istud omnino a comœdia alienum est. Ita nescio quod genus dicendi est alienum: siquidem Luscius Lanvinus in eo sit, Terentius ostendit, vilia se magis ista vitare: ut si quid in adversario esse cognoverit, reprehendat quod intelligeret. E.

8. *Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi*] Hæc omnis περίστασις tragica est: et ideo in comœdia vitiose inducitur. D.

9. *Quum stetit olim nova*] Bene hoc positum est: potuit enim responderi, Cur igitur stetit, et non exacta est a populo? *Quum stetit olim nova*] Recte *olim*: quasi dicat, Quum adhuc Terentius non scriberet, penuria meliorum est probata. Deinde quod ait *nova*, hoc significat, omnia carmina novitate ipsa commendari, etiamsi nullius momenti sint. D.—*Cum stetit olim nova, actoris opera magis stetisse quam sua*] Comœdia ista, quam reprehendit, dicta a Lanvino est, et placuit: cur (*igitur* Z.) potest esse præscriptio, quod reprehendi non possit ex eo, quod jam populo placuit. Occurrit huic Terentius dicendo, quod si animadverteret, quoniam cum nova comœdia quam reprehendit, data est, *actoris opera* stetit, non *sua*; ut non magis ingenio placuerit poetæ, quam actoris artificio. E.—Versus causa viri eruditi recte dudum monuerunt, legendum esse, *olim cum stetit nova*. B.

10. *Actoris opera magis stetisse*] Una opera et suffragium scenicorum comparat, et lædit adversarium. D.

11. *Minus multo audacter*] Nove dictum,

Et magis placerent, quas fecisset fabulas.
Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet,
Vetus si poeta non lacessisset prior,
Nullum invenire prologum potuisset novus,
Quem diceret, nisi haberet cui malediceret:
Is sibi responsum hoc habeat; in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.
Ille ad famem hunc ab studio studuit reicere;

minus multo audacter: ut cum dicamus nos, *minus audacter.* D.

12. *Et magis placerent*] Hic versus abest a plerisque Mss. L.—Hunc versum, repetitum ex And. Prol. 3. tanquam ab hoc loco alienum, cum Faerno aliisque delendum censemus; præsertim cum in tribus antiquissimis libris, Bemb. Vatic. et Victor. absit. B.

13. *Nunc si quis est qui hoc dicat, aut sic cogitet*] Omne quod in mentem venit, aut cogitamus, aut dicimus: ut Virg. Æn. ii. 124. *Et mihi jam multi crudele canebant Artificis scelus, et taciti ventura videbant.* Hic sensus est, Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut censeat, Improbus est Terentius, qui omnes prologos de maledictis facit: habeat is hoc responsum sibi, adversarium coegisse, qui provocaverit. Nam quid faceret Terentius, quum de palma artis musicæ certandum videat esse sibi? D.—*Nunc si quis est*] Hæc est illa propositio quæstionis, quod nunquam prologus a Terentio ponatur causa qua solet prologus dici, ut poetam commendet, ut argumentum dicat, sed tantummodo maledicat adversario. Hanc quæstionem ut dixisset (*Ad hanc quæstionem solvendam dixit,* Z.) supervacuos esse quodammodo prologos, neque illi comœdiæ (*illis comœdias* Z.) contineri: omnis enim palma, omnis victoria, omne certamen, in ipsa fabula continetur. Comœdiæ sunt illæ ubi virtus et ingenium possit pervenire ad gloriam. Hic (*Hinc* Z.) igitur dixit, *in medio palmam omnibus positam, qui tractant artem musicam.* Non principia, neque extremitatem oportere considerare, sed illa quæ sunt media, quæ comœdiam tenent, ubi ars musica tota versatur. E.

14. *Lacessisset prior*] Aut *lacessisset* abundat, aut *prior.* D.

15. *Nullum invenire prologum*] *Prologum* modo, non hominem, sed verba significat. *Novus*] Hic quod supra prætermisit, veteri supposuit (*opposuit*) novum. D.—Versus gratia repone *posset* pro *potuisset.* B.

16. *Nisi haberet cui malediceret*] Mire *haberet:* quasi dubium non sit, maledicendum esse Luscio (*Luscio* abest in edd. vett.). D.

17. *Is sibi responsum hoc habeat*] Huic rei per qualitatem (*pro qualitate,* edd. vett.) respondet, adversarium cogere, ut sic agat. *In medio omnibus palmam esse positam*] Sensus hic est, Inveniret, inquit: sed maluit, quum de palma certandum sit, adversario respondere lædenti. Verum oratorie manifesta solvere non curavit, hoc est, nullum invenire prologum potuisse Terentium: et (*etc.*) hoc enim objiciendum fuit omnibus et novis, et veteribus poetis. *Palmam* pro causa certaminis posuit. Et ideo non est mirandum, si pugnant quibus causa certaminis præsto est. D.

18. *Qui artem tractant musicam*] Virg. Æn. i. 605. *nec quicquid ubique est Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.* Et περιφραστικῶς, ἀντὶ τοῦ, qui comœdias scribunt. D.

19. *Ille ad famem hunc ab studio*] Hic maxime incipit solvere quod sibi superius ipse proposuit. *Ille ad famem hunc ab studio*] Nunc quid est, inquit, poetam vituperare, nisi ad famem rejicere? nam poetæ probi (*pauperes* Z.) suas vendebant fabulas: et harum pretiis alebantur. *Ille ad famem hunc ab studio*] Cur lacessitus respondes? certamen est, inquit. *Ab studio studuit*] Vetuste (*Venuste:*) ut, *luserat ludum,* et, *pugnam pugnavit.* D.—*Ille ad famem ab studio voluit hunc reicere*] Nota adversarii voluntatem, quod maligne persecutus sit, uti Terentius a fama rejiceretur: vendebant enim comœdias, et inde quæstum habebant: certe optime respondit, etiam adversum quod dixit, *Hic respondere voluit, non lacessere.* Fit enim justum cum respondemus potius maledicis, quam maledictis aliquem provocamus. Ita cum paria referimus, crimen est nullum. Quod adjunxit, *Quod ab illo allatum, hic sibi relatum putet.* Commendat nunc poetam, cum subjungit, *De illo jam finem faciam dicendi, cum ipse de se non facit.* Hic graviter et illum peccare multa docuit, et se contentum esse respondere. E.—Versus, pro vulgari *rejicere,* lectionem probatorum codd. poscit *reicere;* ut Virg. Ecl. iii. 96. *Tityre, pascentis a flumine reice capellas.* B.

Hic respondere voluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene:
Quod ab ipso allatum'st, id sibi esse rellatum putet.
De illo jam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi quum ipse de se finem non facit.
Nunc quid velim animum attendite: apporto novam,
Epidicazomenon quam vocant comœdiam
Græci: Latini Phormionem nominant:
Quia primas partis qui aget, is erit Phormio

21. *Benedictis si certasset*] Quia supra dixit, *In medio omnibus palmam esse positam:* quasi dicat, quicquid in certamen venerit, in eo vincendos æmulos esse. *Si certasset*] *Certasset* ἀντὶ τοῦ provocasset: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Virg. Æn. i. 552. *nec te certasse priorem Pœniteat. Audisset bene*] *Bene audire*, est bene dici, laudari. D.—*Benedictis si certasset*] Plaut. Pseud. iv. 7. 77. *Contumeliam si dicis, audies.* Hieronym. advers. Pelagian. *Cum dixeris quæ volueris, audies quæ nequaquam velis.* Et adversus Rufin. *Nihilque super hoc amplius, nisi illud e trivio, Cum dixeris quod vis, audies quod non vis. Aut si tibi videtur vulgare proverbium, et homo sapientissimus magis philosophorum ac poetarum sententiis delectaris, lege illud Homericum,* Il. υ'. 250. ὁπποῖόν κ' εἴπησθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις. Vid. Quinctil. lib. v. de iis qui latius evagantur. L.

22. *Quod ab ipso allatum est*] Id est, maledictum. *Quod ab ipso allatum est, sibi esse id rellatum putet*] Proverbiale est, *Quod dedit, recipit.* Et geminavit L. ut, Æn. i. 34. *Relliquias Danaum.* D.—Versus haud improbat lectionem omnium fere Faerni et nostrorum librorum, *Quod ab illo allatum'st, sibi esse id rellatum p.* B.

23. *De illo jam finem faciam dicundi mihi*] Ἀπὸ τῆς ἐπιεικείας τοῦ λέγοντος. *Dicundi mihi, peccandi quum ipse de se finem non facit*] Et *mihi*, et *de se* proprie positum est: et præterea ἀμφιβολία. D.—Cum auctor et ab initio et aliis in prologis maledictis respondeat: sane hic locus isti mori repugnare videtur. Igitur hic pro *jam* reponendum puto *tum:* et illud *non* in sequenti delendum, mutato *facit* in *fecerit.* B.

24. *Peccandi*] Maledicendi. *Peccandi quum ipse de se finem*] Prius, inquit, ego de illo finem faciam, quam ipse de se. An, prius dicendi ego faciam, quam ille peccandi finem? *Non facit*, pro non faciat: ut, *Mirum ni ego me turpiter hodie dabo.* D.

25. *Nunc quid velim, animum attendite*] Deest, *quæritis:* ut sit, Nunc quid velim, quæritis? animum attendite. *Apporto novam*] *Novam* Latinam dicit. D.—*Nunc quid velim, animadvertite*] Supponit perpaucos versus ad officium prologi, ut aliquid instruat de comœdia. E.

26. *Epidicazomenon quam vocant comœdiam*] Hic manifeste errat Terentius. Nam hæc fabula quam transtulit, *Epidicazomene* dicta est, a puella de qua judicium est: quum sit alia *Epidicazomenos* ejusdem Apollodori. Debuit ergo dicere *Epidicazomenen* Græce. D.—*Apporto Epidicazomenon quam vocant Græci comœdiam*] Nomen comœdiæ dicere, aliquid argumenti tangere, prologi officium est. E.—Non est quod cum Donato erroris arguamus Terentium, cum facile corrigere possimus *Epidicazomenen.* Nam ut Ἐπίδικος, auctore Harpocratione, est virgo orba, de qua lis, cui debeat in matrimonium locari: ita Ἐπιδικαζομένη est, de qua judicium factum est: et talis utique hic a Terentio inducitur Phanium. B.

27. *Latini Phormionem nominant*] Φόρμιον tegiculum dicunt Græci, quo insternitur pavimentum: unde Phormio correpta prima syllaba apud Apollodorum est. Non ergo a formula, ut quidam putant, dictum est. Ergo inde parasitus, vilissimæ conditionis homo, nomen accepit. D.—Corrige, *Græce, Latine hic Phormionem nominat.* Nam primum cod. unus e Mead. habet *Latine*, et alius vett. *Græce, Latine.* Dein Latini, priusquam ageretur et cognosceretur fabula, Phormionem appellare non potuerunt. Denique ex prologis Plauti satis colligitur, suæ quemque poetam comœdiæ indidisse nomen. B.

28. *Quia primas partes qui aget*] *Primas* nunc, maximas: ad actorem enim retulit. Cic. Divin. 15. *Sæpe illum qui est secundarum aut tertiarum partium. Phormio parasitus*] Si a *formula* esset nomen comœdiæ, primam produceremus syllabam: si a *Phormione*, corripere debemus. D.—*Quia primas partes*] Hoc est, *summas* dicet, qui fecerit (*fuerit:* aut, *quem fecerit*, seu, *quas fecerit*, Z.) parasitus Phormio, non *priores;* siquidem comœdiæ nomen impositum est ab eo actore, per quem plurima aguntur. E.—Recte meliores li-

Parasitus, per quem res agetur maxume:
Voluntas vostra si ad poetam accesserit.
Date operam; adeste æquo animo per silentium:
Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,
Quum per tumultum noster grex motus loco'st:
Quem actoris virtus nobis restituit locum,
Bonitasque vostra adjutans, atque æquanimitas.

ACTUS PRIMI SCENA PRIMA.

DAVUS.

AMICUS summus meus et popularis Geta

bri exhibent *partis*. Nam apud veteres si genitivus pl. in *ium* exit, accusativus habet *is*, non *es*. B.

29. *Per quem res agetur maxime*] Quia *primæ partes* etiam aliud significant: non ergo nunc primum actum dicit, sed *summas* partes. Et bene *maxime*: quia et per alios. D.—*Res agetur*] Ms. R. *geretur*. L. —Plerique codd. iique meliores pro *agetur* habent *geretur*. B.

30. *Voluntas vestra si ad poetam accesserit, date operam*] *Si voluntas accesserit*: pro, si faveritis: nove sic Cicero, Fam. iv. 13. *voluntatem*, pro favore ponit. D.

31. *Adeste æquo animo*] Favor in comœdia silentium spectatoris est. Recte ergo addidit *per silentium*. *Æquo animo*] Nunc propositio est. D.—*Adeste æquo animo*] Subjungit illam benevolentiam, quam semper petit prologus: et rogat etiam ut audiatur cum silentio. E.

32. *Ne simili utamur fortuna atque usi sumus*] Ne populum læderet, *fortunam* maluit accusare. D.—*Ne simili fortuna*] Datur hic intelligi, quod hæc comœdia post illam comœdiam, quæ dicitur Hecyra, est: ut hoc hic tetigerit, ne tali fortuna utamur, qua usi sumus, frequentissime exclusi. Aliquando tamen cum labore maximo comœdiam egimus, virtute potius perseverantis actoris, qui totiens sit exclusus. Ne tantum quasi actoris illam comœdiam fecerit audiri virtute, sed perseverantia; et ne ex hoc injuriam populo fecisset, adjecit, *Bonitas vestra adjutans, atque æquanimitas*. E.

33. *Quum per tumultum noster*] Apparet Hecyram ante Phormionem actam esse: cui contigit id quod queritur, populum subaccusans. *Noster grex motus loco est*] *Locus*, est distributio temporum, quæ cuique in spectaculum venturo attribuuntur ab Ædilibus. Unde *loco motus* dicitur, qui suas horas non obtinuerit inter præcedentes et consecuturos. Ergo proprie. Sic et Cicero, Catil. ii. 1. *Loco ille motus est, quum est ex urbe pulsus*. D.

34. *Quem actoris virtus*] Ubique laudat actorem: est enim poetæ utile. *Quem actoris virtus*] Qui exclusus toties, animum non abjecerit, sed perseveraverit agere: ideo *virtus*. *Restituit locum*] Bene repetivit locum, ut ἀμφιβολίαν vitaret: ne *quem tumultum* dicere videretur. D.

35. *Bonitasque vestra adjutans, atque æquanimitas*] *Bonitas* in omnibus generaliter rebus est: *Æquanimitas* in spectando. An *bonitas* in probandis his quæ bona sunt, *æquanimitas* in ignoscendis vitiis atque delictis? An ταυτολογία est? An *bonitas* circa omnes: *æquanimitas* circa Terentium? *Bonitasque vestra*] Ne totum actori tribuens, nihil populo præter culpam reliquisse videretur, honoris causa hoc addidit. *Adjutans*] Sic veteres dicere maluerunt, quam *adjuvans*. D.

1. *Amicus summus meus et popularis*] Quod in omnibus fere comœdiis, in quibus perplexa argumenta sunt, fieri solet, id in hac quoque Terentius servat: ut προγατικὸν πρόσωπον, id est, personam extra argumentum, inducat: cui dum ob hoc ipsum, quod veluti aliena tota fabula est, gesta res narratur, discat populus textum ex continentia (*et continentiam*) rerum, sitque instructus ad cætera. *Amicus summus meus et popularis Geta*] In hac scena, quæ docendi atque instruendi spectatoris causa inducitur, mire extrinsecus lepores facetiæque cernuntur et sales comici. Id enim est artis poeticæ, ut quum narrationi argumenti detur opera: jam tamen res agi, et comœdia spectari videatur. *Amicus summus meus et popularis Geta*] Insinuatio personæ ejus, quæ inducitur ad audiendum argumentum.

Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula
Jam pridem apud me relliquum pauxillulum
Nummorum: id ut conficerem: confeci, affero.
Nam herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem: ei credo munus hoc corraditur.
Quam inique comparatum'st; hi qui minus habent,
Ut semper aliquid addant divitioribus!

Et vide servum ostendi Davum: et non ostendi cujus servus sit. *Amicus summus meus*] Causa cur in scenam procedat Davus. *Amicus*] A voluntate. *Populari*] A fortuna. *Populari*, ejusdem conditionis gentisque. Sallustius, Cat. 22. *Populari sui sceleris.* Et *populari*, populo amatus, et *populari* civis, et *populari* humilis, et *populari* vilis, e populoque factus: ut si quis dicat sordidum, *popularem civem.* *Amicus summus meus*] Davus extra duas familias inducitur, quæ in hac sunt fabula, alienus, ac per hoc ignarus, cui narret Geta argumentum. D.—*Amicus summus*] Argumentum fabulæ in prima scena plurima parte tractatur. Hæc continet rationem: nihil aliud tenet, quam expositionem rerum gestarum, unde formam nullius causæ habet. Ergo verba ac sensus qui obscuri fiunt sequamur. *Amicus summus et populari*] *Populari* tribus modis accipimus, de populo socius, et ejusdem conditionis de populo, ut in Sallust. Catil. 22. accipimus eos qui in populo sunt ejusdem conditionis, *cum ad jusjurandum populari sui sceleris adigeret*, hoc est, socios. Ejusdem conditionis. Ut, *obsecro! populares, ferte misero atque innocenti auxilium!* quamquam illic etiam de populo potest. At vero hic, *Amicus summus meus ac popularis Geta*, quid aliud quam servum inducit, quod (*indicat, qui* Z.) est ejusdem conditionis? E.

2. *Heri ad me venit*] Apparet heri fuisse nuptias. *Heri ad me venit*] Propter cognationem *e* et *i* literarum, non dubitaverunt antiqui et *here* et *heri* dicere, et *mane* et *mani*, et *vespere* et *vesperi.* *Erat ei de ratiuncula*] Deest *nam*: sed mire subtractum est. *Erat ei de ratiuncula*] Opportuna diminutio in re servili, *ratiuncula*, et *pauxillulum.* *Erat ei de ratiuncula*] Moraliter intulit, *erat ei*: magis enim facetum et comicum est, quum ἀσυνδέτως infertur, quam si diceret, *nam erat ei.* D.—*Erat ei de ratiuncula*] *De ratiuncula* quam apud me habet, erat ei *reliquum nummorum*, sed aliquantulum. E.—*De ratiuncula*] Priscian. lib. iii. L.

3. *Jampridem apud me reliquum*] De argumento sumitur causa colloquii. Nam debui, inquit, Getæ: et ille me exigit, ut muneretur. (*numeretur* Ms. B. et edd. vett.) domino ob nuptias factas. *Pauxillulum*] Quartus gradus diminutionis, *paulum, paululum, pauxillum, pauxillulum.* D.

4. *Id ut conficerem*] Ἔκλειψις prima. Et *conficerem* proprie: nam *fieri pecunia* dicebatur. Sallustius, *quæ pecunia ad Hispaniense bellum Metello facta erat. Confecerem*] Quia in promtu non erat. *Confeci: affero*] Bene: quasi reddendæ moræ (*quasi reddendi mora* Ms. H.) non habere, causa fuerit. D.—*Id ut conficerem*] Hoc est, ut id reddendum pararem. E.

5. *Nam herilem filium*] Τρόφιμον Græci dicunt: atque haud scio, an Latini quoque *alumnum* dicere poterant (*potuerint*), nisi hoc mallent. *Nam herilem filium ejus duxisse audio uxorem*] Mire se applicat argumento. D.

6. *Ei credo munus hoc corraditur*] Mire. Heri quidem fuerunt nuptiæ, sed adhuc *munus corraditur*: quia in nuptiis etiam septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus dies, quo parentalia concluduntur. *Et credo*] Uxori scilicet. *Munus hoc corraditur*] *Hoc*, pecuniæ scilicet, munus erit: et est figura ἀνεξήγησις. *Credo*] Pro vere scio. Et *ei*, an uxori, an absolute? ut sit, *ei rei? Corraditur*] Apta in verbo difficultas: ut in Adelphis, *minas decem corradet alicunde*, Et, *corrasi omnia.* D.—*Et, credo, munus*] Paratur sicuti arbitror domini filio, ducenti uxorem. *Corraditur* autem, magno labore et inopia colligitur. E.

7. *Quam inique comparatum est*] Miro ἰδιωτισμῷ morem pro lege conqueritur. *Comparatum*] Constitutum est lege. Et *hi qui minus habent, et divitioribus* dixit: ne diceret, servi dominis: vult enim latius patere quod dicit, et generalem esse sententiam. *Quam iniqua comparatum est, hi qui minus habent*] Garrulos servos et sententiosos amat comœdia: tristes et parce loquentes tragœdia. D.—*Quam inique comparatum!*] Scilicet inique id effectum atque dispositum, ut semper pauperes ditioribus, hoc est, divitibus aliquid velint adhibere, dum munera eis mittunt, a quibus accipere ea debeant. E.

8. *Ut semper aliquid addant*] Mire non *dent*, sed *addant*: et non, *aliquando*, sed *semper.* *Divitioribus*] Pro, minus pauperibus. D.—Nonnulli libri pro *divitioribus*

Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defrudans genium, comparsit miser,
Id illa universum abripiet: haud existumans
Quanto labore partum: porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies:

habent *ditioribus*. Utrunque scribas, pronunciatio est eadem. B.

9. *Quod ille*] Docte ad singularem numerum transit a plurali. *Quod ille*] Redit ad Getam. *Unciatim*] Sic veteres, *multa unciatim*. Cum expensa pecunia ferretur more veterum: non ut nunc annumeraretur, *assis* libra erat: ejusque partes, *unciæ*. Rursus unciæ unius duodecima pars, *libella* dicebatur. Merito ergo non per singulos sestertios, neque per singulos denarios, neque per singulos asses: sed id quod *ὑπερβολικῶς* minimum fuit, per singulas uncias, *unciatim* dixit. Et Cicero, Verr. ii. 10. *Ecquis Volcatio, si sua sponte venisset, libellam unam dedisset? Unciatim vix*] Potuit et unciatim, et cito conflari peculium. Ut multa pauxillatim; et cito fiunt maxima. Merito ergo additum est *vix*. Sed quid si et *unciatim*, et *vix*, et tamen de lucro dedit? *De demenso suo*, inquit. Quid si ex abundanti? *Suum defrudans genium*. Deinde, non *acquisivit*, sed, *comparsit*. Et ad postremum, *miser*: ut iniquitas consuetudinis, comploratione finiretur. *De demenso suo*] Servi quaternos modios accipiebant frumenti in mensem: et id *demensum* dicebatur. Et utrum a *mense*, an a *metiendo*, incertum est. D. —*Quod ille unciatim*] Hoc est, paulatim, velut per singulas uncias. *De demenso*] De cibario, hoc est, quod sibi sit demensum: a metiendo. E.—*Defraudans genium*] Plaut. Aulul. iv. 9. 13.—*tantum auri perdidi? Quod custodivi sedulo. Egomet me defraudavi, Animumque meum, geniumque meum*. Pertinet autem huc locus Junii Philargyrii in Virgil. Eclog. 5. *Sollemnia vota. Cœnarum tria genera, unum sollemne, aliud viaticum: ut, Ad cœnam vocant, adventum gratulantur. Ut idem Terentius: Quod vix de demenso suo, suum defraudans genium*. Videnda. Servius Geo. i. 302. Non. Marcell. in voce *Genialis*. L.

10. *Suum defrudans genium*] Ut contra, *genialia curare* dicitur, qui vivit lautius. D.—*Suum defrudans genium*] Fraudare suum genium dicitur, si quis parcius bibit, si quis parcius vivit. At vero bene genio facit, si quis vitam largius colit. Virg. Georg. i. 302. *Invitat genialis hyems, curasque resolvit*. Et alio loco, Æn. vi. 603. genio persuadet fieri (adde *lectum nubentis* Z.), *lucent genialibus altis Aurea fulcra toris. Comparsit miser*] Parcendo servavit. E.—Veterem scripturam *compersit*, quæ exhibita est in Bemb. et apud Nonium, in textum recipiendam putamus. B.

11. *Id illa*] Nupta scilicet. *Universum abripiet*] Contra illud quod *unciatim* dixerat. *Universum abripiet*] Magna virtus pene in singulis syllabis: contra illud quod ait *ille, illa* retulit: contra *unciatim, vix*: et *demenso suo, universum*. Contra id quod ait, *munus corraditur, Abripiet*. Contra, *Suum defrudans genium*, et *comparsit miser, haud existimans quanto labore partum. Haud existimans*] *Haud existimans*, vel intelligens, vel recogitans, ac reputans. *Haud existimans*] Pro, æstimans. Sallustius, *si, Quirites, parum existimaretis*. D.

12. *Quanto labore partum*] Hoc sic pronunciandum est, quasi nunc ei venerit in mentem sæpius passurum Getam, quod semel tolerare gravissimum judicaverit. *Quanto labore*] Ut, Æn. vii. 244. *reliquias Troja ex ardente receptas. Partum*] Proprie dicitur *partum*, de eo quod labore quæsitum est: quia nullus partus sine dolore est ac labore. *Porro autem Geta ferietur*] Ad paupertatem retulit *ferietur*. Nam et damnum, *plaga*: et res, *sanguis* noster dicitur. D.

13. *Ferietur alio munere*] Significanter, non *fungetur* munere, sed *ferietur*, dixit. *Ferietur alio munere*] Ex consuetudine, *ferietur*. Nam et *plagam*, damnum: et sumtum, *sanguinem* nostrum dicimus. *Ubi hera pepererit*] Quæ supra *illa* dicta est. D.—*Ferietur alio munere*] Expressit impetus damni, cum dixit, vacua remittent. E.—*Ferietur alio munere*] Seneca de Benefic. vii. 4. *Numquid dubium est, quin servus cum peculio domini sit? dat tamen domino munus*. L.

14. *Porro alio autem*] Et *alio* (*Alio et alio*) quod dicit, pro multis pronunciandum est. *Ubi erit puero natalis dies*] Cum (UBI, *cum*) adjectione temporis cujuslibet. *Natalis dies* melius dicitur: *ut natalis locus*: et *natale astrum*: sed Virgilius, Ecl. iii. 76. serviens personæ rusticæ, *meus est natalis, Iola*, inquit; nec addidit, *dies*. D. —*Puero natalis dies*] Semper natalis dies, cum pueri initiantur. Natalis annus, natalis dies, natalis hora (adde, *dicitur conjunctim* Z.). Alioquin per se vix dici po-

15 Ubi initiabunt: omne hoc mater auferet:
Puer causa erit mittundi: sed videon' Getam?

ACTUS PRIMI SCENA II.

GETA. DAVUS.

SI quis me quæret rufus. DA. Præsto'st, desine. GE. Oh!

test: quod quidem Virgil. in Bucolicis, Ecl. iii. 76. *Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola,* ut solum per se enunciasset. E.—*Ubi erit natalis dies*] Summa cura et religione antiqui observabant, ne amici diem natalem sine munere dimitterent. Symmach. lib. vi. epist. 49. *Natalitio munere, quod frequentari a nobis per multos annos communis felicitas faciet, nostrum hilarastis animum.* Pomponius, lib. xxxi. §. 8. ff. de donat. int. vir. et uxor. *Si vir uxori munus immodicum Kal. Martiis, aut natali die dedisset, donatio est.* Plaut. Pseud. i. 2. Ille vero cujus natalis erat, hoc agebat, ut genialiter eo die et amicos et se acciperet. Persius, Satyr. ii. *Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo, Qui tibi labentes apponet candidus annos: Funde merum genio.* Plaut. Pseud. i. 2. 32. *Mihi hodie natalis dies est, decet eum omnes vos concelebrare: Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua jaceant: satin' audis? Magnifice volo enim summos viros accipere.* Idem in Persa, act. 5. Juvenal. Satyr. 5. Symmach. lib. vi. ep. 82. Adeo quidem, ut non privatum, sed publicum sæpe convivium daretur. Atque hoc est, quod Marcianus notat in lib. xxxiii. ff. de ann. leg. *Cum quidam decurionibus divisiones dari voluisset die natalis sui, Divi Severus et Antoninus rescripserunt, non esse verisimile testatorem de uno anno sensisse, sed de perpetuo legato. Divisiones* vocat viscerationem, crustula, et mulsum, quæ viritim convivis dividebantur, ut ex inscriptione apparet, quæ Spoleti est:

TRIB. MIL. LEG. XV. APOLLINARIS. ET LEG. V. MACEDONIC. HIC. LEGAVIT. TESTAMENTO. MUNICIPIBUS. HS. LXVI. C. MONET. UT. EX. REDITU. EJUS. SUMMÆ. QUOT. ANNIS. VIII. IDUS. NOVEMB. NATALE. SUO. MUNICIPIB. EPULUM. ET CRUST. ET MULSUM DARETUR.

Qui mos non solum autem apud Italos, sed et alibi gentium usu receptus fuit: sic enim Genes. xl. in natali suo Pharao opipare convivatur: et Matth. cap. xiv. natalis Herodis splendide celebratur. Quamvis ne tale quid a populo Judaico committeretur, lege interdictum fuisse Josephus scribit contra Apionem: Οὐ μὲν οὐδ' ἐπὶ ταῖς τῶν παίδων γενέσεσιν ἐνέτρεπεν εὐωχίας συνάγειν, καὶ προφάσεις ποιεῖσθαι μέθης, ἀλλὰ σώφρονα τὴν ἀρχὴν εὐθύς. L. —Versus probat lectionem codd. nostrorum vett. *Porro álio autem;* ut *alio* sit in ictu, ut in præcedenti. B.

15. *Ubi initiabunt*] Hoc vultuose pronunciandum. *Ubi initiabunt*] Ut quidam, *cibo et potu:* ut quidam, *sacris. Ubi initiabunt*] Legitur apud Varronem initiari pueros Eduliæ, et Poticæ, et Cubæ, divis edendi, et potandi, et cubandi: ubi primum a lacte et a cunis transierunt: quod Virg. Ecl. iv. 63. *Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est:* hoc adnotavit Probus. Sed Terentius Apollodorum sequitur: apud quem legitur in insula Samothracum a certo tempore pueros initiari, more Atheniensium; quod, ut in palliata, probandum est magis. *Ubi initiabunt*] Hoc sic inferendum est: non quasi hoc solum sit, sed quasi defatigatus sit enumerando occasiones dandorum munerum. *Omne hoc mater auferet*] Hoc retulit ad offerentis irrisionem, qui putat se puero dare. *Mater auferet*] An nutrix? an vera mater? D.—*Ubi initiabitur*] *Initiare* est ad cibum infantem instruere, qui et ipse dies natalis est quodammodo. E.

16. *Puer causa erit mittundi*] Proprie dixit *mittundi*, de muneribus. *Sed videon' Getam?*] Locuturum ostendit Getam. *Sed videon' Getam?* Apparet poetam nihil putasse amplius addendum, ad insinuandam populo personam Davi: et ideo jam induxit exeuntem Getam, ut sit causa commutandæ orationis. D.

1. *Si quis me quæret rufus*] Mire poeta desideratum Getæ ostendit Davum. *Si quis me quæret rufus*] De ipso loquitur, a quo reddi sibi debitum sperat. *Si quis me quæret rufus*] Ἀποσιώπησις secunda. Nam apparet plura dicturum fuisse. *Præsto est, desine*] Tertia persona de se loquens usus est: quia ille nominativum (*quia tale nomen* Ms. H. et B. cum edd. vett. *quia talem nominationem* ed. Du B.) prætulit. D. —*Si quis me quæret*] Egreditur servus qui narraturus est illa, quæ supra dixit (*dixi.* Nam spectat versum primum scholiastes. Z.). Mandat domina (*domina, ut*

At ego obviam conabar tibi, Dave. DA. Accipe, hem,
Lectum'st; conveniet numerus, quantum debui.
GE. Amo te, et non neglexisse habeo gratiam.
DA. Præsertim ut nunc sunt mores: adeo res redit;
Si quis quid reddit, magna habenda'st gratia.
Sed quid tu es tristis? GE. Egone? nescis, quo in metu, et
Quanto in periculo simus. DA. Quid istuc est? GE. Scies:

Z.) ad se veniat ille, qui debitor suus fuit, et qui (*quæ*, vel *cujus* Z.) fortasse vix nomen tenere posset. E.

2. *At ego obviam conabar tibi, Dave*] *Conabar*, absolute: an ἔλλειψις est, ut desit *ire*. Et est adverbium loci *obviam*. *Accipe*] Prævenit petitionem, dicendo *accipe*: et hoc cum gestu offerentis dicitur. Et hoc est quod ait, *confeci, affero*. D.—*Accipe*] Pulchre, antequam peteret aliquid, obtulit quod debebat. Et in singulis intelligimus, quibus metum esse circa accipientem (*quid in quibusdam metuendum sit circa accipiendum* Z.): primum ne displiceret, est dictum, *Lectum est*. Deinde ne parum conveniens numerus crederetur, adjecit, *conveniet numerus quantum debui*. E.

3. *Lectum est*] Absolute. Nam non dicit quid: utrum debitum, an argumentum lectum. Lucilius, *Lecti omnes: Atticon hoc est. Lectum est, conveniet numerus*] Ordinem servavit: prius enim *qualitas*, deinde *numerus* pecuniæ spectari solet. *Lectum est, conveniet numerus, quantum debui*] Quippe tribus modis debitum pecuniarum solvitur: pensione, *accipe*: spectatione, *Lectum est*: numero, *conveniet numerus quantum debui. Lectum est*] *Lectum*, bonum, vel splendidum. Ut, Æn. x. 541. *arma Serestus Lecta refert humeris*. Quamvis quidam putant *lecta*, ab eo quod est lego, dictum. *Quantum debui*] Pro, *debitum tibi a me est*. D.

4. *Amo te, et non neglexisse habeo gratiam*] Amat, quod reddiderit pecuniam: agit gratias, quod diligenter. Et quare? utrum quia creditum (*condictum* ed. Antw. et Steph.) non fefellerit? an qua lectum attulerit, et numero congruenti? Et recte dixit: nam redhibitio (*redditio* edd. vett.) debiti hoc agit, ut etiam gratias agamus. *Amo te, et non neglexisse habeo gratiam*] Hoc pro gratiarum actione ponitur: et ostenditur vere necessariam fuisse pecuniam. *Non neglexisse*] In Andria, *Et id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam*. D.

5. *Præsertim ut nunc sunt mores*] Sic et illud dictum est, *namque hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit*. Quia consuetudinis imago est, vituperare præsentia. *Adeo res redit*] Figurate, pro ita loqueris, *Adeo res redit*, dixit. Et proprie *redisse res* dicitur, quum aliquid pejus exspectatione contigit. D.

6. *Si quis quid reddit, magna habenda est gratia*] Id est, etsi (*etsi ob*) rem non magnam, tamen magna habenda est gratia: hoc enim significat *quis reddit. Si quis quid reddit*] Qui hoc interrogative pronunciaverit, parum belle explicat conceptam sententiam. *Habenda est gratia*] Deest, *ei*. D.—*Si quis quid reddit*] Juvenal. Satyr. 13. *Nunc si depositum non inficietur amicus, Si reddat veterem cum tota ærugine follem Prodigiosa fides*. L.

7. *Sed quid tu es tristis?*] Hic admonemur, omnem ab initio sermonem Getæ, quasi satagentis et anxii pronunciari, accommodatis præsertim ad vultum verbis. Nam et, *Si quis me quærit*: et, *At ego obviam tibi conabar, Dave*: et, *Amo te, et non neglexisse habeo gratiam*: in se quoddam contractioris animi occupatique signum habent. *Sed quid tu es tristis?*] *Sed* particula, transitum significat ad mentionem alterius rei. *Sed quid tu es tristis? Egone? nescis quo in metu*] Descensus ad argumentum ab eo sermone, qui extrinsecus a poeta informatus est, jam manifeste appareret. *Egone? nescis quo in metu*] Ὑπόθεσις comœdiæ, ne nuda appareat σύνθεσις. *Nescis quo in metu, et quanto in periculo sim*] Pronunciantis et interrogantis esse potest. *Nescis quo in metu*] Duæ perturbationum bigæ sunt: a malo una, ex cupitis altera. Ergo a mali bigis, præsentis temporis periculum esse dicimus, et futuri metum. *Nescis quo in metu*] Pronunciative magis quam percontative efferendum est: sic enim solemus de magnis rebus dicere. *Nescis quo in metu, et quanto in periculo sim*] Vix alterum sustineri potest eorum, quæ utraque posuit nunc, et *metum* et *periculum*. D.—*Quo in metu*] Omne malum duo habet tempora, præteritum et futurum. Præteritum vero simul jungitur et præsenti. Ita in præsenti vel præterito malum: in futuro metus est. Magnus igitur confessus dolor (*Magnum i. e. dolorem* Z.) est, cum dixit: *Nescis quo in metu, et quanto in periculo sim*. Quod utique junctim expressum est in Virgilio, Æn. i. 106. *Talia jactanti stridens Aquilone procella Velum adversa ferit*, hoc utique periculum:—*fluctusque ad sidera tollit*, hic metus est. E.

8. *Quid istuc est?*] Fac hunc scire: et narrandi non erit locus, necessario igitur

Modo ut tacere possis. DA. Abi sis, insciens:
Cujus tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere verba ei credere? ubi quid mihi lucri est
Te fallère? GE. Ergo ausculta. DA. Hanc operam tibi dico.
GE. Senis nostri, Dave, fratrem majorem Chremen
Nostin'? DA. Quidni? GE. Quid? ejus gnatum Phædriam?
DA. Tanquam te. GE. Evenit senibus ambobus simul,
Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam
Ad hospitem antiquom: is senem per epistolas

ignarus inducitur Davus. D.—Ex Basilic. et ratione versus lege, *periclo*. Deinde pro vulgari *sim*, ex melioribus libris leg. *simus*, sc. ego et herilis filius. B.

9. *Modo ut tacere possis*] *Ut*, pro ne non: quod si est; subaudiendum est *vide*, aut quid tale. *Modo ut tacere possis*] Vere argumentum est celari id, quod Antipho non coactus, sed volens duxit uxorem. *Modo ut tacere possis*] *Modo*, pro tantummodo: ut, Æn. iii. 116. *Modo Juppiter adsit. Abi sis insciens*] *Insciens* nunc pro inscito posuit: vel *inscientem* modo stultum dicit: alias ignarum. D.—*Abi sis, insciens*] Discede stultissime, cum tu mihi pecuniam credideris, ubi fidem meam integritatemque vidisti, verba mihi metues commodare; in quibus quid lucri habeo, si te fefellero? E.

10. *Cujus tu fidem in pecunia perspexeris*] Sententiose dixit: quasi in omnibus credendum sit, servaturum fidem esse eum, qui in pecunia servaverit. Et hoc ideo interposuit, ne longus esset, dum suadet ut dicat: quemadmodum in aliis Fabulis. *Cujus tu fidem in pecunia perspexeris*] Proprie locutus est de pecunia, et *fidem* dicendo, et *credere*. Nam *fides* est eorum, quibus datur: *creditores* dicuntur ipsi qui dant. *In pecunia*] A majore ad minus. *Perspexeris*] Non *inspexeris*, sed *perspexeris*, quod plus est, dixit. D.

11. *Verere verba ei credere?*] Verba cum pronunciatione dicit, ut ostendat multum distare inter pecuniam et verba. *Ubi quid mihi lucri est te fallere?*] Ab utili conjectura: et bene: quia servus nihil de honesto dicit. *Ubi quid*] Significantius dixit *quid*, quam si diceret, *nihil*. D.

12. *Ergo ausculta*] *Ergo* nunc velut increpatio tarde facientis est. Quia hic igitur obloquendo impediverat narraturum, *ergo* dixit. Sic Virg. Æn. ii. 707. *Ergo age, care pater, cervici imponere nostræ. Hanc operam tibi dico*] Auscultandi scilicet et audiendi. *Hanc operam tibi dico*] Plus est *dico*, quam *do*. *Dicatur* perpetuo, *datur* ad tempus. D.—*Ergo ausculta*] Ergo audi. *Hanc operam tibi dico*] Audiendi tibi operam trado. • dominos rogent. Nunc dicit, stulte eos facere, qui precatores parant et adhibent, quorum oratio hæc esse potest: Interim venia tribuatur, postea cum ipse qui precatur discesserit, dominus iracundiam suam compleat (Verba inde a, *dominos rogni*, absunt a Mss. et videntur referenda ad versum 90. *Senis nostri, Dave, fratrem*] Narratio hic sumit exordium, quod, ut oportet, ab eo incipit, quod sciri potest. Quod Virgil. frequentissime dixit: ut, Æn. ii. 81. *Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures Belidæ nomen Palamedis.* Et, Æn. x. 20. *Cernis ut insultent Rutuli?* Item in Eunucho, *Hanc, quam amat, nostin'?* E.

13. *Senis nostri, Dave, fratrem majorem*] Dicendo *senis*, ostendit et adolescentem se dominum habere: dicendo *nostri*, ostendit esse alienum: dicendo *fratrem*, non unum esse monstravit: dicendo *majorem*, etiam minoris fecit indicium. Sic argumenti partem maximam nondum narrans, jam in ipsa interrogatione transegit. Hæc autem omnia propter populum sic aguntur. Ideo ille, *Quidni* dixit, ne sit opus pluribus verbis. *Senis nostri, Dave, fratrem*] Mirum compendium narrationis: quasi per interrogationem fecit, ne ex alto repeteret. Sic Virg. Æn. ii. 81. *Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures, Belidæ nomen Palamedis, et inclyta fama.* Et, *Nestin' hanc, quam amat frater?* in Eunucho. D.

14. *Quid? ejus gnatum Phædriam?*] Non dixit, *quid Phædriam*: sed addidit, *ejus gnatum*: ut magis docere, quam interrogare videretur. *Quid? ejus gnatum Phædriam?*] Deest *nosti*. D.—Accentuum ratio suadet, ut legas, *Nostine? Quidni? Quid?* B.

15. *Tanquam te*] O varietas, quidni? tanquam te. *Evenit, senibus ambobus simul iter*] Non evenit iter: sed, evenit ut iter esset. *Simul*] Uno tempore. D.—Divide verbum, et lege *Tam, quam te*: ut, Eun. iv. 4. 50. *Tam scio, quam me vivere.* B.

16. *Illi in Lemnum ut esset*] Recte tacetur, cur Chremes ierit: et dicitur cur Demipho: utrumque pro argumento est. D.

17. *Ad hospitem antiquum*] Sic Virg.

Pellexit, modo non montis auri pollicens.
DA. Cui tanta erat res, et supererat? GE. Desinas:
Sic est ingenium. DA. Oh! regem me esse oportuit.
GE. Abeuntes ambo hic tum senes me filiis
Relinquunt quasi magistrum. DA. O Geta, provinciam
Cepisti duram! GE. Mihi usus venit, hoc scio:
Memini relinqui me Deo irato meo.
Cœpi adversari primo: quid verbis opu'st?

Æn. iii. 82. *Veteremque Anchisem agnovit amicum.* Hoc autem addidit, ut esset idonea causa navigandi seni. *Senem per epistolas pellexit*] *Epistolas* dicendo, ostendit eum non semel scripsisse. *Pellexit*] Induxit: sic Virgil. Æn. ii. 90. *Pellacis Ulyssei.* D.—Tres ex nostris *epistolam*, et sic Priscianus p. 1190. Sed vulgarem retinendam putamus. B.

18. *Modo non montes auri pollicens*] Proverbialis ὑπερβολὴ facta per exceptionem, aut per superlationem, aut æquam collationem. Ejusmodi est illud Demosthenis, μονονουχὶ φωνὴν ἀφιείς. *Modo non montes auri*] Sallust. Cat. 23. *Maria montesque polliceri cœpit. Modo non montes auri pollicens*] More veterum: quia hospites hospitibus multa donabant. D.—*Pellexit*] Decepit, fefellit. Virg. Æn. ii. 90. *Invidia postquam pellacis Ulyxis.* E.—*Pellexit*] Priscian. lib. x. *Montes auri pollicens*] Menand. Βασιλικῶς ὑπισχνούμενος, τὸ δὴ λεγόμενον Τοῦτο, τὰ τῆς γῆς ἄγαθα. Apuleius in Apol. Hieronym. adversus Paulin. *Cum montes aureos pollicitus fueris, ne scorteum quidem nummum de thesauris tuis proferas.* Plaut. in Milite iv. 2. 72.—*præter thesaurum Tum argenti montes et massas habet.* Prudent. de Laurent. 55.—*fulgidæ montes monetæ conditos.* L.

19. *Cui tanta erat res*] *Cui*, dativus casus est. Domino ne tuo, inquit, pollicebatur hæc, cui tanta res erat? *Cui tanta erat res*] Deest *eum*: ut sit, Eum pellexit, cui tanta res erat? *Et supererat?*] Plus est *superesse*, quam *esse*. D.

20. *Desinas, sic est ingenium*] Necessaria est ad fabulæ ἠνίττασιν avaritia Demiphonis: ut majore periculo illo absente duxerit filius indotatam. Nam mox dicturus est, *Illene indotatam virginem, atque ignobilem daret illi? Sic est ingenium*] Præparatio bona, qua et dives et avarus describitur Demipho, ut indotatas nuptias filii ferre non possit. *Sic est ingenium*] Recte: non enim, inquit, fortuna avarus est, sed natura. *Sic est ingenium*] Omnium? an domini? Sed magis domini. *Oh! regem me esse oportuit*] Ostendit pauperum affectiones, qui se solos uti divitiis scire aiunt, si eas habeant. *Oh! me regem esse oportuit*] Acue *me*. D.—*Regem me esse*] Antiqui etiam maxime in comœdiis ditissimos quosque *reges* dicebant: uti parasiti eos a quibus pascebantur, *reges* appellabant. E.

21. *Abeuntes ambo hinc tum*] *Hinc* et *hic* legitur: et est ordo, Hic relinquunt filiis. *Filiis*] Propter filios. D.—Lectio nostrorum codd. *hinc*, ut referatur ad propius *abeuntes*, magis placet, quam *hic* Bembini, quod referendum est ad remotius *relinquunt*. B.

22. *Relinquunt*] Id est, non secum abducunt. *Quasi magistrum*] Bene *quasi*: qui non complevit hoc ipsum, nec vult esse. *Magistrum*] Sic Latini: quem Græci ναυαγωγὸν appellant. *O Geta! provinciam cepisti duram*] Acquisitæ bello longe ab Italia regiones, *provinciæ* dictæ sunt, a porro vel procul et vincendo: ad quas quia prætores cum officio mittebantur, officia quoque *provinciæ* nominantur. *O Geta! provinciam*] Splendide *provinciam* dixit. D.—*Quasi magistrum*] Quasi monitorem atque custodem. *Provinciam*] Officium. E.

23. *Mihi usus venit*] Aliquando mihi contigit. E.—Omnes Faerni antiqui libri habent *usus v.* solus Bemb. *usus evenit*: nostri, *usu venit*. Utrumque more dicitur, sensu eodem. B.

24. *Memini relinqui me, Deo irato meo*] Sic Virg. xii. 539. *nec Di texere Cupentum, Ænea veniente, suis.* Hoc Asper. sed mihi videtur ad hoc addidisse *meo*, ne esset ἀμφίβολον, cui diceret, *Irato Deo.* Nævius in Stalagmo, *Deo meo propitio, meus homo est. Memini relinqui me, Deo irato meo*] *Domino* dixit: an vere Deo? Et bene *meo*, ne esset ἀμφίβολον. Et sic dixit, *Memini relinqui*, ut in Andria, *Memini me videre*, et, *Memini me fieri pavum*, Ennius. D.—*Deo irato meo*] Teneo in memoria dimitti *irato Deo meo*, vel domino, vel genio, vel certe Deo. Noster enim Deus est, qui favet nobis: qui si iratus fuerit, adversa omnia patimur. Ut Virg. Æn. ii. 396. *Vadimus immixti haud numine nostro.* E.

25. *Quid verbis opus est*] Rep tur, *Quid opus est verbis?* et si ter. D.

Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
DA. Venere in mentem mihi istæc: nam quæ inscitia est,
Advorsum stimulum calces? GE. Cœpi iis omnia
Facere, obsequi quæ vellent. DA. Scisti uti foro.
GE. Noster mali nihil quicquam primo: hic Phædria
Continuo quandam nactus est puellulam
Citharistriam: hanc amare cœpit perdite.
Ea serviebat lenoni impurissimo:
Neque, quod daretur, quicquam; id curarant patres:
Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere,

26. *Seni fidelis dum sum*] Opportune *seni* dixit, ut ostendat quam stultum sit, seni adversus juvenes fidelem esse. *Seni fidelis dum sum*] *Fidus* est amicus: *fidelis* est servus. *Scapulas perdidi*] Plus est *perdidi*, quam si diceret, *dolui*. Et bene retulit *perdidi* πρὸς τὸ *fidelis*. Fidelis enim officium est, servare aliquid. D.—*Seni fidelis dum sum*] Dum seni fidem præsto, ut monitor perseverarem, vapulando *scapulas perdidi*. E.—Quia ambo senes illum magistrum filiis reliquerunt, repone *senibus* pro *seni*. B.

27. *Venere in mentem istæc mihi*] *Venire in mentem*, non ad recordationem tantum dicitur: sed ad reputationem et intelligentiam. D.—*Inscitia est, adversum stimulum*] Etenim inscitia est, calces velle jactare, cum stimulus imminet: te enim magis incipias vulnerare. E.—Bentleius negat, commode hæc verba tribui posse Davo, qui, nisi Geta narrasset, senes abesse ignoraverit. Fallitur; nam verba *Venere in mentem mihi* ad proxime sequentia pertinet. Sed lectio *namque* pro *nam quæ* ob consensum codd. præfertur a Bentleio recte. Cf. And. i. 1. 40. Z.

28. *Nam quæ inscitia est, adversum stimulum calces*] Hoc dictum et superiori personæ esse potest, et alteri. *Adversus stimulum calces*] Παροιμία cum ἐλλείψει: deest enim, *jactare*. *Stimulum* pro domino adolescente posuit. *Calces*] Modo *calces*, non partes plantæ, sed percussiones pedum plagasque significat. Aliter Virgil. Æn. v. 324. *calcemque terit jam calce Diores*. D.—*Advorsum stimulum*] Zenob. in Prov. πρὸς κέντρα λακτίζειν. Ammian. Marcell. *contra acumina calcitrare*. Charis. lib. iv. L.

29. *Scisti uti foro*] Secundum illos negotiatores, qui ante locum commercii, non præscribunt, quanti vendant quæ advehunt: sed secundum annonam fori quam deprehenderint, consilium de vendendis aut non vendendis mercibus sumunt. *Scisti uti foro*] *Forum* pro tribus intelligitur: loco, tempore, et persona. Scistis, inquit, his uti: et est vulgare proverbium. Sensus hic est, Scisti, inquit, quid facere te oporteret. D.—*Scisti uti foro*] Intellexisti quid te oporteat facere. E.

30. *Noster mali nihil quicquam*] Quartum παρέλκον. Ut in Hecyra: *Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit. Noster mali nihil quicquam*] *Noster* πρὸς ἀντιδιαστολὴν Phædriæ: qui non noster est. *Primo hic Phædria*] Bene additum *primo*: quia non perpetuo. D.

31. *Continuo quandam*] Bene *continuo*: quasi vix exspectaverit profectionem patris. *Puellulam citharistriam*] Istis nominibus hoc agit (*hic agitur* Ma. B. et edd. vett.), ut causa amoris et ex ætate, et ex arte puellæ videretur: nam ideo *puellulam* dixit. D.—*Continuo quandam*] Bene adjecit *continuo*, ut adolescens absentiam patris quodammodo exspectasse videretur, uti in delitias amoremque labi posset. E.

32. *Amare cœpit perditus*] Legitur et *perdite*. Et *amare perdite*, ut puta puellulam et citharistriam. D.—*Amare cœpit perdite*] Charis. lib. i. L.

33. *Ea serviebat lenoni*] Et honeste, et cito (*scite* Z.) dixit *serviebat*. *Lenoni impurissimo*] Et quare non fuisset libera: et cujus fuisset ancilla: et qualis hominis fuerit, demonstravit. *Ea serviebat lenoni impurissimo*] Magna præparatio ad rerum difficultatem imminentium: Puellula citharistria, Avarus leno, Amator perditus, Inopia. D.

34. *Id curarant patres*] Expedite dixit *patres*: si enim patrem ejus tantum dixisset: id restabat, ut ei per patrui filium succurreretur: ideo dixit ambos non habuisse. D.—*Neque quod daretur*] Hoc est, jam (*eam*) inopiam in domo reliquerat, ut quod dari posset lenoni, non haberetur. Curaverant ergo quadam diligentia, ac fecerant ne pecunia filiis relinqueretur in domo. E.

35. *Nisi oculos pascere*] Hoc enim solum erat, quod leno non venderet. D.—*Oculos pascere*] Sueton. in Vitell. cap. 14. *Vellet se, dicens, pascere oculos*. Tacitus Histor. iii. 39. *Audita est sævissima Vitellii vox, quæ (ipsa enim verba referam) se pavisse oculos, spectata inimici morte, jactavit*. Am-

Sectari, in ludum ducere, et redducere:
Nos otiosi operam dabamus Phædriæ.
In quo hæc discebat ludo, exadversum ei loco
Tonstrina erat quædam: hic solebamus fere
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.
Interea dum sedemus illi, intervenit
Adolescens quidam lacrumans: nos mirarier.
Rogamus quid sit? Nunquam æque, inquit, ac modo
Paupertas mihi onus visum'st et miserum, et grave.
Modo quandam vidi virginem hic viciniæ
Miseram, suam matrem lamentari mortuam:

bros. Episc. Hexæm. iii. 8. *Pascuntur oculi grato spectaculo.* L.

36. *Sectari, in ludum ducere, et reducere*] Bene cavillatus est et joculariter in adolescentem, cui ætas ad sectandos philosophos apta erat. Hinc etiam philosophorum sectæ. Sed *sectari* proprie est, ut taurus buculam, ut aries ovem. Virg. Ecl. ii. 65. *trahit sua quemque voluptat. Reducere*] Σύλληψις, *a ludo* enim subauditur. D.—*Sectari, in ludum*] Cum illa pergeret *in ludum*, hoc est, in locum ubi forte discebat. E.

37. *Nos otiosi operam dabamus Phædriæ*] Cum τύπῳ dixit *nos:* velut magistrum excusans obsequentem ei, cui custos sit datus: et ideo addidit *otiosi. Nos otiosi operam dabamus Phædriæ*] Relatio ad illud, quod mox otiosi non erunt. *Nos otiosi operam dabamus Phædriæ*] Aut ad pudorem sumitur hoc pronomen in singulari numero: aut ad dignitatem: sed potest *nos*, et propter Antiphonem dixisse. *Nos otiosi operam dabamus Phædriæ*] Apollodor. ΝΑΛΚΕΙΣ δε συνεμαλι μΕΟΛ • (Ναρκη δε συνεμιλουμεθα, Tan. Fab. Sed codici Antwerp. a veteri manu adscriptum e Ms. Ἀναλκεις δε συνεμαμμενα εναρχης δε συνεπιμελομεθα. Lege, Ἀναλκεῖς δὲ συνεμείναμεν, ἀναρκεῖς δὲ συνεπιμελόμεθα. Z.). *Operam dabamus Phædriæ*] Ille amicæ, nos illi. D.

38. *In quo hæc discebat ludo*] Figurate *In quo hæc discebat ludo*, est additum. *Ex adversum ei loco*] *Ei loco*, legitur et *ilico:* et adnotatur ex abundanti additum, ut apud veteres multa sunt. *Ex adversum ei loco*] Παρέλκον quartum. D.—*Ex adversum*] Contra ipsum locum. E.—*In quo hæc discebat*] Gellius vii. 7. Priscian. L. —*Ex adverso* Bemb. et tres e nostris habent. Sed vulgarem lectionem, quæ ipsa apud Prisc. p. 1037. occurrit, retinendam censemus. Cf. Gell. vii. 7. B.

39. *Tonstrina erat*] Apta sedes otiosis. *Tonstrina erat quædam*] Παρέλκον tertium *quædam. Hic solebamus fere plerumque*] Παρέλκον tertium, *fere plerumque.* D.—*Tonstrina quædam*] Officina tonsorum. E.

40. *Dum inde iret domum*] Ad se scilicet. *Iret domum*] Pro rediret, vel certe, iret: παρέλκον figura. D.

41. *Dum sedemus*] Proprie *sedemus*, ut in tonstrina. *Illi intervenit*] *Illi*, pro *ibi:* ut, Æn. ii. 648. *Illi mea tristia facta.* Et nota *illi*, pro *illic. Intervenit adolescens quidam lacrumans*] Apollodorus tonsorem ipsum nuncium facit, qui dicat se nuper puellæ comam ob luctum abstulisse: quod scio mutasse (*quod scite mutavit* Z.) Terentium, ne externis moribus spectatorem Romanum offenderet. D.

42. *Nos mirarier*] Recte: mirum enim in adolescentibus lacrumæ: ut contra, Georg. iii. 67. *tristisque senectus. Nos mirarier*] Ut, Æn. iv. 421. *solam nam perfidus ille Te colere.* D.

43. *Rogamus quid sit?*] Quid lacrumet: non, *quid sit ipse*, ut stulti putant. *Nunquam æque, inquit, ac modo*] Mire ostendit semper sibi hoc visum, quod dicit: sed nunquam æque. D.

44. *Paupertas mihi onus visum est*] Statim fit mentio paupertatis, ut sit causa fallaciæ Phormionis. D.—Apud Priscianum p. 1026. et in cod. C. C. est *visa est;* quæ lectio meliorem efficit constructionem. B.

45. *Modo quandam vidi virginem*] Bene *quandam:* ne ob familiaritatem laudari videretur. *Modo quandam vidi virginem*] Vide sic agi, ut non tam morte mulieris, quam solitudine pulchræ virginis moveatur affectus. Simul et ea describi, quæ matronæ futuræ magis conveniant, quam quæ temere amanda sit. Nam hic obitus feminæ ad comicum exitum spectat: quandoquidem plus ex ejus morte securitatis, quam molestiæ, sentiat argumentum. *Hic viciniæ*] Adverbium in loco est, *hic viciniæ:* cujus ad locum, *huc viciniæ.* Et statim proximitas insinuatur, ut sit spes et causa videndi. D.

46. *Miseram*] Ab affectu: et subdis-

Ea sita erat exadvorsum: neque illi benevolens,
Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam,
Quisquam aderat, qui adjutaret funus: miseritum'st:
Virgo ipsa facie egregia: quid verbis opu'st?
Commorat omnes nos: ibi continuo Antipho,
Voltisne eamus visere? alius, Censeo,
Eamus: duc nos sodes. Imus, venimus,
Videmus: virgo pulchra! et quo magis diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem:
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
Lacrumæ, vestitus turpis: ut, ni vis boni

linguendum est, ut ad virginem referatur. *Lamentari mortuam*] A probitate, quæ piis attribuitur. Et *lamentari mortuam*, ambiguitas, sed sensu manifesta. D.

47. *Ea sita erat*] *Sita*, pro posita. Sallustius cum adjectione in H. *cum prædixero positum insulæ*. Et hoc ei reciprocum est. *Ea sita erat ex adversum*] Expositio paupertatis, et quam facile virgo videri possit. D.—*Neque illi benevolus*] Hoc est, nullus erat qui benevolentia aut notitia, aut vicinitate succurreret et adjuvaret. E.

48. *Neque notus, neque cognatus*] Αὔξησις fit: quia res minuitur, crescit sententia. Sallustius, *non repugnantibus modo: sed ne deditis quidem a b c m. Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam*] Hæc præstruuntur: ut sit spes potiundæ virginis. *Neque notus, neque cognatus*] Hæc descriptio paupertatis adjuvat argumentum, ut et visere audeant adolescentes virginem, et amet Antipho. D.

49. *Qui adjutaret funus*] Ipsum officium *funus* dixit. *Miseritum est*] Hoc est, misertus sum ejus. Et hic videtur ostendisse cur lacrumaverit. D.

50. *Virgo ipsa facie egregia*] A forma indignatio. *Virgo ipsa*] Bene *ipsa:* quia quæ supra dixit, non ad ipsam, sed ad eventum ejus pertinebant. *Quid verbis opus est?*] Sic dicit Terentius, ubi ad effectum properat. D.

51. *Commorat omnes nos*] Figura συγκοινή, pro *commoverat*. Et bene *omnes:* quia res ad Antiphonem tantum spectat. *Ibi continuo Antipho*] Hic redditur nomen adolescentis: et est παρασκευή. D.—*Commorat*] Ita narratione sua exprimebat affectum, ut nos omnes commoveret. *Commorat* autem, commoverat. E.

52. *Voltisne eamus visere?*] Ut, Æn. i. 531. *populare penates Venimus. Voltisne eamus visere?*] Ipse hortator inducitur, qui amaturus est. *Alius, Censeo: eamus: duc nos sodes*] Hæc omnia diversi dicunt. Et apparet tot esse homines, quot per μίμησιν ἀσύνδετα demonstrantur. *Alius, Censeo*] Phædria, vel quilibet. D.

53. *Imus: venimus: videmus*] Ἀσύνδετον primum per βραχυλογίαν. *Imus, venimus, videmus*] Μετ' ἐνεργείας. D.

54. *Virgo pulchra!*] Ξυνταμία mirantis. Duo ingentia, et *virgo* et *pulchra*. *Virgo pulchra!*] Bene non dixit, Videmus virginem pulchram: sed ὑπὸ τῆς κατακλήσεως, *virgo pulchra!* Illud enim frigidius: hoc concitatius: et hoc magis demonstratur δράματι, quam relatione. *Et quo magis diceres*] *Diceres*, pro crederes: ut, *audacter dicito*, sæpe Plautus. D.

55. *Nihil aderat adjumenti*] Proprie *aderat*. *Adest* enim id, quod adjuvat. D.

56. *Capillus passus*] Singularem numerum pro plurali posuit. Sic et alibi, Heaut. ii. 3. 49. *Capillus passus, prolixus, circum caput rejectus negligenter. Passus*] Temere dispersus. Ut magna para, a Græca oratione profluxit hæc dictio. *Capillus passus, nudus pes*] Facetius, quam si pluraliter dixisset. Virg. v. 402. *quibus acer Eryx in prælia suetus Ferre manum. Ipsa horrida*] Quasi extra ipsam sit id quod dixit, *Capillus passus, nudus pes*. Tale est apud Virg. Ge. iii. 387. *Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse, Nigra subest udo cui tantum lingua palato, Rejice*. Et alibi de arbore, Ge. ii. 296. *Tum fortes late ramos, et brachia tendens Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram*. Et, Æn. iii. 618. *domus ampla, dapibusque cruentis Intus opaca, ingens: ipse ardua, altaque pulsat Sidera*. E.

57. *Lacrumæ, vestitus turpis*] Ἀσύνδετον tertium. *Ipsa horrida* et *lacrumæ* ad luctum pertinent, *nudus pes* et *vestitus turpis* ad pauperiem. *Ut, ni vis boni*] Plus est *vis boni*, quam *bonum*. *Ut ni vis boni in ipsa inesset forma*] Veteres ignem et calorem quendam, quasi fervorem, dixerunt *formam* (*fornum*), et ideo *formacos, forcipes, formam* et *formosos:* ex quibus ignis amoris exoritur. Laudandus est ergo Terentius proprietate servata: qui

In ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent.
Ille, qui illam amabat fidicinam, tantummodo,
Satis, inquit, scita'st: noster vero,... DA. Jam scio;
Amare cœpit. GE. Scin' quam? quo evadat, vide.
Postridie ad anum recta pergit: obsecrat,
Ut sibi ejus faciat copiam: illa enim se negat:
Neque eum æquom ait facere: illam civem esse Atticam,
Bonam, bonis prognatam: si uxorem velit,
Lege id licere facere: sin aliter, negat.
Noster, quid ageret, nescire; et illam ducere

quum formam prætulisset, subjecit *extinguerent*. Ideo et Virgilius sic ait, Ecl. iii. 66. *At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.* D.—*Ni vis boni*] Magna vis bonitatis et pulchritudinis in forma erat: idcirco ista quæ ex luctu et lacrumis fuerant, formam extinguere non valebant. E.

58. *In ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent*] Figura πλοκή: aliud enim supra, aliud infra *forma* repetita significat. *In ipsa inesset forma*] Geminavit præpositionem ut alibi, *In amore hæc omnia insunt vitia. Extinguerent*] Bene *extinguerent*: quia ab igne et calore forma dicta est. D.

59. *Ille, qui illam amabat*] Bene *illam*: quia jam supra insinuavit personam citharistriæ. *Ille, qui illam amabat*] Ratio cur amaverit virginem. *Fidicinam*] Supra *citharistriam*; ergo indifferenter. D.—*Tantummodo satis*] Hoc est, tantummodo laudabat, ille autem alius amare cœpit. E.

60. *Tantummodo, satis, inquit, scita est*] Sensus est, Laudavit tantummodo, non etiam captus (*raptus*, vel *lapsus* Z.) est in amorem. *Satis, inquit, scita*] Magna laus formæ: amanti aliam placuisse. *Satis, inquit, scita*] *Scita*, bella: ut in Andria, *Scitus puer est natus a Pamphilo. Noster vero*] Ἀποσιώπησις tertia: quæ succurrit, quotiens verba rebus minora sunt. D.

61. *Amare cœpit*] Ille, inquit; laudavit tantum: Hic amare cœpit. Et bene *cœpit*, non *amavit*: ut ostendat vim amoris non parum (*parvam* Z.) esse, et rem, quæ semel suscipi possit (*rem, quæ semel suscepta possit augeri* Z.). *Scin' quam?*] Ἀποσιώπησις, qua in narrationibus in compendium Terentius uti solet. *Scin' quam?*] Amare cœpit, subauditur. *Quo evadat, vide*] *Evadat*, perveniat. Nam *evadere*, est per obstantia pervenire. D.—*Quo evadat, vide*] Quo res perveniat, animadverte. E.

62. *Postridie ad anum recta pergit*] Hoc præstruens, *anicula* supra mentionem fecerat. Et bene memor et virginis, et honestæ, non ipsam adiri facit, sed anum: neque ab ipsa peti fructum voluptatis, ex cujus persona major desperatio nascebatur: sed a nutrice potius, per quam suaderi puellæ posse creditur, quicquid libet. *Postridie ad anum recta*] Ἐμφατικῶς, *ad anum statim*: ut qui posthabuerit omnia alia. *Recta*] Quia non per nuncium. D.

63. *Ut sibi ejus faciat copiam*] Vide ut nihil de virgine speret, qui omnia ab anicula petat. *Illa enim se negat*] Copiam facturam, subauditur. D.—*Sibi ejus* anapæstus est, *illa* primam corripit. B.

64. *Neque eum æquum ait facere*] Non quod amet, sed quod hoc petat. *Neque eum*] Quod peteret scilicet. *Illam civem esse Atticam*] *Illam* cum ἐμφάσει dixit: quasi dicat, quam sic contemnat. D.—Plerique codd. melioribus numeris sic collocant, *æquum facere ait*. Cæterum pro *facere* malim *petere*, ob sensum commodiorem, et auctoritatem Donati, qui ita legisse videtur. B.

65. *Civem, bonam esse*] *Civem*, quo ad jura pertinet: *bonam* quo ad ipsam. *Bonam*] Non vilem: quia boni non viles sunt: unde superlativus gradus *optimates* facit: quia *Bonus, melior, optimus* dicitur. *Bonis prognatam*] Quod ad majores ejus. *Si uxorem velit*] Recte subjunxit, *si uxorem velit*: postquam ea in virgine prætulit, quæ solent ornare nuptias. D.—*Bonam bonis prognatam*] Et ipsam ingenuam, et bonis parentibus natam. E.

66. *Lege id licere facere*] Incerta distinctio est: utrum *uxorem velit lege*, an *lege id licere facere? Sin aliter, negat*] Et pudice anus, et tamen illecebrose, *licere facere* dixit, quod ille impudentius petit, ut sibi ejus faciat copiam. *Sin aliter, negat*] Ἀνάλημψις facta ex eo quod sequitur, *facere*. D.

67. *Noster, quid ageret, nescire*] Proposita deliberatio: cujus tamen altera pars vincet. Nam ducturus est per absentiam patris. *Quid ageret, nescire*] Pro *nesciebat*: sed recte sic ait; quia subjuncturus est, *illam ducere cupiebat, et metuebat*] Vide ambiguitatem, quam tamen sequentia tollunt. D.

Cupiebat, et metuebat absentem patrem.
DA. Non, si redisset pater, ei veniam daret?
GE. Illene indotatam virginem atque ignobilem
Daret illi? nunquam faceret. DA. Quid fit denique?
GE. Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,
Homo confidens: qui, illum Di omnes perduint!
DA. Quid is fecit? GE. Hoc consilium, quod dicam, dedit:
Lex est, ut orbæ, qui sint genere proxumi,

utinam!

68. *Cupiebat et metuebat*] *Metuebat* proprie dixit. *Metuimus* enim eos qui nos amant: *timemus* etiam inimicos. D.

69. *Non si redisset pater, ei veniam daret?*] Bene interrogat Davus: hoc enim sperari si posset, non opus erat fraudibus Phormionis. *Non si redisset*] *Si* pro postquam. Virg. v. 64. *Præterea si nova diem mortalibus almum Aurora extulerit.* D.—*Non si redisset*] Hoc est, cum redisset, ne omne in sensum positum videamus. E.—Omnes codd. cum Donato venustius collocant *ei pater.* B.

70. *Illene indotatam virginem*] Ἐμφατικῶς *ille*, de quo dixerat, *Desinas; sic est ingenium:* et qui propter spem lucri navigaret senex. Insinuandum igitur fuit: hic enim erit omne periculum fabulæ. Et ordine Terentius prius insinuavit personam senis, ut graviora fierent quæ dirimebant nuptias. *Illene indotatam virginem, atque ignobilem*] Duo dixit, et *indotatam*, et *ignobilem.* Hæc enim duo principaliter petuntur (*expetuntur* Ms. H.), cum sint quattuor, quæ in sponsis quæruntur: *forma, probitas, dos, nobilitas.* Et manifestum est, cur de forma et probitate nihil dicat: quippe cum supra magnopere ea laudaverit in puella. *Virginem*] Simpliciter accipimus, *virginem?* an subaudimus, *quamvis: ut sit quamvis virginem?* D.—Si, duce Bembino, illud *ne* deleveris; melius procedit versus. B.

71. *Daret illi?*] Bono affectu dixit, *Daret illi?* Filius enim familiæ non tam duxit uxorem, quam a patre accipit: quippe cum patri committatur puella potius in hujusmodi conditionibus, quam marito. *Daret illi? nunquam faceret*] Ἀνοσιώπησις secunda: hic enim non transit ad aliud, sed instat inceptō: ut et per interrogationem diceret, *Daret illi?* et per responsionem inferret, *nunquam faceret.* Et nota, *nunquam* pro *non*, in majorem negationis significationem poni semper. *Daret illi?*] Mire *daret:* ut ostenderet nihil esse potestatis in filio. *Quid fit denique?*] More suo Terentius *denique* posuit in fine sensus, et est adverbium ordinis. Sic in Heautontimorumeno, *Fodere, aut arare, aut aliquid facere denique:* ut sit *denique*, vel deinde, vel ad postremum. D.

72. *Quid fiat?*] Deest *rogitas?* et est ἀνοσιώπησις quarta. *Est parasitus quidam Phormio*] *Phormio*, non a formula, sed phormione dicitur sparteo, quem nos *erunem* dicimus trivialiter, et pro consuetudine. D.—*Est quidam Phormio*] Hic interponitur alia narratio, quæ personam declarat. E.

73. *Homo confidens*] *Homo* comice additum: nam quis ignoret parasitum hominem esse? *Confidens*] Hic *confidens*, pro improbo, audaci, ac temerario posuit: ut, *O ingentem confidentiam! Qui, illum*] *Qui*, utinam est: ut Lucilius in secundo, *Qui te Momentane malum jam cætera perdat!* Aut, *Qui hoc consilium, quod dicam, dedit. Qui, illum Di omnes perduint*] *Qui* aut expletivum, aut pronomen: quo incipiens Phormionem describere, cohorruit consideratione ejus, et in hanc vocem, quasi confusus erupit: hoc autem certum genus est παρενθέσεως. D.

74. *Quid is fecit?*] Servatur affectus tristis hominis: ut supra ait, *Sed quid tu es tristis? Quid is fecit?*] Correxit interrogatione errantem: ut rediret ad nominativum casum *qui*, unde aberraverat, et *illum* dixerat. *Hoc consilium, quod dicam, dedit*] Secundum quosdam ordo est, Qui hoc consilium, quod dicam, dedit. D.

75. *Lex est*] *Lex*, ut in palliata, recte ponitur: nam Græcorum fuit; ideo et in Andria sic ait, *Inopia et cognatorum negligentia coacta. Lex est*] Alia narratio interponitur: et dicitur παραφήγησις (παραλήγησις edidit Westerh.). *Lex est*] A causa litis: potuit enim dici, non habes causam. *Ut orbæ, qui sint genere proximi, eis nubant*] Orba proximo nubat, Orbam proximus ducat, Atticum jus est. Et est ordo, Lex est, ut orbæ eis nubant, qui sint proximi. D.—*Lex est, ut orbæ*] Leges illas narrat, quas oratores sæpe in controversiis collocarunt: *Orbam proximus ducat, Orba proximo nubat.* E.—*Lex est, ut orbæ*] Terentius Adelph. act. iv. 5. 16.—*virgo orba est patre, Hic meus amicus illi genere est proximus; Huic leges cogunt nubere hanc.* Demosthen. πρὸς Λεόχαρον Ὁ νομοθέτης, etc. τὰς ἀνεψιὰς τῶν οἰκείων καὶ τὰς ἀδελφὰς τῶν γυναικῶν τοῖς ἐγγύτατα γένους προσέταττε. Fortunatianus:

Eis nubant: et illos ducere eadem hæc lex jubet.
Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam:
Paternum amicum me assimulabo virginis:
Ad judices veniemus: qui fuerit pater,
Quæ mater, quī cognata tibi sit, omnia hæc
Confingam: quod erit mihi bonum atque commodum,
Quum tu horum nihil refelles, vincam scilicet.
Pater aderit: mihi paratæ lites: quid mea?

Orba proximo nubat, vel si eam noluerit in matrimonium ducere, det x. *millia.* De decem millib. recte etiam Eugraphius; quam tamen summam dicis gratia adjectam arbitror: ut in fragmentis Ulpian. Tit. ii. de statutib. *Sub hac conditione liber esse jussus, si decem millia heredi dederit.* Et alibi apud alios. Inde Papinianus Quæst. lib. ii. scribit, Imp. Severum filiæ Flavii Athenagoræ dari jussisse decies centena dotis nomine: lib. vi. §. 1. ff. de usuris. Et Martial. lib. ii. Epigr. 65. in Saleianum, *Illa, illa dives mortua est Secundilla, Centena decies quæ tibi dedit dotis?* Juvenal. Satyr. x. 335.—*ritu decies centena dabuntur Antiquo.* Non quod omnis dos hisce terminis circumscripta (ratio enim ipsa diversaque exempla diversum indicant: lib. ii. l. 11. ff. de dote præl. Novel. xxii. cap. 18. Tacit. extremo Annal. xi.) sed quod pro magna pecunia hæc summa saltim posita. Viderint ergo qui hæc aliter interpretantur. L.

76. *Et illos ducere*] Bene additum: nihil enim ad rem, si ducendi necessitas non fuisset. *Eadem hæc lex jubet*] Non duas res jubet hæc una lex: sed puellis permittit nubere: cognatos cogit ducere. *Eadem hæc lex jubet*] Bene *jubet*: minorem enim vim habet ea lex, quæ aliquid permittit, quam illa quæ aliquid jubet. D.

77. *Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam*] A persona ejus cum quo agitur. Potuit enim dici, *Quid mecum est tibi? Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam*] Ἀποστροφὴ et ὑποτύπωσις. Hæc narratio est, quam dicit Tullius constitutam: et ipse, *tibi uni parcam*, inquit in Verrinis: repente enim transitur ad verba personarum ab earum descriptione: sed hoc ipsum ad commovendos auditores valet plurimum. *Et tibi scribam dicam*] A denunciatione in personam: ne diceret, Non mihi denunciasti. *Et tibi scribam dicam*] Cic. Verr. ii. 15. *Scribitur Heraclio dica. Dicam*] Supra, verbum: infra, nomen est totidem literis, diverso accentu. D.—*Tibi scribam dicam*] Tibi calumniam indicam et causam impingam. E.

78. *Paternum amicum me adsimulabo virginis*] A persona litigantis: potuit enim opponi, Personam non habes. D.

79. *Qui fuerit pater*] *Qui* hic pronomen est: infra, quomodo significat. D.

80. *Quæ mater*] Virginis scilicet. *Qui cognata tibi sit*] *Qui*, quomodo, et qua ratione. *Omnia hæc confingam*] *Omnia hæc*, non ex abundanti posuit: sed oratorie, quasi tam multa. Et est ἀρχαϊσμός. Nam post enumerationem veteres hoc dicebant. Sallustius in Jugurtha (85.) *Hæc omnia præsidio adsunt.* D.

81. *Quod erit*] Tuto (*Totum* Ms. B. et edd. vett.) confingam. *Quod erit mihi bonum atque commodum*] Εὐφημία. Quod mihi, inquit, faustum ac felix erit: hoc est (*hoc scilicet* Z.), confingere atque mentiri. *Quod erit mihi bonum, atque commodum*] Totum joculariter parasitus: quippe qui *confingam* dicens, non solum non erubuerit de falsiloquio, sed quasi præclari facinoris inceptionem etiam auspicatus sit, omenque susceperit, dicendo, *Quod erit mihi bonum atque commodum.* Sic enim veteres, QUOD FAUSTUM FELIXQUE SIT, dicebant, aliquid aggressuri. D. —*Quod erit mihi bonum, etc.*] Facile ista quæ sunt mendacia, quæ (dele *quæ* Z.) ego fingam, et comprobabo judicibus: tu nihil relinquis (*quia tu nihil refelles.* Z.). E.

82. *Quum tu horum nihil refelles*] Hoc interrogative (*vultuose* Z.) pronunciandum est. *Refelles*] Refutabis, redargues. Nam prorsus *refellere*, est redarguere falsitatem. D.

83. *Pater aderit: mihi paratæ lites: quid mea?*] Mire ὁ συκοφάντης, quod maxime alter metueret, hoc pro ridicula re contemsit, *Pater aderit: mihi paratæ lites.* Exquisite autem subjectum est, quum supra dixerit, *Mihi paratæ lites: quid mea? Pater aderit: mihi paratæ lites*] Ut Antiphoni formidanda ista sunt, ita ridicula parasito. D.—*Pater aderit*] Hoc quasi quæstionis loco propositum est a Phormione. Sed cum duxeris uxorem, veniet pater et mihi litem intendet. Cui paratur responsio: quid interest? quid mea? jam enim illa, quam tu cupis, in tua erit potestate. E.

Illa quidem nostra erit. DA. Jocularem audaciam!
GE. Persuasit homini: factum'st: ventum'st: vincimur:
Duxit. DA. Quid narras? Ge. Hoc quod audis. DA. O Geta!
Quid te futurum'st? GE. Nescio hercle: unum hoc scio:
Quod fors feret, feremus æquo animo. DA. Placet:
Hem! istuc viri'st officium. GE. In me omnis spes mihi est.
DA. Laudo. GE. Ad precatorem adeam credo, qui mihi
Sic oret: Nunc amitte quæso hunc: cæterum
Posthac si quicquam, nihil precor: tantummodo

84. *Illa quidem nostra erit*] Ἠθικῶς *nostra*, quum Antiphonis tantum esse debeat. *Jocularem audaciam!*] Εἰρωνεία κατ' ἀντίφρασιν: hoc est, minime jocularem. An quæ ex ludo et joco in periculum veniat? *Jocularem audaciam!*] Deest, *audio ex te*, aut *dicis*. D.—*Jocularem audaciam!*] Quæ est in joco, veniat (Ms. *Quæ a joco veniat*) in periculum. Ut, *joculare in malum insciens pæne incidi*. E.

85. *Persuasit homini*] Hic jam de Antiphone quæritur, cui persuasum sit. *Factum est*] Adeo audax Phormio. *Ventum est*] Ἔνεξήγησις. Quo modo factum est? Ventum est: vincimur: duxit. *Factum est: ventum est: vincimur: duxit*] Ἀσύνδετον ut supra, Imus, venimus, videmus. *Factum est: ventum est: vincimur: duxit*] Amat hoc Terentius: ut, *It, lavit, redit*: et, *Imus, venimus, videmus*: et, *Funus interim procedit: sequimur: ad sepulchrum venimus: in ignem posita est: fletur*. His (*In his*) non modo brevis et comis narratio est: sed etiam auditoris animum ad id quod restat, intendit. D.—*Ventum est, vincimur*] * (Deest Ἀσύνδετον. Z.). Ut supra, *imus, venimus, videmus*. Similiter in Eunucho, *it, lavit, redit*. E.—*Persuasum'st*, quod habet Bemb. et legisse videtur Donatus, pro vulgari *persuasit*, multo est elegantius, cum cætera sint passiva. B.

86. *Quid narras!*] Admirantis vox est, non interrogantis. D.

87. *O Geta, quid te futurum est!*] Sic pronuncia, quasi periturum contempleris Getam, et jam eum in certo interitu defleas. *O Geta, quid te futurum est!*] Scilicet qui magister relictus sis Antiphoni. *Nescio hercle: unum hoc scio, quod fors feret feremus æquo animo*] Ἠθικῶς desperatione rerum fortis est servus. Et simul vigilavit poeta, ne si et hic ejularet, res tota migraret in tragœdiam. D.

88. *Quod fors feret, feremus æquo animo*] Hæ graves sententiæ, ex persona servorum quum dicuntur, ridiculæ sunt, et eo consilio interponuntur. *Feremus æquo animo*] Hoc secundum servos, qui futura contemnunt. Et mire meritum culpæ suæ ad fortunam retulit. D.—*Fors feret, feremus*] Nunc narrationem finit, de eventu respondet: omne se æquo animo passurum quod eventus attulerit in peccatis. E.—Pro *placet* elegantius est, si reponis *places*. B.

89. *Hem, istuc est viri officium*] Compendium consolationis est, quod hic libenter accepit: et ideo statim approbat. *In me omnis spes est mihi*] Quo modo? an ut strenue se defendat? an ut fugiat? an ut patiens sit plagarum? D.

90. *Ad precatorem adeam, credo*] Bene poeta omnia tractat, quæ in tali re tacenda servo essent, nisi aliud posceret argumentum. *Ad precatorem adeam*] Sic in Heautontimorumeno, *Nec tu aram tibi, nec precatorem parari. Qui mihi sic oret*] Id est, pro me oret. D.—*Ad precatorem adeam*] Solent servi, quotiens fuerint rei constituti, habere sibi precatores qui pro eis orent. E.—*Qui mihi sic oret*] Servius Æneid. viii. 127. L.—Pro vulgari *adeam* placet Bembini *adeam*. Nam *adire* supplicis est. B.

91. *Nunc amitte quæso hunc*] Μίμησις dicitur, ubi non verba modo, verum etiam gestum vocemque fingimus alienam. *Nunc amitte quæso*] Hoc quod nos dicimus *dimitte*, antiqui etiam dicebant *amitte*. Virg. Æn. ii. 148. *Amissos hinc jam obliviscere Graios*. Et Sallustius, *pactione amisso Publio legato*. D.—Donati *amitte* melius est, quam nostrorum codd. *omitte*. B.

92. *Posthac si quicquam, nihil precor*] Facile impetrat, qui non omnia extorquet. Ergo ars precatoria est, mitigare præsentia, futura permittere. Simul etiam quia omnis causa in hoc est, ne videatur servus ob impunitatem in delictis amplius peccaturus. *Posthac si quicquam*] Ut solet, eleganter per ἔλλειψιν. Et simul, non si tantundem peccaverit: sed, si vel minimum. Tale est et illud, *Si sensero hostis quicquam in his te nuptiis fallaciæ conari. Et, Si quicquam invenies mentitum, occidito. Nihil precor*] *Nihil*, pro non: sed plena negatio, *nihil*. D.

Non addat: Ubi ego hinc abiero, vel occidito.
DA. Quid ille pædagogus, qui citharistriam?
Quid rei gerit? GE. Sic, tenuiter. DA. Non multum habet
Quod det fortasse. GE. Immo nihil, nisi spem meram.
DA. Pater ejus rediit, annon? GE. Nondum. DA. Quid? senem
Quoad exspectatis vostrum? GE. Non certum scio:
Sed epistolam ab eo allatam esse audivi modo,
Et ad portitores esse delatam: hanc petam.
DA. Numquid, Geta, aliud me vis? GE. Ut bene sit tibi.
Puer heus: nemon' huc prodit? cape, da hoc Dorcio.

ACTUS PRIMI SCENA III.

ANTIPHO. PHÆDRIA.

ADEON' rem redisse, ut qui mihi consultum optume velit esse,

93. *Ubi ego hinc abiero*] Hic ostendit, nullum precatorem ex animo postulare veniam servo. *Vel occidito*] *Vel*, pro etiam. *Occidito*] Tu tantum cædere volebas: ego dico, *etiam occidito*. D.—Plerique codd. vett. Faerni et nostri *Non addit*. B.

94. *Quid ille pædagogus, qui citharistriam?*] Moraliter quærit, volens audire de Phædria, postquam de Antiphone cognovit: maxime, quia hæc interrogatio responsionem elicit, qua spectator instruitur ad cognoscenda cætera. *Quid ille pædagogus, qui citharistriam?*] Quia dixit, *Sectari, in ludum ducere et reducere*: et quia *puellulam* dixit, ab ætate; *pædagogus est illi*, ait. *Quid ille pædagogus, qui citharistriam?*] Phædria, scilicet, qui neque abscedit a custodia puellæ, neque illam ipse contingit. *Qui citharistriam?*] Ἔλλειψις. Sectatur, amat, vel quid tale subaudiendum est. D.—*Quid ille pædagogus*] Apto nomine appellavit ipsum adolescentulum qui meretricem amat; ut *pædagogus* diceretur qui eam in ludum ducebat et reducebat. E.—Iidem libri cum Donato meliorem habent numerum, *Quid pædagogus ille*. B.

95. *Sic, tenuiter*] Δεικτικῶς *sic* dicendum est cum aliquo gestu. *Non multum habet quod det fortasse*] Cum commiseratione amatoris adolescentis pronunciandum est. D.

96. *Immo nihil, nisi spem meram*] Bene *spem*: quia amat: nemo enim sine spe amat. *Meram*] Solam. D.—*Nisi spem meram*] Solam inquit spem, quia nihil habet. E.

97. *Pater ejus rediit, an non?*] Chremes scilicet. *Nondum*] Subaudi *venit*. Jam (*venit*: NONDUM, quia *eveniet*. *Nam* Ms. H.) *non* plena negatio est. *Quid? senem quoad exspectatis vestrum?*] Animadvertite *quid* secundum morem quotidianum tum dici, quum fit transitus a mentione alterius rei ad alteram. Sic et supra, *Quid pædagogus ille?* D.

98. *Quoad exspectatis vestrum?*] *Quoad*, quamdiu. Et recte locutus est: quia adventus, finis est exspectationis. D.

99. *Sed epistolam ab eo allatam esse audivi*] Mire paratur inopinatus subito adventus senis. Nam ipse veniet, cujus epistolam sperat. D.

100. *Et ad portitores esse delatam*] More veterum, magistri tributorum, id est, publicani, operam in portu dabant, inferendarum rerum et efferendarum vectigal exigentes. *Ad portitores*] Ad eos qui in portu sunt. Et quo more hoc dixerit, vide, Attico an Romano. D.—*Ad portitores*] Ad eos scilicet, qui in portu sunt. E.

101. *Numquid, Geta, aliud me vis?*] Absque illo argento, quo tibi a me opus fuit? *Ut bene sit tibi!*] Ἀρχαϊσμὸς (Εὐφημισμὸς, seu, Ἀστεϊσμὸς Z.), pro *nihil*. D.

102. *Puer heus: nemon' huc prodit?*] Moralis expressio. Nam eos vocat, quibus initio egrediens dicebat, *Siquis me quæret rufus. Cape, da hoc Dorcio*] Ad κωφὸν πρόσωπον loquitur. *Dorcio*] *Dorcium* femininum nomen est, ut *Planesium*, *Glycerium*. D.—Apparet, hanc Dorcium conservam fuisse et Getæ uxorem: ergo dat illi pecuniam servandam. Ita Syri uxor Phrygia conserva, Adel. v. 9. 16. B.

1. *Adeon' rem redisse, ut qui mihi consultum optume velit esse*] In hac scena color vitæ est eorum, qui id, quod immo-

Phædria, patrem ut extimescam, ubi in mentem ejus adventi venit?
Quod ni fuissem incogitans, ita eum exspectarem, ut par fuit.
PH. Quid istuc est? AN. Rogitas? qui tam audacis facinoris mihi conscius sis?
Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset;
Neu me cupidum eo impulisset, quod mihi principium'st mali!
Non potitus essem: fuisset tum illos mihi ægre aliquot dies:

dice concupierint, spernunt, postquam evenerit. Quod apertiore sententia ostendit poeta, dicendo, *Nostri nosmet pœnitet. Adeon' rem redisse*] Comparativa qualitas in hac scena est inter Antiphonis vitam, et Phædriæ. Genus causæ demonstrativum. Contendunt autem, uter magis miser sit. *Ut qui mihi consultum optume velit esse, Phædria*] Mira sententia, qua ostendit adolescentulos in peccatis neminem magis metuere, quam eos a quibus maxime diliguntur. Simulque inducitur rerum imminentium præstructio: in qua sic audax inducitur Phædria, ut defensor futurus sit: sic timidus Antipho, ut fugiturus sit. *Ut qui mihi consultum optume velit esse, Phædria, patrem extimescam*] Ferienda pronunciatio in eo quod ait, *Qui mihi consultum optume velit esse:* hoc enim magis mirum est, ideo patrem timeri, quia consultum optime velit. D.—*Adeon' rem*] Hæc scena vitæ comparationem tenet Antiphonis et Phædriæ, ejus qui uxorem duxit absente patre eam quam diligebat, et ejus qui amat meretricem, et sumtus non habet. In quo negotio efficitur qualitas comparativa, qui miserior sit. Et est causæ genus demonstrativum: cum vitam utriusque in miseriis, comparatione vitæ suæ, dicit esse felicem. *Adeon' rem redisse*] Eousque rem esse deductam, ut cum mihi pater consultum optime cupiat, ego tamen non (*eum* Z.) pertimescam, cum mihi venit in mentem illum jam jamque esse venturum? E.

2. *Ubi in mentem ejus adventi venit?*] Nota, *venire in mentem* veteres, non recordationis causa tantum, sed etiam recogitationis considerationisque posuisse. *Ubi in mentem ejus adventi venit*] Sic veteres genitivo casu proferebant. *In mentem ejus adventi venit*] Cicero, Verr. i. 17. *Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem. Adventi venit*] Multipliciter declinatur, et *adventi* et *adventus:* sic et in Andria, *Nihil ornati, nihil tumulti. Venit*] Legitur et *advenit.* D.—*Ejus adventi*] Vett. codd. et Ms. R. *adventus.* Vid. Priscian. lib. vi. L.—Placet ordo verborum, qui est apud Priscianum bis, *ubi ejus adventi venit in mentem.* Nam ita plenus efficitur octonarius. B.

3. *Incogitans*] Temerarius. Probus, *incogitans,* inquit, *in usu est: at non eodem modo cogitans. Ita eum exspectarem, ut par fuit*] *Exspectarem* nunc opperirer: alias sperarem. D.—*Nisi fuissem incogitans*] Quod nisi minimum cogitarem, propter id quod uxorem duxi eo absente, sic ejus adventum et eum exspectarem, sicuti decuit. E.—Cum octonarium plenum semper excipiat trochaicus; profer *fuissem* ut disyllabon; ut mox, ver. 7. *fuisset.* B.

4. *Quid istuc est?*] Hæc interrogatio stomachosa est extenuare volentis metum fratris: diversa enim sentit ob diversum amoris eventum. *Qui tam audacis facinoris mihi conscius sis*] Proprie ad terrorem, qui de facinore loquitur, *conscium* dixit. *Rogitas? qui tam audacis facinoris*] Bene timens inducitur Antipho, ut sit causa fugiendi. Ad hoc enim fugiet, ne ad amittendam conjugem cogatur a patre, ante errorem fabulæ patefactum. D.—*Rogitas? qui tam*] Interrogas me, cur istud dicam? Uxorem duxi; et ejus facinoris mihi et auctor fuisti et conscius. E.—Ne octonarius plenus fiat iambicus, illud *est* delendum censeo. B.

5. *Quod utinam ne Phormioni*] Gratissime non Phormioni succenset, sed Phormionis invento. Et vide, ut et ipse se culpæ subtrahat. *Quod utinam*] Et familiare est initia rerum accusare eos, quos alicujus negotii pœnitet. *Quod utinam ne Phormioni*] Vetus elocutio, *utinam ne.* Ennius in Medea, *utinam ne in nemore Pelio securibus Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes.* Et *ne,* non accipiendum. D.—*Utinam ne Phormioni*] Hic exponit miserias suas; pœnitet enim consilii: ut ne Phormioni in mentem incidisset tale consilium, ut mihi persuaderet, atque impelleret in id, unde mihi initium est malorum. E.—*Quod utinam*] Priscian. lib. xv. L.

6. *Neu me cupidum eo compulisset*] Bene hoc addidit ad excusationem: potuit enim dici, Non consentires. *Eo compulisset*] *Eo,* ad uxorem ducendam: an *eo* in tantum? *Quod mihi principium est mali*] Bene, quasi caput mali non in amore sit, sed in nuptiis. Sic Æn. vi. 93. *Causa mali tanti conjux.* D.

7. *Non potitus essem*] More hominum

At non cotidiana cura hæc angeret animum. PH. Audio.
AN. Dum exspecto, quam mox veniat, qui adimat hanc mihi consuetudinem.
PH. Aliis quia defit quod amant, ægre'st: tibi quia superest, dolet.
Amore abundas, Antipho.
Nam tua quidem hercle certo vita hæc expetenda optandaque est.
Ita me Di bene ament, ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui;

loquitur: credit enim ex sequenti saciëtate, quod potuerit abstinere amoribus suis. *Non potitus essem*] Ἀνθυποφορὰ μονομερής. Non enim, *sed potiri voluisti*, posuit: ut ille, Æn. iv. 603. *Verum anceps pugnæ fuerat fortuna! fuisset:* hic enim utraque pars ponitur. *Fuisset tum illos mihi ægre aliquot dies*] Quidam totum interrogative pronunciant: nempe, *Fuisset tum illos mihi ægre aliquot dies?* D.—*Non potitus essem*] Sed si consilium mihi Phormio non dedisset, ad fructum cupiditatis meæ non pervenirem. Hæc quæstio est, quæ solvitur malorum comparatione. Si quidem magna commoda majoribus incommodis cœpta . . . . . (*Si quidem minora incommoda majoribus incommodis collata sunt: neque* Z.) utile consilium fuit, id malum, quod minus habebatur, commutatum est (*esse* Z.) graviore et deteriore malo; quod hodie cotidiana cura angit animum. E.—*Tum illos*] V. C. *tum illud.* L.

8. *At non quotidiana cura hæc angeret animum*] Quum amatorie loquatur Antipho, errant qui putant eum pœnitere sui desiderii. Nam si hoc est: nec maritus firmus videbitur fore: sed hoc dicit: facilius fuisse abstinere virgine intacta, quam ea cum qua jam consueverit: et ideo subjungit, *Dum exspecto quam mox veniat, qui hanc mihi adimat consuetudinem. Audio*] *Audio* per εἰρωνείαν dicitur modo a contemnente dictum Antiphonis. *Audio*] Omnia deridet Phædria, cupiens fructum amoris vel periculis adipisci. Est ergo *audio* εἰρωνεία, pro *non audio*, hoc est, nihil dicis. D.

9. *Dum exspecto, quam mox veniat*] Non *quando*, sed *quam cito:* quia timet. *Qui adimat hanc mihi consuetudinem*] Mire non amorem: tanquam amore carere potuerit, *consuetudine* non possit. Et nota proprietatem. Nam *consuetudo* specialiter de coitu dicitur. D.—*Dum exspecto quam mox, etc.*] Comparatio efficitur per alterius vitæ comparationem. Ipse enim Phædria amat meretricem, qua potiri propter inopiam non potest. E.—Longe concinnius codd. nostri fere omnes, *qui hanc mihi adimat c.* B.

10. *Aliis quia deſit quod amant*] Magnificentius *aliis* dixit, quam si diceret *mihi. Tibi quia superest, dolet*] Laboravit ut ostenderet plus esse *dolet*, quam *ægre est.* Et ideo insanum ait Antiphonem: qui in ea fortuna positus, quæ adversa et contraria est, idem patiatur quod miser. Et est figura ὑπόζευξις. Nam ad utrumque *ægre est* sufficere potuit. Scire autem debemus, et pronunciative, et per interrogationem hoc ipsum pronunciari posse. *Tibi quia superest*] Id est, eo quod desideras, abundas. Ordo est, Tibi dolet, quia superest. D.

11. *Amore abundas, Antipho*] Sic hoc pronunciandum, quemadmodum solet cum stomacho dici vituperanti cibum *non esuris*, aut *pleno ventre es:* vult enim ostendere satietatis hoc esse, non ratiocinationis, quod nunc queritur Antipho. *Amore abundas, Antipho*] *Abundare* dicitur, qui successu prospero affluit. Lucilius libro tertio, *Ille alter abundans Cum septem in locum Hispanus r a r p* * (Douza legit sic, *Cum septem incolumis pinnis redit, ac recipit se*). *Amore abundas, Antipho*] Hoc cum pronunciatione infert. D.—*Amore abundas*] Hoc est, tibi quod desideras abundat et præsto est, neque eges. E.

12. *Nam tua quidem hercle certo vita hæc expetenda*] Bene *certo:* quia supra omnia cum εἰρωνείᾳ dixit. *Vita hæc expetenda*] *Vita* dixit, ut ostenderet, etiamsi non felicitas, sed vita dicatur, optandam esse. *Vita* autem et mores significat, et animam, et alimentum, et spatium vivendi, et fortunam accidentem viventibus: ut modo. *Expetenda optandaque*] Proprie dixit *expetenda optandaque:* omnia enim quæ amamus, aut industria, aut voto proveniunt: hoc est, aut in nobis sunt, aut in fortuna posita. D.—Pro *certe* placet meliorum codd. *certo.* B.

13. *Ita me Di bene ament, ut mihi liceat*] Necessario jurat: quia quod dicturus est, solis amatoribus videtur esse credendum. *Ita me Di bene ament, ut mihi liceat tam diu quod amo, frui*] Opportunus locus, in quo ostendatur quam magno amore sit possessus Phædria, cui par impenditur

Jam depecisci morte cupio: tu conjicito cætera,
Quid ego ex hac inopia nunc capiam, et quid tu ex istac copia.
Ut ne addam, quod sine sumtu ingenuam, liberalem nactus es:
Quod habes, ita ut voluisti, uxorem sine mala fama palam:
Beatus; ni unum hoc desit, animus qui modeste istæc ferat.
Et si tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est, tum sentias.
Ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet pœnitet.
AN. At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phædria,
Cui de integro est potestas etiam consulendi, quid velis;

argumentum. *Tam diu quod amo fruí*] Quamdiu uxore fruitur Antipho. An *tam diu, δεικτικῶς? Tam diu*] Tantisper, hoc est, vel tantillo tempore. *Quod amo, frui*] Deest *Eo: ut* sit, *eo, quod amo, frui.* D.—*Ita me Di*] Ut feliciorem multo Phædriam Antipho posset ostendere, non solum . . . . . mala esse vita numerat verum etiam juravit (*Ut feliciorem se multo Phædria Antiphonem posset ostendere, non solum inter mala suam vitam numerat, verum etiam jurat* Z.) per id ipsum quod Antipho habet, quod tam diu fruatur amore suo. E.

14. *Jam depecisci morte cupio*] Pactionem transigere. *Tu conjicito cætera*] Aut *cætera* abundat: aut deest *per:* ut sit, *per cætera.* D.—*Jam depecisci morte*] Hoc est, mori volo vel pacisci mortem. Deinde ipsa incommoda commodis vitæ Antiphonis enumerat: siquidem ille habet sine sumtu ingenuam: quod habeat quam desideravit uxorem: quod sine mala opinione: quod publice. Contra quod hic cum lenone rem agitet. E.—Pro *cætera* repone *cæterum;* quia non plura erant, quæ conjiceret. Illud *cæterum* hoc sensu sæpenumero occurrit apud Plautum. B.

15. *Quid ego ex hac inopia nunc capiam*] Infortunium scilicet. *Et quid tu ex istac copia*] Fructum ac felicitatem. D.—Repone, *Quid ego hâc ex inopiâ nunc capiam, et quid tu ex istac c.* Vt opposita illa, *hac, istac,* ambo acuantur. B.

16. *Ut ne addam*] Παράλειψις figura, in qua velut ex abundanti enumerantur adjecta. *Ut ne addam*] Σχῆμα παράλειψις. *Ut ne*] Quod Græci ἵνα μή. *Ingenuam, liberalem nactus es*] Hoc natalium, illud morum est. *Sine sumtu, ingenuam, liberalem nactus es*] Contra ea quæ patitur, ista posuit omnia: hujus in amore copiam; suam inopiam: hujus desiderium nullo constitisse sumtu; sibi a lenone fuisse emendam puellam: hujus ingenuam; suam servam: hujus liberalem; suam citharistriam: hunc nactum esse; se sectari tantum: hujus uxorem; amicam suam: hujus amorem maritalem esse; suum velut prodigi, velut scortatoris. D.

17. *Quod habes, ita ut voluisti*] *Voluisti* subdistinguendum est, et sic legendum *uxorem.* Erit enim ἐμφατικώτερον. *Ut voluisti, uxorem*] Bona præparatio uxoris futuræ. D.

18. *Ni unum hoc desit, animus qui modeste istæc ferat*] *Modeste,* moderate. Sallustius libro secundo, *Modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem. Modeste*] Cum modo. D.—*Beatus, ni unum*] Omni parte felix ac beatus, ni tibi tantummodo unum, animus videlicet, desit, qui hæc tolerabiliter sustineat. E.

19. *Et si tibi res sit cum eo lenone*] *Et* modo non connexiva, sed inceptiva conjunctio est. Sallustius libro secundo, *Et Pœni ferunt adversus a.n c m * Sentias*] Sic alibi, *Sit rogas? sensi.* D.—Pro *Et si* Bentl. cum aliis edidit *Quodsi.* Sensus est idem. Z.

20. *Ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet pœnitet*] Παράλειψις tertium. In Andria, *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli:* et est ἀρχαϊσμός: ut, *Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis. Nostri nosmet pœnitet*] Pœnitet eum, qui parum putat: ergo ipsi nos, inquit, nostra contemnimus. Sic et in Heaut. *At enim hic dices, me quantum hic operis fiat pœnitet.* D.—*Nostri nosmet pœnitet*] Cicero lib. vi. Epist. i. ad Famil. *Suæ quemque fortunæ maxime pœnitet.* Publii Syri versus apud Salvianum huc pertinet: *Aliena nobis, nostra plus aliis placent.* Plura in eum sensum apud Horatium lib. i. Satyr. i. Gell. noct. Attic. lib. xx. cap. 6. L.—Placet ordo, quem cod. C. C. exhibet, *Ita plérique omnes súmus ingénio.* Cf. And. i. 1. 28. B.

21. *At tu fortunatus*] Revocat comparationem Antipho, et hæc causa (*ex hac causa* Z.) ut meliorem felicioremque dicat Phædriam, quod in potestate habeat omnem consultationem, utrum velit mittere, an vero retinere. E.

22. *Cui de integro est potestas*] Post, deinceps. An *de integro,* id est, integris rebus? *Quid velis; retinere, amare, amittere*] An conjuncte legendum est, *quid velis retinere?* ut duo sint, *amare, amittere:* quia et infra duo reddit, *Ut neque*

Retinere, amare, amittere: ego in eum incidi infelix locum,
Ut neque mihi ejus sit amittendi, nec retinendi copia.
Sed quid hoc est? videon' ego Getam currentem huc advenire?
Is est ipsus: hei timeo miser, quam hic nunc mihi nunciet rem!

ACTUS PRIMI SCENA IV.

GETA. ANTIPHO. PHÆDRIA.

NULLUS es, Geta; nisi jam aliquod tibi consilium celere reppereris:
Ita nunc imparatum subito tanta te impendent mala:
Quæ neque uti devitem scio, neque quomodo me inde extraham:
Nam non potest celari nostra diutius jam audacia:
(Quæ si non astu providentur, me aut herum pessumdabunt.)
AN. Quidnam ille commotus venit?

mihi sit ejus amittendi, neque retinendi copia. Amittendi propter amorem: *retinendi*, propter patrem. D.

23. Pro *amittere* repone *an mittere*. Nam primum post verbum *consulendi, deliberandi*, debet sequi *utrum, an, ne*. Deinde quomodo *amittere* potuit, quam nondum habuit? B.

24. *Amittendi, nec retinendi copia*] Servius Æneid. xi. 699. L.—Placet lectio, quam in codd. tribus reperi, et Guyetus in Puteano, *jus* pro *ejus*. Nempe non *jus amittendi*, repudiandi, ob leges, quibus coactus eam duxerat: non *copia retinendi*, ob patrem. Nam *jus*, quod fieri licet; *copia*, quod fieri potest. B.

26. *Hei timeo miser, quam*] Recte jam timet: quia in metu semper est præsaga mali mens. Et *hei* interjectio ingemiscentis est: ut, Æn. xi. 57. *hei mihi, quantum Præsidium Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!* D.—Nostri codd. meliore numero, *quam hic mihi nunc n. r.* B.

1. *Nullus es, Geta*] In hac scena servi concurrentis (*currentis* edd. ante Steph.) officium est, tendens ad perturbationem Antiphonis, quem oportet abesse a conspectu patris usque ad cognitionem rerum, et καταστροφὴν fabulæ. *Consilium celere*] *Hoc celere* neutraliter dicitur. D.—*Nullus es, Geta*] Hæc scena nuncium tenet domini venientis. Unde turbatio efficit (*efficitur* Z.) Antiphonis, quod patrem suum audiat venire, quod eo absente duxit uxorem. E.—*Jam aliquod tibi*] In V. C. *tibi* deest. Vid. Priscian. lib. vii. *Consilium celere*] Diomed. lib. ii. Prisc. libr. v. L.—Repone, *Nullu's Getá; nisi áliquod jam consílium celere répereris*. Nam plerique nostri habent *repereris* pro Faerni lectione *repperis;* cod. C. C. et Priscianus, *aliquod jam: tibi* apud Priscian. deest. B.

2. *Subito tanta te impendent mala*] Accusativo casu *impendent:* aut ἀναστροφῇ, pro, *in te pendent mala*. Quum supra *Nullus es, Geta*, dixerit: hic transitum fecit ad primam personam. D.—*Imparatum subito*] Ita tanta mala impendent in te et parantur. E.—Donatus, quantum ex scholio colligi potest, haud dubie pro *te* legit *me;* quod ipsum exhibet cod. Acad. Id quod utique est commodius, cum mox sequatur *devitem*, non *devites*. Igitur ob usum loquendi repono, *tanta in me impendent m.* B.

3. *Quæ neque uti devitem, scio*] Ruina aut vitanda est, aut extrahenda sunt ex ea corpora quæ oppressit. *Devitem*] Ante quam irruant. *Inde extrahaw*] Quum irruerint. D.—*Uti devitem*] Duo posuit: omnia enim mala devitemus, consilio, ita ut nos non contingant; aut quod secundum est, si forte celeri adventu in nos irrepserint, in hoc prospicere, quo modo inde nos liberare possimus. E.

4. *Nam non potest celari nostra diutius jam audacia*] Bene *nostra:* quia ipse partem maximam culpæ sustinet, ut magister. *Celari*] Nigidius, *celari*, quærit, utrum plenum sit, an pressum? D.

5. Versus est insititius ex And. i 3. 4. qui ab hoc loco est alienus. Recte igitur abest ab cod. veterrimo nostro. B.

6. *Quidnam ille commotus venit?*] Modo

GE. Tum, temporis mihi punctum ad hanc rem est: herus adest. AN. Quid istuc mali'st?

GE. Quod quum audierit, quod ejus remedium inveniam iracundiæ?

Loquarne? incendam: taceam? instigem: purgem me? laterem lavem.

Ebeu me miserum! quum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi:

Ejus me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet: nam absque eo esset,

Recte ego mihi vidissem; et senis essem ultus iracundiam:

commotus, perturbatus atque conterritus. *Quidnam ille commotus.* Hic ostendit poeta, idcirco confusum Getam induci, ut de ejus metu Antipho terreatur. D.

7. *Tum, temporis punctum mihi*] *Punctum*, pro momentum: ut Lucilius in decimoquarto, *Puncto uno, hora * et qui quoque invasit. Punctum*] Angustissimum spatium. *Ad hanc rem*] Ad deliberandum quod ago. *Herus adest*] Vultu tristi ac superciliis arduis (*adductis*) hoc dicendum est. *Quid istud mali est*] Mire πρὸς τὸ, *Herus adest, Quid istuc mali est?* posuit, ex persona Antiphonis: cui pro calamitate est patris adventus. D.

8. *Quod quum audierit*] Scilicet quod uxorem duxit Antipho. *Quod quum audierit*] Bene non addidit quid: secum enim loquitur. *Quod ejus remedium inveniam iracundiæ?*] Plus est, quam si diceret *Nullum. Quod ejus remedium inveniam iracundiæ?*] Proprie *remedium*, quasi iracundia morbus sit. D.

9. *Loquarne: incendam*] Quia iracundia ignis est. *Taceam, instigem*] *Instigari* proprie fera dicitur. *Loquarne? incendam: taceam? instigem*] Σχῆμα διανόρησις. Duo sunt quæ fieri in placando solent: aut loqui, aut tacere. Sed quid vult sibi *purgem me*, quum idem sit *loquar?* an quia potest purgatio et per defensorem patronumve induci? sic quidam putant. Sed melius est hoc, ut perturbatæ et servilis imperitæque personæ verba sine arte esse, et vim significati non habere. *Purgem me? laterem lavem*] Παροιμία, πλίνθον πλύνεις. D.—*Purgem me? laterem lavem*] Omnia adversa sunt, inquit: si loquar, magis incendam: si conticescam, vehementer instigem et compellam ad iracundiam: si me purgavero, nihil est. Hoc est enim laterem lavare. Si me purgavero, culpa crescet. *Laterem lavem*] Qui non purior sit lavando, dum semper auget se stercus fricando. Tam enim non puriorem laterem lavando reddimus, quam ipsum laterem perdimus. E.—*Laterem lavem*] Græcorum proverbium est πλίνθους πλύνειν. Zenob. libr. vi. num. 84. Diogen. Centur. vi. n. 50. Suid. Cent. xi. n. 86. L.—Elegantius *loquar* sine *ne*, ob sequentia. B.

10. *Quum mihi paveo*] *Quum, præterquam quod* significat modo. *Tum Antipho me excruciat animi*] Τῷ ἰδιωτισμῷ, pro eo quod est, Propter Antiphonem me excrucio. *Me excruciat animi*] Sic in Hecyra, *Fecit, animi ut incertus foret.* Genitivo enim casu veteres figurabant hanc locutionem. D.

11. *Ejus me miseret: ei nunc timeo*] *Miseret* præteritorum, *timeo* de futuris. *Ejus me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet*] Figura πολύπτωτον, *Ejus, Ei, Is. Is nunc me retinet*] Si *retinet*, quomodo *excruciat? Nam absque eo esset*] Si ad eum res non pertineret: id est, si meum tantummodo peccatum esset hoc ipsum. D.

12. *Recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam*] Facete servus occasionem melioris conditionis esse existimat fugæ causam, tanquam sibi per eam et libertatis genus præstare posset, et prædam. *Recte ego mihi vidissem*] Ut dicimus, *Vide tibi, videte vobis.* Et recte *vidissem*, ἀντὶ τοῦ *providissem. Et senis essem ultus iracundiam*] *Senis* maluit, quam *domini*, dicere: ut in ipso nomine et hortamentum impune fugiendi appareat: et simul quia non *iram*, sed, *iracundiam* dicturus erat. Nam *ira* de causa, *iracundia* de moribus. *Et senis ultus essem iracundiam*] Non dixit *evasissem*, sed *Ultus essem*: faciunt enim servi fugiendo, ut dominos pœniteat iratos fuisse. *Ultus essem*] Sic Virg. Æn. iv. 656. *Ulta virum; pœnas inimico a fratre recepi.* D.—*Ultus essem iracundiam*] Ultus hoc more, dum aliquid sustulissem, quod dixit, *Aliquid convasassem, et me protinus conjicerem in pedes*, hoc est, fugissem. Discessio enim quodammodo ultio est, in * gmalionem, * *In ulta de loco fugit, cum dicit vita virum* (*ultio est. Sic apud Virgilium Dido Pigma-*

Aliquid convasassem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes.

AN. Quam hic fugam, aut furtum parat?

GE. Sed ubi Antiphonem repperiam? aut qua quærere insistam via?

PH. Te nominat. AN. Nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum.

PH. Ah! sanusne es? GE. Domum ire pergam: ibi plurimum'st. PH. Revocemus

Hominem. AN. Sta ilico. GE. Hem,

Satis pro imperio, quisquis es. AN. Geta. GE. Ipse est, quem volui obviam.

AN. Cedo quid portas, obsecro? atque id, si potes, verbo expedi.

lionem ulta, de loco fugit; cum dicit ULTA VIRUM. Z.). E.—*Senis essem ultus*] Glossæ Philoxeni: ἐκδικος, τιμωρὸς *Ultor, ultus, Terent. Phormio: et senis essem ultus iracundiam.* L.

13. *Aliquid convasassem*] Figuratum est a colligendis vasis. *Hinc me conjicerem*] (Πρὸς τὸ addunt edd. vett. recte) Recte ego mihi vidissem. *Protinus in pedes*] *Protinam* fuit: et sic Nigidius legit. D.—*Protinus in pedes*] Charis. lib. ii. L.—Pro *convasassem*, quod non nisi duo e nostris habent, plerique exhibent *convasissem*; tres vero recte *convasissem*, nempe aliquid pecuniolæ a debitoribus, ab amicis. Certe non vasa erant colligenda, sed aliquid, quo expeditior fugeret. Cætera lege numeris melioribus *Hinc me protinam conjicerem i. p.* Nam *protinam* et Plauti usu probatur, et versus ratione. Ordo *protinus conjicerem* extat in duobus nostris. B.

14. *Quam hic fugam*] (Πρὸς τὸ addunt edd. vett.) *Conjicerem in pedes. Aut furtum parat*] (Πρὸς τὸ) *Aliquid convasassem. Quam hic fugam, aut furtum parat?*] Secunda ἀνθύποσις (*notanda μεταθεσει*); prius enim *furtum*, quam *fuga* occurrere debuit. D.—Ob versum leg. *Quamnam hic, etc.* B.

15. *Sed ubi Antiphonem reperiam?*] *Sed*, pro ergo: ut sit, Ergo ubi Antiphonem reperiam? an *sed*, finis superioris sententiæ est? ut Sallustius, *sed Metellus in ulteriore provincia. Reperiam?*] Si alicubi cesset. *Aut qua quærere insistam via?*] Si alicubi ambulet: omnis enim qui quæritur, aut cessat, aut ambulat. D.—Etsi Bemb. et noster cod. 900 annorum habet *viam*: tamen vulgare *via* placet. B.

16. *Te nominat*] Ad hoc diu auditur Geta, et ipse non videt adolescentes, ut plus illis terroris incutiat, dum secum loquitur. *Nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum*] Diserte locutus est, *Nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum*: pro eo quod est, *Nescio quod magnum malum hunc mihi nunciaturum arbitror.* D.

17. *Domum ire pergam*] Hoc nos ἀλλειπτικῶς dicimus, *Domum pergam. Ibi plurimum est*] Ostendit ab initio se domum pergere, et sic videtur deliberasse. *Ibi plurimum est*] Scilicet propter amorem uxoris suæ. *Plurimum*] Τὸ πλεῖστον. D. —*Ibi plurimum est*] Charis. lib. ii. L.—Alii aliter hos versus distribuunt. Illud *Ah*, quod ab plerisque abest, si retines, appone versui præcedenti. Reliqua unum faciunt versum trochaicum pentametrum, *Sánun' es? domum ire pergam: ibi plúrimum'st: revocémus hominem: stá ilico: hem.* Hephæstion, p. 19. Καὶ τῷ πενταμέτρῳ δὲ τροχαϊκῷ, καίπερ ὄντι ὑπερμέτρῳ, πολλοὶς κεχρῆσθαι συμβέβηκεν, οἷόν ἐστι καὶ τὸ Καλλιμάχου· Ἔρχεται πολὺς μὲν Ἄγαιον διατμήξας ἀπ' οἰνηρῆς Χίου. B.

18. *Revocemus hominem*] Comice et moraliter addidit *hominem. Sta illico*] Ille, *Revocemus hominem*, dixit: hic, non progredi jussit. D.

19. *Satis pro imperio quisquis es*] Hic ostendit, culpæ conscientia nullam auctoritatem reliquam in magistro Geta. *Satis pro imperio*] Id est, imperiose. D.

20. *Cedo, quid portas obsecro? atque id si potes, verbo expedi*] Mire expressit affectum de timore properantis. *Cedo quid portas obsecro?*] Ut, Æn. ii. 161. *Si vera feram, si magna rependam.* Nam *ferre* et *portare*, de negotiis majoribus dicitur. *Verbo expedi*] Deest, *uno.* D.—*Verbo expedi*] Ms. R. *Verbo expedi uno.* L.

GE. Faciam. AN. Eloquere. GE. Modo apud portum. AN. Meumne? GE. Intellexti. AN. Occidi! GE. Hem!
AN. Quid agam? PH. Quid ais? GE. Hujus patrem vidisse me, patruum tuum.
AN. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser!
Quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar,
Nulla'st mihi vita expetenda. GE. Ergo istæc quum ita sint, Antipho,
Tanto magis te advigilare æquom'st: Fortis fortuna adjuvat.
AN. Non sum apud me. GE. Atqui opus est nunc quum maxime, ut sis, Antipho:
Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur

21. *Eloquere*] Aliter ostendit quid est, *verbo expedi*, dicendo *Eloquere. Modo apud portum*] *Patrem vidi*, dicturus Geta, præventus est ab eo, quem timor intelligentem fecerat. *Hem!*] Propria, et sua cuique personæ exhibuit: celeritatem ex præsagio metuenti Antiphoni: et tarditatem intellectus quieti pectoris securo Phædriæ. D.—Illud *hem* non Getæ tribuendum, sed Phædriæ: vid. Donat. B.

22. *Quid agam?*] Jam fiet Antipho, et adhuc non intelligit Phædria. *Hujus patrem vidisse me, patruum tuum*] Mire poeta Antiphoni minus quam oportet, et Phædriæ plus quam oportet, fecit loqui nuncium. Ille enim pene divinat ex metu: hunc tardum securitas facit. *Hujus patrem vidisse me, patruum tuum*] Reddit utrique proprium: ut et ille qui timebat, paucis intelligeret: et ille qui securus erat, pluribus edoceretur. D.—*Quid ais? hujus patrem*] Expressum bene est, quod ille qui metuebat, facile etiam intelligit, quod sermonibus non fuerat explicatum: contra is, qui alienus a metu erat, interrogat quid illud sit. Ergo parum intelligenti congeminat sensum, *Hujus patrem* cum dicit *vidisse me, patruum tuum*. E.

23. *Nam quod ego huic nunc subito*] *Nam* aut subjunctiva conjunctio est superiori dicto, quod ait, *Quid agam?* aut ἀναστροφὴ est *Nam quod*, pro *Quodnam. Huic subito exitio remedium*] *Subito*, et adverbium, et nomen est. *Quum subito assurgens fluctu nimbosus Orion*, Æn. i. 539. *Inveniam miser!*] Quum *ego* supra dixerit, ἐμφατικῶς addidit, *miser*. D.

24. *Quod si eo meæ fortunæ redeunt*] Tragice amator hoc negotium *fortunas* omnes dixit esse. *Fortunæ redeunt*] Bene *redeunt*: quasi in pejus, et a processu retro, et in deterius. *Phanium, abs te ut distrahar*] Amatoria ὑποφόρησις per ἀναστροφήν. *Abs te ut distrahar*] Non dixit, *A me distraharis*. Et vide verbum vim cohærentis ostendere. D.

25. *Nulla est mihi vita expetenda*] *Nulla*, pro *non*: aut nullius conditionis, quasi dicat, Ne deorum quidem vita mihi dulcis est sine te. *Nulla est mihi vita expetenda*] Sine Phanio. D.

26. *Tanto magis te advigilare*] *Ad*, vim auctivam nunc habet: ut *adlaudabile, admirabile. Fortis fortuna adjuvat*] Παροιμία. Et *fortis* accusativus pluralis est. D. —*Advigilare æquum*] Exhortatur ut forti animo sit, et, quo magis periculum majus est, quod imminet, hoc debet . . . . . vigilare (*hoc debeat magis advigilare* Z.). Simul ei spem meliorem promisit dicendo: *Fortis fortuna adjuvat*. E.—*Fortis fortuna*] Sophocl. Οὐ τοῖς ἀθύμοις ἡ τύχη συλλαμβάνει. L.

27. *Non sum apud me*] Id agitur, ut supra diximus, quemadmodum Antipho præsens non sit; quem neque convenit contra patrem aliquid dicere, neque rursum præsentem opprimi a patre ex argumento est. *Atqui opus est nunc quum maxime, ut sis, Antipho*] *Apud te*, subauditur. D.

28. *Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur commeruisse culpam*] Sic Sallustius in Historia, *Ita fiducia, quem argumentis purgationes dimittuntur. Nam si te senserit timidum*] *Timidum*, pro timentem. Ut, *Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle*, Virgil. Ecl. vi. 20. *Commeruisse culpam*] Pro *Commisisse*. D.—*Nam si te timidum*] Adjecit ad consolationem animi et ad (*etiam* Z.) causam; si enim pater tuus te timidum esse cognoverit, continuo culpam in te esse cognoscet. E.

Commeruisse culpam. PH. Hoc verum'st. AN. Non possum immutarier.
GE. Quid faceres, si aliud gravius tibi nunc faciundum foret?
AN. Quum hoc non possum, illud minus possem. GE. Hoc nihil est, Phædria: ilicet.
Quid conterimus operam frustra? quin abeo? PH. Et quidem ego. AN. Obsecro:
Quid si assimulo, satin' est? GE. Garris. AN. Voltum contemplamini: hem,
Satin' sic est? GE. Non. AN. Quid si sic? GE. Propemodum. AN. Quid si sic? GE. Sat est:
Hem, istuc serva: et vèrbum verbo, par pari ut respondeas,
Ne te iratus suis sævidicis dictis protelet. AN. Scio.
GE. Vi coactum te esse invitum, lege, judicio: tenes?

29. *Hoc verum est*] Congrue fit, ut et Geta et Phædria audaciores sint, qui et absque amore sunt: et hos oportet objici, pro Antiphone, irato seni. *Non possum immutarier*] Vim negantis hoc habet, quod ait *immutarier*: ostendit enim, naturæ suæ timiditatem nullis adhortationibus ejici posse. D.

30. *Quid faceres, si aliud gravius tibi nunc faciundum foret*] Bene *gravius*: quia hoc *grave*: ut videas ipsam adhortationem vim habere concedentis, *grave* esse quod geritur. D.—Etsi Faernus illud *quid* post *aliud* ob fidem suorum codd. delet; ego tamen ob librorum meorum auctoritatem et accentus rationem retinendum esse existimo. B.

31. *Quum hoc non possum, illud minus possem*] Hoc intulit παρὰ προσδοκίαν. Nam videbatur hac interrogatione adduci posse ad sententiam percontantis. Et hæc ars est dialectica contra ἀναγωγήν, quum male respondendo callide interrogantis interrumpimus argumentum. *Hoc nihil est, Phædria: ilicet*] Utrum *hoc* relativum? an *hoc* cum contemtu, pro *hic Antipho nihil est*. Sic Cicero in Verrinis, *Etsi hoc nescio, quid nugatorem sciebam?* pro *hunc*. *Ilicet*] Semper *ilicet* finem rei significat, ut *actum est*. *Ilicet*] Per συγκοπήν. Sic judices de consilio dimittebantur, suprema dicta (cf. Calpurn. ad Hesut. v. 2. 21.) quum præco pronunciasset *ilicet*: quod significat *ire licet*. D.

32. *Quin abeo?*] Hic terrore commovet Antiphonem: et *quin* dicit, pro *cur non*. *Et quidem ego*] Ordo, Et ego quidem: et deest *abeo*. D.—*Quid hic conterimus*] Cum parum crederet se perficere, uti animum confirmaret Antiphonis, minitatur discessum. E.—Nostri omnes libri cum Bemb. et Victor. recte habent, *Quid hic conterimus, etc.* Sed *abeo* pro *abeam* tantum meliores libri habent. B.

33. *Quid si assimulo*] Audacem scilicet. *Obsecro, quid si assimulo, satin' est?*] Adeò morale vitium est, ex conscientia pavor, ut ipse quoque Antipho nitatur contra, neque quicquam promoveat. *Satin' est?*] Hic locus actoris magis, quam lectoris est: ostenditur enim conari ad simulandam audaciam, quo magis ridicula est formidolosa persona. D.—Nostri perperam *assimulabo*. B.

34. *Propemodum*] Et hoc non plenæ consensionis est, quod ait *Propemodum. Sat est*] Non dixit, *Bene est*, sed *Sat est*: et vide vix ad hoc ipsum esse perventum. D.—Ut *sic* ubique acuatur, lege, *Satin' est sic?* B.

35. *Hem! istuc serva*] Dicendo *serva*, ostendit jam incipere deperire, quod finxit atque assimulavit audaciæ. *Hem! istuc serva: et verbum verbo, par pari ut respondeas*] Animadverte, et quid doceat, et commachinetur artifex poeta, qui debitum reddat rebus atque personis. *Verbum verbo, par pari*] Duo dixit: non tantum *verbum verbo*, sed *par pari*. D.

36. *Ne te iratus suis sævidicis dictis protelet*] Causalem vim habet quod ait hoc, *iratus*: hoc est, qui ob præsentem iram vehementius tecum agat. *Protelet* et *protelum* a πρὸ et ἐλεῖν dictum est, quod est *ante* et *trahere*. Alii ab assiduo telorum jactu existimant dici: ut Lucretius ii. 531. *Undique protelo plagarum continuato*, hoc est, tenore. *Protelet*] Protrahat, præveniat, exagitet. *Scio*] Apparet hoc verbum eo vultu dici, ut manifestum sit, absenti animo esse eum, qui loquitur. D.—*Protelet*] Tela in te frequenter verborum mittens vulneret. E.—*Sævidicis dictis*] Ita ex Mss. editum: al. *sævis dictis*. Vid. Non. Marcell. L.

37. *Vi coactum te esse invitum*] Mira

Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? AN. Ipsus est:
Non possum adesse. GE. Ah! quid agis? quo abis, Antipho? mane,
Mane, inquam. AN. Egomet me novi, et peccatum meum:
Vobis commendo Phanium, et vitam meam.
PH. Geta, quid nunc fiet? GE. Tu jam lites audies:
Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmet ipsos facere oportet, Phædria.
PH. Aufer mihi Oportet: quin tu, quod faciam, impera.
GE. Meministin', olim ut fuerit vostra oratio

brevitas, in qua tota defensio continetur: et subauditur *fac respondeas*, aut quid tale. *Invitum*] Bene idem repetit ad confirmandam memoriam trepidantis: non enim diversa sunt, sed repetuntur, ut teneri possit id, quod causæ opus est. Nam *Vi coactum esse*, idem significat quod *invitum*. An ideo *Vi coactum*, *invitum* jungendum est, quia interdum etiam ipsi nos cogimus propria voluntate? ut ipse in Andria, *Tu coactus tua voluntate es. Tenes?*] Exquisite addidit *tenes*: ut appareat Antiphonem vultu ostendere, quod horum nihil perturbatus advertat. D.

38. *Sed quis hic est senex*] *Sed*, ut diximus (supra i. 2. 7.) transitum significat ad aliam rem, ab ea quæ agebatur. *Quem video in ultima platea*] Sic dixit *ultima platea*, quemadmodum Virg. Æn. ii. 449. *imas Obsedere fores. Ipsus est*] Et quia timidior est, et quia postea de proximo ipse agnoscit magis. D.

39. *Non possum adesse*] Apparet ex conspectu patris magis confundi, quam ex nuncio adventus ejus, filium. *Quo abis, Antipho?*] Sic Virgil. x. 649. *Quo fugis, Æneа?* Et, x. 369. *Quo fugitis, socii?* Sic enim loquitur, qui vult ostendere conditionem locorum, in qua perverso modo alius petatur, alius linquatur. *Mane, mane, inquam*] Omnia hæc habent singularem vim in se revocantis. *Ha! quid agis?*] Et perturbati intercessoris est dicere, *Quid agis?* ut in Andria, *Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?* D.—*Non possum adesse*] Omnis illa confirmatio, simul atque patrem vidit, perturbata est, et parat discessum. E.—*Quó* non patitur Synalœpham, quia prima est syllaba anapæsti, et in ictu. Igitur dele in fine *mane*, præsertim cum in duobus Faerni, et totidem nostris libris, iisque optimis, absit. B.

40. *Egomet me novi, et peccatum meum*] Duo dixit: et *hominem pavidum*, et *peccatum grave*. D.

41. *Vobis commendo Phanium, et vitam meam*] Comice duobus duo retulit: *me* et *peccatum* meum, *Phanium* et *vitam* meam. Et animadverte, quod amator prius ponit *Phanium*, quam *vitam* suam. D.—*Vobis commendo Phanium*] In commendatione prius illam collocavit, quam diligebat: dein subjunxit salutem suam: quoniam in amore ea salus est (*quoniam amatori puella salute potior est.* Z.). E.

42. *Geta, quid nunc fiet?*] Apparet, hæc sic pronuncianda, quasi adhuc tuto (*quasi a destituto* edd. vett.) dicantur. *Tu jam lites audies: ego plectar pendens*] Non intulit quod quærebatur: sed verba sunt hominis omnia desperantis. *Tu jam lites audies: ego plectar pendens*] Tu audies, ego verberabor: ut alibi, *Tibi erunt parata verba, huic demum verbera.* Quod ipsum mire: non, *facies lites*, sed *audies*. D.

43. *Ego plectar pendens*] *Plectar*, feriar: unde *et plectrum*, et *plagæ* dictæ. D.—*Ego plectar pendens*] Ego puniar pendens: at tu tantummodo audies lites, et ex verbis tibi periculum erit. E.—*Ego plectar*] Priscian. lib. x. L.

44. *Sed quod modo hic nos*] Deest *tamen*: ut sit, *Sed tamen*. D.

45. *Id nosmet ipsos facere oportet*] Quia *nos* supra dixit in significatione actus proprii, *ipsos* addit. D.

46. *Aufer mihi oportet*] Τῷ ἀπιστοῦντι addidit *mihi*: sine hoc enim plena sententia est. *Quin tu, quod faciam, impera*] Mire ad omnia paratum se indicat, qui *impera* dicat servo. D.—*Aufer imo oportet*] Rebus faciundis cum necessitas cogit, non id quærendum quod oporteat. Ideo adjecit, Tolle *oportet*, potius mone quod faciundum sit. E.—Bemb. Victor. et quatuor nostri habent *Quid faciam*. B.

47. *Meministin' olim ut fuerit vestra oratio*] Mire et consilio et oratione compendiosus est: quo magis Phædriam propriis

In re incipiunda ad defendendam noxiam,
Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam?
PH. Memini. GE. Hem, nunc ipsa'st opus ea: aut, si quid potest,
Meliore et callidiore. PH. Fiet sedulo.
GE. Nunc prior adito tu: ego in insidiis hic ero
Succenturiatus, si quid deficies. PH. Age.

ACTUS SECUNDI SCENA PRIMA.

DEMIPHO. GETA. PHÆDRIA.

ITANE tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?

consiliis ac domesticis promoveret. *Ut fuerit vestra oratio*] Ut magis excitaret, non *nostra* dixit, sed *vestra*. D.—Præter quatuor libros, ubi *nostra* extat, cæteri omnes recte exhibent *vestra*. B.

48. *In re incipiunda*] *Incipiunda* proprie, quasi de re magna, dixit. Sic alibi, *Vide quod inceptet facinus. Ad defendendam noxiam*] *Noxiam* nunc culpam: alias pœnam. Et est ἐκένθεσις, ab eo quod est *noxam*: et hoc factum est propter iambum. D.—*In re incipiunda*] Quasi sæpius peccaverit adolescens, et se defenderit: ideo quærit exemplum defensionis. E.

49. *Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam?*] Considera singula, et invenies et naturali ordine, et per ἀξιωσιν dicta. *Causam* pro defensione posuit: et *vincibilem*, quæ facile vincat. D.

50. *Nunc ipsa est opus ea*] *Causa* scilicet. D.—*Si quid potest*] V. C. *potes*. L.—Versus probat illud *ea*, quod in Bemb. reperitur. B.

51. *Meliore et callidiore*] Bene *Meliore et callidiore*: quia tunc prolusio fuit, nunc ipsum prælium. *Fiet sedulo*] Παρέλκον *sedulo*. Nam sufficerat, *fiet*. D.

52. *Nunc prior adito tu*] *Adito*, quasi ad prælium. Virg. v. 378. *nec quisquam ex agmine tanto Audet adire virum. Ego in insidiis hic ero*] Tota μεταφορὰ de re militari est. D.—*Hic ero succenturiatus*] Metaphora a bello. Illi qui priori loco pugnant, in principiis sunt: qui vero secundum vel in aliis posterioribus, *succenturiati* dicuntur: quasi suppositi ad aciem, ut illis deficientibus ipsi in certamen procedant. E.—Pro *insidiis* placet *subsidiis*; quod extat apud Priscianum, in cod. aliquo regio, et Coloniensi apud Palmerium, et sic quoque legisse videtur Donatus. Corn. Fronto de Differentiis vocum, *subsidium*, inquit, *est, quod subest deficientibus*. B.

53. *Succenturiatus*] *Succenturiari* dicuntur, qui explendæ centuriæ gratia subjiciunt se ad supplementum ordinum. Et est translatio a re militari. *Age*] Potuit dicere *vero*, aut *ita*: sed *age* dixit, quod verbum vim hortantis maximam præbet. D.—Melius videtur *deficias*, quod est in Bemb. in nostro cod. 900 annorum, et apud Priscianum. B.

1. *Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?*] In hac scena accusatio est et contradictio, per remotivam qualitatem: ergo controversia. *Itane tandem uxorem duxit Antipho*] Hic exemplum vitæ est: in quo spectatur nullam esse tam justam et gravem iracundiam patris, quæ non et fiducia defensoris et intervallo temporis evanescat. *Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?*] Non potuit vehementius incipere, quam ut ipse crimen, quod objicit, miraretur. *Itane tandem uxorem duxit*] *Tandem*, hic expletiva conjunctio: ut Cicero, Cat. i. 1. *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? Itane tandem*] Hic totus versus in hoc est, an factum sit? quid factum sit? a quo factum sit? in cujus injuriam factum sit? D.—*Itane tandem*] In portu senex duxisse filium suum uxorem audivit. Secum ergo conqueritur satis admiratus, quod ille tantum facinus ausus sit implere. Hæc ergo scena continet accusationem, et habet controversiam talem: quod contra imperium patris uxorem duxerit filius, reus est. Qui defenditur: se fecisse dicit (*defenditur sic, ut fecisse dicatur* Z.) coactus in judicio, et coactus legibus. Cui occurritur: potuisti ducere uxorem, maxime cum lex sit: *Orba suhat proximo: orbam proximus ducat, aut dotem det.* At si in parte legis est ut dotem adhibeat, etiam te dare oportuit. Sed hoc solvitur, quod inopia non potuit istud implere: ut et hic venialis status sit. Huic rursus quæstioni opponitur, quod mutua pecunia sumi potuit. Sed hic occurrit qualitate absoluta; an filio in familia constituto pecuniam mutuam accipere liceat; an aliquis huic pecuniam potuerit credere? Ita

Nec meum imperium: age, mitto imperium: non simultatem meam
Revereri saltem? non pudere? o facinus audax! o Geta
Monitor! GE. Vix tandem. DE. Quid mihi dicent? aut quam causam reperient?
Demiror. GE. Atqui reperi jam: aliud cura. DE. Anne hoc dicent mihi,
Invitus fecit: lex coegit? audio, et fateor. GE. Places.
DE. Verum scientem, tacitum, causam tradere adversariis,
Etiamne id lex coegit? PH. Illud durum. GE. Ego expediam: sine.

omnis oratio argumentis, sed per quæstiones proponitur, et per argumenta dissolvitur. E.

2. *Nec meum imperium*] Rara ἀποσιώπησις: nam non sequitur *sed:* intulit enim *age*, subauditur autem *revereri*. Sic Lucretius, *Nonne videre* * (adde, *nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, cum Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur Jucundo sensu, etc.* Locus extat ii. 16. Z.) *Age, mitto imperium: non simultatem meam*] Σχῆμα διανοίας, ΜΗCΟΑΟθωσις (ἐναντιόθωσις Z.). Ut Virg. xi. 347. *Cujus ob auspicium infaustum, moresque sinistros. Age, mitto*] Legitur et *taceo* (*Legitur et jaci* habet Faerni Donatus. Sed idem Faernus legendum putat, *Legitur et ac.* Z.). *Simultatem*] Jurgium, contentionem. D. —*Nec meum imperium*] Citat hunc locum Cicero lib. ii. ep. 19. ad Atticum: *Mihi nihil est molestius, quam Statium manumissum nec meum imperium, at mitto imperium, non simultatem revereri saltem? nec, quid faciam, scio.* Etiam auctor Glossarii huc respexit, cum dicit: πρόσταγμα, præceptum, præceptio, imperium. *Terent.* L.— Etsi omnes nostri habent *age;* lectio tamen Bembini et Victoriani, quam ipse Cicero Attic. ii. ep. 19. expressit, *ac mitto*, melior esse videtur. B.

3. *Non pudere?*] Hoc absolutum est, et nulli adnexum. *Non pudere*] Hic Nigidius adnotavit, neminem videri pudere ante delictum. D.

4. *Vix, tandem*] Convenit hoc dictum ei, qui jam pridem se male audire putat: et ideo sero videtur ad hunc senex pervenisse, quum ille metuens, se primum ad accusationem crederet (*se primum ab eo accusatum iri c.* Z.). An *vix tandem*, ad hoc pertinet, quia ille *monitor* dixit: quasi dicat, Vix tandem factum est, ut me senex laudare cœpisset: quia *monitor*, quamvis in contrarium dixerit, tamen est nomen laudis. *Vix tandem*] Ἐλλειψις, quasi dicat, Pene mei oblitus est. An, quia tarde ad ipsum pervenit senex, quem ille ob conscientiam a se cœpturum esse credebat? *Quid mihi dicent? aut quam causam reperient?*] Quid dicent, si negare voluerint: quam causam reperient, si purgare? Omne enim crimen a defensore aut negatur, aut purgatur. D.—Puto ab auctore fuisse, *aut quid causæ reperient.* Vide Heaut. iv. 3. 23. B.

5. *Demiror*] Pro nescio. Nam admirationem ignorantia facit. *Atqui reperi jam: aliud cura*] Eo animo hoc dicit, quo supra dixit *vix tandem*. Et quum ille pluraliter *reperient* dixerit, hic singulariter *reperi* respondit; quasi in se solo sit crimen. D.— Illud *ne*, cum nec orationi, nec versui quicquam prosit, recte abest in Bemb. et ibidem extat recte *dicet*, sc. Antipho. B.

6. *Invitus fecit: lex coegit?*] Bene poeta jam scire facit senem, quid isti dicturi sint; ut videatur frangi posse, qui jam partem defensionis admittit. D.—*Invitus feci: lex coegit?*] Reperit argumentum senex, quo ostenderet non invitum uxorem duxisse filium, ex eo quod ad judicium ductus tacuerit, et nihil responderit: quæ res indicat voluntatem. E.—Bentleius ob auctoritatem unius Bembini ἀσυνθέτως edidit *audio, fateor:* atque pro *fecit* cum Faerno exhibuit *feci;* quod utique opus est, si pro illo *dicent* legeris *dicet*. Sin autem *dicent* vera lectio habetur, necessario legendum est hic *fecit*. Z.

7. *Causam tradere adversariis*] Hoc cum majore exclamatione dicitur: non enim dixit *concedere adversariis*, sed quod prius (*pejus*) esset, *causam tradere*. D.

8. *Illud durum*] *Illud durum* dicit, qui supra dixit, *Atqui reperi jam. Ego expediam: sine*] Vide præparationem futuræ defensionis: quam nisi hoc modo Terentius intulisset, incredibile videretur subito sedatum senem. D.—Verba *Illud durum* sunt Getæ, et sequentia Phormionis. Primum ob Donati auctoritatem: tum ob cod. C. C. qui ita personas distribuit; denique ob rei naturam. Cæterum ut *id* acuatur, repone, *Etiam istuc lex, etc.* Præ-

DE. Incertum'st quid agam: quia præter spem, atque incredibile hoc mihi obtigit:
Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.
Quamobrem omnes, quum secundæ res sunt maxume, tum maxume
Meditari secum oportet, quo pacto advorsam ærumnam ferant:
Pericla, damna, exilia, peregre rediens semper cogitet
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia esse hæc: fieri posse: ut ne quid animo sit novom:

sertim cum cod. Reg. habeat *Etiamne idne;* et infra, v. 1. 9. codex bonæ notæ exhibeat *Etiam idne.* B.

9. *Incertum est quid agam*] Nonnihil jam fracta indignatio est. Nam in his verbis, non jam ira, sed admodum mœror est. *Quia præter spem, atque incredibile hoc*] Virg. Æn. iv. 419. *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem; Et perferre, soror, potero. Atque incredibile hoc mihi obtigit*] Gravius est *incredibile*, quam *præter spem:* et ideo posterius et in auctu (*actu*) est. *Obtigit*] Pro *accidit:* cujus reciprocum est, siquis bonum accidisse dicat, non obtigisse. D.

10. *Ita sum irritatus*] *Irritatus*, provocatus, in iram impulsus: hoc est, commotus et perturbatus. *Animum ut nequeam ad cogitandum instituere*] Bene *instituere* dixit: quo verbo quies ostenditur cogitativæ mentis, quæ non adest. D.—*Ita sum irritatus*] Ita sum provocatus, ut non possim animo consistere ad cogitandum. E.

11. *Quum secundæ res sunt maxume, tum maxume*] Ut, Georg. i. 299. *Nudus ara, sere nudus: hiems ignava colono.* Et bona sententia; tum maxime sapienti metuendum, quo tempore maxime securus est stultus. D.—*Quamobrem omnes*] Ergo, inquit, quoniam ita sunt, oportet omnes rebus felicioribus constitutis magis de adversariis cogitare, quo pacto possint ea quæ acciderunt sustinere. E.—*Omnes, quum secundæ res*] Ausonius in Periand. *Adversa rerum vel secunda prædicat Meditanda cunctis comicus Terentius. Locare sedes, bellum gerere, aut ponere.* Terentius autem dubio procul Euripidis versus in mentem habuit, quos citat Galenus lib. iv. cap. 7. de Hippocrat. Platon. Placit. et Plutarchus in Consolat. ad Apollon. pag. 195. ubi Theseus ita ait: Ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν Εἰς φροντίδας νοῦν συμφορὰς τ' ἐβαλλόμην. Φυγάς τ' ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρας ἐμᾶς, Θανάτους τ' ἀόρους, καὶ κακῶν ἁλὰς ὁδούς· Ἵν' εἴ τι πάσχοιμ', ὧν ἐδόξαζον φρενί, Μή μοι νεαρὸν προσπεσὸν μᾶλλον δάκῃ. Utrumque locum expressit Cicero Tuscul. iii. 14. *Futuras secum commentabar miserias, aut mortem acerbam, aut exilii mœstam fugam, aut semper aliquam molem meditabar mali: ut si qua invecta diritas casu foret, ne me imparatum cura laceraret repens.* L.

12. *Meditari secum oportet*] Bene additum *secum:* insani enim videbitur, hoc palam agere. *Adversam ærumnam ferant*] Abundat *adversam.* D.

13. *Pericla, damna, exilia peregre rediens*] Superiora ἀσύνδετα sunt, inferiora intermistis conjunctionibus. Sallustius, *Nam quidem a Pyrrho, Hannibale, et æquore et terra. Peregre rediens semper cogitet*] Mire a genere ad speciem non semel transit. Nam quum dicit, *peregre rediens*, jam de se loquitur, sed latenter. *Semper cogitet*] A singulari ad pluralem (*A plurali ad singularem* Z.) transit: supra dixit *omnes:* at nunc *cogitet.* Et est ordo, Semper peregre rediens, quicunque peregre redit. D.—Lectionem, quæ extat apud Cic. Tusc. iii. 14. *Pericla, damna, peregre rediens semper secum cogitet*, veram esse censeo. Nam illud *exilia* in libris habet sedem incertam: a cod. C. C. prorsus abest: exiliis pluribus in una eaque modica familia locus non est. Denique quomodo sibi quis exilia cogitet, qui ipse tum peregre abeat? Haud dubie *exilium* ortum est e verbis *ex Cilicia*, quæ quis explicandi gratia adscripserat ad verba *peregre rediens.* B.

14. *Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ*] Quamvis iratus filio, non potuit tamen dicere, *filii mortem.* Convenit autem seni, uxoris mortem non putare magnum incommodum. *Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ*] Varie, post enumerationem conclusam hæc etiam intulit. Virg. Ge. ii. 136. *Sed neque Medorum sylvæ, ditissima terra, Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus, Laudibus Italiæ certent: non Bactra, nec Indi, Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.* D.—Pro *filii* rescribe *fili*, ob versum, Bemb. et consuetudinem, quæ Terentii ætate et paulo post obtinuit. B.

15. *Communia esse hæc: fieri posse*] Ordo est, Semper cogitet communia esse, et fieri posse peccatum filii, uxoris mor-

. **Quicquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.**
GE. O Phædria, incredibile'st, quantum herum anteeo sapientia!
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda: herus si redierit,
Molendum usque in pistrino: vapulandum: habendæ compedes:
Opus ruri faciundum: horum nihil quicquam accidet animo novum.
Quicquid præter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.
Sed quid cessas hominem adire, et blande in principio alloqui?

tem, filiæ morbum. *Communia esse*] Commune est, quod accidere omnibus potest. D.—*Ut ne quid animo sit novum*] Quod utique est sapientis, omnia quæ accidere possint prævidere, ne nova sint. Ut est illud sapientis Æneæ, *Non ulla laborum, O virgo, nova mi facies, inopinave surgit. Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.* E.—Veram lectionem servavit nobis Cicero l. l. *Communia esse hæc: ne quid horum unquam accidat animo novum.* Nam vulgaris lectio est inepta et insipida. Si enim *communia* sunt, quis dubitet *fieri posse?* Ciceronis lectionem comprobat quoque Getæ apodosis versu 20. B.

16. *Quicquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro*] Vide jam senem fractum, non culpam filii magnam ducere: sed ideo indignari, quod non crediderit peccaturum: in quo ipse se reprehendit: et quod a peccatoribus (*precatoribus*, edd. vett.) dici solebat, hoc dicit, *Communia esse, et fieri posse.* D.—*Deputare esse*] Ma. R. *deputa esse.* L.

17. *Herum anteo sapientia*] Legitur et *anteo:* sed pro conjunctivo pronunciandum, *anteo* pro *anteeam.* D.—*Incredibile est quantum*] Servus dicit de suis se incommodis ante cogitasse: unde sapientia sua (*ac* Z.) ait dominum præterire. E.—Dele illud *est*, ut codd. omnium *anteo* retinere possis. Nam ita *incredibile quantum* absolute ponitur, ut *mirum quantum, ninium quantum, immane quantum.* Vide infra, iv. 3. 38. B.

18. *Meditata mihi sunt omnia mea incommoda*] Nimis comice non clades aut ærumnas posuit servus, sed incommoda: molere in pistrino, vapulare, habere compedes, et cætera: quum hoc nomen leve quiddam significet: ut ipse in Eunucho, *Imo enim infeliciter: nam incommode alia sunt dicenda, Parmeno. Herus si redierit*] *Si* aut pro *cum*, aut serviliter: ut dubitet ex voto suo utrum dominus redeat, an non: quod cupit. D.—*Meditata mihi*] Priscian. lib. viii. L.

19. *Molendum usque in pistrino*] Facete enumerat servus universa supplicia suæ conditionis, excepta cruce et furca: quarum pœnam verbis extenuare non potuit. *Habendæ compedes*] Viticosam locutionem servili personæ dedit Terentius. Nam integra esset, si diceret, *habendas compedes:* unde quidam non *esse*, sed *usque* legunt. D.—*Molendum usque in pistrino*] Lactant. divin. instit. lib. vii. cap. 26. *Si sapientes, si beati esse volumus, cogitanda et proponenda sunt nobis non tantum Terentiana illa, molendum esse usque in pistrinum, vapulandum, habendæ compedes: sed his atrociora, carcer, catenæ, tormenta patienda, sustinendi dolores, mors denique ipsa et suscipienda est et ferenda.* L.—Faernus ob Bemb. Victor. et Donat. pro *usque* edidit *esse.* At leg. *Molendum'st in pistrino, vapulandum, habendum compedes.* Nam ita omnia sunt gerundia, et vitatur ἀναλογον. B.

20. *Opus ruri faciundum*] Varie, *molendum, vapulandum, compedes habendæ, opus ruri faciundum:* et supra, verba gerundia sunt: infra, participia. *Horum nihil quicquam accidet animo novum*] Recte addidit *animo:* omne enim, quicquid acciderit, novum erit, sed non animo. *Horum nihil quicquam*] Παρίλκον quartum. *Horum nihil quicquam accidet animo novum*] Tale est illud sapientis Æneæ, Æn. vi. 103. *non ulla laborum, O virgo, nova mi facies inopinave surgit.* Et, xi. 18. *Arma parate animis, et spe præsumite bellum.* Et, iv. 419. *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem, Et perferre, soror, potero.* D.

21. *Quicquid præter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro*] Totidem verbis est usus, quot senex, ad irrisionem ejus. Sic et in Adelphis, *Postremo tanquam in speculum, in patinas, Demea, inspicere jubeo. Omne id deputabo esse in lucro*] Hoc idem senex oportere fieri dixit, quod hic facit: ergo sapientior Geta. D.

22. *Sed quid cessas hominem adire*] Bene *adire*, quasi terribilem, et pugnaturum: ut Virg. Æn. v. 379. *Audet adire virum:* et *hominem* comice addidit. *Et blande in principio alloqui?*] Recte monuit, non perpetuo blande, sed in principio agendum: secundum præceptum Socratis, qui ait, Μηδὲ πρὸς τὰς τῶν πλησιάζοντων ὀργὰς

De. Phædriam mei fratris video filium mihi ire obviam.
Ph. Mi patrue, salve. De. Salve: sed ubi est Antipho?
Ph. Salvom advenire. De. Credo: hoc responde mihi.
Ph. Valet: hic est: sed satin' omnia ex sententia?
De. Vellem quidem. Ph. Quid istuc? De. Rogitas, Phædria?
Bonas, me absente, hic confecistis nuptias.
Ph. Eho, an id succenses nunc illi? Ge. O artificem probum!
De. Egone illi non succenseam? ipsum gestio
Dari mihi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat
Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.
Ph. Atqui nihil fecit, patrue, quod succenseas.
De. Ecce autem similia omnia: omnes congruunt:

τραχέως ἀπαντῶν, ἀλλὰ θυμουμένοις μὲν αὐτοῖς εἴκων, πεπαυμένοις δὲ τῆς ὀργῆς ἐπιπλήττων. D.

23. *Phædriam mei fratris*] Hæc verba ostendunt, quam miti pectore suscipiatur Phædria. D.

24. *Mi patrue, salve*] *Mi*, vim blandimenti habet: nam significat, *meus*. *Salve: sed ubi est Antipho?*] Bene expressit promtum animum ad litigandum, partim (*raptim* B.) addita salute, et potius (*protinus* B.) ad jurgium prævertendo. D.

25. *Salvum advenire*] Ἔλλειψις, vel ἀποσιώπησις secunda: *gaudeo* enim subauditur: quod nisi acceperis, non intelliges cur hic responderit, *Credo*. *Salvum advenire*] Iracundiam frangere conatur obsequio et mora. *Salvum advenire*] Altera salutatio et ad leniendum, et ad criminis dissimulationem: sed et tertio addit, *Satin' omnia ex sententia? Credo: hoc responde mihi*] *Hoc*, incerta distinctione pronunciatur. D.—*Salvum venire*] Cum interrogatus sit, ubi sit Antipho, perseverat in salutatione, ut iracundiam obsequio frangat. E.—Ut *hoc* acuatur, lectionem codd. plurimorum recipiendam puto. *Responde hóc mihi*. B.

26. *Valet*] Hoc oratorie dissimulat, atque ita respondet, quasi senex non iratus quærat, sed de salute sollicitus sit Antiphonis. *Sed satin' omnia ex sententia?*] Quod vulgo, *omnia recte?* Et deest *quæris*, aut quid tale. D.—*Valet, hic est*] Cum ille de loco quæreret, ubinam esset Antipho, hic de salute respondit. E.

27. *Vellem quidem*] Semper hoc verbum dolentis est, ac negantis evenire, quod voti sit. *Quid istuc?*] Magnam vim habet contra iram hujusmodi interrogatio. D.—*Quid istuc?*] Ms. R. et vett. codd. *Quid istuc est?* L.—Lege *Quid istuc est?* ob Faerni et nostrorum codd. consensum. B.

28. *Bonas me absente*] Mire consuetudinem expressit, dicendo *bonas*. *Me absente*] Summa criminis. *Bonas me absente hic confecistis nuptias*] Crimen in duobus esse demonstrat: quod non *bonas*, et quod *absente* patre. D.—*Bonas me absente*] Et accusaret (*Est accusatio* Z.) totius criminis: sed summæ est collocatio. Subjungitur iracundia, quod dixit: *Ipsum gestio dari mihi in conspectum*. *Gestio* autem, cupio et desidero, ut sua culpa intelligat, patrem lenem acerrimum factum. E.

29. *Eho, an id succenses nunc illi?*] Huc tendebat interrogatio, ut tam integris rebus admiraretur irasci senem. *O artificem probum!*] Εἰρωνεία. Nam non est artifex, cujus deprehenditur jocus. D.

30. *Gestio*] Plus *gestio*, quam *volo*. D.—In Bemb. et Basilicano est *egon'*: quod parvi refert. B.

31. *Dari mihi in conspectum*] Non dixit *venire*, ut filium: sed *dari*, ut reum. D.—Concinnius colloca *nunc sua ut culpa sciat*. B.

32. *Lenem patrem illum*] O artificium poetæ! in media patris sævitia mentionem lenitatis induxit: ut ostendat quam facile placari possit. *Lenem patrem illum, factum me esse acerrimum*] Nota ἀντίθετον: non enim leni asperrimum, sed acerrimum reddidit: et mutavit gradum, positivo superlativum opponens. *Lenem patrem illum factum*] Sic Virg. Æn. ii. 274. *quantum mutatus ab illo Hectore!* D.

33. *Atqui nihil fecit, patrue*] Summa contradictionis: et non dixit, *leniter peccavit*: sed, *nihil fecit*: neque quod punias, sed quod succenseas: id quod levissimum est. D.—*Atqui nihil fecit*] Hic jam defensionis est generale principium. E.

34. *Ecce autem similia omnia*] *Ecce autem*, vox est apta his, quæ nova et improvisa animo accidunt. Sic Virg. Æn. ii. 203. *Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta. Similia omnia: omnes congruunt*] More stomachantis, *omnia* et *omnes*, de his dicit, quæ ad duos pertinent.

Unum cognoris, omnes noris. PH. Haud ita'st.
DE. Hic in noxa est; ille ad defendendam causam adest:
Quum ille est, hic præsto est: tradunt operas mutuas.
GE. Probe eorum facta imprudens depinxit senex.
DE. Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares, Phædria.
PH. Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit,
Ex qua re minus rei foret aut famæ temperans:
Non causam dico, quin quod meritus sit, ferat:

D.—*Omnes congruunt*] Omnes conveniunt, æquales universi sunt. E.

35. *Unum cognoris, omnes noris*] Iterum non *duos*, sed *omnes*: et varie, *cognoris, noris. Unum cognoris, omnes noris*] Sic Virg. Æn. ii. 65. *Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno Disce omnes.* D.—Gratior simplicitas existit, si cum codd. aliquot nostris legeris, *Unum cum noris, omnes noris.* Sic And. Prol. *Qui utramvis recte norit, ambas noverit.* B.

36. *Hic in noxa est, ille ad defendendam causam adest*] Hoc Demipho non sine quadam delectatione dixit: quam tamen premit ob iram (*Phædriam*) præsentem. D. —*Hic in noxa est*} Ascon. Pedian. actione ii. 12. in Verrem. L.—Hunc et seq. repone ita, *Cum in nóxia hic est; ille ad defendendum adest: | Cum ille est; præsto hic est, etc.* Nam *noxia* habent Faerni tres præstantissimi libri, et quinque nostri vett. *Causam* inutile est, cum præcesserit *noxia.* Et cod. Reg. recte, *præsto hic est*, ut *hic* acuatur. B.

37. *Quum ille est, hic præsto est*] Huic loco reddidit Cicero illum locum in Verrinis, ii. 12. *Qui cives Romani erant, si Siculi essent, cum Siculos eorum legibus dari oporteret: qui Siculi, si cives Romani essent.* Nam subauditur ad *Qui cives Romani erant, judices dabantur:* ad *Si Siculi essent*, subauditur *rei. Quum ille est*] Ζεῦγμα secundum. Nam et hic subaudiendum est, *in noxa. Hic præsto est*] Ad defendendam causam, subauditur. D.

38. *Probe eorum facta imprudens*] Ideo *imprudens:* quia nescit in amore citharistriæ esse Phædriam. *Imprudens*] Modo insciens. D.—*Probe eorum*] V. C. *probe horum.* L.—Pro *eorum* omnes Faerni et nostri libri, præter duo, habent *horum.* B.

39. *Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares, Phædria*] Vide quemadmodum jam præstruat poeta ad ea quæ futura sunt, ad adjuvandum amorem Phædriæ. *Cum illo haud stares, Phædria*] Cum Antiphone scilicet. Et *cum illo, ἀντὶ τοῦ pro illo.* In ejus parte *stamus*, pro quo facimus. Sic Virg. xii. 565. *Juppiter hac stat.* D.—*Nam ni hæc ita*] Si hæc quemadmodum dicis non essent, ut vobis pariter ad vestra crimina defensionem præberetis, cum Antiphone tu non stare potuisses. E.—*Nam ni hæc ita essent*] Servius Æn. viii. 653. L.—Servius ad Æn. viii. 653. habet *pro illo haud stares.* Nostri omnes *cum illo.* Utrumque recte et more dicitur, sensu eodem. B.

40. *Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit*] Principium per insinuationem subtilem. Et honesta locutio, *Si est ut admiserit:* pro, si admisit. *Si est, patrue, culpam ut Antipho*] Oratorium principium ἀπὸ τῆς ἐπιεικείας τοῦ αἰτοῦντος. *In se admiserit*] Bono ornatu addidit, *In se:* quum et sine hoc plenum videri possit. Et hic est, quem Cicero succum orationis appellat, Orat. 23. D.—*Si est, patrue*] Hoc est exordium plenissimæ intentionis et defensionis, in quo docet non se deprecari, neque defendere Antiphonem, si modo aliquam culpam in se Antipho admiserit, unde famam suam vulneraret. Deinde subjunxit: *Sed si aliquis forte malitia sua fretus insidias fecit nostræ adolescentiæ.* Et bene *nostræ* adjecit, ut societatem non tam culpæ, quam malorum sese adjunxit (*ut ad societatem non tam culpæ, quam malorum judiciorum sese adjungeret.* Z.). E.

41. *Ex qua re minus rei foret aut famæ*] Nota; hic comparativa qualitas est pauperis neque strenui. Et docuit in negotio nuptiarum duabus rebus consuli, *rei* et *famæ*, hoc est, facultatibus dotis, honestatique natalium. *Ex qua re minus rei foret*] Hæc tractatio est criminis oratoria: in qua defensor accusat (*excusat*) crimen, reumque purgat. *Ex qua re*] Haud venuste insertum *re*, cum præposuisset *culpam. Minus rei foret*] Quia pauperem. *Famæ*] Quia ignobilem. *Temperans*] Consulens, providens, moderatus: ut, Georg. i. 360. *Jam sibi tum curvis male temperat unda carinis.* D.

42. *Non causam dico*] Non recuso, non deprecor.' *Quin quod meritus sit, ferat*] Rhetoricum θεώρημα in hujusmodi exceptionibus: quo uti solet, qui propositæ causæ fiduciam gerit, Si hoc aut illud, non oro veniam, non deprecor pœnam. *Quin quod meritus sit*] Hunc defensorem magis et non judicem dicam: sed hic colligitur patrocinantis auctoritas: non enim

Sed si quis forte malitia fretus sua
Insidias nostræ fecit adolescentiæ,
Ac vicit: nostrane ea culpa est? an judicum,
Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi?
GE. Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.
DE. An quisquam judex est, qui possit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas,
Ita ut ille fecit? PH. Functus adolescentuli est
Officium liberalis: postquam ad judices

dixit, *Quod voluerit* (*volueris*), sed *Quod meritus sit*, manente eo, si peccaverit tamen. D.—Pro *sit* unus e nostris habet *est*, male. B.

43. *Sed siquis forte malitia fretus sua*] *Forte*, quasi non defensurus, sed simul causam cogniturus advenerit: nec contendit verum esse quod dicit, ne sollicitum faciat ad credendum. Sic apud Virgilium Sinon, Æn. ii. 136. *dum vela darent, si forte dedissent.* D.

44. *Insidias nostræ fecit adolescentiæ*] Bene se adjungit ad crimen, ut elevet culpam. *Insidias nostræ fecit adolescentiæ*] Mire *insidias* dixit: ut diu comparata causa, per ignorantiam dolosque capti videantur. *Adolescentiæ*] Opportuna ætatis commemoratio, πρὸς τὴν συγγνώμην. D.

45. *Nostrane ea culpa est, an judicum?*] Potentior facta sententia est τῇ ἐρωτήσει. Et oratorie, *Nostrane culpa, an judicum?* duplex μετάθεσις; altera in accusatorem, altera in judices. Et bene suam miscuit personam, ut reum sublevet et suo merito, et multitudine reorum. *Nostrane ea culpa, an judicum?*] Mire assurrexit in fiduciam defensoris. Nam quum supra de Antiphone dixerit, nunc intulit *nostra*. D.—*Nostra est culpa, an judicum?*] Quod si oppressi judicio sumus, crimen nostrum nullum est, sed judicum potius: qui frequenter invidia tollunt divitibus, aut propter misericordiam addunt pauperibus. E.—Tres Faerni libri præstantissimi, et nostri optimi exhibent, *Nostran' culpa ea est?* B.

46. *Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti*] Notum alteri * (*Notum est, alteri detrahere* Z.) qui invident. D.

47. *Aut propter misericordiam addunt pauperi*] Posteriorem causam honestiorem posuit, ne non Antiphonem defendere, sed accusare judices videretur. *Aut propter misericordiam*] Primum ἀντίθετον. Et oratorie naturam judicum τῷ διορισμῷ expedivit. D.—*Propter misericordiam*] Sotades: Ὁ πένης ἐλεεῖται, ὁ δὲ πλούσιος φθονεῖται. Antiphanes: Καλῶς πέπεισθαι μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν κακῶς· Τὸ μὲν γὰρ ἔλεον, τὸ δ' ἐπιτίμησιν φέρει. L.

48. *Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui*] Suavissime laudavit oratorem: qui omnia ad persuadendum idonea advocans, solum conscium non adduxit ad credendum. *Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui*] Oblique poeta se laudavit. D.—*Ni nossem causam*] Satis laudavit orationem Phædriæ, siquidem tantam vim argumentorum duxit esse in oratione, uti crederet vera dici, ni ipse melius nosset veritatem. E.

49. *An quisquam judex est, qui possit, etc.*] Apparet jam persuasum seni esse, verum adversarium fuisse Phormionem, non subjectum atque appositum sycophantam: unde ad aliud transit, ut accuset segnitiem in respondendo, quæ levior culpa est. Ita, ut cedentibus mos est, paulatim seni singula extorquentur e manibus. D.—*An quisquam est judex*] Hoc proponit, quod (*quod haud* Z.) invitus coactus sit: siquidem tacuit, neque verbum ullum respondit. Hic defensio illa ponitur, quod adolescens cogitare quidem potuit (*adolescens cogitata loqui non potuerit* Z.), ut præ dolore et verecundia oppressus. E.

50. *Tua justa*] Diserte magis et absolute, *Tua justa:* quam si aliter diceret. *Ubi tute verbum*] Non dixit: *parum dicas:* sed *verbum*. D.

51. *Ita ut ille fecit?*] Unde scit? an illa poetæ virtus est, quod omnia ante inducit cognovisse: ne in scena, hæc ut nova audiens, tragicis motibus insaniret? *Functus adolescentuli est officium*] Oratorie quod objectum est, non purgavit modo, sed etiam ad laudem convertit: quod rhetores περίστασιν, dicunt. Et hoc de Apollodoro. *Functus adolescentuli est officium liberalis*] Derivatio causæ: et est venialis status. *Functus adolescentuli est officium liberalis*] Ingeniose non negavit hoc crimen, occasionem laudis de confessione sumturus. D.

52. *Officium liberalis*] Potenter *Officium* nominat, quod ille *crimen* appellat. Et

Ventum'st, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum obstupefecit pudor.
GE. Laudo hunc: sed cesso adire quam primum senem?
Here, salve; salvom te advenisse gaudeo. DE. Ho!
Bone custos, salve, columen vero familiæ,
Cui commendavi filium hinc abiens meum.
GE. Jam dudum te omnis nos accusare audio
Immerito, et me omnium horum immeritissimo.
Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?

nota, *functus officium*, accusativo casu, quod nos ablativo. D.

53. *Postquam ad judices ventum est, non potuit cogitata proloqui*] Hæc apud oratores *μεταβασις αλλας* dicitur, hoc est, translatio causæ facti: quem vulgo *colorem* nominant. *Non potuit cogitata proloqui*] Ergo quod cogitavit, industriæ est: quod nihil dixit, pudoris. D.—*Cogitata non potuit proloqui*] Hæc pars venialis est, ex ætate. E.—*Non potuit cogitata proloqui*] Simile quid de Thucydide narrat Aristophan. in Vespis:— *ἐκεῖνο μοὶ δοκεῖ πεπονθέναι, Ὅπερ ποτὲ φεύγων ἔκαθε καὶ Θουκυδίδης, Ἀνάπλεκτος ἐξαίφνης ἐγένετο τὰς γνάθους.* Ubi vid. quæ notat Scholiast. Similemque causam silentii allegat Decius Brutus apud Dionys. Halicarn. lib. vi. p. 369. et de Antonio Crassoque Cicero de Oratore, lib. i. Vid. Ælian. Var. vii. 12. Gell. viii. 8. L.

54. *Ita eum tum timidum*] *Timidum*, perturbatum. Plautus, Bacch. i. 1. 73. *Nam ut ex mari timida es.* Et ipse in Adelphis, *Me miseram! quidnam est quod sic video timidum et properantem Getam?* D. —Versus probat post *timidum*, illud *ibi*, quod in Bemb. Victor. et uno e nostris reperitur. B.

55. *Laudo hunc: sed cesso adire*] Satis defensionis est, ubi Geta jam adire non timeat dominum. D.

56. *Here, salve: salvom te advenisse gaudeo*] Principium a benevolentia. Et vide vernilitatem aptissimam servo callido: credasne hunc esse, qui supra dixerit, *Herus si redierit, molendum esse in pistrino, vapulandum*, et cætera? D.—*Salvum te advenire*] Oportune servus cum duos locos perdidisset accusator, vehementer jam confractam senis iracundiam videret, supponit se. E.

57. *Ho! bone custos, salve*] Ab initio idem motus (*modus*, vel *mos* Z.) servatus est seni. Nam idem hoc est quod supra dixit, *O Geta monitor:* quamquam per *αἴξησιν* plus significat quod dicit, *Bone custos:* quam quod supra, *Monitor. Columen vero familiæ*] *Columen*, culmen an *columen*, columna? unde *columellæ*, apud veteres, dicti servi majores domus. Lucil. xxii. *Servus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam, Lucili columella, hic situs Metrophanes.* Tubero, *Hinc in millesimum annum eorum columine civitas continebitur.* Horatius, Carm. i. 35. 12. contra pro columine columnam, *Injurioso ne pede proruas Stantem columnam.* Ennius x. *Regni vertatum summamve columnam. Columen vero familiæ*] Sustentatio vel decus: unde *columna* dictæ: et moralis *αἴξησις ἀν εἰρωνείᾳ.* D.—*Columen vero familiæ*] Dignitas vel certe sustentatio, unde *columnæ* dicuntur. E.

58. *Cui commendavi filium hinc abiens meum*] Duplex excusatio (*accusatio* edd. vett.) est de eo quod fecerit. Hæc conveniunt in eas personas, quas spectare non oportuerit. D.

59. *Jamdudum te omnes nos accusare audio immerito*] Vide quam in his verbis etiam vultus quidam servi contumacis appareat, et versute mali. Et hoc est quod dixerat, *Ego in insidiis hic ero succensuriatus.* D.—*Jam dudum te omnes nos accusare audio*] Id est quod supra dixit, *Ego hic in subsidiis ero.* Ita defensio superior unam instituit pugnam. E.

60. *Immerito, et me omnium horum immeritissimo*] Tantum impudentiæ superest: ut non solum se, sed alios etiam defendat. Horum omnium immeritissimo *ὁ πλήρης horum:* et sic nos *hanc* et *hunc* dicimus. *Immeritissimo*] Ut parvo, falso, de adverbiis est in o desinentibus. D.—Cum Faerno legendum puto, *Et me horunc omnium immeritissimo.* Nam hic ordo extat in Bemb. et Faerni Donatus, in secunda expositione, ita laudat, *horum commerito*, h. e. *horunc o. immerit*, h. e. *horunc omnium immeritissimo.* Etiam in Basilic. et nostro aliquo vet. est *horunc.* B.

61. *Nam quid me in hac re facere voluisti*] Bona exceptione locutus est, quasi in aliis omnia fecerit. *In hac re voluisti tibi*] Quam contemnat iram domini, ut hoc ipso purgatior videatur, ex hoc apparet, quod addidit *tibi.* Sic enim dicere solemus, *Quid tibi vis faciam?* quum alieno negotio frustra nos ostendimus laborare. D.—*Nam quid me in hac re voluisti facere*

Servom hominem causam orare leges non sinunt:
Neque testimonii dictio est. De. Mitto omnia:
Addo istuc: imprudens timuit adolescens: sino.
Tu servus: verum si cognata est maxume,
Non fuit necesse habere: sed, id quod lex jubet,
Dotem daretis: quæreret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
Ge. Non ratio, verum argentum deerat. De. Sumeret

tibi?] Optime fecit. Et adjecit alia sui nominis adjumenta: nam si utique dominus coactus fecit omnia, quæ facta sunt, neque libertas ulla fuit ad contradicendum, quanto magis servulus, cui in conditione servitutis libere loqui non licet, neque testimonium dicere, neque causam agere? E.

62. *Servom hominem causam orare leges non sinunt*] Hoc enim (*nunc*) quasi ignoranti dicit: sed stomachose admonet, velut stultum, qui rem manifestam non cogitet. *Servom hominem causam orare leges non sinunt*] Vetuste *hominem*. Sallust. in Jugurtha xii. *Quum interim Hiempsal reperiretur occultans se in tugurio mulieris ancillæ. Servom hominem causam orare leges non sinunt*] Mire extenuavit conditionem suam, dicendo non *me*, sed *servum*. Et addendo *hominem*, moraliter locutus est. Sic Virg. x. 719. *Venerat antiquis Coriti de finibus Acron, Graius homo. Causam orare*] Non improprie (*Causam orare leges non sinunt. Proprie.*). Sic Virg. vi. 849. *Orabunt causas melius.* D.—*Servum hominem causam orare*] Comicus apud Philon. οὐ γὰρ μετεῖναι τῶν νόμων δούλοις ἔφυ. Imp. Constant. *Servi* * *rejiciant in jure personas: quia hujuscemodi conditionis hominibus causas orare fas non sit.* L.

63. *Neque testimonii dictio est*] Vis scire, inquit, quam non liceat servo pro domino dicere? nec testis loco produci potest. *Neque testimonii dictio est*] Varie: non enim dixit, *Neque testimonium dicere. Mitto omnia*] Et jam hoc perdidit senex, quod videbatur validum ad accusationem. Ita gradatim illi singula subducuntur, et accusationis impetus evanescit. D.—*Neque testimonii dictio*] Harmenopul. lib. i. tit. 6. §. 51. Δοῦλος οὐ μαρτυρεῖ: lib. xiii. C. Theod. de Fid. test. lib. xi. C. Just. de Testib. Novel. Justin. 90. cap. 6. Novel. Leon. 49. Servi tamen responso tum credendum est, cum alia probatio ad eruendam veritatem non est. Modestin. lib. iii. Regul. L. 7. ff. de testib. L.

64. *Adde istuc imprudens timuit adolescens*] Hæc omnia verba causalem ad argumentandum vim habent. *Imprudens timuit adolescens; sino*] Σχῆμα διανοίας, συγχώρησις. Et singula pronuncianda, ut plura videantur. *Mitto, Sino*, vim habent contra voluntatem concedentis. D.—Pro *Adde*, quod nostri habent, præfer Bembini *Addo*, quod magis convenit illi *mitto*, et *sino*. B.

65. *Tu servus: verum si cognata est maxume*] Sub obtentu hujus propositionis, in qua pars legis ostenditur, jam poeta præparat locum fallaciæ Phormionis de dote accipienda. *Verum si cognata est maxume*] Τῷ ἰδιωτισμῷ addit τὸ *maxume*. Nam sive est cognata, sive non est, non recipit τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον: hoc est, non dicitur maxime cognata, et cognata minime; sed aut est, aut non est. Alii sic ordinant, Non fuit necesse maxime habere. Alii, sed id quod lex jubet, maxime dotem daretis. D.—*Verum si cognata est*] Senex omnia argumenta concedit .... ad (*concedit, non tamen admittit* Z.) veniam, sed opponit leges, quæ jubent ut dos orbæ dari possit. Sed hic, ut supra diximus, occurrit per venialem statum, quod argentum defuit. Quam rem cum solvisset, senex dicit *Sumeret alicunde*, vel fœnore. Soluta est tamen ... (*tamen objectio hæc a servo* Z.), quod negavit licere filio familiæ mutuam ..... pecuniam credi (*mutuam, vivo patre, sumere pecuniam a creditoribus.* Z.). E.

66. *Sed id quod lex jubet, dotem daretis*] Id quod lex jubet: ordo: sic (*jubet orbæ sci.*). Virg. Ecl. iii. 35. *Verum, id quod multo tute ipse fatebere majus.* D.—Pro *necesse* duo vett. nostri *necessum*. B.

67. *Quæreret alium virum*] *Quæreret*, quam idoneum est ad significationem odiorum! Virgilius, *quærat sibi fœdera Turnus.* D.

68. *Qua ratione inopem potius ducebat domum?*] Magno sonitu intulit, quod minus momenti habet adversus eos qui accusantur, quam illa superiora. *Inopem potius ducebat domum?*] Non *inopem potius*, sed *potius ducebat* subdistinguendum est. D.

69. *Non ratio, verum argentum deerat*] Hoc ita ludibundus absolvit Geta, ut etiam quasi per jocum respondeat. D.

Alicunde. GE. Alicunde! nihil est dictu facilius.
DE. Postremo, si nullo alio pacto, fœnore.
GE. Hui! dixti pulchre, siquidem quisquam crederet,
Te vivo. DE. Non, non sic futurum'st: non potest.
Egon' illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nihil suave meritum'st: hominem commonstrarier
Mihi istum volo: aut ubi habitet, demonstrarier.
GE. Nempe Phormionem. DE. Istum patronum mulieris.
GE. Jam faxo hic aderit. DE. Antipho ubi nunc est? PH. Foris.
DE. Abi, Phædria; eum require, atque adduce huc. PH. Eo,
Recta via equidem illuc. GE. Nempe ad Pamphilam.

70. *Alicunde! nihil est dictu facilius*] Hoc quasi subridens, et averso ab illo vultu pronunciavit Geta: quod genus actionis securitatem ostendit hominis, manifesta dicentis. *Alicunde!*] Demipho *alicunde* ad facilitatem retulit: hic sic intelligere se fingit, ut quasi non habens ipse Demipho de proximo a quo dicere incipiat, dixerit *alicunde. Nihil est dictu facilius*] Mire, ut solet, proverbio uno dissolvit totam senis intentionem: ut in Heautont. *Quid si hoc pater resciverit? Quid si redeo ad illos qui aiunt, Quid? si nunc cœlum ruat?* D.—Fallitur Faernus, qui ex Bemb. vult legi *dicto.* Nam *dictu* et libris et sensu comprobatur; quia post *facilius* intelligi debet *quam illud alicunde.* B.

71. *Postremo, si nullo alio pacto, vel fœnore*] Ostendit se senex hæc perdere: quum ab his ad alia transcendit exclusus. D.—Illud *vel* vulgare ante *fœnore* a versu respuitur, et abest in Bemb. Victor. et tribus nostris. B.

72. *Dixti pulchre, siquidem quisquam crederet*] Vide quam non laboret ad respondendum Geta: siquidem illi per εἰρωνείαν respondit. *Crederet*] Pecuniam committeret. D.—*Siquidem quisquam crederet*] Vid. Tit. D. de SCto Macedoniano. Justinian. Instit. lib. iv. tit. vii. §. 7. Eclog. Basilicor. 18. tit. iv. et ibid. Scholiast. L.

73. *Non, non sic futurum est: non potest*] Hic jam palmæ locus est debitæ poetæ, siquidem et omnia objecerit Demipho, et omnia solverit Geta: quibus actis, sola irrationabilis exclamatio relinquetur seni. *Non, non sic futurum est: non potest*] Moralis abnegatio frequenti repetitione firmata. D.—*Non sic futurum'st*] Convictus in omnibus senex ad iracundiam redit, negatque permissum esse, uti cum filio suo maneat illa nupta. E.

74. *Egone illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?*] Hic est de quo supra dictum est, *Illene indotatam virginem atque ignobilem daret illi? nunquam faceret. Egone illam cum illo ut patiar nuptam*] Hic jam præstruitur, quam facile triginta minas perditurus sit Demipho, dum illam vult excludere. D.

75. *Nihil suave meritum est*] Ordo et sensus hic est, Nihil mihi mercedis suave est, ut ego illam cum illo nuptam feram. *Suave meritum* enim, suavem mercedem significat. *Hominem commonstrarier*] Bono ordine pervenit ad Phormionem: a quo magis confutabitur. D.—Ob sententiam corrige *Nil suave merita'st*, sc. illa dolo et malitia obtrusa filio, ut genere proxima. Nec est, quod cum Goveano et Guyeto corrigas *meritu'st*, sc. Antipho. Hic enim jam excusatus erat. B.

76. *Aut ubi habitet, demonstrarier*] Mire ostendit, quam hic senex contemnat Phormionem modo, a quo mox superabitur (*magis confutabitur*: ed. Du B.). D.

77. *Istum patronum mulieris*] Hic et contemtum adversarii, et sui fiduciam monstrat. D.—Pro *istum* lege *istánc*, accentus causa. B.

78. *Jam faxo hic aderit*] Virg. ix. 154. *Haud sibi cum Danais rem, faxo, et pube Pelasga. Antipho ubi nunc est?*] Mitius nunc quærit ubi sit Antipho: et utrum amatæ adhæreat, subtiliter quærit. Quod servus intelligens, respondit *Foris. Foris*] *Foris* dixit, quum fugisse eum sciat. D.—*Antipho ubi nunc est?*] Callide interrogavit senex, sive (*illius ubi sit*, Z.), ut ex hoc possit intelligere, illum diligere uxorem. Quam rem astute servus agnoscens nihil aliud respondet, nisi *Foris.* E.—Illud *Foris* Donatus et alter ex Meadianis recte tribuit Getæ. Nam Phædria, qui in alia domo vivebat, rem scire non poterat. B.

79. *Abi, Phædria: eum require, atque adduce huc*] Opportuna et apta simplicitas attribuitur Demiphoni, nihil tale de Phædria suspicanti. D.

80. *Eo recta via equidem illuc*] Et amatorem ostendit Phædriam: et simul id agit, ne in conspectum patris veniat Antipho. *Nempe ad Pamphilam*] Nisi hoc Geta

DE. At ego Deos Penatis hinc salutatum domum
Devortar: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient;
Ut ne imparatus sim, quum adveniat Phormio.

ACTUS SECUNDI SCENA II.

PHORMIO. GETA.

ITANE patris ais conspectum veritum hinc abisse? GE. Admodum.

dixisset, non intelligerent spectatores quid dixisset Phædria. D.—Ne versus laboret, sume lectionem Bembini, Donati, et aliorum libb. *quidem* pro *equidem*. B.

81. *At ego deos Penatis hinc salutatum domum devortar*] Nulla mentio fit uxoris apud Demiphonem: non enim convenit argumento ut habeat: neque quid in Cilicia gesserit, demonstratur ideo, quia jam dictum est, *Noster in Ciliciam ad hospitem antiquum*: causa enim quæsita est cur abesset, dum uxorem ducat Antipho: et causa ex argento, id est, avaritia, quo minus videatur pati nurum pauperem, qui ob spem lucri ab Attica in Ciliciam navigaverit. *Hinc salutatum*] Ab hoc loco. *Salutatum*] Adoratum prima post reditum prece (*Quod est primum post redditam precem.* Uterque lib.). D.—*Deos Penates hinc salutatum*] Elegans locutio *Deos salutare*, quam Servius etiam probat, Terentii hunc locum laudans, ad Virgil. Æneid. xii. ver. 257. *Augurium salutant.* Sic Livius XXXVIII. 51. *Ego hinc extemplo in Capitolium ad Jovem optimum maximum, Junonemque et Minervam cæterosque deos, qui Capitolio atque arci præsident, salutandos ibo.* Passim autem hujus devotionis, qua Penates salutabantur, in comœdiis exempla. Sed optime Hieronymus in Esaiam lib. xvi. cap. 58. *Nullus fuerit locus, qui non idololatriæ sordibus inquinatus sit, in tantum ut post fores domorum idola ponerent, quos domesticos appellant Lares, et tam publice quam privatim animarum suarum sanguinem funderent. Hoc errore et pessima consuetudine vetustatis multarum provinciarum urbes laborant, ipsaque Roma orbis domina in singulis insulis domibusque tutelæ simulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem isto appellant nomine, ut tam intrantes, quam exeuntes domos suas inoliti semper commoneant erroris.* Penates plures erant: id quod Procopius indicat, cum ait, in eorum numerum Janum bifrontem olim quoque relatum fuisse: Gothicor. lib. i. pag. 205. ὁ Ἴανος πρῶτος μὲν ἦν τῶν ἀρχαίων θεῶν, οὓς δὴ Ῥωμαῖοι γλώσσῃ τῇ σφετέρᾳ Πένητας ἐκάλουν. Inde Penates familiares utriusque sexus nominantur in Inscriptione vett. p. 2. num. 9.

DIIS. DEABVS.
PENATIBVS.
FAMILIARIBVS.
ET. IOVI. CÆTERIS
VE DIIBVS.

L.—Illud *at* damnatur a versu et sensu. B.

82. *Devortar*] Bene *devortar*, quasi de via. *Atque aliquot mihi amicos advocabo*] Jam præparat ridiculam advocationem: qua plures adhibendo jurisconsultos incertior reddetur. D.

83. *Amicos advocabo*] *Amicos* et pro testibus, et pro advocatis veteres posuerunt. *Adsient*] Proprie *adsient*. *Adesse* enim dicuntur advocati. D.

84. *Ut ne imparatus*] Pro *non*. D.—Bembini *si*, pro *quum*, placet. Nam poterat dubitare, an hoc die esset adventurus. B.

1. *Itane patris ais conspectum veritum hinc abisse?*] In hac scena de parasitis vilioribus Terentius proponit imaginem vitæ: ut in Eunucho de potioribus, et his qui nuper processerint, id est, de assentatoribus. Animadvertendum autem hujusmodi genus hominum magis a Terentio lacerari. *Itane patris ais conspectum veritum hinc abisse?*] Adhuc narratur fabula de Terentio et Ambivio ebrio: qui acturus hanc fabulam, oscitans temulenter, atque aurem minimo inscalpens digitulo, hos Terentio pronunciavit versus: quibus auditis exclamaverit poeta, se talem quum scriberet, cogitasse parasitum: et ex indignatione, quod eum saturum potumque deprehenderat, delinitus statim sit. *Itane patris ais*] Hæc et labia lingens, ut ebrius: et ructans, utpote satur, pronunciavit actor bonus. *Admodum*] *Admodum* annuendi vim habet duntaxat modo: et subauditur *veritum*. D.—*Itane patris adsentum*] Hæc scena Phormionem loquentem habet, ac se (*servo* Z.) promittentem

PH. Phanium relictam solam? GE. Sic. PH. Et iratum senem?
GE. Oppido. PH. Ad te summa solum, Phormio, rerum redit:
Tute hoc intristi; tibi omne est exedendum: accingere.
GE. Obsecro te. PH. Si rogabit? GE. In te spes est.
PH. Eccere.
Quid si reddet? GE. Tu impulisti. PH. Sic opinor. GE.
Subveni.
PH. Cedo senem: jam instructa sunt mihi corde consilia omnia.
GE. Quid ages? PH. Quid vis, nisi ut maneat Phanium;
atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam; atque in me omnem iram derivem senis?
GE. O vir fortis atque amicus! verum hoc sæpe, Phormio,

adversus patris iracundiam purgaturum (adde, *filium* Z.). Hæ solæ allocutiones hic tenentur. E.

2. *Phanium relictam solam?*] Subauditur, *ais*. *Iratum senem?*] Iterum *ais* subauditur. D.

3. *Oppido*] Non *aio*, sed *iratum* intellige. *Ad te summa solum, Phormio, rerum redit*] Ideo velut expergefactus ad has causas accedit Phormio, quia non diu sollicitum convenit esse parasitum: nec quicquam aliud, nisi de convivio, vel propter convivium cogitare: adeo, nisi a Geta cogatur, modo etiam negotiorum Antiphonis negligens est, atque securus. D.—*Ad te summa solum*] Hoc est, A te cuncta explicanda. E.

4. *Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum*] Παροιμία apta parasito: quæ de cibo est. Hoc autem inter rusticos de alliato moretario dici solet. Et bene *intristi*: proprie enim *intrita*, dicitur hujusmodi cibus. *Accingere*] Appara te, atque expedi. D.—*Tute hoc intristi*] Ex proverbio natum, quod est apud rusticos, cum male intritum cibum coactus est sumere, qui intrivit. Et est sensus: A te confecta (*incepta* Z.) res est, quam debes absumere (*absolvere* Z.). E.—*Tute hoc intristi*] Ausonius ad Paulum, Idyll. 7. *Tibi, quod intristi, exedendum est: sic vetus verbum jubet. Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet, faber.* L.

5. *Eccere: quid si reddet?*] Totum hoc quasi alia agens loquitur parasitus: ut ex hoc appareat quid intersit inter audaciam sycophantæ improbi, et patrisfamilias perturbationem minime litigiosi. Nam ille in bona causa advocatos quærit, et ipse sollicitus in toto actu est; hic in puncto temporis se ad calumniam præparavit. D. —*Eccere*] Ms. R. *Ecce res:* sed alterum rectius. Glossar. *Eccer κατὰ τῆς Δέμητρος. Eccire ἰδοῦ.* Vid. Festus et Charis. L.—Pro *rogitabit* plures et meliores codd. habent *rogabit*. B.

6. *Quid si reddet?*] Bene jam ad illud respicit fabula, quod futurum est, propter Phædriam. *Quid si reddet?*] Hoc est, quid si respondebit? An, quid si mulierem reddet? *Sic opinor*] Non ad *Tu impulisti* hoc pertinet; sed ad id, quod secum tacitus volvit Phormio. D.

7. *Cedo senem*] Hic alii exclusisse (*excussisse*) torporem somni inducunt parasitum: alii transglutisse quod in ore mandebat: quasi hoc moræ fuerit ad vincendum senem. *Cedo senem*] Non parvi moliminis certamen impendet, quum senex dixerit, *Hominem commonstrarier mihi istum volo;* parasitus dicat, *Cedo senem*. D.—*Instructa sunt*] Cicero de Nat. Deor. iii. 29. L.—Ut *mihi* acuatur, sequor ordinem multorum codd. *jam instructa mihi sunt corde* e. o. Cæterum pro *in corde*, meliores libri recte ommittunt *in*. B.

8. *Quid ages?*] Non interrogantis, sed metuentis hoc dictum est. *Quid vis, nisi ut maneat Phanium*] Tria promittit, in quibus omnis causa Antiphonis est constituta. *Atque ex crimine hoc*] Sic dixit, Ex crimine eripiam, quasi ex incendio. Considera trium rerum, quas promittit, gradus per αὔξησιν esse servatos (*separatos* lib. uterque). *Phanium*] Uxorem scilicet Antiphonis. D.—*Quid vis?*] Secum deliberat, quærens potius consilium Phormio. Tandem reperit, ac serio pollicetur, quod amplius desideretur, Phanium manere apud maritum, atque Antiphonem (adde, *culpa liberari*. Z.). E.—Versus ratio suadet Bembini *nisi uti*. B.

9. *Antiphonem eripiam*] Bene *eripiam* dixit: quo vim significat doli, pro eo qui jam teneatur oppressus. Virg. xii. 947. *tune hinc spoliis indute meorum Eripiare mihi? In me omnem iram derivem senis*] *Derivatio* dicitur inflexio criminis ab eo ad quem pertinebat, ad eum ad quem non pertinet. D.—Ex nostris duo tantum *senis*, cæteri *patris*. Utrumvis recte. B.

10. *O vir fortis atque amicus!*] Ordine

Vereor, ne istæc fortitudo in nervom erumpat denique. PH. Ah,
Non ita est: factum est periculum: jam pedum visa'st via.
Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem,
Hospites, tum cives? quo magis novi, tanto sæpius.
Cedo dum, en unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam?
GE. Quid istuc? PH. Quia non rete accipitri tenditur neque milvo,
Qui male faciunt nobis: illis qui nihil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.

laudavit: plus est enim *amicus*, quam *vir fortis*. Et apparet adversum (*aversum*) Getam exclamasse: quod majorem vim habet, quam si *amice* dixisset. *O vir fortis, atque amicus!*] Nominativum pro vocativo posuit. *Verum hoc sæpe, Phormio*] Bene *sæpe* addidit, ut sententiam faceret de speciali dicto. D.—Malim *O Phormio*; ut in illa sede trochæus evitetur. B.

11. *Vereor ne istæc fortitudo in nervum erumpat denique*] Quid est *istæc?* nimium audax scilicet. Et convenit hoc dictum Getæ: qui et supra dixerat, Est parasitus, quidam Phormio, homo confidens. *Verum hoc sæpe, Phormio, vereor, ne istæc fortitudo in nervum erumpat*] Ex consuetudine Romana dixit: quia sæpe in nervum conjiciebantur, ex aliquo maleficio in carcerem missi. An numquid (*numquid* abest in edd. vett.) proverbium a sagittariis natum est: quod immoderatæ plerumque vires, adducendo arcu non telum incitent, sed nervum rumpant? An ex eo, quod sæpe fortius ferientes, nervum sibi aliquem laedant? Ergo fortitudine nimia sæpe vinci, sæpe decipi contigit. *In nervum erumpat denique*] *Denique* modo παρέλκον, Terentiana consuetudine, qui hanc particulam in ultima ponit sententia. D.—*Fortitudo in nervum*] Denique vehementer metuo, ne hæc virtus et fortitudo mittatur *in nervum*, hoc est, in contrariam rem. Facile enim patitur fortitudo, (adde *ut* Z.) si nervum forte percusserit, solidiore parte resistente, ille qui pereutit vulneratur (*vulneretur*. Z.). E.

12. *Jam pedum visa est via*] *Pedum* pro pedibus: et *visa* ἀντὶ τοῦ *provisa*. Et totum μεταφορικῶς. D.—*Jam pedum visa est via*] Jam res quemadmodum it, habe. E.—Versus exigit *periclum*, quod ipsum extat in Vatic. Viet. Basilic. et aliis. B.

13. *Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem?*] Parasitice totum translationibus loquitur: hujusmodi est enim vis umbraticorum hominum, scurrilis oratio. D.—*Me censes homines*] Profert exemplum, quo docet, nihil sibi fieri posse, ex hoc, quod multos homines usque ad necem verberaverit; et, cum tantas injurias fecerit, nunquam injuriarum sit accusatus. E.

14. *Hospites, tum cives?*] Ἀνακόλουθον secundum: deest enim supra, *cum*. Et bene posterius posuit id quod majus est. D.

15. *Cedo dum, en unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam?*] Plus est hoc per interrogationem intulisse, quam si diceret, Nunquam mihi scripta est injuriarum dica. *Injuriarum audisti mihi scriptam dicam?*] Ἀκυρολογία: sic enim et Tullius, Verr. ii. 15. *Scribitur Heraclio dica. Dica*] *Dico* causa est Græce, quæ fit Latine *dica*: ut *acta acta, Calliope Calliopa*. D.

16. *Quid istuc?*] Interrogare dicitur et fingitur Geta, ut parasitica progrediatur oratio. *Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio*] Rursus per ἀλληγορίαν loquitur parasitus: ut totum triviale sit, a conviviis escisque translatum. *Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio*] Legitur et *tenditur*: habet enim *n* litera cum *d* communionem. D.—*Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio, qui male faciunt nobis*] Ideireo, inquit, non sum accusatus post tot injurias, quas feci civibus, quum ea (*retia* Z.) non fiant malis avibus, ut capiantur. *Non rete* ergo *tenditur, qui nobis male faciunt*, quod quidam legunt, at contra illis aliis tenditur, qui nobis non male faciunt. E.—Pro *milvio*, codd. Faerni et nostri *milio* habent, et ita apud alios auctores libri vett. B.

17. *Qui malefaciunt nobis*] Ore et unguibus scilicet. *Illis qui nihil faciunt, tenditur*] Non sic accipe, *nihil faciunt*, quasi dicat, nec bene nec male: sed quum legeris *nihil faciunt*, subaudito *nobis male*. D.

18. *Quia enim in illis fructus est*] Παρίλκον tertium: quo aut *Quia*, et sic *enim* subjugatur, aut ipsum *enim* supervacuum est. *In illis fructus est*] Quia nihil faciunt nobis male. *Quia enim in illis fructus est*] *Fructus*, cibus: quia *frumen* dicitur tractus gulæ, qua cibus in alvum demittitur. *In illis opera luditur*] Qui male faciunt nobis. *Luditur*] Exercetur (alii, *exteritur*.

Aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest:
Mihi sciunt nihil esse: dices, ducent damnatum domum.
Alere nolunt hominem edacem: et sapiunt mea quidem sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.
GE. Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia.
PH. Immo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.
Ten' asymbolum venire, unctum atque lautum e balneis,

Forte, *conteritur*). An *illuditur*, id est, frustratur? D.—Pro posteriore *illis*, alii habent *his*. Sed repone *istis* sc. accipitre et milvo. *Isti* enim dicitur de iis, qui contemnuntur. B.

19. *Aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest*] Utrum hic sensus est, quasi dixerit, Aliud aliis periculum affertur, a quibus aliquid auferri potest? an alii aliunde periclitantur, quam credantur? est enim illis causa periculi, non quæ videtur (*quia invidetur*), sed quia ab his aliquid auferri potest. *Unde aliquid abradi*] *Abradi*, per vim auferri. D.—*Aliis aliunde periculum*] Qui habent, unde detrimentum sentiant. E.—Lege *periclum*, ut ver. 12. ob eandem causam. B.

20. *Mihi sciunt nihil esse*] Rei scilicet. *Ducent damnatum domum*] Secundum jus scilicet, quo obærati, quum solvendo non essent, ipsi manu capiebantur. *Ducent damnatum domum*] Miris usus est verbis ad extenuandam pœnam, et rem ad commodum transferendam. Nam quod obæratis inimicum est, id parasitus maxime optat, duci ab aliquo domum. Addidit autem *damnatum*, quasi qui irrideat genus damnationis, in qua victor pascere compellitur, et pascitur victus. D.—*Dices, ducent damnatum domum*] Sed proponis mihi, quod etiamsi fortunas non habeam, ex quibus condemnatus pœnam sustineam, tamen addici possum ad servitutem: hoc est enim *ducere damnatum*. Sed rursus itaque mihi maximum beneficium præstabunt, si addictum me sibi pascere incipiant, ut pro maleficio, quod illis intuli, beneficium cogantur restituere. E.

21. *Alere nolunt hominem edacem*] Sensus est, Sciunt edacem, et ideo nolunt alere. Et hoc sic pronunciandum, ut facete totum videatur illatum. Quando obæratus sit sub hujusmodi pœna: nec accusari ab aliquo se queritur, neque damnari. *Hominem edacem*] Se significat. *Sapiunt*] Sibi consulunt. D.—Versus causa dele cum Bembino illud *quidem*. B.

22. *Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere*] Parasitice *beneficium summum* dixit alere. *Pro maleficio*] Pro injuria. *Reddere*] Retribuere, reponere. D.

23. *Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia*] Multum promittit Geta parasito, quum dicat, nihil futurum, quod pro merito possit accipere. *Non potest satis pro merito ab illo*] Hujusmodi sententias inferunt poetæ parenthesi, cum his quæ volunt inferre. *Ab illo tibi referri gratia*] Non ab eo, qui te damnatum duxerit: sed Antiphone, de quo sermo est. D.—*Non potest satis*] Hoc est, dominus, qui te utique addictum habebit, potest tibi bonam gratiam referre pro meritis tuis. E.—Pro *potest* versus poscit *pote*. B.

24. *Imo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert*] Bene parasitus, quicquid præstat, debere se dicit. Et est proprium personæ inferioris. Virg. Æn. i. 82. *Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra, Jovemque Concilias; tu das epulis accumbere divum. Gratiam*] Vicem. *Nemo satis pro merito gratiam regi refert*] *Rex* alias regnator, alias dominus, alias dives significat. Sed nunc rationem habet nominis ad aliquid dicti, ad significandum parasitum: ut enim parasitus regis est, et libertus patroni: sic e contrario rex parasiti est, et patronus liberti: quod si non esset, non *nemo* tantummodo, sed *nemo parasitus* diceret. D.—*Immo enim nemo satis*] Cum servus dixisset, Potest tibi referre gratiam, hic contra, *gratiam*, inquit, *regi nemo refert*, vel qui nutritor (forte, *nutrit alios* Z.), vel qui pascit solum. E.

25. *Tene asymbolum venire unctum atque lautum e balneis*] Hæc non ab Apollodoro, sed e sexto satyrarum Ennii translata sunt omnia: *quippe sine cura, lætus, lautus quom advenis, Infertis* (alii *Insertis*) *malis, et expedito brachio, Alacer, celsus, lupino impetu, exspectans, Mox dum alterius abligurias bona: quid Censes dominis esse animi? Pro divum fidem! ille tristis cibum dum servat, tu ridens voras. Tene asymbolum venire*] Et hoc nomen constat, inter parasitos confictum, atque compositum esse. Contra illud in Andria, *symbolum dedit, cœnavit*. D.—*Venire unctum*] Quanta commoda sint servientis, enumerat, quod sine collatione lautus atque unctus e balneis rediens otiosus est animo, dominus vero cura et sumtu absumitur. E.—*Asymbolum venire*] Ἀσυμβόλως δειπνεῖν. Eustath. in Homer. Diodor. ἀπέρχεται οἰκάδ' οὐ καταβαλὼν σύμβολας. L.

Otiosum ab animo: quum ille et cura et sumtu absumitur,
Dum tibi sit quod placeat: ille ringitur; tu rideas:
Prior bibas, prior decumbas: cœna dubia apponitur?
GE. Quid istuc verbi est? PH. Ubi tu dubites, quid sumas potissimum.
Hæc quum rationem ineas, quam sint suavia, et quam cara sint;
Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane præsentem Deum?
GE. Senex adest: vide quid agas: prima coitio'st acerrima:
Si eam sustinueris, postilla jam, ut lubet, ludas licet.

ACTUS SECUNDI SCENA III.

DEMIPHO. GETA. PHORMIO.

EN, unquam cuiquam contumeliosius

26. *Otiosum ab animo*] Πλεοναστικῶς. Nam addidit *ab*, quum sufficeret *animo*. *Quum ille cura et sumtu absumitur*] *Cura* in apparando, *sumtu* in coemendo. D.

27. *Dum tibi sit quod placeat*] Acuenda vox in eo, quod ait *tibi*. Et hoc eminenter adjectum est, non sui curam, sed convivarum gerere illum qui vocat. *Ille ringitur, tu rideas*] Poetico lepore et iisdem syllabis diversa significantia prope invicem posuit, *ringitur* et *rideas*. *Ille ringitur, tu rideas*] Varie: nam pronunciativo conjunctivum miscuit. Non enim dixit, *ringatur*. *Ringi* est stomachari tacitum, est enim translatio a canibus latraturis. D.—*Ille ringitur*] Hoc est, stomacho commovetur et iracundia. Et facit *ringor*, id est, os aperio. Unde *rictus*. E.—Ut *tibi* acuatur, lege, *Dum fit, tibi quod placeat*. Certe *fit* est in Bemb. Victor. et duobus nostris. B.

28. *Prior bibas, prior decumbas*] Hoc ad procacitatem parasitorum retulit. *Prior decumbas*] Cic. alibi, Verr. i. 26. *Mature veniunt, discumbitur*, inquit. *Cœna dubia apponitur*] Et hoc adeo parasiticum verbum est, ut id non intelligat Geta. D.—*Prior bibas, prior discumbas*] Hæc utique servorum est quædam libertas, ut ista prius sibi præstent. E.—*Cœna dubia*] Παροιμία. Aristophan. in Pace: Πικρὸν καὶ γοργὸν ὥσπερ μᾶζα καὶ παροιμία. Ubi vid. Schol. Horat. lib. ii. Sat. ii. 76.—*vides, ut pallidus omnis Cœna desurgat dubia?* Hieronym. ad Eustoch. de Virginit. *Castæ vocantur et Nonnæ, post cœnam dubiam Apostolos somniant*. Sic Pacuvius apud Nonium in COPIS, *O multimodis varie dubium et properum copem diem*. L.—Malim versus causa, *Prior bibas tu, prior, etc.* B.

29. *Quid istuc verbi est?*] Ut intelligat populus, idcirco non intelligit, et vult doceri Geta. Ostendit autem poeta, pro unaquaque re verba propria esse, neque communia cum iis, qui diversi sunt actus. *Ubi tu dubites, quid sumas potissimum*] Non *potius*, sed *potissimum* dixit: ut in re omni aliis alia monstraret potiora. Plautus, Men. i. 1. 27. *Standum est in lecto, si quid de summo petas*. D.—*Quid sumas potissimum*] Priscian. lib. iii. L.

30. *Hæc cum ratione ineas*] Intelligas, æstimes. *Quam sint suavia, et quam cara sint*] Nonnihil philosophatus est poeta, ostendendo multis suavia esse quæ cara sint. *Cara*] Magni pretii. D.—*Hæc si cum ratione*] Cum hæc igitur ratione collegeris, quam sint suavia, sine dubio illum, qui tibi hæc præbuerit, præsentem Deum poteris nominare. E.—Pro *ratione* vett. libri melius habent *rationem*. B.

31. *Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane præsentem deum?*] Hoc est quod ait, *Imo enimvero nemo satis pro merito gratiam regi refert. Non tu hunc habeas plane præsentem Deum?*] *Præsentes* Dii sunt, vel qui coluntur et videntur, ut Sol et Luna. Alii *præsentem* pro potentissimo accipiunt: ut Virg. Georg. ii. 127. *quo non præsentius ullum*. D.

32. *Senex adest: vide quid agas*] Intervenit senex ultimo. Et quidem, quod extra argumentum per inventionem dici potuit, consumtum est. *Vide quid agas*] Non terrentis est, sed excitantis. *Prima coitio est acerrima*] Translatio est a prælio. Nam et congredi milites, et coire dicuntur. D.—*Prima coitio est acerrima*] Sola tibi inceptio et ingressus est arduus, cætera pro voluntatate, ut videbitur, illudes. E.

33. *Si eam sustinueris*] Multum de illo exigit, quando non dicit, si eum repuleris; sed potius si eam sustinueris. *Postilla jam, ut lubet, ludas licet*] In officio militari omne negotium vel pugna, vel ludus. D.

1. *En unquam cuiquam contumeliosius audistis factam injuriam*] In hac scena, ut

Audistis factam injuriam, quam hæc est mihi?
Adeste quæso. GE. Iratus est. PH. Quin tu hoc age: st.
Jam ego hunc agitabo: pro Deum immortalium!
Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat esse cognatam? GE. Negat.
DE. Ipsum esse opinor, de quo agebam: sequimini.

rhetoribus placet, veluti quædam controversia est, quæ uno tempore ex utraque parte tractatur. Ut si quis dicat, legem esse, ne de eadem re bis agatur: et item, ut orbam proximus ducat: quidam absente patre sub hoc nomine uxorem coactus est ducere: vult illam pater adveniens ejicere matrimonio: contradicitur. Meminisse autem debemus, in omni contentione ea maxime dici, quæ simplici patrifamilias et calumnioso sycophantæ, improbissimoque parasito congruere, poetæ visa sunt. *En unquam cuiquam contumeliosius audistis factam injuriam*] Jam instructi sunt advocati: et recte: longum enim fuerat omnia hæc post scenam geri. *En unquam*] *En* vim habet indignationis post enarratam injuriam. D.—*En unquam cuiquam*] Hæc scena tenet controversiam talem: *Orba proximo nubat; orbam proximus ducat; bis de eadem re actio ne sit.* Quidam quasi orbam in judicio coactus est ducere absente patre. Pater cum redisset vult agi, an illa sit proxima. Contradicitur. Hic prima præscriptio est, quod non licet ex eadem re aliquid bis agere: et hoc plurimum valet. Veruntamen tentatur, ut orba esse dicatur: tentatur et illud, quod in lege scriptum est, vel positum: Orbam proximus ducat, aut decem millia dotis det, ut accepta dote discedat. Verum hoc frangitur, non licere: propterea quod matrimonio collocata est. Esse enim iniquum, uti nunc in matrimonium accepta, dote data, discederet. Liberum fuisse ante aut ducere, aut dotem dare: cum alterum sit factum, alterum esse non posse. E.

2. *Quam hæc est mihi?*] *Facta injuria*, subauditur. D.

3. *Adeste, quæso*] Interim advocati κῶφα πρόσωπα (alii edunt, *Interim advocati Demiphonem sequi* Z.) inducuntur: et ridicule tacent prius, postea locuturi. Et *adeste* proprie. *Adesse* enim causæ, proprie dicuntur patroni et amici. *Adeste, quæso*] Proprie advocatis *adeste* dixit. Et quia ipse properantius pergit, rogat ut assequerentur. *Iratus est*] Hoc ad excitandum Phormionem dicitur. *Quin tu hoc age*] Annuit ut taceat: et (*st*) significat silentium. D.—Illud *st* Faernus defendere studet, quia primum Donatus videatur sic legisse, apud quem legendum sit, *st significat silentium:* tum omnes vett. libri pro *age* habeant *ages;* deinde in Victoriano post *ages* vestigium rasæ literæ appareat. Verum Donati verba explicari possunt sine isto st: quia *Quin tu age*, vel *agis* silentium significant, et Phormio hic vel innuit Getæ, vel cubito eum fodit. Tum *st* cum per se syllabam faciat, non potest cum *age* in iambum coalescere. B.

4. *Jam ego hunc agitabo*] Modo *jam* celeritatis est signum: *hunc* cum contentu dixit. *Agitabo*, perturbabo. *Pro Deum immortalium!*] Ἔλλειψις, deest *fidem*, aut quid tale. Cicero in Œconomico, *Quid igitur, pro Deum immortalem! primum eam docebas quæso? Pro Deum immortalium!*] Artificiose prior exclamat, ut Demipho qui injuriam passus est, ultro impetum accusationis incurrat. D.—*Pro Deum immortalium!*] Hic indignationem sibi suscitat Phormio, qui terrere possit facile senem: quod egens relicta est misera, quod ignoratur parens, quod ipsa divitiis orba, pauperrima est; idcirco pater irascitur. E.

5. *Negat Phanium esse hanc sibi cognatam?*] Additum pronomen est: quasi notam omnibus diceret. *Phanium esse hanc sibi cognatam?*] Magno ingenio Terentius impudentiam calumniatoris expressit. Nam et prior incipit, et prior accusat. Et quia non potest dicere, expellit Phanium Demipho? *negat cognatam*, inquit. *Cognatam Demipho?*] Hæc est flagitatio, quæ etiam nomen tumultuose persequitur atque exagitat. Ideo callidus sycophanta patrisfamilias proprium nomen non solum invidiose infert, sed etiam repetit. D.—*Negat Phanium esse*] Vid. Aquila Rom. de Nominib. figurar. in Anadiplosi. L.

6. *Negat*] Una opera Geta in duplici versatur dolo. Nam et audiente jam sene, se ejus defensorem tanquam absentis, assimulat: et irritat ad vociferationem Phormionem, qui clamandi ulterius causam non haberet, si taceret Geta. D.

7. *Sequimini*] Apparet, Demiphonem, ut patremfamilias, perturbari non mediocriter: quippe qui et advocatos conquisierit adversus hominem sine advocatis agentem, et progredi non audeat, nisi illi sequantur. *Sequimini*] *Sequimini* dicit, qui properantius et concitatiore gradu pergit iratus. D.

PH. Neque ejus patrem se scire qui fuerit? GE. Negat.
PH. Nec Stilphonem ipsum scire qui fuerit? GE. Negat.
PH. Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Negligitur ipsa: vide, avaritia quid facit.
GE. Si herum insimulabis avaritiæ, male audies.
DE. O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit?
PH. Nam jam adolescenti nihil est quod succenseam,
Si illum minus norat: quippe homo jam grandior,

8. *Neque ejus patrem se scire, qui fuerit?*] Ambiguitas: quæ tamen sensu discernitur. D.

9. *Nec Stilphonem ipsum scire qui fuerit?*] Hæc asseveratio mentientis est, imitata veritatem. *Nec Stilphonem ipsum scire*] Quam multa calumniatores clamandi causa dicunt, et vociferandi: ut ipso strepitu terreant. *Nec Stilphonem ipsum*] Tantundem quod supra, *neque ejus patrem.* Scire debemus hoc nomen non fictum a parasito, sed auditum a puella, quæ uxor ducta sit, dici. *Negat*] Ἀλλαγῆσις prima. Nam extrinsecus audiendum est, *pater.* D.—Bentleio videtur versus esse spurius propterea, quod Phormio hic nomen Stilphonis teneat, quod infra vers. 40. repente oblitus sit. Male. Nam mendax, perturbatusque non semper memor est dictorum. Fere etiam ubi quis de rebus laborat, solent nomina fugere. Z.

10. *Quia egens relicta est misera*] Communis locus in avaritiæ generalitate approbatior: facilius enim hoc de omnibus, quam de Demiphone credatur: et ideo *ignoratur* dixit, et *negligitur:* non, Ignorat, nec, Negligit Demipho. *Ignoratur*] Non agnoscitur, ignorarique fingitur: hoc enim significat modo. *Parens*] Pater. Nam ut variaret, *parentem* dixit, quem supra dixerat *patrem.* Patrem ergo dicit puellæ a Demiphone ignorari. D.

11. *Negligitur ipsa*] Quia fieri potest, ut qui ignoret parentes puellæ, id est, ignorare se dicat, tamen ipsam non negligat puellam: utrumque conquestus est. *Avaritia vide quid facit!*] Hæc conversus ad circulum et coronam circumstantium dicit, et conqueritur. Nulla enim re magis populus concitatur, quam siquis egenum contemnat: inde et Sallust. Catil. 37. *Bonis invident, et malos extollunt. Avaritia vide*] Proprie *vide* stomachantibus convenit, qui indignatione cogumtur quasi cum aliquo colloqui. Sic in Adelphis, *illud sis vide, exemplum disciplinæ!* Sunt qui putent illum alicui de corona circumstantium dicere moraliter. D.—*Avaritia quid facit*] Menand.— ἔργον εἰρωνὸν συγγενεῖ Πέτητός ἐστιν, οὐδὲ εἰς γὰρ ὁμολογεῖ Αὐτῷ προσῆκειν, τὸν βοηθείας τινὸς Δεόμενον. L.

12. *Si herum insimulabis avaritiæ*] *Insimulare,* est crimen ingerere. *Si herum insimulabis*] *Insimulatio* est et falsi et veri criminis incusatio: sic Cic. Cat. iii. 5. *Nihil eorum quæ Galli insimulabant, negarunt. Insimulo* genitivo jungitur. *Male audies*] Scilicet a me. D.—*Insimulabis malitiæ*] V. C. *avaritiæ.* L.—Omnes codd. et Donatus Faerni, *malitiæ:* it. ex tot nostris unus tantum *avaritiæ.* B.

13. *O audaciam!*] Hæc exclamatio ostendit quid absente patre defenderit (*offenderit* Ms. Boend.) filius. *O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit?*] Hic jam ostenditur, persuasum esse Demiphoni, vim adhibitam filio suo, uxorem ducere: uno, quum hunc *audacem* appellat: altero, quod dicit *etiam;* quæ conjunctio et Antiphonem complectitur, et sic accusatum. E.—Lege cum cod. Reg. *etiamne* pro *etiam me.* Sic Adel. iv. 3. 5. *Accusare* quoque absolute ponitur. B.

14. *Nam jam adolescenti nihil est quod succenseam*] Sic subtiliter ac latenter purgatur a Phormione apud patrem Antipho. Nam quum dicit, *nihil est quod succenseam adolescenti,* ostenditur adhuc succensuisse, et inimico fuisse animo. Quum autem addit, *Si illum minus norat,* ostenditur contradixisse sibi, et restitisse judicio. Et sic dicit, quod si adolescens non agnoscens puellam, veniam non (dele *non* Z.) meruerit, pater negata cognata ferri non possit. *Nihil est quod succenseam*] *Succensere* dicimus eum, qui quum amare (forte, *amari* Z.) debeat, læsus irascitur. Et vide, ut veteratorie ostendat contradixisse adolescentem. D.

15. *Si illum minus norat*] Non dixit *non norat:* sed, *minus norat:* quasi et ipse nosse debuerit. *Quippe homo*] Repente transit ad nominativum, quum supra dixerit *illum:* et deest *erat,* quod assumitur ab inferiore. *Jam grandior*] Hic comparativus non habet significationem, qua magis sive minus significet a positivo. Ut, Æn. vi. 304. *Jam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus. Quippe homo jam grandior*] Argumentalis narratio dicitur, quæ nunc subjecta est ad fidem faciendam, et constituendam personam defensoris.

Pauper, cui opera vita erat, ruri fere
Se continebat: ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat: sæpe interea mihi senex
Narrabat, se hunc negligere cognatum suum:
At quem virum! quem ego viderim in vita optumum.
GE. Videas, te atque illum ut narras. PH. In malam crucem:

Et *grandior*, non *grandis*: quasi dicat, qui grandior fuit, quam ut illum adolescens optime nosse posset. *Jam grandior*] Proprie *grandis* ad speciem refertur ætatis, ut *grandis puer*, et *grandis virgo*: *grandis natu* senex dicitur. D.

16. *Cui opera vita erat*] Hic ostendit quam pauper fuerit: et *opera* septimi (alii, *sexti*) casus est, et *vita* nominativi. *Cui opera vita erat*] *Opera* pro victu posuit: et *opera* hic ablativus casus est. *Ruri fere*] Id est, ruri opera faciendo quærebat cibum. Et bene addidit *fere*: non enim semper, sed plerumque. D.—*Cui opera vita erat*] Expressit paupertatem, cui victus quotidianus opera quærebatur. E.—*Cui opera vita*] Ita meliores libb. nec aliter Priscian. lib. xv. Estque Atticum loquendi genus, ut illud veteris poetæ apud Athenæum, Dipnos. lib. i. cap. 7. Οὐδὲν ὁ μάγειρος τοῦ ποιητοῦ διαφέρει, Ὁ νοῦς γάρ ἐστιν ἑκατέρῳ τούτων τέχνη. Simili enim modo dictum ὁ νοῦς, τέχνη, ut a Terentio *vita*, *opera*. Aliud ergo Donatus egisse videtur, cum hæc aliter explicat. L.—Donati explicatio a Bentleio et Cupero Obs. i. 17. recte repudiatur. Sed Bentl. ob versum et consensum omnium codd. legi vult *cui in opere*, h. e. qui opere rustico faciendo victum sibi quærebat. Sic *opus* absolute pro opere rustico ponitur Eun. ii. 1. 14. Cuperus vero tuetur vulgarem lectionem *opera* in casu recto, et explicat, cui opera victus erat, qui ex opera se alebat. Bentleii rationem, ut Latiniorem, præferendam esse censeo. Z.

17. *Ruri fere se continebat*] Expresse ostendit miseriam hominis, qui in urbe natus interdixerat sibi accessu ejus, ob pudorem inopiæ. Nam hoc significat *continebat*: unde *contenti* dicuntur, in malis durantes. Hoc autem veteres faciebant nobiles, quum ad paupertatem redacti essent. *Ruri fere se continebat*] *Continere se* dicitur, qui contra voluntatem se continet. D.

18. *Colendum habebat*] Virg. xii. 520. *conductaque pater tellure serebat. Sæpe interea mihi senex narrabat*] Miserabiliter et invidiose positum *senex*: et majore fide *narrabat* dixit, non *querebatur*. Et vide congestionem argumentorum. Et ordo est, *sæpe narrabat senex hunc suum cognatum se negligere. Sæpe interea mihi senex narrabat*] Habet misericordiam odiosa narratio. D.

19. *Se hunc negligere cognatum suum*] Ἀμφιβολία: sed in sensu dissolvitur. *Cognatum suum*] Hoc crimen et causa est, quod *cognatum* addidit. D.—*Negligere cognatum*] Cognatum narrabat, quod se negligeret hic cognatus suus. E.

20. *At quem virum!*] Qualitas injuriæ a dignitate personæ: multi enim tales sunt, ut cognitione abdicandi sint. *Quem ego viderim in vita optimum*] Modo in vita ac moribus. Et *in vita*: hoc est, quum viveret, et in eo quod a vivo fit. *Quem ego viderim in vita optimum*] Modo *in vita*, in actu, in moribus. D.

21. *Videas te, atque illum*] Melius hoc clare dictum a servo accipimus, ut defendisse dominum videretur. *Videas te, atque illum ut narras*] Hoc est, parentem (*parem*) te illi existimo, atque illum tibi. An potius servus sciens hanc personam fingi, vel certe etiam mortuum hominem induci, male precatur parasito: ut etiam ipse, aut nusquam sit, ut fictus: aut pereat, ut mortuus? An sic accipiendum, ut servus submissa voce hoc per jocum dixerit, Tantum in vita te videas optimum, quam fuit ille quem narras? An sic intelligendum, ut servus hoc dicat, Si optimum est, victum opera quærere, et in alieno agro esse: ita te videas atque illum vidisti, quem ad hunc modum narras vivere? et allusit ad illud quod ait, *Quem ego viderim in vita optimum. Videas te, atque illum*] Deest, *vidisti*: scit enim illum non vera dicere. *In malam crucem!*] Adverbialiter, ut *huc viciniæ*. D.—*Videas te atque illum*] Servus narrat (*simulat* Z.) pro domino sese agere: cognosce, inquit, te atque illum cum quo loqueris. E.—*In malam crucem*] Vett. libr. et Ma. R. *Hinc in malam crucem*. L.—Bentleius corrigit *Vidisti nullum, ut narras*. PH. *I in malam crucem*: sed temere et contra fidem omnium codd. Nam recepta lectio commodum efficit sensum, dummodo *narrare* interpreteris *mentiri, fingere, falsa dicere, ea de aliqua re dicere, quæ facile falsitatis argui possunt*. Sic de Thrasone Eun. iii. 2. 29. occurrit *pugnas narrat*, h. e. fingit, jactat perperam: it. Adel. iv. 2. 18. *Quid, malum, Bone vir mihi narras?* i. e. male

Nam ni ita eum existimassem, nunquam tam gravis,
Ob hanc, inimicitias caperem in nostram familiam,
Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.
GE. Pergin' hero absenti male loqui, impurissime?
PH. Dignum autem hoc illo est. GE. Ain' tandem, carcer? DE. Geta.
GE. Bonorum extortor, legum contortor. DE. Geta.
PH. Responde. GE. Quis homo est? ehem! DE. Tace.
GE. Absenti tibi
Te indignas, seque dignas contumelias

irrides me et vocas Bone vir: it. Heaut. ii. 1. 8. *sua quæ narrat facinora!* Cf. Plaut. Truc. ii. 2. 28. *Quas tu mulieres mihi narras? ubi musca nulla femina est in ædibus.* Sensus igitur nostri loci est: Vide, cogita, quam falsa et repugnantia fabuleris de *te*, qui istum virum optimum non vidisti, et de *illo*, qui vir optimus non fuit. Sequentia nostram interpretationem comprobare videntur. Cæterum illud *I in m. c.* quod Bentleius præfert, facile ferre possumus, quia in Bemb. extat. Z.

22. *Nam ni ita eum existimassem*] Ut vita optimum judicarem. *Nunquam tam graves*] Hoc non quasi timidus, sed quasi religiosus et fidelis loquitur Phormio. D. —*Nunquam tam graves*] Nisi talem . . . virum credere puellæ patrem propter eam pu . . . . (*Nisi enim talem virum credidissem puellæ patrem, propter eam nunquam* Z.) tales inimicitias caperem, adversus dominum tuum, in familiam meam. E.—Liber Bemb. habet *Nam ni eum esse existimassem. Eum*, h. e. talem. Donatus sane legit *existimarem*, quod magis videtur convenire cum *caperem*. FAERN.

23. *Ob hanc*] Tanquam præsens sit mulier, de qua lis est; sic demonstrativa particula usus est dicendo *hanc. Ob hanc*] Id est, pro filia ipsius. *Inimicitias caperem*] *Capere* dicimus, quum id quod in nobis est, assumimus, unde *capere* pro eligendo ponitur. D.—Pro *nostram*, quod plerique nostri habent, Bemb. et alii exhibent *vostram*. B.

24. *Quam is aspernatur*] Ordo est: ob hanc quam hic aspernatur: ἀνάδοσις: *quam* enim supra (*enim ad superiora* Z.) revocavit, ad puellam referens: ut, Æn. iv. 355. *Quem regno Hesperiæ fraudo.* Et Sallustius: *nam Syllæ dominationem audebat.* Et interpositis quibusdam, *neque est offensus dominationem Syllæ. Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter*] *Aspernari* est averti, non solum corpore, sed etiam animo. *Aspernari*, recusare, avertere, non agnoscere. Est autem dictum a sperno. *Illiberaliter*] Apud veteres *illiberaliter* dicebant *factum*, si quis excessisset omne genus maleficii. Sic in Adelphis, *factum a vobis duriter, Immisericorditerque: atque etiam, si est, pater, Dicendum magis aperte, illiberaliter.* Vides more αὐξήσεως *illiberaliter* pro magno hic ultimum poni. D.

25. *Pergin' hero absenti male loqui*] Ἀπόστροφος per παρένθεσιν. *Male loqui*, pro *male dicere*. Et quærit Probus, quis ante Terentium dixerit. *Hero absenti*] Argute *hero absenti*: ut videatur fidelior, qui defendat absentem: quod præstans argumentum est, id in animo habuisse Getam etiam peregrinante domino. *Impurissime*] Improbissime. D.

26. *Dignum autem hoc illo est*] Non negat male loqui: sed hoc esse dignum contendit malo homine. *Ain'*] Ἀπόστροφος nota est, quæ separat *e* ab *n*, et intermitit *s* literæ sonum: est enim integrum *aisne? Ain' tandem? carcer!*] Non *carcerarium*, sed *carcerem* asperius appellavit: sic Lucilius, *Carcer vix carcere dignus.* Et *vix* pro *non*. D.—Pro *tandem*, quod et versui et sententiæ officit, reponendum puto *tamen*. B.

27. *Bonorum extortor*] Ingeniose de ipso negotio sunt inventa convicia. *Bonorum extortor, legum contortor*] Fingit illi crimina de causa, et de negotio. D.—*Bonorum extortor*] Priscian. lib. ix. L.

28. *Responde*] Timuit poeta, ne hujusmodi vociferatio Getæ, quasi veram discordiam apud populum fingeret: et ideo facit jam a Phormione ipsum admoneri. *Quis homo est?*] Mire servus finxit, se non vidisse senem: ut ea quæ dixerit, in Phormionem sincere dixisse credatur. Et mira dissimulatione addidit *homo*: ut videatur nihil de præsentia domini cogitasse. *Absenti tibi*] Tunc fidelis opera est, si absens aliquis defendatur: hoc ergo confirmat, velut indicando. Sic in Andria, *O Chreme, per tempus hic advenis, ausculta.* D.

29. *Seque dignas contumelias*] Id est, quas ipse debet audire. D.

Nunquam cessavit dicere hodie. DE. Ohe desine.
Adolescens, primum abs te hoc bona venia peto,
Si tibi placere potis est, mihi ut respondeas;
Quem amicum tuum ais fuisse istum, explana mihi:
Et qui cognatum me sibi esse diceret.
PH. Proinde expiscare, quasi non nosses. DE. Nossem? PH. Ita.
DE. Ego me nego: tu, qui ais, redige in memoriam.
PH. Eho tu sobrinum tuum non noras? DE. Enicas:
Dic nomen. PH. Nomen? maxume. DE. Quid nunc taces?
PH. Perii hercle: nomen perdidi! DE. Hem, quid ais? PH. Geta,
Si meministi id quod olim dictum'st, subjice: hem,
Non dico: quasi non noris, tentatum advenis.
DE. Egone autem tento? GE. Stilpho. PH. Atque adeo quid mea?
Stilpho'st. DE. Quem dixti? PH. Stilphonem inquam, noveras?

30. *Ohe! desine*] Hac voce ostendit plus justo pro se locutum videri Getam. Nam *ohe* interjectio est, satietatem usque ad fastidium designans. *Desine*] Imponit silentium Getæ; quasi validiora dicturus sit: et supra *tace* dixit senex. D.—Illud *hodie*, præter unum, nullus habet ex nostris. Igitur lege vel, *N. c. dicere: ôhe desine;* vel cum tribus nostris, *N. c. dicere: ohé jam desine.* B.

31. *Adolescens, primum abs te*] Est hæc auctoritas in senibus, ut, qui minoris ætatis fuerint, illos appellatione pueri, vel adolescentis, vel juvenis etiam ostendant (*appellent:* liber uterque): ut hoc de nomine illis (*ut hoc nomine de illis* Z.) quidem detrahant, sibi vero auctoritatem attribuant. Sic Virg. xii. 19. *O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci Virtute exsuperas. Bona venia*] Sine ira, sine discordia. D.—*Adolescens, primum abs te*] Prima pars actionis quæritur, quæ est, an illa proxima sit? cui respondet Phormio, scire ipsum qui interrogat. E.—Pro *peto*, quod libri Faerni multi habent, nostri omnes rectius exhibent *expeto*. Noster enim solet liquefacere postremas syllabas, et aversari homœoteleuta. B.

32. *Si tibi placere potis est*] Pro, *potest. Mihi ut respondeas*] Bene *mihi:* utpote patri adolescentis, vel domino Getæ, vel etiam seni. Et verbum est scrupulose aliquid interrogantium. Sic Virg. Æn. ii. 149. *Mihique hæc edissere vera roganti.* Et, Ecl. iii. 1. *Dic mihi, Damœta, cujum pecus?* D.

33. *Quem amicum tuum ais fuisse*] *Ais* dicimus de iis, qui vana loquuntur: *dicere* autem dicimus de iis, qui validiora. *Explana*] Manifesta, expone. D.

34. *Et qui cognatum*] *Qui*, quomodo, unde. D.

35. *Proinde expiscare, quasi non nosses*] *Proinde*, ita similitudinis adverbium est modo, non conjunctio; ut, *Proinde tuæ eloquio solitum tibi. Expiscari*, est diligentissime quærere, ubinam pisces lateant: ergo verbum est tractum a piscatoribus. D.—*Proinde expiscare quasi non nosces*] Ita a me inquiris, quasi nesciss. E.

36. *Ego me nego; tu qui ais*] Subauditur ad omnia *nosse*. D.

37. *Eho! tu sobrinum tuum*] Populari quadam vulgarique fatigatione, utpote scurra, respondit. D.

38. *Nomen? maxime*] Falsa non habent memoriam: hic ergo deest, Nescio, vel Necessarium est. *Quid nunc taces?*] Urget senex: quia intelligit eum nomen nescire. D.—Sic divide personas: *Dic nomen.* PH. *Nomen?* DE. *Maxume, quid nunc taces?* B.

40. *Subjice*] Suggere. D—*Si meministi quod olim*] Excidit enim nomen, quod supra posuerat: *Nec Stilphonem ipsum qui fuerat.* E.

41. *Non dico: quasi non noris*] Mire. Nam videtur arte celare id, quod invitus nesciebat. D.—*Non dico*] Ascon. Pedian. i. 39. in Verrem. L.

43. *Stilpho*] Σύλληψις. Nam reddit ad nominativum *est* utique Stilpho; ut rursus ad accusativum, *noveras*, Stilphonem scilicet. *Stilphonem, inquam, noveras*] Figura ἐπιτροχασμός. Est autem ἐπιτροχασμὸς verborum super se invicem effusio

DE. Neque ego illum noram: neque mihi cognatus fuit
Quisquam isthoc nomine. PH. Itane? non te horum pudet?
At si talentum rem reliquisset decem:
DE. Di tibi malefaciant. PH. Primus esses memoriter
Progeniem vostram usque ab avo atque atavo proferens.
DE. Ita ut dicis: ego tum si advenissem, qui mihi
Cognata ea esset, dicerem: itidem tu face.
Cedo, qui est cognata? GE. Eu noster! recte: heus tu, cave.
PH. Dilucide expedivi, quibus me oportuit
Judicibus: tum si id falsum fuerat, filius
Cur non refellit? DE. Filium narras mihi?
Cujus de stultitia dici, ut dignum'st, non potest.
PH. At tu, qui sapiens es, magistratus adi,
Judicium de eadem causa iterum ut reddant tibi:
Quandoquidem solus regnas, et soli licet

(*effusio, vel supermensio*, lib. uterque), quæ fit adversarii causa turbandi: sic Cicero, *Convicium et* * Virg. xi. 387. *nec longe scilicet hostes Quærendi nobis; circumstant undique muros. Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis Semper erit? Stilphonem, inquam, noveras?*] Quasi dicat, Convincam, si neges. D.

46. *At si talentum rem reliquisset*] Ἀξιόπιστον illud fecit. *At si talentum rem reliquisset decem*] More Romanorum, apud quos hereditas pecuniæ erat. *Talentum* autem quod dixit, more Græcorum admiscuit. D.—*Talentum rem reliquisset*] Hoc est, tale patrimonium quod in decem talentis est. E.

47. *Memoriter progeniem*] Memoriter totam progeniem parentum a summa origine contineres. E.

49. *Ita ut dicis*] Ita sum, inquit, ut dicis, avarus et superbus. Et vide senem de injuria non agere: quia justæ confidit et nititur causæ. Plerumque enim hac constantia animi fulciuntur, qui juri confidunt: at contra, qui nullo jure freti sunt, litigant et ad injurias prosiliunt: ut his saltem perturbent adversarium, qui jure non valent. Condono igitur, inquit, tibi omne contumeliæ genus. *Ego tum si advenissem*] Deest *ad judicium*: ut sit, Quum ad judicium venissem. *Qui mihi cognata*] *Qui*, unde, quomodo. D.—*Ita ut dicis: ego tum*] Si hereditatem peterem, necessitas mihi imponeretur, ut, unde mihi esset cognata, dicerem: nunc cum tu intendas, debes dicere unde sit ista cognata. E.—Pro *si*, quod in nostris omnibus extat, in Bemb. et litura Victoriani est *cum*, quod et Donatus legisse videtur. B.

51. *Eu noster! recte*] Geta sic laudat senem, ut optet vincere Phormionem. *Eu noster! recte*] Plaudit sibi Terentius, supposita persona, quasi recte dixisset. D.

52. *Quibus me oportuit judicibus*] Probavi judicibus, inquit. D.—*Dilucide expedivi*] Continuo sumit argumentum præscriptionis, cum conturbatus esset Phormio: denique concluditur: *At tu, qui sapiens es, magistratus adi, judicium de eadem causa iterum ut reddant tibi.* Ut scilicet hic judicium bis de eadem causa adipiscatur (*adipiscaris*. Z.). E.

53. Meliores libri Faerni et nostri sic collocant, *tum id si falsum*. B.

54. *Filius cur non refellit?*] *Refellere*, est arguendo falsum ostendere. D.

55. *Cujus de stultitia dici, ut dignum est*] Compendium conviciorum est, nihil dignum invenire, pro magna injuria, quod respondeas. D.

57. *Judicium de eadem causa*] Juris axioma est, Lite semel terminata de eadem re actio iterum ne detur: lib. vi. et tot. tit. ff. de except. rei judic. Demosth. contra Leptinen, *οἱ νόμοι οὐκ ἐῶσι δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν ὑπὲρ τῶν αὐτῶν οὔτε δίκας, οὔτε εὐθύνας, οὔτε διαδικασίας, οὐ' ἀλλὰ τοιοῦτο οὐδὲν εἶναι.* Syrianus et Sopater in Hermog. p. 110. *δὶς περὶ τῶν αὐτῶν δικὰς μὴ εἶναι.* Vid. Andocides *κατ' Ἀλκιβιάδου* p. 30. Donat. in Andr. iii. i. 7. L.—Cum versu abhinc altero redeant fere eadem verba: crediderim hunc nothum esse; vel si retineatur, legerim, *Judicium de eadem re iterum ut reddatur tibi.* Tres nostri *reddatur*. *Re* pro *cu*, hoc est, *causa*. In recepta lectione *iterum*, cujus emphasis præcipua est, in Thesi obmutescit. B.

58. *Quandoquidem solus regnas*] Quoniam regnum solutum legibus est, et opprimens

Hic de eadem causa bis judicium adipiscier.
DE. Etsi mihi facta injuria'st; verumtamen
Potius quam lites secter, aut quam te audiam.
Itidem ut cognata si sit, id quod lex jubet
Dotem dare, abduce hanc: minas quinque accipe.
PH. Ha ha he, homo suavis. DE. Quid est? num iniquom postulo?
An ne hoc quidem adipiscar ego, quod jus publicum'st?
PH. Itane tandem quæso, item ut meretricem ubi abusus sis,
Mercedem dare lex jubet ei, atque amittere? an,
Ut ne quid turpe civis in se admitteret
Propter egestatem, proxumo jussa'st dari;
Ut cum uno ætatem degeret? quod tu vetas.
DE. Ita, proxumo quidem: at nos unde? aut quamobrem?
PH. Ohe,
Actum, aiunt, ne agas. DE. Non agam? immo haud desinam,

libertatem. Sic alibi, *Regnumne hic, Æschine, possides?* D.

59. *Hic de eadem causa*] *Hic*, videlicet apud Athenas, ubi leges, ubi libertas omnibus communis est. D.—Ut versui consulas, pro *adipiscier* repone *apiscier*, quod inprimis Lucretio frequens est. Et Heaut. iv. 3. 15. occurrit *Deorum vitam apti sumus*. B.

61. *Potius quam lites secter, aut quam te audiam*] Bis posuit *quam:* quod genus figuræ primo ζεύγματι contrarium est: ut in Heaut. *Propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus* (Bentleius addi vult, *sum*. Ut in hoc loco *sum* bis ponatur, sicut in seq. *ut*, totidem Z.) *obsequens*. Item, *Cepi rationem, ut neque tu egeres, neque ut hæc posses perdere*. D.

62. *Id quod lex jubet dotem dare*] *Id*, pro, *ob id*. D.—*Quod lex jubet dare dotem*] Victus præscriptione senex, ad illam legem descendit ut dotem det, etiamsi sit cognata. Cui ut supra dixi respondetur: *Itane tandem quæso ut meretricem, etc.* quod utique iniquum est, ex eo quod jam una pars videtur impleta. Aliter ergo jam non potest rursus quemcunque diceret senex proximo ad hos unde aut quamobrem (*Aliter ergo jam non potest surgere adversus Phormionem, nisi dixerit senex: Proximo; at nos unde? aut quamobrem?* Z.). Redit etiam parasitus ad præscriptionem: *Actum, aiunt, ne agas*. E.

63. *Abduce hanc: minas quinque accipe*] Modo id agit, quod reprehendit a filio non esse factum, *Dotem daretis, quæreret alium*. Et *dotem* voluit custodem esse pudoris. D.

64. *Ha ha he*] Hic risu destruxit, quod serio intendebat, senex. *Homo suavis*] Præscriptio, quum jam alterum factum sit, fieri utrumque non posse. D.—Versus gratia illud *est* delendum puto. B.

65. *An ne hoc quidem adipiscar ego*] Quia enim a lege stat, recitat tantum id quod scriptum est. D.

66. *Itane tandem quæso?*] Majora argumenta sunt quæ per interrogationem proferuntur. *Ubi abusus sis*] A scripti voluntate. *Utimur* cum honore, *abutimur* cum injuria. D.—Illud *civem* ante *item* recte a Faerni et nostris libris abest. Cæterum ut versus sanetur, pro *itane* rescribe *itan'*. B.

67. *Atque amittere*] Bene *amittere:* quia finis cupiditatis amissio est. D.—Illud *an*, ducibus Faerni libris omnibus, faciat principium sequentis versus. Cæterum *an* et *ut* corripiuntur. B.

68. *An, ut ne quid turpe civis in se admitteret*] Idoneum testimonium est, bonorum esse natalium, Civem dixisse. Nam apud veteres peregrinæ mulieres in meretricum numero habebantur. Sic ipse alibi, *Adeone est demens? ex peregrina?* Et alibi, *Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi*. Et Parmeno comprobans respondit, *Potest taceri hoc;* id est, meretricem matrem te habuisse. *An, ut ne quid civis turpe in se admitteret*] A voluntate. D.—Lege et numero et ordine meliore, *An, ut né quid civis túrpe in sese admitteret*. Certe omnes nostri, præter unum, habent *civis turpe*. B.

70. *Ut cum uno ætatem degeret*] Quid enim est pudicitia, nisi unius scientia viri? D.

72. *Actum, aiunt, ne agas*] *Aiunt* dicimus, quum proverbium significamus. *Acta res* est, de qua sententia prolata sit. D.

Donec perfecero hoc. PH. Ineptis. DE. Sine modo.
PH. Postremo tecum nihil rei nobis, Demipho, est:
Tuus est damnatus gnatus, non tu: nam tua
Præterierat jam ad ducendum ætas. DE. Omnia hæc
Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere:
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.
GE. Iratus est. PH. Tute idem melius feceris.
DE. Itane es paratus facere me advorsum omnia,
Infelix? PH. Metuit hic nos, tametsi sedulo
Dissimulat. GE. Bene habent tibi principia. PH. Quin, quod est
Ferendum, fers: tuis dignum factis feceris,
Ut amici inter nos simus. DE. Egone tuam expetam
Amicitiam? aut te visum, aut auditum velim?
PH. Si concordabis cum illa, habebis quæ tuam
Senectutem oblectet: respice ætatem tuam.
DE. Te oblectet: tibi habe. PH. Minue vero iram. DE. Hoc
Satis jam verborum'st: nisi tu properas mulierem [age:
Abducere, ego illam ejiciam: dixi, Phormio.
PH. Si tu illam attigeris secus quam dignum est liberam,

73. *Donec perfecero hoc*] Virgil. Æn. ii. 719. *donec me flumine vivo Abluero. Perfecero*] Pro *perficiam. Ineptis*] Ut a *sapientia, sapis* dicimus: ita ab *ineptia, ineptis. Sine modo*] Hæc minantis sunt verba: et bene: imitatus est enim (*et bene imitatus est modum*, lib. uterq.) comminantem. D.

74. *Postremo tecum nihil rei*] Jam ludit parasitus: tu, inquit, senex jam alterius ætatis es, addictus filius tuus est. E.

75. *Tuus est damnatus gnatus, non tu*] Ludit Phormio quum dicit, *non tu:* et contemtibiliorem in hac causa sibi senem, quam Antiphonem fuisse, dicit: simulque ætatem illius esse despectam. *Tuus est damnatus gnatus, non tu*] Pro voluntate contendentis est prolatio sententiæ. D.

77. *Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere*] Definitive respondit. D.

78. *Cum uxore hac*] Id est, tali. D.—Pro *prohibeo* meliores et plures libri exhibent *prohibebo*. B.

79. *Tute idem melius feceris*] Locus est hic, ut ostendat Phormio de compacto egisse cum Antiphone. *Tute idem melius feceris*] Quidam sic intelligunt, *Tute idem melius feceris*, ut senex potius exeat, quam ejiciat filium. Artificiose autem loquitur Phormio, ut adimat suspicionem seni consensionis et conhibentiæ (*conventionis* Ms. Boend. et ed. Du B.) inter parasitum et filium. D.—*Tute idem feceris*] Hoc ipsum tu recte feceris. E.

81. *Sedulo*] Sine dolo, instanter. D.—*Metuit hic nos*] Quoniam dixerat submissiore dictione, *Itane es paratus facere me advorsum omnia?* Quæ res ostendit iracundiam esse lenitam. E.

82. *Dissimulat*] Fingit, mentitur. D.—*Quod est ferendum*] Quia res tolerandas sustinere (*sustinere debes* Z.), et dignum tuis factis feceris. E.

83. *Quin quod est ferendum, feras*] Cur non, inquit, accommodas necessitati voluntatem? D.—Pro *fers*, quod solum est probandum, Bemb. habet *feres:* alii *fer;* alii *feras*. Male. B.

84. Pro *Egone* omnes Faerni et nostri codd. habent *Egon'*. B.

87. *Quæ tuam senectutem oblectet*] Non *te*, sed *senectutem tuam*. D.

88. *Minue vero iram*] Contemnentis est dissuadere iracundiam. *Hoc age*] Annuentis est. D.

89. Pro Bemb. Vict. et aliorum librorum Faerni *properas*, nostri habent *properes*. B.

90. *Dixi Phormio*] *Dixi* solent dicere perorata causa. D.

91. *Si tu illam attigeris*] Revocat iracundiam, quia ille dixerat: *Nisi tu properas mulierem abducere, ego illam ejiciam:* et hic contra: *Si tu illam attigeris aliter quam dignum est liberam, dicam tibi impingam grandem*. E.

Dicam tibi impingam grandem: dixi, Demipho.
Si quid opus fuerit, heus, domo me. GE. Intelligo.

ACTUS SECUNDI SCENA IV.

DEMIPHO. GETA. HEGIO. CRATINUS. CRITO.

QUANTA me cura et sollicitudine afficit
Gnatus, qui me et se hisce impedivit nuptiis!
Neque mihi in conspectum prodit; ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quidve sit sententiæ.
Abi tu, vise redieritne jam, an nondum, domum.
GE. Eo. DE. Videtis quo in loco res hæc siet:
Quid ago? dic, Hegio. HE. Ego? Cratinum, censeo,
Si tibi videtur. DE. Dic, Cratine. CRA. Mene vis?
DE. Te. CRA. Ego quæ in rem tuam sint, ea velim facias: mihi
Sic hoc videtur: quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum, æquom est et bonum:

92. *Dixi, Demipho*] Mire comminationem et ferocitatem ejus imitatus est simili verbo. D.

93. *Si quid opus fuerit*] Hæc repentina discessio habet aliquam majorem litigaturi denunciationem. Et bene breviter: ne multiloquio infringeretur superior comminatio. D.

1. *Quanta me cura et sollicitudine afficit gnatus*] *Cura* est in spe bonorum: *sollicitudo* in metu malorum. *Quanta me cura et sollicitudine*] Hæc deliberativa est, in qua tres advocati sunt: quorum unus suadet, alter dissuadet, tertius qui se alterutri addere debuisset, ejusmodi sententiam dicit, ut rursum deliberatione opus esse videatur. D.—*Quanta me cura*] Hæc scena deliberativa tenet. Deliberat enim senex, an judicium, quod se absente filius egit, rescindat denuo. Ideo sententiæ ab advocatis . . . . (*ab advocatis tribus feruntur* Z.): una dissuadentis, persuadentis altera: tertia, quæ accedere ad sententiam (*sententiam alterutram* Z.) possit, talis est, ut rursus deliberatione opus esse videatur. Est igitur prima pars, cujus principium tale est: *quod quæ in rem tuam sint, ea velim facias:* ego quæ tibi prosint, facere te volo. Deinde ipsa sententia: *mihi sic hoc videtur, quod te absente hic filius egit, restitui in integrum.* Deinde breviter a justo, *æquum est et bonum.* An fieri possit: *id impetrabis.* Contraria sententia; cujus hoc principium: *ego sedulo hunc dixisse arbitror;* ne contraria dicturus videatur inimicitias exercere, defendit contrariæ partis patronus. ut dicat illum *sedulo*, hoc est, sine fraude et dolo dixisse, quod dixerit. Quod dixerit de se aliquam prolaturum esse sententiam, propterea (*Quum decreverit se aliam p. e. s. præmittit* Z.), *Quot homines, tot sententiæ: suus cuique mos.* Deinde sententiam suam: *mihi non videtur, quod sit factum legibus, rescindi posse: et turpe inceptu est.* Hoc utique ab inhonesto dictum non (*nos* Z.) intelligimus. Tertia illa sententia est: *ego amplius deliberandum censeo: res magna est.* E.

5. Lege ex cod. Petrensi, *Abi vise.* Nam *tu* versum strangulat. B.

7. *Ego Cratinum censeo*] Potest *ego* subdistingui: ut subaudiatur, *ego dicam?* D.—Repone *Cratinus, censeo,* h. e. Cratinus dicat. B.

8. *Si tibi videtur*] Ex veteri formula senatusconsultor. qua utebantur cum senatus aliquid consulibus fieri demandaret: Justinus Trogi initio lib. XXXI. *Senatus scripsit Flaminino,* SI EI VIDEATUR, *sicuti Macedoniam a Philippo, ita Græciam a Nabide liberet.* L.

9. *Quæ in rem tuam sint*] Bene principio, ἀπὸ τῆς ΤΗΟΛΚΙΣ • ΚΑΙ ΤΟΥ συμβουλεύοντος (ἀπὸ τῆς ἐπιεικείας τῆς τοῦ συμβουλεύοντος Z.), benevolentiam suam commendavit: et sic consilium dedit. D. —Responsum Demiphonis *te,* tanquam versui repugnans, et sensui in re levi inutile, delendum esse censeo. B.

11. *Æquom est*] Ab honesto. *Et bonum*] Ab utili. D.—*Æquum est et bonum*] Ma-

Et id impetrabis: dixi. DE. Dic nunc, Hegio.
HE. Ego sedulo hunc dixisse credo: verum ita est,
Quot homines, tot sententiæ: suus cuique mos.
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse: et turpe inceptu est. DE. Dic, Crito.
CRI. Ego amplius deliberandum censeo:
Res magna est. HE. Num quid nos vis? DE. Fecistis probe:
Incertior sum multo, quam dudum. GE. Negant
Redisse. DE. Frater est exspectandus mihi:
Is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.
Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.
GE. At ego Antiphonem quæram; ut quæ acta hic sint, sciat.
Sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere.

ACTUS TERTII SCENA PRIMA.

ANTIPHO. GETA.

ENIMVERO, Antipho, multimodis cum istoc animo es vituperandus:
Itane hinc abisse, et vitam tuam tutandam aliis dedisse?

Pith. *æquum ac bonum est.* L.—Repone *æquum esse ac bonum.* Nam *ac* est in nostris; et *esse* regitur a *videtur*, ut mox vers. 16. *posse.* B.

12. *Et id impetrabis*] A possibili. Et breviter deliberativæ tres locos tetigit, justum, utile, et possibile. D.

13. *Ego sedulo hunc dixisse credo*] Artificiose personam defendit, sententiam reprehensurus: ne si inimicus sit, adimat auctoritatem sententiæ suæ. *Verum ita est*] Subjunxit locum ἀνακλίσεως oratoriæ: ut invidiæ contradicturus occurreret. D.

14. *Quot homines, tot sententiæ*] Horat. lib. ii. Sat. i. 27. *Quot capitum vivunt, totidem studiorum millia.* Arnob. advers. gent. lib. ii. *Quot in orbe sunt homines, sunt sententiæ totidem.* L.

15. *Mihi non videtur*] A possibili. *Quod sit factum legibus*] Hic alio ordine locos suasoriæ tetigit: primum a possibili, secundum ab honesto. D.

16. *Et turpe inceptu est*] Ab honesto. Utilitatem autem prætermisit per artem, quæ, ubi non potest fieri, frustra spectatur. D.—Pro *inceptu* plures libri *inceptum.* Utrumvis probe. B.

18. *Res magna est*] Causa ampliandi sententiam. D.

19. *Incertior sum multo quam dudum*] Ex tribus enim unus suasit, alter dissuasit, tertius nihil dixit. D.—*Incertior sum multo, quam dudum*] Dicta ratione incertiorem se factum dicit; siquidem suasit unus, dissuasit alter, contra tertius nihil dixit. E.

21. Pro *exequar* unus e nostris *sequar*: atque idem hunc ordinem verborum inducit, *Is quod mihi de hac re dederit c. i. e.* quod placet. Cf. Adel. iii. 5. 54. B.

22. *Quoad se recipiat*] Quando redeat. E.

23. Pro *sunt*, meliores Faerni et nostri libri, *sint.* B.

24. *In tempore huc se recipere*] Εὐκαίρως. Sallustius, *Maximeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.* D.

1. *Enimvero, Antipho, multis modis cum istoc animo*] *Cum istoc animo:* pro, *hujus animi.* Ennius, *Omnia* (*Optima* Lib. uterque) *cum pulchris animis Romana juventus.* D.—*Enimvero, Antipho, multis modis cum istoc animo vituperandus es*] Hæc scena rationem gestorum tenet, cum questione et objurgatione, quod dimiserit amorem, et irritus (*et deseruerit* Z.) eam quam diligebat, neque ei ac sibi attulerit patrocinium. E.—Pro *multis modis* versus exigit *multimodis;* quod ipsum libri præstantiores exhibent. B.

2. *Itane hinc abisse, et vitam tuam*] Ἐν ἀνακλίσει: ut, Æn. xi. 270. *Invidisse Deos, patriis ut redditus aris, Conjugium optatum et pulchram Calydona viderem?* Et, *Servon' fortunas meas commisisse futili?* D.—Lec-

Alios tuam rem credidisti magis, quam tete, animadversuros?
Nam ut ut erant alia, illi certe, quæ nunc tibi domi'st, consuleres,
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali,
Cujus nunc miseræ spes opesque sunt in te uno omnes sitæ.
GE. Equidem, here, nos jam dudum hic te absentem incusamus, qui abieris.
AN. Te ipsum quærebam. GE. Sed ea causa nihilo magis defecimus.
AN. Loquere obsecro, quonam in loco sunt res et fortunæ meæ:
Num quid patri subolet? GE. Nihil etiam. AN. Ecquid spei porro'st? GE. Nescio. AN. Ah!
GE. Nisi Phædria haud cessavit pro te eniti. AN. Nihil fecit novi.
GE. Tum Phormio itidem in hac re, ut in aliis, strenuum hominem præbuit.
AN. Quid is fecit? GE. Confutavit verbis admodum iratum patrem.
AN. Eu, Phormio. GE. Ego quod potui porro. AN. Mi Geta, omnis vos amo.
GE. Sic habent principia sese, ut dico: adhuc tranquilla res est;

tio Victoriani, et Ubaldini Bandinelli, *Itane te hinc abisse*, orationi et versui commodissima videtur. B.

3. *Alios tuam rem*] Ab infinitivo ad indicativum transitum fecit. *Credidisti*] Pro putasti. D.—Pro vulgari *te* versus probat Bembini *tete*. B.

4. *Nam, ut erant alia, illi certe, quæ nunc tuæ domi est, consuleres*] Nam qualiacunque cætera essent circa te, illi saltem auxilium ferres, quæ tuæ domi est. E.—Pro vulgari *tuæ domi* placet Bembini *tibi domi*: ut infra, iii. 2. 19. B.

5. *Pateretur mali*] Legitur et *potiretur*: quia *potiri τῶν μέσων* fuit. Plautus, Epid. iv. 1. 35. *Hostium potitus est.* D.—Altera Donati lectio *potiretur* a Terentio profecta esse videtur; quæ vero postea a magistris ob archaismum est ejecta. B.

6. *Spes opesque sunt*] Hæc quidem de his sunt, quæ amant jungi. *Spes opesque sunt*] Ut, *res fortunæque*. D.—*Spes opesque*] Plaut. Capt. iii. 3. 2. *Spes, opesque, atque auxilia, a me segregant spernuntque se.* Sallust. in Jugurth. 114. *Spes atque opes civitatis in illo sitæ.* L.

7. *Qui abieris*] Mollius, quam *fugeris*. D.—Cum Terentii ætate *equidem* non nisi primæ personæ singulari jungeretur, placet *et quidem*, quod in nostris omnibus, et Faerni præstantioribus extat. B.

8. *Sed ea causa*] Quia abieris. D.—*Sed ea causa nihilo defecimus*] Sed licet te accusaret magis, quod absens esses, ea causa non defecimus. E.

10. *Numquid patri subolet?*] Sub convenientia sua et Phormionis dicit (*subolet? Conniventia tua et Phormionis*). D.—*Numquid patri subolet?*] Numquid suspicatur pater, sua voluntate cessisse, an etiam ei veniam tribuit, ut eandem uxorem habeat? (*pater, scilicet mea voluntate cessisse; an etiam mihi veniam t. u. e. u. habere liceat?* Z.). E.—Ne *patri* in Thesi totum lateat, lege *Num pătri quid subolet;* et *speii διαυλλάβως* pro *spei*. B.

12. *Ut in aliis*] Lege *ut aliis*. Nam *in* abest in Bemb. et a versu repudiatur. B.

13. *Confutavit verbis*] Convicit: ut si diceret, *refutavit:* sed *refutatio* in rem est: *confutatio* in personam. D.—*Confutavit verbis.—Ego quod potui*] Bonum ordinem servus tenuit, ut primo dominum, deinde Phormionem, sic se supponeret, ad narrandum, quæ sint præstita adolescenti. E.—Pro vulgari *patrem* Bembinus habet *senem;* quod consuetudini Terentii magis convenit. B.

14. *Ego quod potui porro*] De se mediocriter per *ἔλλειψιν*, moraliter satis. *Ego quod potui porro*] Ordine, primo dominum, post Phormionem, ultimum se posuit. D.

15. Hic versus et seq. sunt trochaici tetrametri acatalectici. FAERN.

Mansurusque patruum pater est, dum huc adveniat. AN. Quid eum? GE. Ut aiebat,
De ejus consilio sese velle facere, quod ad hanc rem attinet.
AN. Quantus metus est mihi, venire huc salvom nunc patruum, Geta!
Nam per ejus unam, ut audio, aut vivam, aut moriar, sententiam.
GE. Phædria tibi adest. AN. Ubinam? GE. Eccum ab sua palæstra exit foras.

ACTUS TERTII SCENA II.

PHÆDRIA. DORIO. ANTIPHO. GETA.

DORIO, audi obsecro. Do. Non audio. PH. Parumper. Do. Quin omitte me.
PH. Audi quod dicam. Do. At enim tædet jam audire eadem millies.
PH. At nunc dicam, quod lubenter audias. Do. Loquere, audio.
PH. Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? quo nunc abis?
Do. Mirabar, si tu mihi quicquam afferres novi.
AN. Hei, metuo lenonem, ne quid suo suat capiti. GE. Idem ego metuo.

16. Ut ἀνακόλουθον tollatur, rescribe *id aibat*. B.

17. Ex cod. Reg. et cum edd. vett. lege numeris melioribus, *vélle sese fácere*. B.

18. *Huc salvom nunc patruum, Geta*] Non optat salvum patruum venire, secundum Apollodorum: et (*sed*) ostendit non congruere salutem ejus cum commodo suo. An vero dicit, malum (*An dicit, non malum*) esse et incommodum sibi: sed tantum magni terroris plenum adventum patrui? D.—Pro Bemb. *Quantum* retine cæterorum codd. *Quantus*. B.

19. Pro iambico restitue trochaicum, uti series poscit, *Nám de ejus una, ut áudio, aut vivam aút moriar senténtia*. B.

20. *A sua palæstra exit foras*] Bene *palæstram* ejus dixit lenonis domum, in qua est exercitus amator assidue. Plautus Bacchid. i. 1. 32. *homo adolescens Penetrem hujusmodi in palæstram, ubi damnis desudascitur!* D.—Ut illud *ubinam*, cum sit interrogatio, acuatur, nec in Thesi deprimatur, repone ex duobus Regiis, *ubinam'st?* B.

1. *Dorio, audi obsecro*] Hæc scena in petitione est, quæ sæpe admittit deliberativæ locum. *Dorio, audi obsecro*] Sunt qui sic legant, ut *Dorio* Phædria dicat, *audio* leno, *obsecro* iterum Phædria. *Quin omitte me*] *Quin*, modo corripiendi vel imperandi vim habet: ut, Virg. Ecl. iii. 52. *Quin age*. D.—*Dorio, audi obsecro*] Hæc scena petitionem tenet, quod deliberativæ sæpe genus diximus: quippe cum leno peteret argentum ab adolescente, ille dilationem postulavit. Hic ergo petitionis modus ab utili, et honesto, et cæteris partibus tractabitur. Denique opponitur, *Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc?* Extra positus adolescens irascitur, *vereor ne leno, etc.* E.—Hæc scena expressa est ad Plaut. Pseud. i. 3. W.

2. Ducibus nostris plerisque et edd. vett. pro *quod* rescribe *quid*: ut And. iv. 4. 7. Eun. v. 8. 7. Hec. i. 2. 3. B.

6. *Hei, metuo lenonem, nequid suo suat capiti*] Deest *mali*. *Suat* autem, appingat atque affigat. *Suo suat capiti*] Ἀποσύθησις. διὰ τὸν εὐφημισμὸν *suo capiti* dixit, quum dicturus esset, Phædriæ: ut, Æn. iv. 640. *Dardaniique rogum capitis*. D.—Pro *metuo* Bembinus habet *vereor*. Guyetus hunc versum ut spurium repudiavit. Muretus, duce suo codice, sic legit et distinxit, *ne quid suat. Suo capiti*, h. e. quod in lenonis ipsius caput vertat. At vero primum nec *suere* nec *βάπτειν* absolute

PH. Non mihi credis? DO. Hariolare. PH. Sin fidem do!
DO. Fabulæ!
PH. Fœneratum istuc beneficium tibi pulchre dices. DO. Logi!
PH. Crede mihi, gaudebis facto: verum hercle hoc est. DO. Somnium!
PH. Experire; non est longum. DO. Cantilenam eandem canis.
PH. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu. DO. Garri
PH. Adeon' ingenio te esse duro atque inexorabili, [modo.
Ut neque misericordia, neque precibus molliri queas?
DO. Adeon' te esse incogitantem atque impudentem, Phædria,
Ut phaleratis dictis ducas me, et meam ductes gratiis?
AN. Miseritum'st. PH. Hei veris vincor! GE. Quam uterque est similis sui!

positum significat *struere et machinari aliquid, quod alteri sit damnosum*; qui est error Mureti. Deinde non poterant metuere, ne leno quid moliretur adversus Phædriam, quia leno ipse rem non dissimulabat; sed id tantum metuebant, ne leno odore lucri allectus fidicinam aliis venderet. Denique si Antipho dixisset *suo capiti*; Geta non subjunxisset *Idem ego vereor*, sed *Idem ego precor, opto*. Igitur illud *hei*, quod sæpe in fine versus ponitur, præcedenti apponendum, et, duce cod. nostro 900 annorum, verba *Idem ego metuo* seu *vereor*, plane delenda puto, et versum restituendum sic, *Metuó lenonem, né quid*. GE. *Suo capiti suat*. Post *nequid* dixisset, nisi interpellatus esset, *novæ turbæ faciat*, aut quid simile. Et *fuat* est *sit*. Vide nos ad Adel. v. 4. 1. Certe *capiti esse* sic occurrit Cic. Fam. vii. 1. et Tibull. i. 2. 12. B.

7. *Hariolare*] Divinas. Hoc pertinet ad illud, *Non mihi credis?* E.—*Non mihi credis? hariolare*] Tale illud Plautinum, Asin. i, 3. 51. *nihili cocio est*. L.

8. *Fœneratum*] Ab utili. *Fœneratum istuc beneficium tibi*] Id est, mihi (*ei* lib. uterque. Forte, *tibi a me*) a te fœneratum. D.—*Fœneratum istuc beneficium tibi pulchre dices*] Hoc ab utili in petitione positum, quod prodesse possit, etsi non cesserit tempus. E.—Omnes Faerni et nostri libri, *pulchre tibi dices*. B.

9. *Verum hercle hoc est*] Bene ipse dictum suum confirmavit. D.—Nostri codd. *somnium*; sed placet recte Faerno *somnia* Bembini; quia *fabulæ* et *logi* in plur. præcesserint. B.

10. *Cantilenam eandem canis*] Ita dicit: ut, *vetus et vulgata cantio*. D.—*Experire, non est longum*] Hoc a facili, etiam an fieri possit. E.

11. *Tu mihi cognatus*] Ab honesto. *Tu parens, tu amicus, tu*] Secunda ἀναστρόφως. D.—*Tu mihi cognatus, tu parens*] Hoc a Pcur (*propinquitate* Z.). E.—Ne repens iambicus oriatur, cum antecedentes fuerint trochaici; illud *mihi* tollendum puto. B.

12. Recte Faernus trochaicum claudicantem ex libris Bemb. et Victor. sic emendat, *esse duro te a.* i. B.

14. Cum nimis sit contumeliosum, a lenone adolescentem ingenuum *impudentem* dici: ex codd. Petrensi et *Mediceo* repone *imprudentem*, h. e. rerum hominum imperitum. Vid. And. v. 4. 7. B.

15. *Phaleratis dictis*] Honestis atque ornatis: quia dixit, *Tu mihi cognatus, tu parens*. Et, quasi leno, irridet honestatem et despicit. D.—*Ut phaleratis dictis ducas me*] Quia supra dixit, *Tu mihi cognatus*, ideo addit *phalerata dicta*, cum teneatur (forte, *habentur* Z.) verba honestatem et quasi ornamenta habentia. E.—Pro vulgari *gratis* ratio trochaici probat Bembus *gratiis*. B.

16. *Meritum est*] Ἐφώνησις. *Hei veris vincor!*] Hoc sibi dicit adolescens. D.—Hic locus est crux interpretum, adeo ut Guyetus, cum se ex difficultate expedire non posset, hunc versum cum duobus seqq. delendum putaret. Vulgo utrique de lenone et Phædria intelligunt, sed non uno modo: alii enim accipiunt de similitudine pertinaciæ, Phædriæ in petendo, et lenonis in concedendo: alii de similitudine ingenii, quod uterque conservare studeat; Phædria nimirum in honestate, leno in duritie servanda. Utraque ratio contorta esse videtur. Si vulgaris interpretatio de nomine *uterque* est tuenda; equidem a Geta verba *veris vincor* spectari puto, ut sensus sit, utrum-

PH. Neque, Antipho alia quum occupatus esset sollicitudine,
Tum hoc esse mihi objectum malum? AN. Ah! quid istuc
autem est, Phædria?
PH. O fortunatissime Antipho! AN. Egone? PH. Cui, quod
amas, domi'st:
Nec cum hujusmodi unquam usus venit ut conflictares malo.
AN. Mihin' domi'st? immo, quod aiunt, Auribus teneo lupum:
Nam neque quomodo a me amittam, invenio: neque uti reti-
neam, scio.
Do. Ipsum istuc mihi in hoc est. AN. Eia, ne parum leno sies:
Num quid hic confecit? PH. Hicine? quod homo inhu-
manissimus:
Pamphilam meam vendidit. GE. Quid? vendidit? AN. Ain,
vendidit?

que veris vinci et moveri, Phædriam veris quæ dicta sint, lenonem rebus ipsis, i. e. pretio, non promissis. Verum fortassis melius et rei convenientius est, si *uterque* de duobus miseris adolescentibus acceperis, ita ut Geta dicat, vel utrumque veris vinci, Antiphonem vera miseria Phædriæ, et Phædriam veris dictis lenonis; vel suo utrumque laborare malo, Antiphonem vinci veris argumentis patris, Phædriam lenonis. Si cui vero nihil horum placeat; verba Getæ de lenone et Phædria per *εἰρωνείαν* dici intelligat. Z.

17. *Neque Antipho alia quum occupatus esset sollicitudine*] Hoc dolet Phædria, quod in eadem re laboravit Antipho, id est, in amore: quodque (*quodque una*) amare contigerit. *Neque Antipho alia*] Minore aliqua sollicitudine quam hæc est, quam nunc gerit. An *alia*, præter hanc, quam de me gerit? Ordo et sensus hic est, Neque tum esse mihi hoc objectum malum, quum Antipho alia sollicitudine esset occupatus levi quapiam, non hac de nuptiis, quæ est gravissima. D.—*Neque, Antipho alia cum occupatus esset sollicitudine, tum hoc esse mihi objectum malum!*] Vere nunc ingemisco, me hoc tempore cogi amare, quo Antipho in alia sollicitudine occupatus mihi auxilium ferre non potest. E.—*Neque, Antipho alia, etc.*] Bentleius putat, hæc a Phædria ex invidia dici, eumque queri, se tum in sollicitudine esse, cum Antipho sit beatissimus. Verum placet ratio eorum, qui intelligunt de dolore Phædriæ, quod nunc ab Antiphone, ipso quoque laborante, sibi nihil præsidii sit exspectandum. Nam postquam concessit, se veris vinci, circumspicit unde lenoni avaro satisfacere possit. Statim sibi venit in mentem Antipho amicus et cognatus; sed contemplatio sollicitudinis, qua ille ipse sit occupatus, exprimit hanc querelam. Cæterum hic est ellipsis perturbato Phædria dignissima; nam post *neque* intellige *velim* aut simile aliquid. Atque *alia* non h. l. est *diversa*, sed *aliqua ejusdem generis*; ut in illo Virg. Ecl. ii. 49. *Tum casia, atque aliis intexens suavibus herbis.* Z.

20. *Unquam usus venit*] Opus aut necesse fuit. D.—*Usus venit*] Tibi contigit. E.—*Auribus teneo lupum*] Sueton. in Tiberio cap. 25. *Cunctandi causa erat metus undique imminentium discriminum, ut sæpe lupum tenere se auribus diceret.* Aristænetus lib. ii. Ep. 3. *ἐγὼ γὰρ τὸν λύκον τῶν ὤτων ἔχω, ὃν οὔτε κατέχειν ἐπὶ πολὺ δυνατὸν, οὔτε μὴν ἀκίνδυνον ἀφεῖναι.* Querolus: *Auribus lupum teneo: neque uti fallam, neque uti confitear, scio.* Locum Terentii imitatus est Hieronym. epistola ad Pammachium, advers. errores Io. Hierosolym. *Nunc vero auribus lupum apprehenderis, nec tenere potes, nec audes dimittere.* L.

21. *Auribus teneo lupum*] Græcum proverbium, *τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον, οὔτ' ἔχειν, οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι.* D.—Faerni et nostri libri omnes habent, *immo id quod aiunt.* B.

22. Hunc versum spurium puto, cusum ad formam versus superioris i. 3. 14. Nam credibile non est, eandem sententiam in eadem fabula ab eadem persona bis dici; præsertim cum proverbium *auribus teneo lupum*, satis notæ sit significationis. B. Bentleius refelli potest ex proverbio Græco, quod refert Donatus. Z.

23. *Ne parum leno sies*] Ἔλλειψις: deest enim, *vereris?* D.—*Parum leno sies*] Aliquantum officii tuque consuetudinem mutans avaritiam referens (*Aliquantum officii præstans, tuamque consuetudinem mutans, et avaritiam remittens.* Z.). E.—*Ne parum sis leno*] Plaut. Persa iv. 6. 4. *Ne non sat esses leno, id metuebas miser.* Ascon. Pedian. i. 3. in Verrem. L.

PH. Vendidit. DO. Quam indignum facinus, ancillam ære emtam suo!

PH. Neque exorare, ut me maneat, et cum illo ut mutet fidem,

Triduum hoc: dum id, quod est promissum ab amicis, argentum aufero.

Si non tum dedero, unam præterea horam ne oppertus sies.

DO. Obtundis. AN. Haud longum id quod orat, Dorio: exoret sine:

Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.

Do. Verba istæc sunt. AN. Pamphilamne hac urbe privari sines?

Tum præterea horunc amorem distrahi poterin' pati?

Do. Neque ego, neque tu. GE. Di tibi omnes id, quod es dignus, duint!

DO. Ego te compluris advorsum ingenium meum menses tuli,

Pollicitantem, flentem, et nihil ferentem: nunc, contra omnia hæc,

Repperi qui det, neque lacrumet: da locum melioribus.

AN. Certe hercle, ego si satis commemini, tibi quidem est olim dies,

Quam ad dares huic, præstituta. PH. Factum. DO. Num ego istuc nego?

AN. Jam ea præteriit? DO. Non: verum hæc ei antecessit. AN. Non pudet

26. *Ære emtam suo*] Bene *suo*, quasi de tertia persona. D.

29. Pro *sies* repone *siet*, ut simile fiat verbis præcedentibus *maneat, mutet*. B.

30. *Haud longum est id quod orat*] Reperisse ea quæ desideraret (*Reperturum esse se ea, quæ leno desideraret, promiserat* Z.) adolescens. Accessit etiam persuasor alius, fieri posse certe facile, quod non sit longum. Deinde quod utile; siquidem *quod bene promeritus fueris, tibi conduplicaverit*. E.—Ne iambicus sit inter trochaicos, restitue trochaicum sic, Do. *Optume*. AN. *Haud longum'st quod orat, etc.* Præsertim cum in quibusdam libris pro *obtundis* legatur *obtunde*. B.

31. *Conduplicaverit*] Conjunctivum pro indicativo, id est, *conduplicabit*. Hoc est aliter, *fœneratum istuc beneficium pulchre tibi dices*. D.—Placet Victoriani et Basilicani *hic* pro vulgari *hoc*; id tamen non adverbium putamus, sed pronomen. B.

33. Basilicani *horunc* pro vulgari *horum* probat versus ratio. B.

34. Pro *est dignum* meliores libri exhibent ES *dignus*. B.

36. *Flentem, nihil ferentem*] Ὅμοιον τῷ γένει (Ὁμοιοτέλευτον: ed. vet. Venet.) usitatum veteribus. D.—Bentleius cum aliis edidit, *pollicitantem et nil ferentem, flentem*. Cæterum illud *contra omnia hæc* est *e contrario*; ut Adel. i. 1. 19. Z.

38. *Tibi quidem olim est dies*] Hic *olim*, futuri temporis. Nam leno de accipienda ab adolescente pecunia diem constituerat: et inventa meliori conditione, anticiparat tempus cum adolescente præscriptum. D.—*Certe hercle ego si satis commemini, tibi quidem est olim dies, quam ad dares huic, præstituta*] Si satis in memoria teneo, præstituta dies est, in quam diem pecuniam huic dares. E.

39. Lege ex cod. Petrensi *Quoad dares*. Nam *quoad* signif. ad quam diem: ut supra, i. 2. 98. ii. 4. 22. B.

40. *Jam ea præteriit?*] Interrogative pronunciandum. *Non, verum ei hæc antecessit*] Urbane leno, *hæc antecessit*: ut alii putant, meretrix vendita: ut alii, dies qua lenoni constitutum fuit. An aperte leno perfidus mentitur? unde sequitur, *Non pudet vanitatis?* Ergo plus est *antecessit*, quam *præteriit*. *Non pudet vanitatis?*] Apparet, supra lenonem de

Vanitatis? Do. Minume, dum ob rem. Ge. Sterquilinium.
Ph. Dorio,
Itane tandem facere oportet? Do. Sic sum: si placeo, utere.
An. Sicine hunc decipis? Do. Immo enimvero, Antipho, hic me decipit:
Nam hic me hujusmodi sciebat esse: ego hunc esse aliter credidi.
Iste me fefellit: ego isti nihilo sum aliter ac fui.
Sed ut ut hæc sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi
Miles dare se dixit: si mihi prior tu attuleris, Phædria,
Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum'st. Vale.

ACTUS TERTII SCENA III.

PHÆDRIA. ANTIPHO. GETA.

Quid faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam miser,
Cui minus nihilo est? quod si hic potuisset nunc exorarier
Triduum hoc: promissum fuerat. An. Itane hunc patiemur, Geta,
Fieri miserum, qui me dudum, ut dixti, adjuverit comiter?
Quin, quum opus est, beneficium rursum ei experiamur reddere?
Ge. Scio equidem hoc esse æquom. An. Age ergo, solus servare hunc potes.

perfidia anticipati temporis esse confessum. D.—*Jamne ea præteriit? Non; verum hæc ei antecessit*] Duo tempora ambo tenuerunt diversa: Hæc dies numquid præteriit? Contra leno respondit: Immo retro pedem tulit, et propagavit se, h. e. antecessit, ut adhuc futura sit. E.

41. *Sterquilinium*] Plautus in Milite ii. 1. 11. — *gloriosus, impudens, Stercoreus, plenus perjurii atque adulterii.* Et in Pseudol. i. 3. 132. *Fraudulente.* Ca. *Impure leno.* Ph. *Cœnum.* Sic Græcis in usu est, κόπριος ἀνήρ. Suid. L.—Pro *stercilinium*, quod in aliquot extat libris, versus suadet lectionem codicis vet. *sterculinum.* Gloss. vet. *sterculinum*, κοπροδοχεῖον, κοπρία. Idem apud Plautum et Phædrum occurrit. B.

43. Lege versus gratia, *Immo enimvero hic, Antipho, me decipit.* B.

46. *Sed ut hæc sunt, tamen hoc faciam*] Exoratus tandem conditionem leno dat, uti cras argentum qui prior attulerit, ad ducendum potior sit. E.

48. *Mea lege utar*] Lenonia scilicet: in qua semper commodum est prius, quam fides. D.—*Mea lege utar*] Id lenonis, apud quem semper commodum prius. E.—Unus Reg. cum edd. vett. *sit potior.* Repone *ut sit pótior, prior ad dandum qui est.* B.

1. *Quid faciam?*] Οἰκονομία ad futurum exitum comœdiæ. D.—*Quid faciam?*] Hic cogitatio est, quemadmodum brevi tempore invenire possit argentum. E.

2. *Minus nihilo*] Ὑπερβολή. D.—Rescribe, *Cui minus nihilo est? quòd si hinc pote fuisset exorárier.* In Bemb. enim, Victor. et Meadiano est *pote fuisset. Pote* est neutrius generis, et *triduum* casus recti. *Hinc* est ab hoc lenone; ut Adel. iii. 3. 7. atque illud *nunc* plane extra contextum est additum. B.

4. *Adjuverit*] Secundum *v* pronunciari debet (Guyetus conjicit legi debere, *non debet.*). *Adjuverit comiter?*] *Comiter*, veteres dixerunt παρὰ τὸ κόσμος. D.—Pro Faerni emendatione *adjuverit* si scripseris *adjurit*, versui magis consulueris. Certe *adjuro* usus est Ennius apud Cic. de Senect. B.

5. Pro vulgari *experiamur*, et Bembini *experiemur*, recte Faernus legendum esse conjicit *experimur.* B.

GE. Quid faciam? AN. Invenias argentum. GE. Cupio: sed id unde, edoce.

AN. Pater adest hic. GE. Scio: sed quid tum? AN. Ah, dictum sapienti sat est.

GE. Itane? AN. Ita. GE. Sane hercle pulchre suades: etiam tu hinc abis?

Non triumpho, ex nuptiis tuis si nihil nanciscor mali;

Ni etiam nunc me hujus causa quærere in malo jubeas crucem?

AN. Verum hic dicit. PH. Quid? ego vobis, Geta, alienus sum? GE. Haud puto:

Sed parumne est, quod omnibus nunc nobis succenset senex,

Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?

PH. Alius ab oculis meis illam in ignotum hinc abducet locum? hem!

Tum igitur, dum licet, dumque adsum, loquimini mecum, Antipho;

Contemplamini me. AN. Quamobrem? aut quidnam facturu's, cedo?

PH. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi,

Aut perire. GE. Di bene vortant, quod agas: pedetentim tamen.

AN. Vide, si quid opis potes afferre huic. GE. Si quid! quid!

AN. Quære obsecro,

Ne quid plus minusve faxit, quod nos post pigeat, Geta.

GE. Quæro: salvos est, ut opinor: verum enim metuo malum.

7. *Quid faciam?*] Comiter (*Comice*): quamvis uterque intelligat quid alteruter dicat, dissimulant tamen. D.

8. *Dictum sapienti sat est*] Plautus Persa iv. 7. 18. *ubi cum lenone me videbis colloqui: tum turbam facito.* SA. *Dictum sapienti sat est.* L.

9. *Itane* non potest pedem hic sustentare. Cod. Reg. *Itane dicis?* Lege potius, *Itan' ais?* B. Si codd. concederent, legerem *Et me tu hic adis?* h. e. tu quoque in hoc negotio alieno me obtundis? Certe *adire* etiam alibi pro *aggredi* ponitur. Sed retinenda lectio recepta, et explicanda, *jam hinc abi, apage.* Nam *etiam* eleganter in jubendo adhibetur; ut, Heaut. ii. 2. 6. *Etiam caves?* h. e. cave quæso. Z.

10. *Non triumpho*] Maximum mihi gaudium est, si ex tuis nuptiis nihil patior mali, et adhuc me cogis, uti in malo aliud malum quæram, et *nullus locus relinquatur preci:* ut ex omni parte circumcludamus nostris precibus senex. E.

11. *Ni etiam nunc me hujus causa quærere in malo jubeas crucem*] Quasi dicat, In malo aliud malum. D.—Pro *crucem* forte leg. *malum:* certe Donatus ita legisse videtur. B.

14. *Relinquatur preci?*] Bene *preci.* D.

15. Τὸ *hinc* ob versum recte abest in Bemb. Victor. et duobus nostris. D.

16. Veram lectionem servavit Servius ad Æn. ix. 484. *Quin igitur dum licet, dumque adsum.* In principio versus, ut in membranis solet, initiali littera omissa, ut minio postea scribatur, restat um; quod nescias utrum ad *dum, tum, cum,* an ad *quin* pertineat. Inde errato initium. B.

19. *Pedetentim*] Caute: a pedibus et tentando. *Pedetentim tamen*] Hoc quidem sic accipiunt, tanquam Getæ dicat Antipho, ut caute aggrediatur senem fallere. D.—*Pedetentim tamen*] Omnia tenta, omnia experire, ne aut plus aut minus facias. E.—*Pedetemptim* scribitur in omnibus Faerni et nostris codd. Omnino in codd. cum vetustioribus tum recentioribus vel *temptare* scribitur, vel, sed rarius, *temere;* nunquam, quod hodie obtinet, *tentare.* B.

20. Ex repetitione, quæ prioris accentum servare debet, repone, *Vide opis si quid potes adferre huic. Si quid.* B.

AN. Noli metuere: una tecum bona, mala, tolerabimus.
GE. Quantum opus est tibi argenti? loquere. PH. Solæ triginta minæ.
GE. Triginta! hui, percara'st, Phædria. PH. Istæc vero vilis est.
GE. Age, age, inventas reddam. PH. O lepidum caput! GE. Aufer te hinc. PH. Jam opus est. GE. Jam feres:
Sed opus est mihi Phormionem ad hanc rem adjutorem dari.
(PH. Abi: dic, præsto ut sit domi.)
AN. Præsto'st: audacissime oneris quidvis impone, et feret:
Solus est homo amico amicus. GE. Eamus ergo ad eum ocius.
AN. Numquid est quod opera mea vobis opus sit? GE. Nihil; verum abi domum,
Et illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu,
Consolare: cessas? AN. Nihil est, æque quod faciam lubens.
PH. Qua via istuc facies? GE. Dicam in itinere: modo te hinc amove.

ACTUS QUARTI SCENA PRIMA.

DEMIPHO. CHREMES.

QUID? qua profectus causa hinc es Lemnum, Chreme,
Adduxtin' tecum filiam? CH. Non. DE. Quid ita non?
CH. Postquam videt me ejus mater esse hic diutius;
Simul autem non manebat ætas virginis
Meam negligentiam: ipsam cum omni familia
Ad me profectam esse aiebant. DE. Quid illic tam diu

24. A cod. Petrensi abest *tibi*: cod. C. C. habet *eloquere*: et cod. Mead. *Quantum est opus tibi argenti, eloquere.* Igitur ut *opus* sit in ictu, repone *Quantum est opus argenti, eloquere.* B.

25. *Istæc vero vilis est*] Amatorie. D.—*Istæc vero vilis est*] Amatoris animo pretium non credit pro ea magnum esse, quam diligebat. E.—Plerique nostri, *Ista vero.* B.

26. In Bemb. abest *caput.* Tres codd. boni *auferte*: a veterrimo abest *hinc*: repone, *Age, age, inventas réddam.* PH. *O lepidum!* GE. *Auférte.* PH. *Jam opu'st.* GE. *Jám feres.* Absolute positum est *auferte* sc. *amplexari*; quia uterque præ gaudio in amplexus Getæ ruebant. B.

28. Hic versus recte a Faerno subditicius judicatur. Nam Bemb. et Victor. plane omiserunt: atque Phædria cum ipse Getam comitetur, non videtur hæc posse recte imperare, quæ hic reperiuntur. B.

29. *Præsto est: audacissime*] Optimus ac necessarius utrinque semper adest, quodcunque onus impositum. E.

30. *Solus est homo amico amicus*] Apollodorus, *μόνος ἑτοίμως ἔχει φιλεῖν τοὺς φίλους* (Guyetus reposuit, *μόνος φιλεῖν γὰρ τοὺς φίλους ἑτοίμως ἔχει*). D.

34. *Modo te hinc amove*] Hinc discede. Vult enim solus secum consilium quærere, quomodo fieri possit, ut inveniatur argentum. E.—Lege, *Dicam in itere.* Vid. ad Heaut. ii. 3. 30. B.

1. *Quid? qua profectus causa*] Hæc est narratio simplex. D.—*Qua profectus causa hinc es Lemnum?*] In hac scena narratio itineris et reversionis simplicem continet expositionem. E.

6. Scribe *aibant.* Semper enim apud Nostrum est disyllabon. B.

Quæso igitur commorabare, ubi id audiveras?
CH. Pol me detinuit morbus. DE. Unde? aut qui? CH. Rogas?
Senectus ipsa'st morbus: sed venisse eas
Salvas audivi ex nauta, qui illas vexerat.
DE. Quid gnato obtigerit me absente, audistin', Chreme?
CH. Quod quidem me factum consilii incertum facit:
Nam hanc conditionem si cui tulero extrario;
Quo pacto, aut unde mihi sit, dicendum ordine'st.
Te mihi fidelem esse æque, atque egomet sum mihi,
Scibam: ille si me alienus affinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas:
Sin spreverit me, plus, quam opus est scito, sciet;
Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea.
Quod si fit; ut me excutiam, atque egrediar domo,
Id restat: nam ego meorum solus sum meus.

9. *Senectus ipsa est morbus*] Apollodorus, Τὸ γῆρας ἐστὶν αὐτὸ νόσημα. D.—*Senectus ipsa'st morbus*] Aristotel. Τὴν μὲν νόσον εἶναι γῆρας ἐπίκτητον, τὸ δὲ γῆρας νόσον φυσικήν. Galen. ὑγιεινῶν lib. i. τὸ γῆρας νόσον ἤδη λέγουσιν ἔνιοι. Plautus Menæch. v. 2. 4.—*consitus sum senectute; onustum gero corpus; vires Reliquere: ut ætas mala merx est tergo! Nam res plurimas pessimas, cum advenit, affert.* L.

11. *Quid gnato obtigerit*] Quoniam præterito tempore senes fecerant pactum, ut filiam Chremetis uxorem duceret filius Demiphonis: aliter enim res celari non potest, nisi per hujusmodi nuptias puella vinceretur, et hunc per hunc errorem, quo credit filium suum aliam duxisse, idcirco cupit excusatum esse, et potius quasi causam quandam esse, quod uxorem duxerit filius. E.

12. Denique adjungit: *Quod quidem me factum consilii incertum facit; nam hanc conditionem si cui tulero extrario*] Rationem reddit, cur ex eo quod filius ejus uxorem duxerit, non eam quam hic voluit, sibi consilium vacillet et incertum sit. Hanc enim conditionem si extraneo ante detulero, habeo necessitatem exponendi, *unde mihi sit*. Te autem fidelem esse mihi ita, quemadmodum ego mihi sum, cognovero (*cognoveram*. Z.). At ille alienus, ad quem conditionem istam defero, si voluerit affinitatem, tacere poterit, quousque familiaritas copuletur: sin autem me contemserit atque spreverit, plus sciet quam opus est, siquidem in potestate habebit narrare quod ceperit. Quæ res mihi magnam sollicitudinem generat, ne aliquo pacto hanc uxorem meam (*uxor mea* Z.) cognoscat. Est . . . . . mihi (*Est enim istius mihi haud* Z.) levis metus. Nam hoc si ceperit, superest, ut me excludat, et domo egrediar. *Ego enim meorum solus meus sum*, hoc est, illa dives est, ego pauper. E.

13. *Hanc conditionem si cui tulero*] Κυριολογία: quia *ferre conditionem alicui* dicimus. D.

15. *Te mihi fidelem esse æque*] Mire admixtum ante completam sententiam de extraneo, *Te mihi fidelem esse, etc.* D.

16. Pro vulgari *sciebam* metri leges probant Bembini *scibam*. B.

17. *Tacebit, dum intercedet familiaritas*] Incertum, quando proditum iri se dicat, ante, an post nuptias. D.

20. *Ut me excutiam*] Legitur et, *excutiat*. D.—Inter interpretes de sensu verbi *excutiat* non convenit. Sunt, qui pro *explorare* accipiant, de ingenio adhibendo, quo de futuro prospiciatur. Alii de excutienda veste intelligunt, ne quid per furtum asportetur. Gesnerus in Thes. de ratione conficienda et subducenda; ut sensus sit, *resoluta dote discedam a matrimonio illius*. Equidem puto seriei orationis convenientius, si interpreteris per *spoliare se omnibus rebus, omnia reddere*. Sic *excussus* et *exhaustus* sc. pecunia, extat apud Cic. Har. R. 18. Etenim verba *ego meorum solus sum meus*, significant summam paupertatem hominis, præter libertatem nil habentis. *Meus* enim est ejus, qui sui juris et potestatis est; atque *meorum* non est masculinum, qui est error vulgaris, sed neutrum: ut sensus sit, *nihil mihi est, nisi ego solus; præter corpus et libertatem nihil mihi est, quod* meum *dici possit*. Z.

21. *Meorum solus sum meus*] Apollodorus, ἐγὼ γάρ εἰμι μόνος τῶν ἐμῶν ἐμός. (Guyetus metri causa illud *μόνος* apponit

DE. Scio ita esse: et istæc mihi res sollicitudini'st;
Neque adeo defetiscar unquam experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

ACTUS QUARTI SCENA II.

GETA.

EGO hominem callidiorem vidi neminem,
Quam Phormionem: venio ad hominem, ut dicerem,
Argentum opus esse, et id quo pacto fieret.
Vix dum dimidium dixeram, intellexerat:
Gaudebat: me laudabat: quærebat senem:
Dis gratias agebat, tempus sibi dari,
Ubi Phædriæ se ostenderet nihilo minus
Amicum esse, quam Antiphoni: hominem ad forum
Jussi opperiri: eo me esse adducturum senem.
Sed eccum ipsum: quis est ulterior? atat Phædriæ
Pater venit: sed quid pertimui autem bellua?
An quia, quos fallam, pro uno duo sunt mihi dati?
Commodius esse opinor duplici spe utier.
Petam hinc, unde a primo institui: is si dat, sat est:
Si ab hoc nihil fiet, tum hunc adoriar hospitem.

fini). D.—*Meorum solus sum*] Priscian. lib. xii. L.

23. *Neque defetiscar*] Neque lassabor. *Adeo experirier*] Semper tentare. E.—*Defetiscar*] Vett. libb. *defeciscar*. Prisc. lib. x. *Experirier*] V. C. *experier*. L.—Præ vulgari lectione, quæ est Bembini, ad evitandas elisiones duras, Terentio indignas, placet Prisciani p. 889. et 1147. *Neque defetiscar usque adeo experirier*. Sic *usque adeo donec est*, And. iv. 1. 38. B.

24. *Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero*] Virg. Æn. ii. 719. *donec me flumine vivo Abluero*. D.

1. *Ego hominem*] Hæc scena expositionem tenet, quid cum Phormione actum sit: nempe uti argentum quæreretur, quod lenoni ferri posset pro Phædria; ut Phædriæ se ostendat nihilo minus amicum esse, quam Antiphoni. Aiebat Dis gratiam, datum sibi esse tempus, in quo ostendere se posset, simili modo se amicum Phædriæ esse, quemadmodum fuerat Antiphoni. Nam ipsius opera Antipho uxorem duxerat, rursus ipsius opera Phædria redimeret meretricem. E.

2. *Venio ad hominem*] Venuste repetitum *hominem*. D.

3. Vulgari lectioni *argento* præferenda videtur Bembini *argentum*; quia veteres sic loquebantur. B.

7. Rescribe versus gratia *Phædriæ*, ut supra *Cliniæ*, *Hospitæ*: atque tolle *se*, quod cum cod. Reg. transferendum est in vers. seq. post *amicum*. B.

10. Corrige *qui est ulterior?* vel fortasse, *qui iste ulterior?* B.

11. Ex *Pater* eliditur *r*; quod solemne est in primo versus pede. B.

15. *Hunc adoriar hospitem*] Astute *hospitem*, de eo qui supervenit: nomen aptum imprudenti rerum, atque alieno ab earum scientia. Sallustius, Catil. 2. *vitam sicuti peregrinantes transegere, etc.* D.—Pro *hoc* Bemb. recte *eo*; atque pro *fiat* omnes Faerni et nostri *fiet*. B.

ACTUS QUARTI SCENA III.

ANTIPHO. GETA. CHREMES. DEMIPHO.

EXSPECTO, quam mox recipiat sese Geta,
Sed patruum video cum patre adstantem: hei mihi,
Quam timeo, adventus hujus quo impellat patrem!
GE. Adibo hosce: o noster Chremes. CH. Salve, Geta.
GE. Venire salvom volupe'st. CH. Credo. GE. Quid agitur?
CH. Multa advenienti, ut fit, nova hic compluria.
GE. Ita: de Antiphone audistin' quæ facta? CH. Omnia.
GE. Tun' dixeras huic? facinus indignum, Chreme,
Sic circumiri. DE. Id cum hoc agebam commodum.
GE. Nam hercle ego quoque id agitans mecum sedulo,
Inveni, opinor, remedium huic rei. DE. Quid, Geta?
Quod remedium? GE. Ut abii abs te, fit forte obviam
Mihi Phormio. CH. Qui Phormio? GE. Is qui istam. CH. Scio.

1. *Exspecto, quam mox recipiat huc esse Geta*] Ad errorem cumulandum persona Antiphonis interponitur: ut ei adaucto metu amittendæ uxoris, major vis fiat repentinæ lætitiæ. D.—*Exspecto quam mox recipiat sese Geta*] Uti error cumulari possit, interesse efficitur Antipho. Ita enim sumtum est consilium, uti secundum legem Phormio velit illam ducere uxorem, quam habet Antipho: ita tamen, si recipiat dotem. Hoc autem argentum dotis nomine acceptum vult Phormio Phædriæ dare, ut ipse pro amica meretrice lenoni det; ipse vero Phormio offerendo ac placando (*differendo et apparando* Z.) producat nuptias, si (*donec* Z.) argentum, quod Phædriæ ab amicis promissum est, cum acceptum fuerit, senibus reddatur. Antipho præsens autem audit, et vere credit, Phormionem uxorem esse ducturum. E.—*Huc* post *recipiat* in optimis libris recte abest. B.

4. Vulgaris lectio duobus laborat vitiis; primum quod Chremetem salvere non jubet Geta; deinde quod duo medii pedes singuli ex integris constant partibus orationis; id quod in senariis et heroicis versibus vitiosum esse recte præcipit Gellius xviii. sub finem; nam syllabæ ultimæ non acuuntur apud Latinos. Igitur dele *hosce*, adeo ut *adibo* absolute ponatur, ut alibi. Atque recipe lectionem Bembini, *O salve, noster Chreme.* B.

5. *Volup est*] *Hoc volup* nomen est, ut *hoc facul*: sic enim veteres per ἀποκοπὴν loquebantur. D.—*Venisse salvom volupe est*] Incolumitas tua ex voluntate est. E.

6. *Compluria*] Secundum regulam locutus est. Nam *hoc complure*, et *hæc compluria. Nova hic compluria*] Sic veteres, quod nostri demta syllaba *complura* dicunt. Sic Cato Originum secundo; *fama hoc loco compluria.* Cicero in Protagora, *confirmandi genera compluria.* Credo quia veteres *hoc plure*, non *hoc plus* dicebant. D.—*Nova hic compluria*] Charis. lib. i. duobus locis. Prisc. lib. iii. L.

9. *Commodum*] Commoda æstimatio est temporis. *Commodum*] Tantum quod. Lucilius, *quod mihi commodum est, aut ubi vestimenta deposueram.* D.—*Sic circumveniri*] Sic aliquem circumveniri. E.

10. *Nam hercle ego*] Commendat consilium ex cura: siquidem dicit, se, uti etiam ipsi domini fecerunt, de hac re plurimum cogitasse. E.—Meliores libri Faerni et omnes nostri, præter unum recentiorem, recte *quidem* interserunt post *id*. B.

11. Recte Bembinus, *Quid Geta?* tribuit Chremeti, et, *Quod remedium*, Demiphoni. Nam prior respondet Chremes, cujus major res agitur, et propior cura ac sollicitudo est. B.

13. *Is qui istam*] Ἀποσιώπησις tertia: deest *obtrusit nobis*, aut *defendit*, aut quid tale. D.—*Is qui istam*] Quo facilius cognosci posset, quia Phormio, breviter consilium (*posset quod Phormio esset, breviter descriptionem* Z.) dedit, *Is qui istam* aut defendit, aut cognatam dicit. E.

GE. Visum est mihi, ut ejus tentarem sententiam:
Prendo hominem solum: cur non, inquam, Phormio,
Vides, inter vos sic hæc potius cum bona
Ut componantur gratia, quam cum mala?
Herus liberalis est, et fugitans litium:
Nam cæteri quidem hercle amici omnes modo
Uno ore auctores fuere, ut præcipitem hanc daret.
AN. Quid hic cœptat, aut quo evadet hodie? GE. An legibus
Daturum pœnas dices, si illam ejecerit?
Jam id exploratum'st: heia, sudabis satis,
Si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est!
Verum, pone esse victum eum: at tandem tamen
Non capitis ejus res agitur, sed pecuniæ.
Postquam hominem his verbis sentio mollirier:
Soli sumus nunc hic, inquam; eho dic, quid velis dari
Tibi in manum? ut herus his desistat litibus:
Hæc hinc facessat, tu molestus ne sies.

14. Cod. noster vett. pro *ejus* habet *prius;* alter 900 annorum *prius ejus:* tertius *ejus pertemptarem.* Certe illud *témptarém* pes Molossus cum duplici accentu, dehonestat versum. Repone igitur, *Visum ést mi, ut ejus temptárem prius sententiam.* B.

16. *Cum bona ut componantur*] Vide potius ut hæc cum bona gratia componamus, non mala, per injuriam atque litem. E.—Illud *sic* recte abest in aliquot libris. In multis pro *vos* est *nos*, uti olim Eugraphius legisse videtur. Quare lege aut *videmus inter nos*, aut *videtis inter vos.* Nam *inter nos*, vel *inter vos*, utriusque partis officium notat. B.

18. *Fugitans litium*] Genitivo casui vim nominis habet *fugitans* junctum: accusativo, vim tantum participii. *Fugitans litium*] Quasi quod vult in domino facere, id jam in eo esse dicit: præparans hominem ad contemtum pecuniæ, quæ poscetur statim. D.—*Herus liberalis est*] Persuasurus Phormio mali quid est, primo terrorem . . . . . atque inicit. Deinde (*Quia persuasurus est Phormioni, primo terrorem injicit, deinde.* Ms.) blanditur ab utili, et dicit, dominus liberalis est, qui facile donare potest, et lites fugere sen nx. etc. an (*fugere suevit.* NAM CÆTERI, etc *Quamquam* Z.) fieri possit ex auctoritate multorum, quod expelli puella potest. E.

21. *Quid hic cœptat?*] Nunc accipiens servi consilium Antipho irascitur. E.

22. *An legibus daturum pœnas*] Responsio ex sola permissione est. Hoc est, non id metuimus, habemus enim certum consilium. Post quæstionem sola promissione dissolutam terret, quo facilius persuadeat Phormioni. E.

25. *Verum, pone esse victum*] Etiamsi contrario eventu efficiatur tota persuasio facile, et vincatur Demipho, pœnam pecuniæ esse, non capitis. Hoc est, condemnari poterit quod effecerit, et liberatus • pecuniaria ista multa futura est: non (*quod ejecerit, sed liberabitur pecuniaria ista multa soluta. Ergo non* Z.) metuit ejectionem. E.—Vulgari lectioni *pone* præfer Bembini *pono*, h. e. concedo. B.

26. Lege cum vet. cod. apud Guyetum *ei*, ut monosyllabon, pro *ejus.* B.

28. *Dari tibi in manum*] Datur ei in manum, qui furtim (*separatim* ed. Du B.) accipit sine arbitro, aut interprete: ut prævaricator, aut judex corruptus. D.—*Quid vis dari tibi in manum*] Hoc est, quantam pecuniam in præsenti accipere vis, ut dominus ab hac lite discedat? E.—Ut *inquam* sit in ictu, lege cum nostris omnibus, *Soli sumus nunc, inquam, hic.* Tum, auctore Bembino libro, *dic* dele, et *velis* muta in *vis.* B.

29. Ne *herus* extra ictum penitus abscondatur, repone, *hérus ut his, etc.* B.

30. *Hæc hinc facessat*] Pro *Hinc se faciat*, id est, abeat: ut, *Huc se faciat*, huc accedat, significat. *Hæc hinc facessat*] Pro *cedat*, alias *faciat.* Ergo duas res significat hoc unum verbum. An *hinc facessat*, proverbialiter, quasi *hinc faciat.* Plautus, *argentum hinc facite. Huc te fac* dicitur, pro *huc accede.* D.—*Hinc facessat*] Diomed. lib. i. Serv. Æn. iv. ver. 295. *jussa facessunt.* L.

AN. Satin' illi Di sunt propitii? GE. Nam sat scio,
Si tu aliquam partem æqui bonique dixeris,
Ut est ille bonus vir, tria non commutabitis
Verba hodie inter vos. DE. Quis te istæc jussit loqui?
CH. Immo non potuit melius pervenirier
Eo, quo nos volumus. AN. Occidi! CH. Perge eloqui.
GE. A primo homo insanibat. CH. Cedo, quid postulat?
GE. Quid? nimium quantum libuit. CH. Dic. GE. Si quis daret
Talentum magnum. CH. Immo malum hercle: ut nihil pudet!
GE. Quod dixi adeo ei: quæso, quid? si filiam
Suam unicam locaret? parvi retulit
Non suscepisse: inventa est quæ dotem petat.
Ut ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias,
Hæc denique ejus fuit postrema oratio:
Ego, inquit, jam a principio amici filiam,
Ita ut æquom fuerat, volui uxorem ducere:

32. *Aliquam partem*] Etsi non totum, vel aliquam partem. D.

33. *Tria non commutabitis verba hodie inter vos*] Sic dicebant, jurgium significantes. Proprie *verba commutare* est, quod *altercari* dicimus. D.

35. *Immo non potuit melius*] Chremes arripit consilium quod fuit commodissimum, ut, exclusa ista, possit filiam suam Demiphonis filio collocare. E.

37. *A primo homo insanibat*] Quo facilius persuadeat, summam necessario dicit majorem primo petitam. E.—*Insanire* hic non esse *debacchari*, sed *immensum pretium postulare*, recte vidit Eugraphius. Atque usum hunc verbi multis exemplis docuit Cuperus Observatt. i. 19. Z.

38. *Quid? nimium quantum libuit*] Apud quosdam diversæ personæ cum verbis singulis. D.—*Libuit*] Hoc est, quantum ei libuit, tantum postulavit. *Si quis daret talentum magnum*] Dicendo *magnum* innuit talentum esse et *minus*. Nam *majus* appenditur cxx libris. E.—*Nimium quantum*] Charis. lib. ii. L.—Cod. 900 annorum *quantum voluit*; et *libuit* pro varia lectione inter lineas. Hinc patet, utrumque esse addititium. Corrige igitur cum aliis, GE. *Quid? nimium quantum.* CH. *Quantum? dic.* GE. *Si quis daret.* Sic olim legebat Celsus grammaticus apud Charis. p. 185. *Nimium quantum: Terentius in Phormione. Ubi Celsus pronunciat: uti* immane quantum, incredibile quantum. *Licet quidam sic legant, inquit, ut* nimium *servus dicat*, quantum *vero senes: sed sententiam non intelligunt.* B.

39. *Talentum magnum*] Priscian. lib. de ponder. L.—Verba *Immo malum h. u. n. p.* sicut superiora *Cedo, quid postulat*, tribuc Demiphoni, libris nostris ducibus. Hunc enim convenit exclamare, quippe qui metuebat, ne de suo solvendum esset. B.

40. *Quæso, quid si unicam filiam*] Ut, inquit, ostenderem ei, injuste positam summam, dixi, Quid si tu unicam filiam tuam in matrimonium collocares, tantumdem dotis dares? E.

41. *Parvi retulit*] Nihil interfuit: vel parum interfuit, id est, nihil profuit. D.—*Parvi retulit*] Sed contemsisti illud, propterea quia non susceperis filiam; sed pari modo etiam dominus: nam sic cœpit, et *inventa est, quæ dotem petat.* E.

42. *Non suscepisse: inventa est quæ dotem petat*] In Græca fabula senex hoc dicit, *Quid interest me non suscepisse filiam, si modo dos dabitur alienæ?* D.—Illud *quis* ante *inventa*, quod in quibusdam libris reperitur, est glossema, quod a versu damnatur, nec a sensu magnopere requiritur. Nam ellipsis personæ narrantis magis convenit. Z.

45. *Ego, inquit, jam a principio amici filiam*] Per ethopœiam oratio inducitur Phormionis ad summam necessariam pervenientis persuasione. Ac primo causa ponitur, cur non ante eam duxerit: quod opus argento sibi fuerit: et idcirco eam ducere voluit, quæ afferat aliquid, unde dissolveret, quæ debebat. Ergo si hæc dabit, quantum promisit illa, quæ sponsa est mihi; *nullam mihi malim, quam istanc uxorem dari.* E.

Nam mihi veniebat in mentem ejus incommodum,
In servitutem pauperem ad ditem dari:
Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,
Aliquantulum quæ afferret, qui dissolverem
Quæ debeo: et etiam nunc, si volt Demipho
Dare, quantum ab hac accipio quæ sponsa'st mihi;
Nullam mihi malim, quam istanc, uxorem dari.
AN. Utrum stultitia facere ego hunc, an malitia
Dicam; scientem, an imprudentem, incertus sum.
DE. Quid? si animam debet? GE. Ager oppositu'st pignori
Ob decem minas, inquit. DE. Age, age, jam ducat; dabo.
GE. Ædiculæ item sunt ob decem alias. DE. Hoi hui!
Nimium'st. CH. Ne clama: petito hasce a me decem.
GE. Uxori emunda ancillula'st: tum pluscula
Supellectile opus est: opus est sumtu ad nuptias:
His rebus sane pone, inquit, decem minas.
DE. Sexcentas proinde scribito jam mihi dicas:

47. Repone, *Nam mihi venibat in mentem ejus incommodi;* h. e. Id incommodum in mentem veniebat; ut supra, i. 3. 2. Nam e vulgari ratione *ejus* est Phanii virginis. Igitur generali sententia non *pauperem* debebat sequi, sed *eam*. B.

49. *Sed mihi*] Παράθεσις prima. *Sed mihi opus erat*] Indictio (*Inductio*) doli est. Nam antequam petat, petendi causam ingerit. D.

50. *Quæ afferret, qui dissolverem*] Quia, si opum causa habendarum dotatam quæreret, minor esset necessitas captandæ opulentioris. Æs alienum addidit, cui rei nihil opponi potest. D.

52. *Ab hac accipio quæ sponsa est mihi*] Mire *accipio:* non *accepturus sum*. Et definitivum modum ponit, ne de summa dotis supersit disputatio. D.

54. *Utrum stultitia facere*] Παράλλαξον tertium: hoc idem enim valet *utrum*, quod *an*. D.

55. *Scientem, an imprudentem*] Ἀντίθετον secundum. Nam scienti imprudentem reddidit. D.

56. *Quid si animam debet?*] Græcum proverbium, καὶ αὐτὴν τὴν ψυχὴν ὀφείλει. D.—*Ager oppositus est pignori*] Id est, agrum dedi loco pignoris, id est, vadimonii. E.

57. *Ager oppositus est pignori ob decem minas*] Astute non protinus *triginta minas* dixit, sed paulatim colligit, ut partibus congestis in summa senex minus gravetur. Nam si semel diceret, deterreret parcissimum senem. Denique auditis decem minis, statim respondet *dabo:* conceduntur ab alio decem: de reliquis superest dubitatio; nam difficilis est ad dandum. D.—*Ob decem minas*] Quarum singulæ xxx solidis appenduntur. Noluit semel (*simul* Z.) summam proponere, ne magnitudo terreret. Sed perscite paulatim rerum necessariarum mentione summa concluditur, dum præter ancillas et supellectilem inter omnia ad xxx minas pervenit. E.—Repone *mnas*, more Gr. *μνᾶς*. Ita sæpenumero apud Plautum pronunciatur. B.

58. Pro *Hoi, hui*, liber Bemb. *Oi, ei*. Rescribe *Oiei*. Vide ad Heaut. i. 3. 31. B.

59. Pro *hasce* repone versus gratia, *illasce*. B.

60. Cum cod. Petrensi lege melius, *ancilla'st*. Porro lege, *tum autem pluscula;* quæ lectio consensu nostrorum codd. firmatur, et usu Terentii comprobatur. And. i. 5. 34. et alibi. B.

61. *Sumtu ad nuptias*] *Opus est*, subauditur. D.

62. *Pone sane, inquit, decem minas*] Bene, *sane:* quasi plus (*quasi non plus*) quiddam exigat, sed hoc contentus sit. D.—Hic versus enervis et elumbis incedit. Nostri omnes *pone sane*. A duobus abest *minas*. Repone, *His rébus alias póne sane, inquit, decem;* omisso τῷ *minas*. B.

63. *Sexcentas proinde scribito jam mihi dicas*] Perspicere hinc licet consuetudinem utriusque sermonis. Nam Apollodorus *μυρίας* dixit, pro multis. Et ut apud Græcos *μύρια*, ita apud nos *sexcenta* dicere pro multis, usitatum est. Cicero Verr. i. 47. *Sexcenta possum decreta proferre*. D.—*Sexcentas proinde scribito mihi dicas*] Magnitudine summæ excitatus exclamat, Quas

Nihil do: impuratus me ille ut etiam irrideat?
CH. Quæso, ego dabo, quiesce: tu modo filius
Fac ut illam ducat, nos quam volumus. AN. Hei mihi!
Geta, occidisti me tuis fallaciis!
CH. Mea causa ejicitur: me hoc est æquom amittere.
GE. Quantum potes, me certiorem, inquit, face:
Si illam dant, hanc ut mittam; ne incertus siem:
Nam illi mihi dotem jam constituerunt dare.
CH. Jam accipiat: illis repudium renunciet:
Hanc ducat. DE. Quæ quidem illi res vortat male!
CH. Opportune adeo nunc argentum mecum attuli,
Fructum, quem Lemni uxoris reddunt prædia.
Id sumam: uxori, tibi opus esse, dixero.

ACTUS QUARTI SCENA IV.

ANTIPHO. GETA.

GETA. GE. Hem! AN. Quid egisti? GE. Emunxi argento senes.

velit calumnias mihi et causas Phormio indicet. Postremum autem est *sexcentas* pro quamvis multis. Ut Cicero: *Possum sexcenta decreta proferre.* E.—Illud *potius* post *proinde* recte abest in Bemb. Victor. et aliquot Donati codd. quos Faernus est usus; it. in uno ex nostris. Cæterum omnes vett. libri scribunt *sescentas.* B.

65. *Quæso, ego dabo*] Assensum commodat senex, dummodo filia sua nubat Antiphoni. E.

67. *Geta, occidisti me*] Abest hic versus a vett. codd. L.

68. *Mea causa ejicitur: me hoc æquom est amittere*] Ratio cur ipse viginti dare debeat minas, dante Demiphone decem. D.—*Mea causa ejicitur*] Ipsius est, ego id perdam. E.

69. *Quantum potes, me certiorem*] Festinat Geta: scit enim dixisse lenonem, *Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum est.* D.—*Quantum potes*] Quia leno crastinum diem constituit, cum dixit: *Miles se dare dixit cras mane argentum mihi.* E.—Pro *potes* rectius Bemb. *potest.* Vide Adel. iv. 6. 66. B.

70. Pro *omittam* nostri omnes, et Faerni meliores referunt *mittam.* B.

72. Plures et meliores libri nostri et Faerni pro *accipiet* habent *accipiat.* B.

73. *Quæ quidem illi res vortat male!*] Non desinit poeta ostendere avaritiam Demiphonis, qui nec ideo libenter fert dari aliquid Phormioni, quia sic commodum ei est. Virg. Ecl. ix. 6. *Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hædos.* D.—*Quæ quidem res ei vertat male!*] Ut Virgilius. *Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hædos.* E.

74. *Argentum mecum attuli*] Comicum argentum præsto est: et causa additur cur præsto, et unde sit: simul iracundiæ uxoris, et jurgio præparatur locus. D.—Melior est ordo in Bembino, *Argentum nunc mecum a.* B.

75. *Fructum quem Lemni, etc.*] Et *Lemni*, et *Lemno* legitur. *Reddunt prædia*] Σχῆμα ἐπεξήγησις. Et proprie de fructu, *reddunt.* D.—*Fructum, quem apud Lemnum reddunt prædia uxoris meæ, tibi opus esse, dixero*] Si pecuniam uxor quærere voluerit, dicam, quod tibi opus fuit. E.

76. *Id sumam*] Non fructum, sed argentum. *Id sumam*] Impendam: unde et *sumtus* dictus. *Uxori tibi opus esse, dixero*] Bene *esse*, non *fuisse*: ne jam repetendum videretur. *Opus esse, dixero*] Adjunctivum, pro pronunciativo: ut in Eunucho, *Perculeris jam tu me.* D.—Sensus probat lectionem Bemb. *Inde.* Nam si vulgare *Id* retines, efficitur, senem nonnisi admodum 30 minas attulisse: quod probabile non est. Ipse Donatus videtur legisse *Inde.* B.

1. *Emunxi argento senes*] Mire: quum e contrario dicatur *emunctus homo*, cle-

AN. Satin' id est? GE. Nescio hercle: tantum jussus sum.
AN. Eho, verbero, aliud mihi respondes ac rogo?
GE. Quid ergo narras? AN. Quid ego narrem? opera tua
Ad restim mihi quidem res rediit planissume.
Ut te quidem omnes Di, Deæque, superi, inferi,
Malis exemplis perdant! hem! si quid velis,
Huic mandes, quod quidem recte curatum velis.
Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere,
Aut nominare uxorem? injecta est spes patri,
Posse illam extrudi: cedo nunc porro, Phormio
Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum:
Quid fiet? GE. Non enim ducet. AN. Novi: cæterum
Quum argentum repetent, nostra causa scilicet
In nervom potius ibit. GE. Nihil est, Antipho,
Quin male narrando possit depravarier.
Tu id quod boni est excerpis: dicis quod mali est.
Audi nunc contra jam: si argentum acceperit,
Ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi:
Spatium quidem tandem apparandis nuptiis,

gans et facetus: ut Horatius, Serm. i. 4. 8. de Lucilio, *emunctæ naris*, inquit. D. —*Geta, quid egisti?*] In hac scena iracunde interrogat dominus, ac servus simpliciter respondet, interrogari se credens, ut narret quid egerit. *Emunxi argento senes*] Hoc est, a senibus argentum abstuli. Ita et reliqua aliter interrogatus aliter responsionem suscepit. E.—Nonius in v. Emungi et Emungere habet *senem*. B.

2. *Satin' id est?*] Hoc est: idne tibi videtur satis esse ad miserias meas? An quasi *εἰρωνικῶς* dicit, ut dicere solemus, *Bene habes nunc*: aut *Fecisti certe, quod debuisti*. Ideo autem subambigue locutus est, ut nequaquam posset aliter interpretari a Geta, qui respondebit (*interpretari Geta, qui respondet* ed. Du B.), *Nescio hercle: tantum jussus sum*. D.—Meliores nostri et plures collocant, *Satin' est id?* B.

5. *Ad restim mihi*] Priscian. lib. vii. L. —Lege *redit*; et sic Prisc. p. 757. B.

6. *Ut te quidem omnes*] Charis. lib. ii. L.

8. In nostris plerisque, verbis *Huic mandes* duplex colon adjunctum est; *primum, qui te ad scopulum e tranquillo auferat*; alterum, *quod quidem recte curatum velis*. In Bemb. Victor. et Basilic. prius plane abest, et posterius in cod. Reg. Faernus quidem, et post eum plerique alii amplectuntur posterius. Sed equidem prius genuinum esse statuo. Nam haud dubie posterius huc olim in marginem traductum est ex Adelph. iii. 3. 18. sed a nostro loco alienum est, quia efficit tautologiam vitiosam. Nam *siquid velis*, id ipsum est quod, *si quid recte c. v.* At vero prius illud egregiam efficit sententiam. Dixerat enim supra iii. 1. 15. Geta, *Sic se habent principia: adhuc tranquilla res est*. Jure ergo hic Getæ irascitur, qui ex tranquilla re in novas, ut putabat, turbas et perniciem eum conjecerit. B.

9. *Ulcus tangere*] Proverbiale: non *εἰρωνικῶς* dixit. D.—*Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere?*] Est autem *ulcus*, quod ex se in carne nascitur. Siquidem immissa patri spes est, uxorem *extrudi*, hoc est, expelli. E.—*Minus utibile*] Plaut. Menæch. v. 6. 23. *Solent esse heris utibiles*. L.

12. *Si Phormio accipiet dotem*] Uxorem ducet: si non duxerit, argentum reddet? E.

14. *Ita nostra causa ibit in nervum*] H. e. in periculum, ut supra, *vereor ut istæc fortitudo in nervum erumpat*. E.

15. *In nervum potius ibit*] Decipiet: a proverbio tracto a sagittariis: quum vis conatusque tendentis arcum, non in volatum teli, sed in ruptionem nervi expetatur. D.

17. *Tu id quod boni est excerpis*] Honeste *excerpis* dixit: et attende quemadmodum dicat *excerpi bona*, quibus non utatur. D.

Vocandi, sacrificandi dabitur paululum.
Interea amici, quod polliciti sunt, dabunt:
Id istis reddet. AN. Quamobrem? aut quid dicet? GE. Rogas?
Quot res? Postilla monstra evenerunt mihi:
Introiit in ædis ater alienus canis:

21. *Sacrificandi dabitur*] Tertullian. de Idolol. *Nuptias quoque celebrari non magis Deus prohibet, quam nomen imponi. Sed his accommodantur sacrificia.* Hoc ipsum, simul et nomen sacrificii, indicat interpres Aristophanis in scholiis ad Thesmophor. Ἥραν δὲ τὴν τελείαν] Ἥρα τελεία καὶ Ζεὺς τέλειος ἐτιμῶντο ἐν τοῖς γάμοις, ὡς Πρυτάνεις ὄντες τῶν γάμων. Σουΐδας. Καὶ ὁ γάμος, καὶ προτέλεια θυσία, ἡ πρὸ τῶν γάμων γινομένη. Itaque Plautus Aulul. iii. 6. 43. in nuptiis Megadori: *ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem.* Puta, uti re divina facta Di Gamelii placarentur, omenque de successu matrimonii captaretur: cui rei auspices quoque olim adhibiti fuere. Val. Maxim. lib. ii. cap. 1. 1. *Apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumto: quo ex more nuptiis etiamnum auspices interponuntur: qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpant.* Lucan. lib. ii. *Junguntur taciti contentique auspice Bruto.* Ubi vetus Scholiastes: *Auspex dicitur, qui nuptiis interest, divinationem quærens.* Plaut. Casina. Prol. 86. *Ultro ibit nuptum, non manebit auspices.* Juvenal. x. 336. *Veniet cum signatoribus auspex.* Inde Quinctilian. Declamat. 291. *Istud ego adulterium quondam manu mea junxi, ipse auspices adhibui, optavi longam concordiam.* L.

22. Plures et meliores libri *argentum* post *sunt* non habent. B.

23. Placet Bemb. lectio *Inde iste reddet.* Vat. Vict. Basil. *Id ille istis.* Sic plerique nostri. B.

24. *Quot res? postilla, monstra evenerunt mihi*] Ordo, Postilla, quot mihi res evenerunt, quæ res monstra sunt. E.

25. *Introiit in ædes*] Varia admodum ac multi generis fuit τῆς μαντικῆς doctrina: sed de qua hic agitur, ea proprie οἰκοσκοπικὴ dicebatur. Atque ut de aliis alii abunde scripserunt, ita Xenocrates librum composuit, in quo de domesticis auguriis proprie egit. Notavit id Suidas, cujus hæc sunt verba: οὗτος συνεγράψατο τὸ οἰκοσκοπικὸν οἰάνισμα, οἷον ὅτι εἰ ἐν τῇ στεγῇ ἐφάνη γαλῆ, ἢ ὄφις, τὸ δὲ τί σημαίνει. Apposite sane ad rem de qua hic agitur. Et mustelæ meminit Plautus in Sticho iii. 2. 7. *Mustela murem abstulit præter pedes, Eum strenua obsonavit.* Dio Cassius lib. lviii. de Sejano: προϊόντος αὐτοῦ ἐκ τῆς οἰκίας γαλῆ διὰ μέσων σφῶν διῆξεν. Apul. Miles. lib. ix. *Visæ interea mustelæ etiam mortuum serpentem forinsecus mordicus attrahentes.* Quinimo superstitiosos de muribus etiam augurari solitos, Jamblichus notat in Amorib. apud Photium Biblioth. pag. 133. καὶ τὰ μυστήρια καλεῖσθαι ἀπὸ τῶν μυῶν. πρώτην γὰρ εἶναι τὴν τῶν μυῶν μαγικήν. Vid. August. lib. i. de Ordine. *Ater canis*] Hæc est quam Plautus *caninam scævam* vocat in Casina v. 4. 4. Apuleius Miles. ix. *De ore pastoritii canis virens exsiluit ramula, ipsumque canem qui proxime consistebat, aries appetitum unico morsu strangulavit.* Nec sic tantum canis ominosus erat; verum etiam si vianti occurrisset (id quod de mustela jam ex Cassio annotavimus) infaustum omne iter putabatur. Tzetzes Chiliad. xiii. Hist. 474. Κἂν τούτων σύμπαν μίντευμα καταχρηστικοτέρως Κληδὼν, πταρμὸς, συνάντημα κυνῶν, etc. Horatius Carm. iii. Od. 27. *Impios parræ recinentis omen Ducat, et prægnans canis, aut ab agro Rava decurrens lupa Lanuvino, Fœtaque vulpes, Rumpat et serpens iter institutum.* Ideoque etiam animalia hæc θηρία δυσκινδόνευτα vocabantur, quæ ne nominari quidem sine malo omine poterant. Lucian. in Amorib. Et velut ἐν παρόδῳ hoc loco notandum, quod Horatius de *lupa* ait, diversum id esse a lupo, quem inter bona portenta nominat Petr. Blesensis Ep. lxv. *Ne te illorum error involvas, qui occursum leporis timent, qui mulierem sparsis crinibus, qui hominem orbatum oculis, aut mutilatum pede, aut cucullatum habere obviam detestantur: qui de jucundo gloriantur hospitio, si eis lupus occurrerit, aut columba,* et quæ sequuntur. Ut cucullatus hic Christianis, sic Christianus omnis dirum paganis omen. Photius in Bibliotheca ex Martyrol. veteri p. 764. νομίσας, ὡς οἰωνὸς αὐτῷ γέγονεν οὐκ ἀγαθὸς, ἢ κατὰ τὸ συνέδριον ἀντίοντι τοῦ ἀγίου συνάντησις. Vid. Jo. Sarisber. Polycrat. Equidem superstitio etiamnum multos invasit, ἀπράκτους fore dies, in quibus fors domo exeuntes intestabili alicui occurrerunt, vel abscisso, aut coxa pedeve claudo. Quod et ipsum suo seculo notavit Lucianus in Pseudolog. εἶτας βάκηλον, ἢ εὐνοῦχον ἴδοι, ἢ πίθηκον, εὐθὺς ἐξιὼν τῆς οἰκίας, ἐπὶ πόδα ἀνασπρέφει, καὶ ἐναπέρχεται, οὐκ ἀγαθὰς μαντευόμενος τὰς ἐφημέρους ἐκείνας πράξεις ὅστισθα αὐτῷ, ὑπὸ πονηρῷ τῷ πράτῳ καὶ δυσφήμῳ

Anguis per impluvium decidit de tegulis: Gallina cecinit: interdixit hariolus:

κληδονίσματι. Sic Cassio et Bruto in aciem prodeuntibus obvius Æthiops, nimis aperte ferale signum fuit. L. Florus lib. iv. cap. 7. Inde Aristophanes in Ranis p. 129. οἶμοι κακοδαίμων, τῷ συνέτυχον ἐξιών. Seipsum enim servus interrogat, cui malum domo exiens obviam fuerit. L.

26. *Anguis per impluvium*] Plaut. Amphitruon. v. 1. 56. *Devolant angues jubati deorsum per impluvium duo.* Clemens Alexandr. Stromat. lib. vii. εὑγ' οὖν καὶ Διογένης πρὸς τὸν θαυμάζοντα, ὅτι εὗρεν τὸν ὄφιν ἐν τῷ ὑπέρῳ περιειλημένον, μὴ θαύμαζε, ἔφη· ἦν γὰρ παραδοξότερον ἐκεῖνο, εἰ τὸ ὕπερον περὶ ὀρθῷ τῷ ὄφει κατειλημένον ἐθέσθω. Theophrastus περὶ δεισιδαιμ. Ἐὰν ἴδῃ ὄφιν ἐν τῇ οἰκείᾳ, ἱερὸν ἐνταῦθα ἱδρύσασθαι. Ubi quid sit *ierὸν ἱδρύσασθαι* ex Cornuto discendum, ad illa Persii, *pinge duos angues.* Isidor. Orig. xii. 4. L. —Recte Guyetus reposuit *in impluvium.* Sic Plaut. Amph. v. 1. 56. *Devolant angues jubati deorsum in impluvium duo.* Cf. nos ad Eun. iii. 5. 41. B.

27. *Gallina cecinit*] Observatum est, in qua domo gallina canat, superiorem (*Obstetricum est, in qua domo gallina cantat, superstitem.* Lib. uterque. *Superstitem* quoque extat in Ms. B. et edd. ante Steph.) marito esse uxorem. *Interdixit hariolus*] *Hariolus* est, qui divina mente vaticinatur. Dictus *hariolus*, quasi *fariolus*, a fatis et a fando; quum *f* pro *h*, et item *h* pro *f*, in multis locutionibus ponatur. An quod imitantur aspirationem in exhalando? nam halitu solent excludere velut mortalem animam, ut divinam recipiant: unde et vocem ejusmodi dabant, que est *æ* (pro *oe* edd. vett. habent *oh* vel *ho*, aut *hoc.* Malim, *ha*): quod *æ* sonus exhalandi vim præstat. D.—*Interdixit hariolus*] Fingit causas, quibus protrahendo nuptias interea votis fruerentur. *Haruspex* autem et *hariolus* hoc differunt, quod *hariolus* divinat de humanis, *haruspex* de divinis. *Canis intrans*, et *gallina cantans* malum omen significant. Ordo, *haruspex vetuit novi quid negotii ante brumam incipere.* E.—*Gallina cecinit*] Et in Apuleio par portentum narratur, Miles. lib. ix. *Una de cætera cohorte gallina, per mediam cursitans aream, clangore genuino, velut ovum parere gestiens personabat.* Clemens Alexandr. Stromat. lib. vii. ἀλεκτρυὼν τρεφόμενος, ἐὰν ἀπὸ ἑστέρας ᾄσῃ, τιθέμενοι τοῦτο σημεῖον τινός. Et nunc quoque anilibus deliramentis infatuati rentur, si gallus tristem sonum ediderit, vel gallina cantarit; id mortem alicui ex familia, aut rixas significare. Quandoquidem autem harum ineptiarum mentio incidit, non abs re arbitror, quæ de iis apud duos religiosissimos doctores legi, hoc loco adscribere. Sic itaque Jo. Chrys. Homil. 12. in Paul. ad Ephes. cap. iv. πολλῶν δεισάντων αὐτοῖς ἡ ψυχὴ μεστή· οἷον ὁ δεῖνα μοι πρῶτος ἐντυχεν ἐξιόντι τῆς οἰκίας: πάντως μυρία δεῖ κακὰ συμπεσεῖν· νῦν ὁ οἰκέτης ὁ μιαρὸς τὰ ὑποδήματα ἐπιδιδοὺς, πρῶτον ὄρεξε τὸ ἀριστερόν· συμφοραὶ δειναὶ καὶ βάρειαι· ἐγὼ αὐτὸς ἐξιὼν τῷ ἀριστερῷ προτέρῳ προύβην τῷ ποδί· καὶ τοῦτο συμφορῶν σημεῖον· καὶ ταῦτα μὲν περὶ τὴν οἰκίαν τὰ κακά. ἔξω δὲ ἐξελθόντι ὁ ὀφθαλμός μοι ὁ δεξιὸς κάτωθεν ἀναπηδᾷ: δακρύων τοῦτο τεκμήριον· καὶ αἱ γυναῖκες δὲ, ὅταν τῷ ἱστόποδι προσαρασσόμενοι κροτῶσιν οἱ κάλαμοι, ὅταν αὗται τῇ κτενὶ σπαθῶσι: σημεῖον τοῦτο ποιοῦνται. πάλιν ὅταν τὴν κρόκην τοῦ κτενὶ κατακρούσωσι, καὶ σφοδρότερον τοῦτο ἐργάζονται· εἶτα οἱ ἄνωθεν κάλαμοι ὑπὸ τῆς ἐκτόνου πληγῆς κροτῶσι προσαρασσόμενοι τῷ ἱστόποδι: σημεῖον τοῦτο ποιοῦνται. καὶ μυρία ἕτερα γέλωτος ἄξια. κἂν ὄνος ἀνακράξῃ, κἂν ἀλεκτρυὼν, κἂν πτάρῃ τις, κἂν ὀτιοῦν, καθάπερ μυρίοις δεδεμένοι δεσμοῖς, ὅπερ ἔφην, καθάπερ ἐν σκότῳ κατεχόμενοι, πάντα ὑποπτεύουσι. Augustin. de doct. Christ. lib. ii. cap. 20. cum multa de vana multorum superstitione dixisset, sic addit: *His adjunguntur milia inanissimarum observationum: si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit. Atque illud quod lapidem calcant, tanquam diremtorem amicitiæ, minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum est, quod aliquando pueri vindicantur a canibus: nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem, qui medius intervenerit, ferire audeant, non impune.* Et post: *Hinc sunt etiam illa: limen calcare cum ante domum suam transit: redire ad lectum, si quis dum se calceat, sternutaverit: redire domum si procedens offenderit: cum vestis a soricibus roditur, plus timere suspiciomem futuri mali, quam præsens damnum dolere.* Vid. Theodoret. Epm. ἑλληνικῶν παθημ. lib. vi. p. 88. Hujusmodi ergo portenta monstra cum evenirent, qui superstitiosiores erant, statim ad hariolos abire solebant, atque ab illis consilium expetere. Theophr. περὶ δεισιδαιμ. Ἐὰν μῦς θύλακον ἀλφίτων διαφάγῃ, πρὸς τὸν ἐξηγητὴν ἐλθὼν ἐρωτᾷν τί χρὴ ποιεῖν. Ideoque addit Terentius *interdixit ariolus.* Sic et in Plauti Sticho iii. 2. 1. Gelasimus parasitus in re simili aruspicum libros se consuluisse dicit: *libros inspexi, tam confido, quam potest.* L.

Aruspex vetuit, ante brumam aliquid novi
Negotii incipere, quæ causa'st justissima.
Hæc fient. AN. Ut modo fiant. GE. Fient: me vide.
Pater exit: abi, dic esse argentum Phædriæ.

ACTUS QUARTI SCENA V.

DEMIPHO. GETA. CHREMES.

QUIETUS esto, inquam: ego curabo, ne quid verborum duit:
Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi testis adhibeam:
Cui dem, et quamobrem dem, commemorabo. GE. Ut cautus est, ubi nihil opus'st!
CH. Atque ita opus facto est: at matura, dum libido eadem hæc manet:
Nam si altera illæc magis instabit, forsitan nos rejiciat.
GE. Rem ipsam putasti. DE. Duc me ad eum ergo. GE. Non moror. CH. Ubi hoc egeris,
Transito ad uxorem meam, ut conveniat hanc prius, quam hinc abeat:

28. *Haruspex vetuit*] *Haruspex*, ab haruga nominatur. Nam *haruga* dicitur hostia, ab hara in qua concluditur et servatur: *hara* autem est, in qua pecora includuntur. Plautus, *rusticus, hircus, hara:* Mostellaria, i. 1. 39. *Ante brumam*] Arte irrisit homines Terentius, quibus religio sit aggredi negotium aliquod diebus decrescentibus. *Ante brumam*] Quod ante brumam dies decrescere incipiant. D.—Hunc et seq. sic lege et distingue, *Aruspex vetuit: ante brumam autem novi | Negoti nihil incipere causa est sontica.* Nam pro *aliquid* antiquissimi libri Faerni et nostri habent *autem*. Reliquam correctionem sensus requirit et versus. *Sonticum* explicat Festus, *justum; certum cum justa causa; propter quod, quod est gerendum, agere desistimus.* B.

30. *Fient: me vide*] Respice, id est, vultus mei fiduciam gere: siquidem quia nullum periculum est. Sic Græci, nam aliter Latini. *Me vide*] Quia in jure promittit, et interponit suam fidem: quod nos dicimus, *Me habes. Vide*] Respice. D.

1. *Quietus esto, inquam: ego curabo*] *Quietus*, id est, securus: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. D.—*Quietus esto*] In hac scena Demiphonis continentur verba promittentis fratri, omnia se esse facturum, uti Phormio cogatur et argentum accipere, et uxorem ducere. E.—Pro *duint* recte omnes libri vett. *dui.* Nam de solo Phormione esse sermonem, sequentia satis docent. B.

3. *Ut cautus est, ubi nihil opus est!*] Consulit, inquit, quemadmodum detur, ubi omnino dare non debuerit: siquidem argentum Phædriæ detur (*detur* abest a vett. libris. Lege, *siquidem dem a. P.*) sub nomine Phormionis. D.—*Ut cautus est, ubi nihil opus est!*] Jam notat senem, quod illic (*ille nimis*, vel, *illic, ubi non debet* Z.) diligens sit, propterea quod argentum non vere Phormioni dabitur, sed Phædriæ. E.—Pro *cum* duo libri *cur*, sed rectius *cui dem; quamobrem dem:* ut tam de homine, quam de negotio jusjurandum dare possint. B.

4. *Dum libido eadem hæc manet*] Bene *libidinem* posuit pro voluntate hominis incerti ac levis. D.—*Matura*] Id est, accelera, dum voluntas est. E.—Antiqui libri Faerni, *et matura.* Nostri plerique *at.* Lege autem, *Atqui ita opus facto est, et mature, dum, etc.* B.

5. *Forsitan nos rejiciat*] Mulierem scilicet. An vere *nos*, id est, negotium nostrum et conditionem? D.

6. *Rem ipsam putasti*] Pro disputasti modo. D.

7. Pro *abeat* leg. *abit:* quod meliores codd. Faerni et nostri omnes habent, et versus exigit. B.

Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, ne succenseat:
Et magis esse illum idoneum, qui ipsi sit familiarior:
Nos nostro officio nihil digressos: quantum is voluerit,
Datum esse dotis. DE. Quid tua, malum, id refert? CH. Magni, Demipho.
DE. Non sat tuum te officium fecisse, si non id fama approbat?
CH. Volo ipsius quoque voluntate hoc fieri, ne se ejectam prædicet.
DE. Idem ego istuc facere possum. CH. Mulier mulieri magis congruit.
DE. Rogabo. CH. Ubi illas nunc ego reperire possim, cogito.

ACTUS QUINTI SCENA PRIMA.

SOPHRONA. CHREMES.

QUID agam? quem mihi amicum inveniam misera? aut cui consilia hæc referam?
Aut unde mihi auxilium petam?
Nam vereor, hera ne ob meum suasum indigne injuria afficiatur:

9. Lege ex cod. Academ. *ipsi qui sit f.* B.

10. Nostri omnes *nihil egressos.* Sed leg. *nihil degressos;* ut passim *decedere officio.* Deinde adde versui *dari,* quod a sequente est absorptum. B.

11. *Quid tua, malum, id refert?*] *Malum,* interjectio: et est ordo, Quid tua id refert? *Magni, Demipho*] Nota responsum contra *Quid refert,* non ad *quid* relatum. Et quære quomodo dicatur, *Quid mea? quid tua?* an deest *ad;* ut sit, *ad mea,* aut *ad tua?* D.—*Quid tua, malum!*] Quid id ad te attinet? *Malum* autem interjectio est irascentis: cui subjungitur, *Magni, Demipho,* id est, magni refert. E.

12. Hic versus, qui ipsi Chremeti rationem reddenti, *cur magni sua referat,* est tribuendus, sic legatur et distinguatur, *Non sátis est tuum te officium facere, fáma si id non approbat:* sine interrogatione. Nam verba *Non satis e. t. t. o. facere* quæ extant in Bemb. nisi quod ibi *fecisse* legatur, efficiunt sententiam generalem. B.

13. Pro *hoc* nostri recte exhibent *hæc,* sc. quæcunque in divortio transacta et transigenda sunt. B.

14. *Mulier mulieri*] Femina feminæ magis poterit persuadere. Partes enim virorum viros, feminarum feminas, ut docet Horatius, ægre (corrige *agere.* Locus in Art. Poet. 176. videtur spectari. Z.) convenit. E.—In Bemb. est *convenit,* in plerisque Faerni *congruit;* in Basil. et omnibus nostris, præter tres, recte *congruet.* B.

15. *Illas reperire*] Filiam et uxorem. D.—Præter Bemb. ubi est lectio, quam Faernus et Lindenbrogius expresserunt, omnes Faerni et nostri libri habent *Ubi égo illas nunc;* recte, dummodo versus gratia addas *iam.* B.

1. *Quid agam?*] In hac scena est Sophrona, quæ errorem solum patiens (*quæ ex rumore solo audiens* Z.), quod excludi habeat (*debeat* Z.) a nuptiis puella, quærit auxilium. Invenit senem patrem, et narrat, quemadmodum res gestæ sint; et se ab hoc facto, quod puella nupserit exclusam per venialem statum quod factum sit, necessitate sit factum (*et purgat se ob hoc factum, quod puella nupserit indotata, per venialem statum; quum, quod factum sit, necessitate sit factum.* Z.). E.—Hunc et seq. sic restitue, *Quid agam? quem mihi amicum misera inveniam, quo consilia hæc referam, atque | Unde mi auxilium petam?* deleto priori *aut,* et altero mutato in *atque* ob rationem sensus. *Quo* pro *cui* habet Bemb. Ordo *misera inveniam* extat in nostris omnibus. B.

3. *Nam vereor, hera ne*] Vehementer pertimesco, ne Philumena propter meum consilium gravi afficiatur injuria. E.—Pro *indigna,* quod Faernus e Bemb. et aliis edidit, nostri omnes recte habent *indigne:* ut Heaut. iii. 3. 4. B.

Ita patrem adolescentis facta hæc tolerare audio violenter.

CH. Nam quæ hæc est anus exanimata, a fratre quæ egressa'st meo?

So. Quod ut facerem, egestas me impulit: quum scirem infirmas nuptias

Hasce esse; ut id consulerem, interea vita ut in tuto foret.

CH. Certe ædepol, nisi me animus fallit, aut parum prospiciunt oculi,

Meæ nutricem gnatæ video. So. Neque ille investigatur. CH. Quid agam?

So. Qui est ejus pater. CH. Adeo, an maneo? dum ea, quæ loquitur, magis cognosco?

So. Quod si eum nunc reperire possim, nihil est quod verear. CH. Ea'st ipsa:

Colloquar. So. Quis hic loquitur? CH. Sophrona. So. Et meum nomen nominat?

CH. Respice ad me. So. Di obsecro vos: estne hic Stilpho? CH. Non. So. Negas?

CH. Concede hinc a foribus paululum istorsum sodes, Sophrona;

Ne me istoc posthac nomine appellassis. So. Quid? non obsecro es,

4. *Audio violenter*] Quod Græci dicunt δεινῶς. D.

5. *Nam quæ hæc est anus*] Ἀναστροφή: ut, *Nam quis te juvenum confidentissime:* Georg. iv. 445. Sed figura hæc apta commotis est aliqua re nova. *A fratre*] Pro, A domo fratris: ut, Æn. ii. 311. *jam proximus ardet Ucalegon.* D.—*Nam quæ hæc anus*] Ordo: quænam hæc anus est. Virg. Georg. iv. 445. *Nam quis te, juvenum confidentissime:* pro, quisnam. E.—Ut *anus* in ictu sit, repone cum optimis et pluribus libris *hæc anus est.* Cæterum comma sablatum post *exanimata* repone post *anus.* B.

6. *Egestas me impulit*] Venialis status. D.—*Quod ut facerem*] Hic est illa tota prærogatio, quod inopia fecit, ut puellam illam matrimonio collocaret: cum infirmas nuptias esse crederet, quod absente patre filius duxisset uxorem. Quamquam tentat etiam quandam compensationem cum dicit: *ut id consulerem, vita ut in tuto foret* . . . . . est profui. E.

7. *Interea vita ut in tuto foret*] Compensativa qualitas. D.

8. *Nisi me animus fallit, aut parum oculi prospiciunt*] Docte Terentius. Nam visa, vel corporis, vel animi sunt: hoc est, rationis, vel sensus. D.—*Nisi me animus fallit, aut parum*] Duobus modis conceptam veritatem tenemus, dum et oculi prospiciunt, cum animus pupulos integer feras • mittitur (*per pupillas foras mittitur integer* Ms.), ne visus aliquo errore fallatur. E.

9. Placet Bembini *Quid ago?* Nam mox sequitur, *Adeo, maneo.* B.

10. *Magis cognosco?*] Ms. R. et vett. codd. *magis cognoscam.* L.—Ne *pater* extra ictum ponatur, repone *Qui ejus pater est.* Atque ex Bemb. lege *hæc* in casu recto, pro vulgari *ea.* B.

12. *Meum nomen*] Mire suum nomen illa agnoscit; hic dissimulat. D.

13. *Estne hic Stilpho?*] Cognitum dominum eo nomine appellavit, quod apud villam; et quoniam in civitatem sic (*sed a quo jam in civitatem se recepit, ubi nunc* Z.) est, ibi pro hoc nomine dicebatur Chremis. Sed idcirco nomen negavit, metuens ne uxor sua hoc possit agnoscere. Denique admonet ut a foribus paululum concedat, et non jam se hoc nomine appellet. E.

14. *Paululum istorsum*] Nunc *istorsum* (*paululum* Ms. B. et edd. ante Steph.) adverbium est loci: alias nomen. D.—Cum codd. recentioribus lege versus gratia *paulum.* B.

Quem semper te esse dictitasti? CH. St. So. Quid has metuis fores?
CH. Conclusam hic habeo uxorem sævam: verum istoc de nomine
Eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris
Effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea rescisceret.
So. Istoc pol nos te hic invenire miseræ nunquam potuimus.
CH. Eho dic mihi, quid rei tibi est cum familia hac, unde exis?
Ubi illæ sunt? So. Miseram me! CH. Hem, quid est? vivuntne? So. Vivit gnata:
Matrem ipsam ex ægritudine miseram mors consecuta est.
CH. Male factum! So. Ego autem, quæ essem anus deserta, egens, ignota,
Ut potui, nuptum virginem locavi huic adolescenti,
Harum qui est dominus ædium. CH. Antiphonine? So. Hem, illi ipsi.
CH. Quid? duasne is uxores habet? So. Au, obsecro, unam ille quidem hanc solam.
CH. Quid illam alteram, quæ dicitur cognata? So. Hæc ergo'st. CH. Quid ais?
So. Composito factum'st, quomodo hanc amans habere posset

16. *Quem semper te esse dictitasti*] *Esse* pro nominari, antiquorum more dixit. D.

17. *Conclusam hic habeo uxorem sævam*] Illaturus *sævam*, bene *conclusam* prætulit: ut si diceret, *feram*. D.—Probanda est lectio Victoriani, qui pro *de* habet *me*. B.

19. *Effutiretis*] Eloqueremini, evacuaretis, exinaniretis. *Effutiretis* ab eo quod est effundere. Translatio est a vase, *futili* nomine: quod patulo ore, fundo acuto instabile, nihil prorsus continet: unde *futilis* dicitur ejusmodi, ut nihil intra se contineat, et semper inanis sit. D.—*Foris effutiretis*] Sub ostium aliquid diceretis. E.

20. *Istoc pol nos te*] Hæc causa est, cur te non potuimus reperire, quod hoc nomine nuncuparis. E.

22. *Miseram me*] Interrogata Sophrona anus *Ubi illæ sunt?* quasi dolens. Cum audisset uxorem mortuam, prius gemitum commodavit, cum ille accepturus aliter sit: quippe levabitur . . . . an (*levabitur cura, ne sibi* Z.) duæ uxores in una civitate sint. E.—Duo e nostris recte nec *aut*, nec *sunt* habent, sed simpliciter, *Ubi illæ?* B.

23. *Ex ægritudine*] Infirmitate (*Non infirmitate*, Guyetus) ac morbo. *Ex ægritudine miseram mors consecuta est*] Bene moderatus est, ut neque nimis ægre ferat, neque rursum ἀναθὴς sit. Et hæc est οἰκονομία, ne in eadem urbe duæ uxores plus mali ex sollicitudine afferant Chremeti, quam ex alterius morte tristitiæ. Neque in comœdia possunt nimis miserabiles mortes esse, ne res in tragœdiam transeat. D.—*Ex ægritudine miseram*] Breviter et casus et causa modo ostenditur. E.

24. *Deserta, egens, ignota*] Singula pronuncianda sunt: argumenta enim hæc ad venialem statum proferuntur. D.—*Ego autem cum essem*] Hic jam purgatio est illa, veniali statu posita, cum dicit necessitate factum, quod *anus* fuerit, quod *egens*, quod *ignota*: et tamen non male consuluerit, cum adolescenti et diviti dederit, de quo dixit, *Harum qui est dominus ædium*. E.

26. *Hem*, quod sine synalœpha stare nequit, efficit versum claudicantem. Duo libb. post *Antiphonine* addunt *inquam*: sed rectius academicus cod. *Antiphonine? Isti, inquam, ipsi*. B.

27. *Quid! duasne*] Miratur potius, quam interrogat: id enim audivit quod fieri per vota cupiebat. E.—Ut versus stet, dele *habet*, quod ex interpretatione inter lineas natum est. B.

28. Pro vulgari *Quid illa altera*, Bemb. et noster veterrimus *Quid illam alteram*: non tamen subaudiendum est, *habet uxorem*; sed ut supra, iii. i. 15. *Quid eum?* et Heaut. v. 1. 77. B.

29. *Composito factum est*] Sic veteres: nos, *Ex composito*: ut, Æn. ii. 129. *Compositio rumpit vocem, et me destinat aræ*. D.

Sine dote. CH. Di vostram fidem, quam sæpe forte temere
Eveniunt, quæ non audeas optare! offendi adveniens,
Quicum volebam, atque ut volebam, collocatam filiam:
Quod nos ambo opere maxumo dabamus operam ut fieret,
Sine nostra cura, maxuma sua cura, hæc sola fecit.
So. Nunc quid opus facto sit, vide: pater adolescentis venit:
Eumque animo iniquo hoc oppido ferre aiunt. CH. Nihil pericli'st.
Sed per Deos atque homines, meam esse hanc cave resciscat quisquam.
So. Nemo ex me scibit. CH. Sequere me: intus cætera audies.

ACTUS QUINTI SCENA II.

DEMIPHO. GETA.

NOSTRAPTE culpa facimus, ut malos expediat esse,
Dum nimium dici nos bonos studemus et benignos:
Ita fugias, ne præter casam, quod aiunt: nonne id sat erat,

30. *Sæpe forte temere eveniunt*] Frequenter obtinentur per casum atque fortunam, quæ vix exoptare quis audeat. Nam modo inveni filiam cum eo nuptam, cum quo esse cupiebam, et eam diligi a filio (*diligi, ut volebam*; vel, *a viro*. Z.). Quod quidem magna nos cura et opere ut fieret laborabamus: at nunc sola hæc anus cuncta complevit. E.—*Forte temere eveniunt*] Menand. Ταυτομάτων ἡμῶν καλλίω βουλεύεται. Plaut. Mostell. i. 3. 40. *Insperata accidunt magis sæpe, quam quæ speres.* L.

31. *Quæ non audeas optare!*] Pro, Quæ non audeat quis: ut, *facile pro Eunucho probes. Offendi adveniens*] Pro, quum advenissem: ut, Georg. i. 16. *Ipse nemus linquens patrium saltusque Lycæi.* Quia Latina lingua deficit hac declinatione. D. —*Offendi adveniens*] Priscian. lib. ii. L.

32. Versus causa legendum censeo, *filiam locatam.* B.

34. *Hæc sola fecit*] Si *hic* legerimus, Antiphonem intelligimus: sin *hæc*, Sophronam. D.—*Maxima sua cura*] Ms. R. *maxime sua cura.* L.—Nullam inter hunc et antecedentem versum repugnantiam video, nec adeo cum Bentleio versum spurium hunc esse censeo. Nam quamquam senes maximo opere his nuptiis operam dabant: tamen recte dicitur *Sine nostra cura.* Utrique enim, senes et nutrix, curabant: mulier tamen illas nuptias sine cura senum confecit; quippe qui nihil quicquam ad rem contulerant; illorum cura plane vana et inanis fuerat. Sæpe *cura* de efficacia curæ dicitur, pro *opera*, quæ confertur. Deinde in tali sermone populari non omnia ad vivum sunt resecanda, præsertim cum quis animo est perturbatus in utramque partem. Z.

35. *Nunc quid opus facto*] Nescis quid votis maxime petamus. Quasi admonet senem uti prospiciat filiæ, quod adolescentuli pater iracunde ferat, filium suum duxisse uxorem se absente. E.

37. *Sed per Deos*] Adjurationis genus est. D.—*Sed per Deos atque homines*] Chremes poscit silentium, ne aliquis ejus esse filiam recognosceret: *per Deos atque homines*, rogat potius, quam terret. E.

38. *Nemo ex me scibit*] Docta responsio: nostri etenim silentii promissio esse debet: res enim alio pacto fortasse possit agnosci, quid id nobis? nostram taciturnitatem debemus polliceri. E.—Pro *audies*, ut versui consulatur, repone *audiemus*; tam quæ tu ex me, quam quæ ex me tu ego audire cupimus. B.

1. *Nostrapte culpa*] Hæc scena verba tenet Demiphonis revertentis, posteaquam datum est argentum. Nostra ipsa culpa facimus, uti mali malos esse cupiant. E. —Tres nostri veterrimi recte *malis*. Vide ad Heaut. ii. 4. 8. et Martial. *nobis non licet esse tam disertis.* B. Cæterum hoc male Daceria, ducta cod. Regii auctoritate, statuit ab hac scena demum principium actus quinti esse faciendum, propterea quod omnes personas de scena abisse sub finem antecedentis videmus. Z.

3. *Ita fugias, ne præter casam*] Prover-

Accipere ab illo injuriam? etiam argentum'st ultro objectum,
Ut sit qui vivat, dum aliquid aliud flagitii conficiat.
GE. Planissume. DE. Iis nunc præmium est, qui recta prava faciunt.
GE. Verissume. DE. Ut stultissime quidem illi rem gesserimus.
GE. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat.
DE. Etiamne id dubium'st? GE. Haud scio hercle, ut homo'st, an mutet animum.
DE. Hem! mutet autem? GE. Nescio: verum, si forte, dico.
DE. Ita faciam, ut frater censuit: ut uxorem ejus huc adducam,
Cum ista ut loquatur: tu, Geta, abi præ: nuncia hanc venturam.
GE. Argentum inventum'st Phædriæ: de jurgio siletur:
Provisum est, ne in præsentia hæc hinc abeat: quid nunc porro?
Quid fiet? in eodem luto hæsitas: vorsuram solves,
Geta: præsens quod fuerat malum, in diem abiit: plagæ crescunt,

bium, *Ita fugito, ne præter casam.* Hoc est, ne prætereas (*prætermittas* Mss. et edd. ante Steph.) casam tuam, quæ sit tibi tutissimum receptaculum. Aut, ita fugias, ne præter casam; ubi custodiri magis, et prehendi fur, et mulctari verberibus potest. Aut verbum erat ipsius custodis furem exagitantis, et interea prohibentis, ne ante casam transeat, ne in prætereundo etiam inde aliquid rapiat. Queritur senex, se, dum avari infamiam fugeret, in stulti reprehensionem incidisse. D.—*Ita fugias, ne præter casam*] In proverbio hoc est: fugias non ante casam, sed in casam. Etenim stultum est, cum auxilium habere possis, ante illam fugere, non in illam: utique enim auxilium tuæ domus debes petere, non alienum. E.

5. *Dum aliud aliquid*] Vetuste. D.—Alii hoc ordine, *aliud aliquid.* Nec versus, nec sensus interest. B.

6. *His nunc præmium est*] Sine dubio munus ac præmium his datur, qui mali sunt, et directa prava faciunt .... (*faciunt. Igitur necesse est, ut.* Z.), si nos benigni volumus esse, postulata concedamus. E.

8. *Modo ut hoc consilio possit discedi, ut istam ducat*] Ne pœniteat dominum pecuniam dedisse, terrorem servus injicit. D.—*Modo ut hoc consilio*] Ne pœniteret dominum amplius pecuniæ datæ, et erroris (*datæ, terroris* Z.) aliquid servus adjecit: videri (*videretur enim* Z.) suggestum, si modo perseveret, ut ille eandem quam promisit ducat uxorem. E.

9. Lege ex uno Regio, *Etiam idne dubium'st.* Vid. supra, ii. 1. 8. B.

11. *Ita faciam ut frater*] Mandatorum memor pergere ad uxorem vult, ut eam ducat ad puellam, ac persuadeat puellæ, uti cum voluntate discedat a viro. E.—Posterius *ut* male abest in codd. recentioribus: vid. Hec. ii. 2. 2. Sed omnes nostri, præter duo, recte collocant, *huc ejus.* B.

13. *Argentum inventum'st*] Secum loquitur servus acta enumerans, et quid argentum sit (*et quoad argentum, sic* Z.) constituens: inventum est Phædriæ argentum quod lenoni det, lis nulla proferatur Phormioni * (*det, et lis nulla proferetur P.* Z.). E.

15. *Vorsuram solvis*] Creditorem mutas. *Vorsuram solvis*] *Vorsuram facere* dicitur, qui æs alienum ex ære alieno solvit. Dicitur etiam *vorsuram facere*, cum minore fœnore acceptam quis pecuniam majore (*majorem* Ms. B. et edd. vett.) occupat. D.—*In eodem luto hæsitas*] Hac in re versaris, *vorsuram solvens*, creditorem mutans. Cui respondetur scilicet, Præsens malum in futurum abiit, sed plagæ crescunt. Ergo inspice: hic (*sic hic* Z.) consilium confirmavit, quid facere debeat. E.—*In eodem luto*] Lactant. lib. vii. cap. 2. *ex quibus exitum non haberent; et in eodem luto, sicut comicus ait, hæsitaverunt.* Idem lib. ii. cap. 9. *In eodem luto hæsitans vorsuram solvis, Geta.* L.—Lege cum nonnullis *vorsura.* Nam, uti Salmasii et Gronovii industria effectum est, *versura solvit*, qui, ut vetus debitum expungatur, novum contrahit. Ut Geta hic unam culpam in nuptiis herilis filii admissam, novis in Phædriæ fidicina fallaciis differt, et in præsens evadit. Cæterum corrige ob sensum *solvis.* B.

16. *Præsens quod fuerat malum in diem abiit*] Τροφορά. *Plagæ crescunt*] Αὐξη-

Nisi prospicis: nunc hinc domum ibo; ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem, aut ejus orationem.

ACTUS QUINTI SCENA III.

DEMIPHO. NAUSISTRATA. CHREMES.

AGEDUM, ut soles, Nausistrata, fac illa ut placetur nobis:
Ut sua voluntate, id quod est faciundum, faciat. NA. Faciam.
DE. Pariter nunc opera me adjuves, ac dudum re opitulata es.
NA. Factum volo: at pol minus queo viri culpa, quam me dignum'st.
DE. Quid autem? NA. Quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his prædiis talenta argenti bina
Statim capiebat: hem, vir viro quid præstat! DE. Binan quæso?
NA. Ac rebus vilioribus multo, tamen talenta bina. DE. Hui!
NA. Quid hæc videntur? DE. Scilicet. NA. Virum me natam vellem!
Ego ostenderem. DE. Certo scio. NA. Quo pacto. DE. Parce sodes,

τοφορά. D.—Illud *Geta* cum duobus codd. delendum puto. B.

18. Phanium nec Phormionem ipsum, marito amicissimum, vereri potest, nec orationem Phormionis, qui ad eam non aditurus erat, sed domi cum Phædria potaturus. Igitur ne cum Guyeto ad versus totius delendi necessitatem trudaris, corrige, *Ne quid vereatur Naustratam neque ejus orationem.* Nam Nausistrata sola repudium Phanio renunciatura erat. Cæterum *Naustrata* in sermone familiari dicitur brevius pro *Nausistrata.* Sic occurrit *Naucrates* et *Nausicrates: Sosipater* et *Sopater; Lampadiscus* et *Lampadius; Philotis* et *Philotium.* B.

1. *Agedum ut soles, Nausistrata*] Divitis uxoris de marito licentius conquerentis hæc allocutio est, cum dispositione futurarum turbarum. D.—*Agedum, ut soles*] Sicut adsoles benignitatem tuam præsta, effice ut placata nobis sit, ne se dicat ejectam, sed credatur propria voluntate. E.

3. *Ac dudum re opitulata es*] Supra enim dixerat Chremes, *Id sumam: uxori, tibi opus esse, dixero.* D.—Recte omnes nostri, exceptis duobus, et edd. vett. *adjuvas.* Nam mulier cum dixisset *faciam*, non ut, quod Demipho ultra rogaret, sed ut ...ias ageret pro illa voluntate. Deinde Bemb. Victor. et uno nostro colloca, ... *dudum.* B.

4. *At pol minus queo*] At pol facio (*cupio* Z.) quidem, sed tantum, quantum me dignum est, facere propter viri culpam non possum, qui pol mei patris bene parta prædia indiligenter servat. E.—Pro *at* Faernus edidit *ac;* quod minus elegans esse videtur. Z.

6. *Ex his prædiis*] Ms. R. et vett. codd. *ex suis prædiis.* L.

7. *Statim capiebat*] *Statim* perpetuo, æqualiter, et quasi uno statu. Plaut. Amph. i. 1. 120. *Ita statim stant signa.* Et habet primam longam: quando autem significat aliud, primam brevem habet. D.—*Vir viro quid præstat!*] Id est, interest. E.—Cum *statim*, si significat *constanter, singulis annis, perseveranter et æqualiter*, auctore Nonio Marcello primam producat; versus gratia colloca *capiebat statim.* Cæterum pro Bembini *binan* omnes libri exhibent *bina.* B.

8. Ut versus stet, dele illud *multo*, quod a sensu plane non requiritur. Deinde nostri omnes cum edd. vett. habent *duo talenta.* B.

9. Ne mulier sibi ipsa repugnet, et solœcismum committat, pro *natam* repone *natum*, ex Bemb. et cod. nostro 900 annorum. B.

10. *Parce sodes*] Cum mulier est, (*Cum mulierem esse* Z.) vidisset domi forisque iracundia suscitatam. Est enim naturale

Ut possis cum illa: ne te adolescens mulier defetiget.
NA. Faciam, ut jubes: sed meum virum abs te exire video.
CH. Hem, Demipho,
Jam illi datum est argentum? DE. Curavi ilico. CH. Nollem datum!
Hei! video uxorem: pæne plus, quam sat erat. DE. Cur nolles, Chreme?
CH. Jam recte. DE. Quid tu? ecquid locutus cum ista es, quamobrem hanc ducimus?
CH. Transegi. DE. Quid ait tandem? CH. Abduci non potest. DE Qui non potest?
CH. Quia uterque utrique est cordi. DE. Quid istuc nostra? CH. Magni: præter hæc,
Cognatam comperi esse nobis. DE. Quid! deliras? CH. Sic erit:
Non temere dico: redi mecum in memoriam. DE. Satin' sanus es?
NA. Au, obsecro, cave, ne in cognatam pecces. DE. Non est. CH. Ne nega:
Patris nomen aliud dictum est: hoc tu errasti. DE. Non norat patrem?
CH. Norat. DE. Cur aliud dixit? CH. Nunquamne hodie concedes mihi,
Neque intelliges? DE. Si tu nihil narras. CH. Pergis? NA. Miror quid hoc siet!
DE. Equidem hercle nescio. CH. Vin' scire? at ita me servet Juppiter,
Ut propior illi, quam ego sum ac tu, nemo'st! DE. Di vostram fidem!

mulierum, uti de viris querantur, maxime si ipsæ divites sunt. Eam temperare continuo voluit, dicens causam, cum puella quam persuasura sit, ut discedat, non leve verborum futurum esse certamen. Chremes recognita filia, quærit a Demiphone, an datum sit argentum, quod datum nollet; generaliter tantum dicit, *abduci non posse*. Et hoc (*huic* Z.) prospiciens non aperte hoc loquitur, quod Phormioni nollet argentum dari, generaliter tantum dicit, abduci non posse; causam ponens, quod uterque se diligat; et dicit, comperisse quod illa sit cognata. Quantum potest, in memoriam revocare vult signis quibusdam, quod Demipho intelligit (*unde Demipho intelligat* Z.) filiam suam esse. E.

11. *Mulier defetiget*] Vett. libb. *adfetiget*. L.—Ne versus vitio laboret, repone *Ut possis cum illa; né adolescens múlier te fatiget*. B.

16. *Qui non potest?*] V. C. *Quid? non potest*. L.

18. *Cognatam comperi esse*] Quoniam confiteri non potest, uxore præsente. E.

19. Ad octonarium sanandum Faernus cum Bemb. malebat legi *satine*. Ego vero malo legi *redii*. Nam si *redi* ab auctore esset, non dixisset *mecum*, sed *tecum*. Sensus igitur est e nostra ratione, Non temere dico; redii mecum in memoriam, cognatam eam nobis esse. B.

20. Pro *vide* omnes nostri habent *cave*. B.

23. *Quid hoc siet*] Vet. cod. et Ms. R. *quid hoc est*. L.—Faerni libri recte pro *narres* habent *narras*. Omnes ejus, præter Bemb. et Victor. ubi est *perdis*, atque nostri recte *pergis*. Pro *quid* autem sensus poscit *qui*, h. e. quomodo. B.

25. In omnibus Faerni libris, præter unum Bembinum, et nostris, præter tres, recte legitur *homo nemo'st*. B.

Eamus ad ipsam; una omnis nos aut scire, aut nescire hoc volo. CH. Ha!

DE. Quid est? CH. Itan' parvam mihi fidem esse apud te? DE. Vin' me credere?

Vin' satis quæsitum mihi istuc esse? age, fiat: quid? illa filia Amici nostri, quid futurum'st? CH. Recte. DE. Hanc igitur mittimus?

CH. Quidni? DE. Illa maneat? CH. Sic. DE. Ire igitur tibi licet, Nausistrata.

NA. Sic pol commodius esse in omnis arbitror, quam ut cœperas, Manere hanc: nam perliberalis visa'st, quum vidi, mihi.

CH. Quid istuc negoti'st? DE. Jamne operuit ostium? DE. Jam. CH. O Juppiter!

Di nos respiciunt: gnatam inveni nuptam cum tuo filio. DE. Hem!

Quo pacto id potuit? CH. Non satis tutus est ad narrandum hic locus.

DE. At tu abi intro. CH. Heus, ne filii quidem nostri hoc resciscant, volo.

ACTUS QUINTI SCENA IV.

ANTIPHO.

LÆTUS sum, ut meæ res sese habent, fratri obtigisse quod volt. Quam scitum'st, ejusmodi parare in animo cupiditates; Quas, quum res advorsæ sient, paulo mederi possis!

27. *Itane parvam*] Ms. R. *Itane parum. Vin' me credere?*] Ms. R. *Vis me credere?* al. *Vin' me hoc credere?* L.—Illud *hoc* vulgare recte abest in Bemb. Nam sequitur *istuc*. B.

28. *Vin' satis quæsitum*] Hoc totum pro una persona quidam legunt. *Filia amici nostri*] Hoc est, tua. D.—*Illa filia amici nostri*] Tua scilicet. Quodque (*Quod quum* Z.) aperte non potuit, occulte dixit. E. —*Quid? illa filia*] V. C. *Quid? de illa filia*. L.

31. *Commodius esse in omnes*] Et circa illum qui duxit, et circa illam quæ ducta est, et circa te socerum. D.

32. *Perliberalis visa est, quum vidi, mihi*] Ordo est, Perliberalis visa est mihi. D.

35. Malim legi, *Quo pacto id pote? CH. Non satis est tutus hic ad narrandum locus.* B.

36. *Heus! ne filii*] Ita silentium hujus rei cupio, ut ne quidem filii nostri audiant. E.

1. *Lætus sum*] Antiphonis persona est. D.—*Lætus sum*] Antipho adolescens ignorans, quod comperta sit uxor sua, secum loquitur, laudans fortunas Phædriæ. E. —Pro *ut ut* vulgari Bembinus et quatuor libri ex nostris tantum *ut* habent; id quod a versu suadetur. Sensus autem est, Pro malo rerum mearum statu; in quantum res meæ me lætari patiuntur. B.

2. *Parare animo*] Venuste additum est, *animo*. Ennius in sexto, *sed quid ego hic animo lamentor?* D.—*Quam scitum est!*] Pulcrum et elegans est admodum, tales cupiditates in animo parare, quibus mederi facile possis, cum adversum aliquid forte contigerit. E.

3. *Quum res advorsæ sient*] Quum desideratæ fuerint, id est, quum harum penuria fuerit. D.—*Paulo mederi*] Priscian. lib. viii. L.—Pro *Quas*, quatuor libri habent *Quibus*. Sed bis Priscianus p. 795 et 1161 *Quas* laudat, ut ostendat *mederi* jungi accusativo. B.

Hic simul argentum repperit, cura sese expedivit:
Ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis,
Quin si hoc celetur, in metu: sin patefit, in probro sim.
Neque me domum nunc reciperem, ni mihi esset spes ostensa
Hujusce habendæ: sed ubinam Getam invenire possum,
Ut rogem, quod tempus conveniundi patris me capere jubeat?

ACTUS QUINTI SCENA V.

PHORMIO. ANTIPHO.

ARGENTUM accepi: tradidi lenoni: abduxi mulierem:
Curavi, propria ea Phædria ut potiretur: nam emissa est manu.
Nunc una mihi res etiam restat, quæ est conficiunda, otium
Ab senibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos sumam dies.
AN. Sed Phormio'st: quid ais? PH. Quid? AN. Quidnam nunc facturus Phædria?
Quo pacto satietatem amoris ait se velle absumere?
PH. Vicissim partis tuas acturus est. AN. Quas? PH. Ut fugitet patrem:
Te suam rogavit rursum ut ageres; causam ut pro se diceres:

5. Ex his turbis] Ms. R. et vett. codd. *ex istis turbis*. L.—Pro vulgari *exsolvere* omnes codd. recte *evolvere*; h. e. expedire, ducta metaphora a fili glomere. FAERN.

6. *Si hoc celetur, in metu*] Ἀνακόλουθον quartum. Nam cum proposuisset *si hoc celetur*; intulit, *sin patefit*. *In probro siem*] Apud patrem scilicet. D.—Pro *siem*, quod in omnibus codd. extat, versus postulat *sim*. FAERN.

7. *Spes ostensa*] Ms. R. *ostentata*. L.—Pro *ostensa*, aut *ostentata*, quod in multis reperitur libris, meliores Faerni et nostri habent *ostenta*. B.

8. Lege *habendi*. Vide ad v. 6. 40. Et omnes libri recte *possim*. B.

9. Pro *jubeat* antiquiores Faerni libri habent *suadeat*. Verum ne versus misere incedat, repone, *rogem, quód conveniundi patris me témpus capere júbeat*. Nam *rogem* in primo pede concessa venia corripitur. B.

1. *Argentum accepi*] Jactantia hic inducitur Phormionis: qui in omni scena, prout in se jactatur, insultat (*et quasi omnes fallacias ex sententia provenisse lætatur*). D.—*Argentum accepi*] Hæc scena jactationem Phormionis continet, quod consiliis suis quæ voluerit cuncta compleverit. E.

2. *Propria ea Phædria*] Virgil. Æn. i. 77. *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo*. D.—*Curavi, propria ut potiretur: siquidem emissa est manu*] Tribus enim modis fiunt liberi, id est, censu, vindicta, vel manumissione. Et censu quidem, quo se redimit captivus, posito in libra ante magistratus urbis liber efficitur. Vindicta vero est virga, qua in conspectu omnium servus tactus absolvebatur. Manumissio quoque verbo ubilibet fiebat. E. Bembinus et nostri duo optimi habent *poteretur*, apposite ad rationem versus: ut et Catullus, *liber ut innuptæ poteretur flore novercæ*. B.

4. *Hos sumam*] Id est, dilationem petam. E.

5. Ex optimis nostris aliquot *facturus est*. Lege *facturu'st*. B.

6. Pro *sumere* plerique libri Faerni et nostri, *absumere*. B.

7. *Vicissim partes tuas acturus est*] Secundum illud quod dictum est, *tradunt operas mutuas*. D.—*Vicissim partes*] Quemadmodum tu propter facinus ductæ uxoris patrem fugisti, etiam ille propter meretricem afuturus est, rogavitque te, ut causam pro se diceres. E.—Ut *quas* acuatur, repone, *Vicissim partis tuás acturu'st. Quás? sti f. p.* B.

8. *Te suam rogavit rursum ut ageres*] *Partem* (*Apud patrem*. Præsertim cum *patrem* in Ms. B. legatur) iterum subau-

Nam potaturus est apud me: ego me ire senibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emtum, quam dudum dixit Geta:
Ne, quum hic non videant me, conficere credant argentum suum.
Sed ostium concrepuit abs te. AN. Vide, quis egrediatur. PH. Geta'st.

ACTUS QUINTI SCENA VI.

GETA. ANTIPHO. PHORMIO.

O FORTUNA, o Fors fortuna, quantis commoditatibus,
Quam subito hero meo Antiphoni ope vestra hunc onerastis diem!
AN. Quidnam hic sibi volt? GE. Nosque amicos ejus exonerastis metu!
Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio,
Atque hominem propero invenire, ut hæc quæ contigerint, sciat?
AN. Num tu intelligis, hic quid narret? PH. Num tu? AN. Nihil. PH. Tantundem ego.
GE. Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc sunt. AN. Heus, Geta. GE. Hem tibi!
Num mirum, aut novom est revocari, cursum quum institueris? AN. Geta.
GE. Pergit hercle: nunquam tu odio tuo me vinces. AN. Non manes?

diamus: et est ξεῦγμα a superiore. D.—Solus Bembinus, pro *suam* recte habet *suas*, sc. *partes*. B.

9. *Senibus*] Ob fallaciam mire exsultat. D.

10. Nostri cum edd. vett. recte collocant *dúdum quam dixit Geta*. B.

12. Bembini lectionem *qui* pro *quis* versus ratio probat. B.

1. *O Fors fortuna*] *Fortuna* dicta est incerta res: *Fors fortuna*, eventus fortunæ bonus. *Fors fortuna*] Aliud *Fortuna* est, aliud *Fors fortuna*. Nam *Fors fortuna* est, cujus diem festum colunt, qui sine arte (*qui arte* edd. vett.) aliqua vivunt: hujus ædes trans Tiberim est. D.—*O Fortuna! o Fors*] Hæc scena totum solvit errorem; quod puella est cognita, quod (*quæ* Z.) conceditur Antiphoni. Nam Geta servus narrationem supponit, qua docet, quemadmodum cognitio sit effecta. *O Fors fortuna!*] Id est, eventus fortunæ. *Fortuna* autem ipsa dea est. E.—*O Fortuna!*] Priscian. lib. vi. L.

2. Illud *meo* est insititium. Igitur ut versui consulas, pro *subito* rescribe *desubito*. B.

4. *Hunc onero pallio*] Recte: quia palliata fabula est, non togata. D.—*Humerum hunc onero pallio*] Sæpe dixi istas personas in comœdiis esse palliatas, ut ostendantur ex habitu esse Græcæ. Ut in Eunucho, *Attolle pallium*. Sunt autem togæ (*togatæ*, Z.), si personæ Romanæ sunt. E.

6. Nostri omnes collocant melius, *quid hic narret?* B.

8. Lege ordine inverso, *Núm novom est mirúm'st revocari*. Recte etiam Guyetus ex codd. resposuit *institeris*. Nam vulgare *institueris* versus repudiat. B.

9. *Pergit hercle*] Potest distingui hic, *Pergit*: et conjuncte legi, *hercle tu nunquam odio me vinces*. D.—*Nunquam tu odio tuo me vinces*] Id est, nunquam pertinacia tua me revocare poteris. E.—Unus cod. recte *Pergin*; et pro *tu odio* cod. Acad. habet *hodie*. Repone igitur, GE. *Pérgin? hercle núnquam hodie odio tú me vinces.*

GE. Vapula. AN. Id quidem tibi jam fiet, nisi resistis, verbero.
GE. Familiariorem oportet esse hunc, qui minitatur malum.
Sed isne est quem quæro, annon? ipsu'st. PH. Congredere actutum. AN. Quid est?
GE. O omnium, quantum est qui vivant, homo hominum ornatissume!
Nam sine controversia ab Dis solus diligere, Antipho.
AN. Ita velim: sed, qui istuc credam ita esse, mihi dici velim.
GE. Satin' est, si te delibutum gaudio reddo? AN. Enicas.
PH. Quin tu hinc pollicitationes aufer: et quod fers, cedo.
GE. Ho!
Tu quoque aderas, Phormio? Ph. Aderam: sed tu cessas?
GE. Accipe, hem!
Ut modo argentum tibi dedimus apud forum, recta domum
Sumus profecti: interea mittit herus me ad uxorem tuam.

Nam *odio* absolute ponitur; ut Hec. i. 2. 48. Et *nunquam hodie*, præter comicos, qui passim utuntur, etiam Virgilius habet, *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*. B.

10. *Id tibi quidem jam fiet*] Id quod sibi dici audivit, minitatur. Et est conveniens error festinanti. D.—*Vapulabere*] Quod sibi dici meruerat, minitatur. E.—*Vapula*] Ita meliores libri. Vid. Festus in *Vapula Papiria*. L.—Pro *Vapulabis* vulgari ex Bemb. et Vaticano versus causa lege *Vapula*. Festus olim idem legebat: *Vapula*, inquit, *tum dici solitum, cum vellent minantibus significare, se eos negligere et non curare. Plautus in Fœneratrice: Liberta salve: Vapula Papiria. Ælius hoc loco, vapula positum esse ait, pro dole; Varro pro peri, teste Terentio in Phormione. Non m*—Cæterum postquam in textum irrepserat *vapulabis*, nebulo aliquis ad versum supplendum, hoc bellum emblema addidit, *Curialis vernula est, qui me vocat*: id quod hodie male in edd. multis legitur. B.

11. *Familiariorem*] Id est, ita servum, ut nunc sum. E.—Recte a Faerno et Bentleio repudiatur illud *qui*, quia in antiquioribus libris absit, et a versus ratione rejiciatur. Certe *qui* a persona loquentis abhorret, efficitque orationem languidam. Nam asyndeta concitate loquentibus magis conveniunt. Z.

12. *Congredere actutum*] Id est, cito me conveni. E.—Bentleius verba *Congredere actutum* aliquot codd. auctoribus ipsi Getæ tribuenda putat, jubenti ob conscientiam lætissimi nuncii herum, quantum possit, congredi, ut eum illo impertiat, propterea quod demum versu 18 Phormionem adesse sentiat Geta. Male. Nam primum Phormio non ad Getam illa verba dicit, sed ad Antiphonem. Deinde leges scenicæ postulant, ut quoque Phormionis oratio interseratur. Denique durum est, Getæ talem orationem tribuere. Z.

13. Pro vulgari *honoratissume* melius est Bembini *ornatissume*. Cæterum a Bembino recedimus, et amplectimur omnium aliorum codd. *hominum homo*; ut Eun. ii. 2. 1. Adel. ii. 2. 10. B.

14. *Sine controversia*] Sine ambiguitate. D.—*Sine controversia*] Sine dubitatione, sine quæstione: quippe *controversia* est contradictio ex affirmatione et negatione ejusdem rei; unde nascitur status. E.—*Ab Dis solus diligere*] Plaut. Milit. *solus quem Di diligunt*. L.

16. *Si te delibutum gaudio reddo?*] Ad animum transtulit, quod est corporis. Nam *delibutus*, unctus dicitur. D.—*Delibutum gaudio*] Repletum et madentem lætitia. *Enicas*] Cruciaa. E.

17. *Pollicitationes aufer*] Promissiones tolle, et rem potius narrato. E.

18. *Hic* post *quoque* recte abest in Faerni libris, et *tu* post *sed* iidem recte habent. B.

19. *Ut modo argentum*] Vide narrationem cœptam unde opus est. D.—*Modo argentum*] Huic narrationi initium est, unde oportuit, sumtum. E.—Pro *recta domum* sensus necessario postulat *recta ad Chremem*, h. e. *ad domum Chremetis*, ubi uxor ejus erat convenienda: ut And. ii. 2. 24. Nam Demipho a foro recta ad Nausistratam ibat, v. 2. 11. et v. 3. 7. sicut jusserat frater, iv. 5. 7. Deinde si *recta domum* ibant, quem sensum quæso possunt habere verba, *mittit me ad uxorem tuam*, quæ ipsa ibi domi erat? B.

20. *Mittit herus me ad uxorem tuam*] Conversus ad Antiphonem hoc dicit. D.

rem est, Antipho.
Ubi in gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida:
Pone apprehendit pallio: resupinat: respicio: rogo,
Quamobrem retineat me: ait esse vetitum intro ad heram accedere.
Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem;
Eumque nunc esse intus cum illis: hoc ubi ego audivi, ad fores
Suspenso gradu placide ire perrexi: accessi: adstiti:
Animam compressi: aurem admovi: ita animum cœpi attendere,
Hoc modo sermonem captans. AN. Eu, Geta! GE. Hic pulcherrumum
Facinus audivi: itaque pene hercle exclamavi gaudio.
AN. Quod? GE. Quodnam arbitrare? AN. Nescio. GE. Atqui mirificissumum:
Patruus tuus pater est inventus Phanio uxori tuæ. AN. Hem!
Quid ais? GE. Cum ejus consuevit olim matre in Lemno clanculum.
PH. Somnium! utin' hæc ignoraret suum patrem? GE. Aliquid credito,
Phormio, esse causæ: sed me censen' potuisse omnia
Intelligere extra ostium, intus quæ inter sese ipsi egerint?
PH. Atque hercle ego quoque illam inaudivi fabulam. GE. Immo etiam dabo,

22. *Ubi in gynæceum ire occipio*] Γυνὴ Græce, Latine mulier. Inde *gynæceum* locus, ubi mulieres operantur. E.

28. *Animam compressi*] Spiritum vocemque repressi. Virg. Æn. ii. 774. *vox faucibus hæsit.* E.

29. *Pulcherrimum facinus audivi*] Hujusmodi locos poetæ actoribus indulgent: quod in his actoris (*auctoris* Ms. H. et B.) est commendatio. D.—*Pulcherrimum facinus*] *Facinus* et pro bono, et pro malo facto accipitur. *Pulcherrimum facinus*, quo pene exclamavi præ gaudio, et cognovi, quod patruus tuus uxori tuæ Phanio pater sit. E.—Pro *Euge* meliores Faerni et nostri libri exhibent *Eu.* B.

31. *Quodnam arbitrare?*] Priscian. lib. iii. L.

32. *Patruus tuus est pater inventus Phanio uxori tuæ*] Ut Sallustius in primo, *liberis ejus avunculus erat.* D.—Ne *pater* in thesi delitescat, placet Bembini et Donati verborum collocatio, *est páter inventus.* B.

34. *Aliquid credito, Phormio, esse causæ*] Quum Phormio faceret quæstionem, An verisimile esset, ut illa patrem suum nesciret, crede aliquid esse causæ, cur nesciat suum patrem, nec me potuisse omnia, quæ intus agebantur, scire. Huic rei argumenta proferuntur hæc, quod pater Phanii sit Chremes, siquidem creditur patruus. E.—Duo ex nostris vett. *ut hæc;* lege *utn' hæc.* Horat. *utus tegam spargo Damæ latus?* B.

37. *Atque hercle ego quoque illam inaudivi fabulam*] Plautus in Milite glorioso, ii. 2. 56. *Nam hoc cognomentum poetæ esse inaudivi barbaro.* D.—*Illam inaudivi*] Hæc Mss. lectio est, quam Donatus quoque agnoscit. L.—Recte Bentleius ex cod. Acad. verba *atque—fabulam*, Antiphoni tribuenda esse censet. Nam primum sequens *patruus* et alia indicant, Antiphonem ante esse locutum. Deinde sine repugnantia quadam hæc non possunt tribui Phormioni, qui paulo ante rem tanquam fictam et vanam damnaverat. Denique e legibus scenicis Antipho commotus diu sine interpellatione tacere non debet. Huc accedit, quod verosimilius est rem occultam ante et celatam audivisse Antiphonem cupidum et curiosum, quam Phormionem alienum et ignotum. Z.

Quo magis credas: patruus interea inde huc egreditur foras:
Haud multo post cum patre idem recipit se intro denuo:
Ait uterque tibi potestatem ejus habendæ dare:
Denique ego missus sum, te ut requirerem, atque adducerem.
AN. Quin ergo rape me: quid cessas? GE. Fecero. AN. O mi Phormio,
Vale. PH. Vale, Antipho. Bene, ita me Di ament, factum! gaudeo,
Tantam fortunam de improviso esse his datam.
Summa eludendi occasio'st mihi nunc senes,
Et Phædriæ curam adimere argentariam;
Ne cuiquam suorum æqualium supplex siet.
Nam idem hoc argentum, ita ut datum'st, ingratiis
His datum erit: hoc qui cogam, re ipsa repperi.
Nunc gestus mihi, voltusque est capiundus novos.
Sed hinc concedam in angiportum hoc proxumum:

40. Ut versus fulciatur, Faernus probat lectionem Bembini *ejus adhibendæ dari*, adeo ut *adhibendæ* vel ponatur pro simplici *habendæ*, vel significet *adsciscendæ in matrimonium*. Verum equidem legendum censeo, *ejus habendi se dare*. Edd. enim rectius addiderunt *se;* et nostri codd. præter tres, omnes habent *dare*. Atque *ejus habendi;* ut, Heaut. Prol. 29. *novarum spectandi:* Hec. iii. 3. 12. de virgine *ejus videndi:* ubi codd. nonnulli *videndæ*. Ovid. Her. xx. 74. de Cydippe, *copia placandi sit modo parva tui*. Sic ibi, teste Heinsio, membranæ vett. editi libb. male *placandæ*. Nostro loco ex *habendi se* natum est *habendæ*. B.

41. Ne *missus* in ultima prave acuatur, lege cum edd vett. *ego sum missus*. Deinde omnes nostri *hem*, quod est Antiphonis, apponunt fini versus. B.

42. *Quin ergo rape me*] Opinio Daceriæ, putantis Antiphonem humeris servi insedisse, et inde avectum esse, plane ridicula, inepta, et Terentiano theatro indigna videtur; et abhorret quoque ab usu loquendi. Certe hæc verba idem valent, quod Eun. ii. 385. *Abduc, duc, quantum potes*. Profecto si noster Antipho putasset se humeris Getæ vectum citius adventurum esse domum; non minus delirasset, quam Callus quidam, qui ut citius in Angliam perveniret, et navem et simul equum sat generosum conscendit. Z.

43. Duplex error commissus est hic a duobus haud contemnendis grammaticis, alter a Guyeto, qui, illo *gaudeo* mutato in *plaudite*, finem totius comœdiæ hic esse statuit; quem errorem scenarum sequentium *elegantia* et *necessitas* facile refutant. Alter a Faerno, quem sequitur Bentleius; qui post *gaudeo* finem hujus scenæ fecit. Nam si nova scena inchoanda est, cum quis, cæteris discedentibus, solus relictus est, cur idem non aliis in locis, ubi eadem est ratio, factum est? Deinde si scenarum mutatio facienda erat, statim post *Antipho* initium novæ debebat fieri. Z.

45. *Summa eludendi occasio*] Posteaquam puellæ cogniti sunt parentes, Phormio consilium reperit, quemadmodum propter argentum, quod Phædriæ datum est, senes ludat, uti non reddatur. Fingit quippe se Phormio uxorem eam velle ducere, quæ jam separari non potest, ut, cum illi non dederint uxorem, necessario dotem perdant. Hoc enim dicitur *argentum, quod datum est ingratiis*, inuits arripietur (*id nunc invitis eripietur* Z.). E.

46. *Curam adimere argentariam*] Varie, pro adimendi occasio est (*Varietas, pro eludendi et adimendi o. e.*). D.

49. *Hoc qui cogam*] Hoc unde agam et perficiam, ipsa ratione cognovi. E.—Pro *His* cum Bembino haud dubie legi debet *Ei*, h. e. Phædriæ, cui curam argentariam adimere decreverat. Cæterum sensus loci, quem non omnes assequuntur, hic esse videtur: Nam, scilicet illa occasione mihi oblata, efficiam, ut senes æque inviti et coacti nunc Phædriæ argentum concedant, ac coacti sunt antea mihi idem illud argentum dare. Nostram interpretationem esse veram, patet ex sequentibus, *Hoc qui cogam, etc.* Z.

51. *Sed hinc concedam*] Prisc. lib. vi. L.—*Hunc* duo ex nostris: et sic laudat Priscian. p. 714; ut probet et *hoc angiportum* et *hic angiportus* dici. B.

Inde hisce ostendam me, ubi erunt egressi foras.
Quo me assimularam ire ad mercatum, non eo.

ACTUS QUINTI SCENA VII.

DEMIPHO. PHORMIO. CHREMES.

Dis magnas merito gratias habeo, atque ago:
Quando evenere hæc nobis, frater, prospere:
Quantum potest, nunc conveniundus Phormio est,
Priusquam dilapidet nostras triginta minas,
Ut auferamus. PH. Demiphonem, si domi est,
Visam; ut quod. DE. At nos ad te ibamus, Phormio.
PH. De eadem hac fortasse causa? DE. Ita hercle. PH. Credidi:
Quid ad me ibatis? ridiculum! verebamini,
Ne non id facerem, quod recepissem semel?
Heus, quanta quanta hæc mea paupertas est, tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mihi esset fides.
CH. Estne ea ita, ut dixi, liberalis? DE. Oppido.

53. *Quo me insimularam*] Ms. R. et vett. codd. *adsimularam*: idque rectius arbitror. L.

1. *Dis magnas merito*] Hæc scena concertationem habet atque tenet Phormionis parasiti, et senum: illi argentum repetunt, hic pugnat ex pacto, uti aut argentum perdant, aut uxorem dent. Quæ res statum continet qualitatis negotialis, qui quidem ita proponitur: *nam non æquum est, me propter vos decipi.* E.

4. *Prius quam dilapidet*] Disperdat. D. —*Prius quam dilapidet*] Perdat, consumat. Unde *dilapidatores* dicuntur prodigi et luxuriosi. E.—*Priusquam dilapidet*] Ulpian. lib. xxv. §. 11. ff. de hered. pet. *Si quid dilapidaverunt, dum re sua abuti putant.* Idem lib. xi. §. 6. ff. de minorib. Jul. Firmic. Astron. lib. iv. cap. 6. *Patrimonium misera lacerratione dilapidet.* Hieronym. Epitaph. Fabiolæ: *Quin potius omnem censum, quem habere poterat, erat autem amplissimus, et respondens generi ejus, dilapidavit ac vendidit.* L.—Bembinus habet *dilapidat.* B.

6. *Visam, ut quod*] Ἀποσιώπησις secunda. D.

7. Bentleius verba *Ita hercle* ipsi Phormioni tribuit, negatque Demiphonem sine vanitate mentiendi dicere illa potuisse, propterea quod cum Chreme venerit, ut Phormio pecuniam rescriberet. At vero nobis hæc ratio non idonea esse videtur. Nam primum si *de eadem hac causa* interpreteris *de Phanio*; verissime senex dicit *Ita hercle.* Deinde non video, cur non possimus recte *simulationem* quandam admittere, præsertim cum paulo post talis sit concedenda necessario. Z.

8. Versus ut adjuvetur, lege cum nostris libris vetustioribus *an veremini*; prorsus ut supra, iv. 2. 2. *Venio ad hominem, ut dicerem*; et Heaut. iii. 1. 83. *Dum id quæro, qui tibi filium restituerem.* B.

9. *Ne non id facerem quod recepissem semel*] Et deest, *ad me*: ut in Heautontim. *ad me recipio: faciet.* D.

10. *Quanta hæc mea paupertas*] Fingit se fidelem: licet, inquit, paupertas in me sit, tamen curavi ut semper fides esset. E.

11. *Adhuc curavi*] Τῷ ἀρχαισμῷ addidit *adhuc*: quum potuisset sine hoc integer sensus esse. D.

12. Mire se torquent hic interpretes, pervertuntque loci sensum et pulchritudinem. Alii enim omisso illo *es*, intelligunt *liberalis* de Phormione. Bentleius opinatur senes plane neglexisse Phormionem, et dixisse inter se de re aliena. Mihi ob ipsum Phormionem illa verba dicta esse videntur, ut homini probabile efficeretur, quod mox Demipho dicturus est, *At hic dehortatus est me, etc.* Igitur sensus est, Nonne tu puellam liberalem, uti tibi expertus ipse dixi, reperisti, adeoque dignam filio tuo? Sin vero cum Bembino, personis mutatis, quæstionem Demiphonis, et responsionem Chremetis esse statuas; sensus quidem idem efficitur, sed pro *dixi* legi debet *dixti.* Z.

PH. Itaque ad vos venio nunciatum, Demipho,
Paratum me esse: ubi voltis, uxorem date.
Nam omnis posthabui mihi res, ita uti par fuit,
Postquam tantopere id vos velle animadvorteram.
DE. At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem.
Nam qui erit rumor populi, inquit, si id feceris?
Olim quum honeste potuit, tum non est data:
Nunc viduam extrudi turpe'st: ferme eadem omnia,
Quæ tute dudum coram me incusaveras.
PH. Satin' superbe illuditis me? DE. Qui? PH. Rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere:
Nam quo redibo ore ad eam, quam contemserim?
CH. Tum autem Antiphonem video ab sese amittere
Invitum eam: inque. DE. Tum autem video filium
Invitum sane mulierem ab se amittere.
Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi
Argentum rursum jube rescribi, Phormio.
PH. Quodne ego perscripsi porro illis, quibus debui?
DE. Quid igitur fiet? PH. Si vis mihi uxorem dare

13. Pro *Itaque* multi Faerni libri, et duo ex nostris habent *Idque*. Bembinus *Idque adeo*. Igitur nos legendum putamus, ut versui consulamus, *Idque adeo advenio*. B.

18. *Qui erit rumor*] Causam reddit senex cur non pacta servet, quod rumoris infamiam metuens, puellam de domo noluit (*nolit* Z.) ejicere. E.—*Inquit* posteriorem acuit; quia præteriti temporis est: ut Cicero *inquisti*. Vide Priscian. p. 876. B.

20. Bembinus solus habet *eam nunc extrudi turpe'st*, omisso nomine *vidua*, quod corrector Bembini forte ignoravit dici in muliere, a viro priori repudiata. B.

21. *Quæ tute dudum coram me incusaveras*] Nova locutio *coram me incusaveras*: non, *quæ hic incusaveras*. *Coram me incusaveras*] Belle: ut si quid neget, contra seipsum sentire videatur. D.

22. *Satin' superbe illuditis me?*] Et dativum et accusativum casum regit *illudo*. D.—Aliqui libri Faerni, in his Bembinus, it. alter ex nostris Meadianis legunt *Satis* affirmative. Legi debet, *Satis pol superbe*: ut Heaut. iv. 4. 1. *Satis pol proterve*. B.

26. *Invitum eam; inque*] Priscian. lib. x. Sed post *eam* in V. C. additur *silentes*: fortassis ad significandum submisse hæc dici. Id quod a Pithœo, viro summo, atque amico nostro annotatum reperi. L.

29. *Jube rursum rescribi, Phormio*] *Rescribi*, reddi, seu per mensæ scripturam dari. *Jube rescribi*] Quoniam ad numerationem pecuniæ antecedit scriptura. *Rescribere* dicebant, pro renumerare. Et sic infert, *næ ego perscripsi porro illis quibus debui*. Hæc est ergo figura, in qua secundam de primis significantiam sumunt. *Jube rescribi*] Per scripturam, id est, de mensæ scriptura dari; unde hodie additur chirographis, *domo ex arca sua*, vel *ex mensæ scriptura*. D.—*Jube rescribi*] Quoniam argenti accepti opera per scripturam fiebat, quæ vocabatur chirographum, ideo ait *rescribi*, quod est renumerari. E.—*Argentum rursum jube rescribi*] Horat. Satyr. ii. 3. 75. *Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli, Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis*. Ubi et hic Terentii locus a scholiaste laudatur. L.—De duplici pecuniæ locandæ et solvendæ ratione vide Lindenbrog. in Observatt. ad Donat. Adel. ii. 4. 13. et uberius Salmas. de Fœnore Trapezitico. Z.

30. *Næ ego perscripsi*] Multis per scripturam reddidi, multis dedi; ut apud Virg. Æn. vii. 144. *Diditur hic subito Trojana per agmina rumor*. D.—Nostri *perscripsi*; Faerni libri *descripsi*; sed recte præfert Faernus Bembini *discripsi*; quia Donatus, uti ex Virgiliano *Diditur* patet, idem legisse videtur. B. Si post *Quod* notam interrogationis posueris; illud *ne* scribendum est *næ*. Sed vulgaris ratio indignationi Phormionis magis convenit. Cæterum *porro* videtur hic signif. *statim post*, nempe, *quam a vobis accepi*: ut Eun. iii. 3. 22. Adel. iv. 2. 8. Phor. v. 1. 19. Z.

Manere illam apud te, dos hic omnis maneat, Demipho.
Nam non est æquom me propter vos decipi:
Quum ego vostri honoris causa repudium alteri
Remiserim, quæ dotis tantundem dabat.
De. I hinc in malam rem cum istac magnificentia,
Fugitive: etiam nunc credis te ignorarier,
Aut tua facta adeo? Ph. Irritor. De. Tune hanc duceres,
Si tibi data esset? Ph. Fac periclum. De. Ut filius
Cum illa habitet apud te, hoc vostrum consilium fuit.
Ph. Quæso, quid narras? De. Quin tu mihi argentum cedo.
Ph. Immo vero uxorem tu cedo. De. In jus ambula.
Ph. In jus! enimvero si porro esse odiosi pergitis.
De. Quid facies? Ph. Egone? vos me indotatis modo
Patrocinari fortasse arbitramini:
Etiam dotatis soleo. Ch. Quid id nostra? Ph. Nihil:
Hic quandam noram, cujus vir uxorem. Ch. Hem! De.
Quid est?
Ph. Lemni habuit aliam. Ch. Nullus sum! Ph. Ex qua filiam
Suscepit: et eam clam educat. Ch. Sepultus sum!
Ph. Hæc adeo ego illi jam denarrabo. Ch. Obsecro!
Ne facias. Ph. Ho! tune is eras? De. Ut ludos facit!
Ch. Missum te facimus. Ph. Fabulæ! Ch. Quid vis tibi?

33. *Hic maneat*] V. C. *hic omnis maneat.* L.—Illud *omnis* a Faerno, Bentl. et aliis non editum est. Z.

35. In multis libris Faerni, iisque optimis, est *alteræ;* ut in Heaut. *Id ipsa alteræ dum narrat.* B.

37. Bemb. habet, *I in malam rem hinc cum, etc.* Puto legendum, *In' hinc malam rem,* adverbialiter et absolute; ut Plaut. Pœn. ii. 1. 48. *Malam crucem ibo potius.* Vide Donat. ad Phorm. ii. 3. 21. et iii. 3. 30. B.

38. Vt *etiám* rite acuat ultimam ob sequens encliticon, repone *etiám num.* B.

40. Præ Bembini *Si tibi daretur* placet vulgaris lectio. Nam sic And. *Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres:* et supra, *Aliquid corrasissem, atque hinc me protinam conjicerem in pedes.* B.

42. *Quin tu mihi argentum cedo*] Hoc ab utroque cum clamore dici accipiendum est. D.

43. *In jus ambula*] Ad judicem eamus scilicet. Nam *jus* pro loco est. Cic. Mur. 12. *quandoquidem te in jure conspicio.* D.

44. *Enimvero si porro odiosi esse pergitis*] Vultu juvandum est et pronunciatione hoc, quod tam minaciter suspenditur. *Enimvero*] *Enimvero,* principium est aliquid per iracundiam dicturi: ut Cic. Verr. 1. 26. *Hic tum alius ex alia parte, enimvero hoc feret? etc.* D.—*Enimvero si odiosi*] Turbatus senum iracundia et violentia Phormio, jam vult procedere (*irridere* Z.), quod aliam Chremes habuit Lemni uxorem. E.—Verba *In jus* delenda puto. Nam huc videntur tracta esse ex versu 88, ubi locum habent; sed hic repugnant versui, nec a sententia desiderantur. Ipse Donatus non legisse videtur. B.

45. *Indotatis*] Hoc est, ut Phanio. D.—*Vos me indotatis*] Usus plurali pro singulari dixit *indotatis,* pro Phanio, quæ sine dote nupserat. *Dotatis* vero, id est, uxori Chremetis, cui patrocinari volebat prodendo rivalem. E.

47. *Etiam dotatis soleo*] Ut Nausistratæ. D.

49. *Nullus sum*] Perii, mortuus sum. D.

50. *Sepultus sum*] Ἀξήνως. Nam plus est, quam *Nullus sum.* D.—*Sepultus sum*] Plaut. Amphitr. *Ante januam sepultus jacet:* et alibi, *Sepulta hæc res est.* L.

53. *Quid vis tibi? argentum quod habes, condonamus te*] *Vis* iterum subaudiendum est: ut sit, *Vis argentum quod habes?* et

Argentum quod habes condonamus te. PH. Audio.
Quid vos, malum, ergo me sic ludificamini,
Inepti, vostra puerili sententia?
Nolo, volo: volo nolo rursum: cedo, cape.
Quod dictum, indictum'st: quod modo erat ratum, id irritum est.
CH. Quo pacto, aut unde hæc hic rescivit? DE. Nescio:
Nisi me dixisse nemini, id certo scio.
CH. Monstri, ita me Di ament, simile. PH. Injeci scrupulum.
DE. Hem!
Hicine ut a nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam aperte irridens? emori hercle satius est:
Animo virili præsentique ut sis, para.
Vides tuum peccatum esse delatum foras,
Neque jam id celare posse te uxorem tuam:
Nunc quod ipsa ex aliis auditura'st, Chreme,
Id nosmet indicare, placabilius est.
Tum hunc impuratum poterimus nostro modo
Ulcisci. PH. Atat! nisi mihi prospicio, hæreo:
Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.
CH. At vereor ut placari possit. DE. Bono animo es:
Ego redigam vos in gratiam; hoc fretus, Chreme,

est ἀσυνδέτως inferendum, *condonamus te.* Sic est illud apud Virg. Æn. i. 576. *Vultis et his mecum pariter considere regnis? Urbem quam statuo, vestra est.* D.

54. *Condonamus te*] *Condono*, ablativo (CONDONAMUS. *absolute*) junxit: ut in Eunucho, *Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur.* D.—*Argentum quod habes*] Afranius apud Nonium: *Id aurum me condonat.* Plautus Bacchid. v. 2. 24. *Si quam debes, te condono, tibi habes, nunquam abs te petam.* L.

55. *Malum, ergo me sic, etc.*] *Malum*, adverbium est interpositæ indignationis. D.—*Ludificamini*] Id est, luditis. E.

57. *Nolo, volo: volo nolo rursum*] Primo singula separatim: deinde simul utraque pronuncianda sunt. D.—Omnes fere libri Faerni et duo ex nostris meliorem rei gestæ ordinem servant, *cape, cedo.* Nam prius dederant minas triginta, nunc easdem repetunt. B.

58. Ut *ratum* acuatur, repone, *Quód modo rátum erat, irritum'st.* B.

62. Ne *tantum*, quod inprimis acui debet, in Thesi conticescat, lege ex nostris fere omnibus, *Hicine ut a nobis tántum hoc argenti aúferat.* B.

64. *Animo virili*] A necessario adhortatur. D.

65. Pro Bembini *delatum*, quod haud dubie corrector posuit ad hiatum vitandum, omnes nostri, et Faerni plerique habent *elatum.* Iidem hunc exhibent ordinem, *peccatum tuum.* Repone igitur, *Vidés peccatum tuum hóc esse elatúm foras.* Versus gratia nos addidimus *hoc;* id quod usu Terentii satis probatur: ut, *Thaide* hac *tua: tua* illa *duritia: tuo* isto *invento: opinionem* hanc *tuam.* B.

66. Nostri plerique *Neque id jam.* Lege, *Neque jám celare id pósse te u. t.* B.

67. Præ Bembini *auditura'st* probat versus lectionem omnium libb. nostrorum *auditura sit.* B.

69. *Nostro modo ulcisci*] Ingenio scilicet (*Ingenio frui* ed. Du B.). D.

70. Ne versus hiet repugnante arte et Terentii more, repone *atattat.* Vide ad And. i. 1. 98. B.

71. *Hi gladiatorio animo*] Parato ad periculum: hoc est, ita perdito ac temerario, ut non sibi caveant, dummodo vulnerent: ut Sallust. Jug. 60. *avidius alteri alteros sauciare, quam semet tegere. Ad me affectant viam*] *Affectant viam*, plenum: quod nos ἀλλεπαλλήλως. D.—*Gladiatorio animo*] Qui etiam perituri alios vulnerant. E.—*Gladiatorio animo*] Latinus Pacat. in Panegyr. Theodos. Aug. *gladiatoria desperatione pugnare, nec gradu cedere, sed vestigio stare vel cadere.* Gellius, lib. vii. cap. 3. *gladiatoria pugna.* L.

72. *Ut placari possit*] *Ut*, pro *ne non.* D.

Quum e medio excessit, unde hæc suscepta'st tibi.
PH. Itane agitis mecum? satis astute aggredimini.
Non hercle ex re istius me instigasti, Demipho.
Ain' tu? ubi peregre tibi quod lubitum fuit feceris,
Neque hujus sis veritus feminæ primariæ,
Quin novo modo ei faceres contumelias;
Venias nunc precibus lautum peccatum tuum?
Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo,
Ut ne restinguas, lacrumis si exstillaveris.
DE. Malum, quod isti Di Deæque omnes duint!
Tantane affectum quemquam esse hominem audacia?
Nonne hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras? CH. In id redactus sum loci,
Ut, quid agam cum illo, nesciam prorsum. DE. Ego scio:
In jus eamus. PH. In jus! huc, si quid lubet.
DE. Assequere ac retine, dum ego huc servos evoco.
CH. Etenim solus nequeo: accurre huc. PH. Una injuria'st

74. *Quum de medio excessit*] Pro quia. *De medio excessit*] Et ad dictum, et ad rationem dicti, comicum est. D.

75. *Astute aggredimini*] Εὐφυῶς. Et proprie *aggredi*, accedere ad dimicandum est. Bene ergo servavit translationem a gladiatoribus cœptam. D.—Distingue, *Itane agitis mecum? sátis astute. Aggrédimini.* Nam *satis astute* est ironia; et *aggredimini*, modi imperativi. Provocat eos ad aggrediendum, si ausint. B.

77. *Ain' tu? ubi peregre*] Modo ad Chremetem cum invectione conversus est. D.—*Ain' tu?*] Ms. R. et V. C. *Ain' tu tandem?* L.—Rectius Bembinus, et numero sermonique quotidiano accommodatius, *Ain' tu? ubi quæ lubitum fuerit, peregre feceris.* Cæterum *Ain' tu* non debet mutari in *An tu.* Nam sic sæpe Plautus; v. c. Asin. iv. 2. 3. *Ain' tu? apud amicam munus adolescentuli fungare?* Capt. iv. 2. 112. *Ain' tu? dubium habebis, etiam sancte cum ego juro tibi?* B.

78. *Feminæ primariæ*] Cicero v. epist. 2. ad Divers. *Quod mihi feminam primariam, Pompeiam, uxorem tuam commendas.* L.

79. Recte Bemb. *contumeliam* in sing. ubi usitatius est cum verbo *facere.* B.

80. *Lautum peccatum tuum?*] Ut laves ut maculam. D.—*Venias nunc*] V. C. *Venias nunc mihi.* L.—Nostri plerique, *Venias nunc mihi precibus*; unus, *Venias mihi nunc p.* alius aliter. Illud *nunc* cum sit sedis incertæ, nec quicquam sententiæ conferat, tolle, et lege, quod comicum et ex medio est sumtum, *Venias mihi precibus l. p. t.* B.

82. *Lacrumis si exstillaveris*] *Stillare*, est guttas emittere ex corpore. *Exstillare*, ipsum corpus guttatim finire. Ergo quasi totum in lacrumas converti, et ex toto stillare corpore. D.—*Si exstillaveris*] V. C. *distillaveris.* L.

83. *Malum quod isti*] Integer versus Plauti in Mostellar. iii. 2. 126. *Malum, quod isti di deæque omnes duint! Ita mea consilia perturbat penissime.* L.

85. *Publicitus*] Id est, publica cura atque consilio. D.—*Nonne hoc publicitus*] Vid. Charis. lib. ii. L.—*Ne* in Bemb. abest: alii *Nonne.* Nihil interest. B.

86. *In solas terras?*] Virgil. xi. 569. *Pastorum et solis exegit montibus ævum.* Et Sallustius in primo, *solis viis.* D.—*In solas terras*] Virgil. Æneid. xi. 545. *Solorum nemorum.* L.

87. Præ vulgari *cum illo* placet librorum quinque lectio *ex illo*, h. e. posthac, ex illo facto. Nam quid cum Phormione faceret, haud ignorabat; nam condonandum erat argentum. Tum versus gratia ex uno cod. lege *prórsus nesciam.* B.

88. *In jus eamus*] Ad prætoris sellam: modo enim locum significat. *In jus! huc, si quid lubet*] Apparet parasitum niti ad domum Chremetis: senes vero ad forum conari attrahere. D.

89. *Huc servos evoco*] Ms. R. et vett. codd. *hinc servos.* L.

90. *Enim solus nequeo*] *Enim*, pro *at* posuit: ut turbatum ostenderet. Sic alibi, *enim non sinam. Una injuria est*] Id est, actio injuriarum ex lege. D.—Pro *etenim*, meliorum et plurimorum codd. lectionem *enim* simpliciter versus probat. B.

Tecum. CH. Lege agito ergo. PH. Altera est tecum, Chreme.
DE. Rape hunc. PH. Itane agitis? enimvero voce'st opus:
Nausistrata, exi. CH. Os opprime. DE. Impurum vide,
Quantum valet! PH. Nausistrata, inquam. CH. Non taces?
PH. Taceam? DE. Nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere.
PH. Vel oculum exclude: est, ubi vos ulciscar, locus.

ACTUS QUINTI SCENA VIII.

NAUSISTRATA. CHREMES. PHORMIO. DEMIPHO.

QUIS nominat me? CH. Hem! NA. Quid istuc turbæ'st, obsecro,
Mi vir? PH. Hem, quid nunc obticuisti? NA. Quis hic homo'st?
Non mihi respondes? PH. Hicine ut tibi respondeat?
Qui hercle, ubi sit, nescit. CH. Cave isti quicquam credas.
PH. Abi, tange: si non totus friget, me enica.
CH. Nihil est. NA. Quid ergo est? quid istic narrat? PH. Jam scies:
Ausculta. CH. Pergin' credere? NA. Quid ego, obsecro,
Huic credam, qui nihil dixit? PH. Delirat miser
Timore. NA. Non pol temere'st, quod tu tam times.

91. *Lege agito ergo*] *Lege agito* dicebatur ei, cujus intentio contemtibilis adversario videbatur. Plautus in Aulul. iii. 3. 10. *Lege agito mecum, molestus ne sis, et cœnam coque. Altera*] Quam fecisti dotatæ uxori. D.—Recte vidit Daceria verba, *Lege agito ergo*, esse Demiphoni tribuenda. Etenim Phormio verba *una injuria'st tecum* dixerat ad Demiphonem accurrentem et retinentem. Ergo probabile est, eundem Demiphonem respondere *Lege agito*. Z.

92. Bembinus *Sic agitis*: cæteri *Itane*: utramque lectionem admittit versus. B.

95. *Pugnos in ventrem ingere*] Urbane *in ventrem*, quasi parasito. An *ventrem*, totum parasitum dicit? ut Lucilius in secundo, *Vivite lucrones, comedones, vivite ventres*. An simpliciter: quia qui resistit, ne sequatur trahentem collo obtorto, repandum se facit, et ventrem projicit; quum autem in ventrem feritur, curvatur et sequitur. D.

96. *Oculum exclude*] Al. *exculpe*. L.—Omnes nostri et Faerni libri præter Bembinum ubi est *exculpe*, recte habent *exclude*. Sic Plaut. in Pœnulo; *Excludito mihi hercle oculum, si dedero*. Sed pro *locus* recte Bemb. *probe*. Non enim de loco, quem non mutaturus erat, est sermo; sed de facultate, quam habebat ulciscendi sese. Sic loquitur quoque Plautus Pœn. v. 4. 56. *Nam pol ego te ulciscar probe*. B.

1. *Quis nominat me?*] Hic velut controversia est: in qua reus fit maritus malæ tractationis: et est status qualitatis venialis. D.—*Quis nominat me?*] In hac scena reus senex fit, quod aliam in villa uxorem habuerit. Est status venialis. Accusatio hinc incipit, *In Lemno, clam te, uxorem duxit*: cujus improbatio magnifice completa est, *et inde filiam suscepit*. Unde indignata hic uxor est, et convertitur. Abhinc usque ad finem continuati (*continuatim* Z.) pulcherrimus statuum et figurarum ordo contexitur. E.

2. Plures Faerni et duo ex nostris libb. habent *obstupuisti?* sed placet Bembini *obstipuisti*, h. e. stupidus et quasi saxeus effectus es præ timore. Recte porro nostri et duo Faerni libri, *Ehem* pro *Hem*. Denique lege *Qui hic*, non *Quis hic*. B.

4. Pro *credas* versus jubet legi *creduas*, nisi quis malit iambicum trimetrum catalecticum esse: quod non placet. B.

6. Nonnulli libri *quod istic*. Lege et distingue: *Quid ergo est quod istic narrat?* B.

8. *Delirat miser timore*] Graviter utrumque: et *delirat*, et *timore*. Nam deliratio senectuti convenit, timor conscientiæ. D.

Et hoc nihil est, quod ego dico, tu narra. De. Scelus!
Tibi narret? Ph. Eho tu! factum'st abs te sedulo
Pro fratre. Na. Mi vir, non mihi narras? Ch. At. Na. Quid at?
Ch. Non opus est dicto. Ph. Tibi quidem: at scito huic opu'st.
In Lemno. Ch. Hem! quid ais? De. Non taces? Ph. Clam te. Ch. Hei mihi!
Ph. Uxorem duxit. Na. Mi homo, Di melius duint!
Ph. Sic factum'st. Na. Perii misera! Ph. Et inde filiam
Suscepit jam unam, dum tu dormis. Ch. Quid agimus?
Na. Pro Di immortales! facinus indignum et malum!
Ph. Hoc actum'st. Na. An quicquam hodie est factum in-
Qui mihi, ubi ad uxores ventum'st, tum fiunt senes. [dignius?
Demipho, te appello: nam me cum hoc ipso distædet loqui:
Hæcine erant itiones crebræ, et mansiones diutinæ
Lemni? hæcine erat ea, quæ nostros fructus minuebat, vilitas?
De. Ego, Nausistrata, esse in hac re culpam meritam non nego:
Sed eam, quin sit ignoscenda. Ph. Verba fiunt mortuo.

11. Lege accentu venustiore, *Et hoc nihil est, égo quod dico, tu narra.* B.

12. Bemb. *Ohe tu;* sed nostri omnes *Eho tu;* quod placet. Sic enim passim, *eho, ehodum.* B.

13. Præ vulgari *narras* placet Bembini *dicis*, quia sequitur *dicto.* B.

15. Pro *ais* tres ex nostris bonæ notæ, *agis;* quod sine dubio huc est recipiendum. B.

16. *Mi homo, Di melius duint!*] Quærit Probus, an matrona tam familiariter *mi homo*, recte dicat alieno: sed frustra. Nam feminarum oratio, etsi non blanditur, blanda est. D.

18. *Quid agimus?*] Facete dictum. D.

19. Victor. Vatic. et Basilic. habent *miserandum;* sed cæteri Faerni et nostri libri recte, *indignum.* B.

20. *Hoc actum est*] In Ms. *hoc* deest. L. —Omnes nostri libri recte verba *Hoc actum'st* tribuunt Demiphoni, et *An quicquam—fiunt senes*, Phormioni; adeo ut demum a verbis *Demipho te appello* incipiat oratio Nausistratæ. Nam ut ante Chremes dixerat *Quid agimus?* quod est desperantis, ita nunc simili phrasi utitur Demipho, *Hoc actum'st.* Deinde cætera honestius a Phormione, senis crimen augente et uxoris iram incendente, dicuntur, quam a matrona honestissima. Huc accedit, quod quæ paulo ante dixit *indignum*, ea nunc non recte possit dicere *indignius.* B.

21. *Qui mihi*] Eleganter insertum *mihi:* ut in Heautont. *Is mihi ubi adhibit plus paulo, sua quæ narrat facinora! Ad uxores ventum est, tum fiunt senes*] Eleganter *fieri* dixit. Et generaliter invidiosius, quam si unum accusaret senem. D.

22. *Distædet*] Valde putet. Objurgatio indignatione et argumentis plena, quam Demipho deprecatione mitigat. E.—Pro vulgari *cum hoc ipso* codex Petrensis habet *cum hoc isto.* Sed metrum et sensus comprobant lectionem cod. Reg. *cum ista.* Nam, auctore Donato, *iste* dicitur in eo, qui contemnitur. B.

23. Cum Donato ad Eun. iii. 5. 34. hic legi debet, *Hæc illæ erant itiones crebræ.* Sic, And. i. 1. 100. *Hæc illæ lacrumæ, hæc illa est misericordia.* B.

24. *Fructus minuebat*] Ms. R. *minuit.* L.—Lectio Bembini et collocatio, *ea quæ nostros minuit fructus vilitas*, suavior est et magis de more Terentiano. B.

25. *Ego, Nausistrata*] Qualitas venialis a concessione. D.—*Ego, Nausistrata*] Hinc defensio est, cujus rei hoc principium est. E.—Præ vulgari *meritam* placet Bembini *meritum*, sc. Chremetem; ut supra, *arbitrabitur commeruisse culpam.* Sic Plaut. Aul. iv. 10. 8. *fateor peccavisse me, et me culpam commeritum scio.* B.

26. *Verba fiunt mortuo*] Non est passus parasitus, ut totam sententiam senex explicaret. D.—Pro vulgari, *Sed eam, quæ sit ignoscenda*, Bembinus recte exhibet *Sed ea, quin s. i.* subaudi *negare non poteris*, seu, *nemo negaverit.* Atque idem legisse videtur Donatus, quod dicit, parasitum impedivisse, quo minus senex totam

DE. Nam neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo.
Vinolentus, fere abhinc annos quindecim, mulierculam
Eam compressit, unde hæc nata'st: neque postilla unquam attigit.
Ea mortem obiit: e medio abiit, qui fuit in re hac scrupulus.
Quamobrem te oro, ut alia tua facta sunt, æquo animo hoc feras.
NA. Quid ego æquo animo? cupio misera in hac re jam defungier.
Sed quid sperem? ætate porro minus peccaturum putem?
Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
An mea forma atque ætas nunc magis expetenda'st, Demipho?
Quid mihi nunc affers, quamobrem exspectem, aut sperem porro non fore?
PH. Exsequias Chremeti, quibus est commodum, ire jam tempus est.
Sic dabo: age nunc, Phormionem qui volet lacessito:

explicaret sententiam. Cæterum *mortuo* non de Chremete est accipiendum, sed de Nausistrata, quæ æque frustra est orata, ac mortuo verba fiunt. B.

27. *Nam neque negligentia tua, neque id odio fecit tuo*] Locus in hac causa principalis est, ἀπὸ τῆς συγγνώμης καὶ εὐνοίας: et ideo in duo divisit, nec *negligentia* circa te, nec *odio*, inquit, factum. Præterea et περιστάσεως addidit (*Præsto addidit* Ms. H. B. cum edd. vett.) defensionem, *Vinolentus, fere abhinc annos quindecim, mulierculam, etc.* ab ætate ejus, a tempore criminis, a diminutione contemtuque pellicis, ab eventu, ab animo facientis: quod mortua est: postremo et a precibus. Et epilogum ἀπὸ τῆς εὐνοίας τῆς ἐκβάσεως fecit, admonens illam oratorie mansuetudinis suæ. D.

28. *Vinolentus*] Ab imprudentia defensio. *Abhinc annos quindecim*] A tempore defensio. D.—Subjungitur narratio, *Vinolentus abhinc annos XVI.*] Cum veniali statu, quod *vinolentus* sit (*fuerit* Z.), in qua re ignoratio et obsecratio opponitur: *quamobrem te oro.* E.—*Vinolentus*] V. C. *Vinolenter.* E.

29. *Eam compressit*] Bene dixit *compressit:* quod interdum est non amoris, sed injuriæ. *Neque postilla unquam attigit*] Ita facti pœnituit. Hic locus ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως est, id est, ab eo quod futurum sit: facilius enim ignoscitur non ultra peccaturis. D.

31. Ut *tua* acuatur, leg. cum cod. Petrensi *tuâ sunt facta;* atque ut *animo* hic eodem sit accentu, quo mox repetitur, lege, *æquo ánimo et hóc feras.* B.

32. *Defungier*] *Defungi*, desinere. D.

33. *Ætate porro minus peccaturum putem?*] Quia dixit, *abhinc annos quindecim.* D.—Quia ille dixit, *annos XVI.* hæc collegit, Quid ego sperare possum, hunc non peccaturum esse circa ætatem, quasi non illo tempore senex fuerit. E.—*Sed quid sperem?*] Ms. R. *Sed qui sperem.* L.—Pro *quid* lego cum cod. apud Lindenbrogium, *qui*, h. e. quomodo, quo pacto. B.

34. *Senectus si verecundos facit*] Modeste et graviter. L.—Lego per interrogationem, ut priora et posteriora, *Non jam tum erat senex, etc.* B.

35. Ut *magis* sit in ictu, repone *ætas mágis nunc expetenda'st.* B.

36. *Quid mihi nunc affers*] Callidius usa est ad ultimum πύσματι, converso (ἀποστροφῇ, *conversa*, Victor. V. L. XXIII. 24.) ad ipsum defensorem mariti: de qua vi contradictionis exsultat parasitus, tanquam confecto mortuoque adversario suo. D.—Ut versus stet, recipienda est lectio Bembini et Victoriani et Donati, *Quid mi hic affers.* FAERN.

37. *Exsequias Chremeti*] Bono ordine: primo, *delirat miser timore:* post, *verba fiunt mortuo:* ad ultimum, *exsequias Chremeti:* delirat, moritur, effertur. D.—*Exsequias Chremeti*] Ita ex melioribus libb. emendatum est, ad ritum funerum indictivorum, in queis hæc formula sollemnis in usu erat: L. TITIUS VIXIT. L. TITIO. EXSEQUIAS IRE CUI COMMODUM EST. HEM. TEMPUS EST. OLLUS ECFERTOR. Silius Italic. lib. XV. 394. — *vos ite superbæ Exsequias animæ, et cinerem donate supremi Muneris officio.* L.—Pro *jam* metrica ratio exigit optimorum codd. lectionem *hem!* FAERN.

38. *Age nunc, age: Phormionem qui volet lacessito*] Virgil. Æn. ii. 549. *Degeneremque Neoptolemum narrare memento.* D.

Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio.
Redeat sane in gratiam: jam supplicii satis est mihi:
Habet hæc ei quod, dum vivat, usque ad aurem ogganniat.
NA. At meo merito, credo! quid ego nunc commemorem, Demipho,
Singulatim, qualis ego in hunc fuerim? DE. Novi æque omnia
Tecum. NA. Meriton' hoc meo videtur factum? DE. Minume gentium:
Verum quando jam accusando fieri infectum non potest,
Ignosce; orat, confitetur, purgat: quid vis amplius?
PH. Enimvero prius quam hæc dat veniam, mihi prospiciam et Phædriæ.
Heus, Nausistrata, prius quam huic respondes temere, audi.
NA. Quid est?
PH. Ego minas triginta per fallaciam ab illo abstuli:
Eas dedi tuo gnato: is pro sua amica lenoni dedit.
CH. Hem! quid ais? NA. Adeon' hoc indignum tibi videtur, filius
Homo adolescens si habet unam amicam, tu uxores duas?
Nihil pudere? quo ore illum objurgabis? responde mihi.
DE. Faciet ut voles. NA. Immo, ut meam jam scias sententiam,
Neque ego ignosco, neque promitto quicquam, neque respondeo,
Prius quam gnatum video: ejus judicio permitto omnia:
Quod is jubebit, faciam. PH. Mulier sapiens es, Nausistrata.

39. *Faxo tali eum mactatum*] Pro eo quod est *eum* (ergo in Terentio Donatus non legit *eum*), sic frequenter veteres: Ennius, *Omnes corde patrem præbent, animoque benigno Circumfusum.* D.—Lege ex cod. Reg. *Faxo eum tali, etc.* Cf. Heaut. ii. 3. 100. B.

41. *Ad aurem obganniat*] Frequenter in aurem dicat, ignosce. *Gannitus* proprie vox vulpium. E.

42. Illud *ea* post *nunc*, quod in multis libris extat, dele cum tribus nostris, ob versum et sensum. B.

44. Nostri aliquot cum Bembino recte *Merito hoc meo*, versu postulante. B.

45. *Fieri infectum*] Simonid. Τὸ γὰρ γεγενημένον οὐκ ἂν ἄῤῥεκτον ἔσται. L.

46. *Ignosce: orat: confitetur: purgat*] Verba venialis status sunt, *Ignosce, confitetur.* D.—*Orat: confitetur: purgat*] In postrema parte conclusit beneficio: siquidem petit, ut ad cœnam vocetur. E.

49. Versus exigit, ut cum cod. uno legatur *fallacias*; ut supra iv. 3. 67. atque pro *illo* cum tribus codd. *isto*, quod est contemnentis. B.

51. *Adeon' hoc*] Ms. R. desideratur *hoc*. L.—Nostri plerique *Adeo hoc*. Repone, *Adeón' indignum hoc tibi videtur*. B.

53. *Quo ore illum objurgabis*] Supra, v. 7. 24. *quo redibo ore ad eam.* Juvenal. Satyr. xiv. 56. *unde tibi frontem*, ad quæ verba vetus scholiastes hunc Terentii locum laudat. Glossæ Philoxeni: ποίῳ προσώπῳ: *qua persona, qua fronte.* Papinian. lib. xxxviii. §. 2. ff. de administr. et peric. tut. *Qua fronte poterit hoc desiderari.* L.

56. Libri Faerni et nostri habent *videro*. B.

57. Hunc et sequentem versum sic restitue, ne laboret metrum, ipsis personis mutatis: *Quód is jubébit, fáciam.* DE. *Mulier sápiens es, Nausistrata.* | NAU. *Sátin' tibi est, Chreme?* CH. *Immo vero, etc.* Demipho enim lætus de prospero rei eventu, quod Phædriam de patre suo judicem constitui videbat, his verbis laudat Nausistratam. Hæc vero ad maritum, *Satin' tibi est?* dicit, rogatque, an rem judicio filii permittendam esse censeat. Chremes igitur gaudio elatus, cum sibi nihil a filio metuendum esset, *pulchre*, inquit, etc. Itaque omnes, more Terentii,

NA. Satis tibi est? PH. Immo vero pulchre discedo, et probe,
Et præter spem. NA. Tuum nomen dic quod est. PH. Mihin'?
Phormio: vestræ familiæ hercle amicus, et tuo summus
Phædriæ.
NA. Phormio, at ego ecastor posthac tibi quod potero, et quæ voles,
Faciamque et dicam. PH. Benigne dicis. NA. Pol meritum'st tuum.
PH. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata,
Et quod tuo viro oculi doleant? NA. Cupio. PH. Me ad cœnam voca.
NA. Pol vero voco. DE. Eamus intro hinc. CH. Fiat: sed ubi est Phædria,
Judex noster? PH. Jam hic faxo aderit. Ω. Vos valete, et plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

qui in culpa aut metu erant, læti hinc abeunt, placata Nausistrata. Secus vero est, si ex ratione vulgari, verba *pulchre, etc.* de Phormionis ultione intelliguntur. Nam ita Phormio, rebus jam tranquillatis, Phædriæ amici sui patrem odisse videtur. Huc accedit, quod *pulchre discedere* dicitur in iis, qui in lite, causa, pugna superiores evadunt, adeoque de Chremete illud intelligendum. B.

59. *Tu tuum nomen dic*] Bene *tu* pronomine utitur: quia non habet nomen. Nam potentiorum blandimentum circa inferiores hoc fuit, ut nomina eorum quærerent: et quum audissent, ipsis nominibus eos compellarent statim. Tale est in Adelphis, *qui vocare? Geta, hominem maxumi pretii, etc.* D.—Lege cum cod. Reg. *Tu tibi nomen dic quod est.* PH. *Min'? Phormio.* Nam si *tuum* ab auctore esset, non *mihi*, sed *memme* intulisset. B.

60. *Vestræ familiæ hercle amicus*] Hoc propter Antiphonis amicitiam dixit. *Et tuo summus Phædriæ*] *Amicus*, iterum subaudiendum. D.

64. *Me ad cœnam voca*] Facete ex persona parasitica, beneficii optio facta est, quod promiserat mulier. D.

65. *Sed ubi est Phædria, judex noster?*] Bene *judex:* ad illum enim mulieris delata sententia est: ut quum ita agitur, tuta sint marito omnia. Et per *εἰρωνείαν* ridicule dicitur ab ea quæ irata erat. D.—*Sed ubi est Phædria, judex?*] Proprie *judex*, etsi a muliere est dicta sententia. *Quod is jubebit, faciam.* Aliter enim de patre filius non potest judicare. E.—Donatus, ed. vet. et unus ex Regiis Nausistratæ tribuunt verba *fiat; sed, etc.* cæteri libri Chremeti. Neutrum quamquam est ineptum: malim tamen Chremetis esse, ut senex cura ac miseria liber non sine joco ex scena abeat. B.

66. *Judex noster*] Nihil facetius, quam judicem capi adversus crimen voluptatis paternæ, et amatorem filium, et fratrem Antiphonem, cui nubet furtiva filia. *Judex noster*] Terribilis scilicet paternarum deliciarum vindex. Vides igitur hic joco sublatam uxoris iracundiam. D.—*Valete et plaudite*] Cicero de Senectute, 19. *Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet contentus esse. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modo in quocunque fuerit actu, probetur: neque sapienti usque ad* PLAUDITE *veniendum.* Horat. de arte poetic. 155. *Sessuri, donec cantor,* VOS PLAUDITE, *dicat.* Apuleius Flor. 3. *Enimvero jam dixisse rebus humanis* VALERE ET PLAUDERE. Quinctilianus lib. vi. cap. 2. *Tunc est commovendum theatrum, cum ventum est ad ipsum illud, quo veteres comœdiæ tragœdiæque claudantur,* PLAUDITE. Sed et hoc omne quicquid est studii atque laboris claudam inscriptione veteri, quæ Tordæ in Transylvania habetur:

VIXI. DUM. VIXI. BENE. JAM. MEA.
PERACTA. MOX. VESTRA. AGETUR.
FABULA. VALETE. ET. PLAUDITE. L.

ÆL. DON. V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ COMMENT.
IN TERENTII PHORMIONEM EXPLICIT.

INDEX.

INDEX

VERBORUM ET PHRASIUM TERENTII.

Abalieno] Ita nos *abalienavit.* Heaut. v. 2, 26.

abdo] Senex rus *abdidit* se. Hec. i. 2, 100.

abdomen] *Abdomini* hunc nam dicas. Eun. iii. 2, 7.

abduco] Me convivam solum *bducebat* sibi. Eun. iii. 1, 17. *bduxi* ad cœnam. Heaut. i. 2,). Me invito *abduxit* meam. Adelph. ii. 1, 44. Hunc *abduce*, inci, quære rem. Adelph. iii. , 36. Ne illum ab studio *ab-ucerem*, Hec. Alt. Prol. 11. *Ab-uci* ab oculis? facinus indig-ium. Adelph. iv. 5, 35. Credo *bductum* in ganeum aliquo. A-lelph. iii. 3, 5. *Abduci* non pot-st, quia uterque utrique est ordi. Phorm. v. 3, 16.

abeo] Nusquam *abeo*. Adel. i. 2, 38. Non tu hinc *abis?* Eun. iv. 7, 29. Etiam tu hinc *bis?* Phorm. iii. 3, 9. In A-iam hinc *abii*. Heaut. i. 1, 59. Rus habitatum *abii*. Hec. ii. 1, 7. Dum hæc loquitur, *abiit* ora. Eun. ii. 3, 49. In Asiam d regem militatum *abiit*. Heaut. i. 1, 65. Rus *abiit*. A-lelph. iii. 3, 82. Præsens quod uerat, in diem malum *abiit*. Phorm. v. 2, 16. E medio *abiit*, ui fuit in hac re scrupulus. Phorm. v. 8, 30. Hæc dum du-itas, menses *abierunt* decem. Adelph. iv. 5, 57. Longe jam *bieram*. Eun. iv. 2, 5. *Abi* dum u illis obviam. Heaut. ii. 3, 8. *bi* præ strenue, ac forem ape-i. Adelph. ii. 1, 13. *Abi:* non cis inescare homines. Adelph. i. 2, 12. *Abi:* virum te judico. Adelph. iv. 2, 25. *Abi* sis, in-ciens. Phorm. i. 2, 9. *Abin* inc in malam rem? And. ii. 1, 7. Numquid vis, quin *abeam?* Adelph. ii. 2, 39. Vide sis, ne quo hinc *abeas* longius. Heaut. i. 2, 38. Mirabar, hoc si sic *abiret*. And. i. 2, 4. Ah, si pergis, *abiero*. Adelph. i. 2, 47. Egone te sinam sine munere a me *abire?* Hec. v. 4, 13. Suspicor, aliquid domo *abeuntem* abstulisse. Eun. iv. 3, 19.

abhinc] *Abhinc* triennium ex Andro commigravit huc vicinæ. And. i. 1, 42. *Abhinc* menses decem fere. Hec. v. 3, 24. Fere *abhinc* annos quindecim. Phorm. v. 8, 28.

abhorreo] Omnino *abhorrere* animum huic video a nuptiis. Hec. iv. 4, 92. In alio occupato amore, *abhorrenti* ab re uxoria. And. v. 1. 10.

abigo] *Abigam* hunc rus. Adelph. iii. 3, 47.

abjicio] Quæ, quantum potest, aliquo *abjicienda* est. Adelph. iv. 7, 26.

abitio] Propter eam hæc turba atque *abitio* evenit. Heaut. i. 2, 16.

abitus] Miserum hunc tam excruciarier ejus *abitu*. Heaut. iii. 1, 5. Sperabit sumptum sibi senex levatum esse harunc *abitu*. Heaut. iv. 4, 24.

ablego] Aliquo mihi est hinc *ablegandus*. Hec. iii. 3, 54.

abligurrio] Itidem patria qui *abligurrierat* bona. Eun. ii. 2, 4.

abortus] Dicam, *abortum* esse. Hec. iii. 3, 38.

abrado] Aliis aliunde est periclum, unde aliquid *abradi* potest. Phorm. ii. 2, 19.

abripio] Hanc jam oportet in cruciatum hinc *abripi*. And. iv. 4, 47. Puellam ex Attica hinc *abreptam*. Eun. i. 2, 30. Jam intro *abripiere*. Adelph. ii. 1, 27. Id illa universum *abripiet*. Phorm. i. 1, 11.

abscedo] Quomodo hic *abscedam* nescio. Eun. iv. 4, 49. Si licet me latere tecto *abscedere*. Heaut. iv. 2, 5. Cito ab eo hæc ira *abscedit*. Hec. v. 2, 15.

absolvo] Ego ad forum ibo, ut hunc *absolvam*. Adelph. ii. 4, 13. Hominem istum inpurissimum quam primum *absolvitote*. Adelph. ii. 4, 18.

abstergeo] Qui *abstergerem* volnera? Eun. iv. 7, 9.

absterreo] Hanc simulant parere, quo Chremetem *absterreant*. And. iii. 1, 14.

abstineo] Gemitus, screatus, tussis, risus *abstine*. Heaut. ii. 3, 132. Facis adeo indigne injuriam illi, qui non *abstineas* manum. Heaut. iii. 3, 4. Non manum *abstines*, mastigia? Adelph. v. 2, 6. Sese illa *abstinere* ut potuerit? Hec. i. 2, 64.

abstraho] Ut me a Glycerio miserum *abstrahat*. And. i. 5, 8. Istam psaltriam una illuc mecum hinc *abstraham*. Adelph. v. 3, 57. Vix me hinc *abstraxi*, atque impeditum in eo expedivi animum meum: vixque huc contuleram: hem nova res orta'st, porro ab hac quæ me *abstrahat*. Hec. iii. 1, 17 et 18.

absum] Dum abs te *absum*. Heaut. ii. 4, 19. Menses tris *abest*. Heaut. i. 1, 66. Quod *abest*, non quæris. Heaut. v. 4, 16. Haud permultum a me *aberit* infortunium. Heaut. iv. 2, 1. Cum milite isto præsens, *absens*, ut sies. Eun. i. 2, 112. Pergin' hero *absenti* male loqui,

inpurissime? Phorm. ii. 3, 25. Nescio quid profecto *absente* nobis turbatum est domi. Eun. iv. 3, 7. Postulo, ut tua mihi domus te præsente *absente* pateat. Eun. v. 8, 29.

absumo] Pytisando mihi quid vini *absumsit?* Heaut. iii. 1, 49. Cum ille et cura et sumtu absumitur. Phorm. ii. 2, 26. Quo pacto satietatem amoris ait velle *se absumere*. Phorm. v. 5, 6.

absurdus] Vostram nequeo satis mirari rationem. Est hercle inepta, ne dicam dolo, atque *absurda*. Adelph. iii. 3, 22. Etsi hoc mihi pravum, ineptum, *absurdum*, atque alienum a vita mea videtur. Adelph. v. 8, 21.

abundo] Quasi is non divitiis *abundet*. Heaut. iii. 2, 17. Amore *abundas*. Phor. i. 3, 11.

abutor] In prologis scribundis operam *abutitur*. And. Prol. 5. Itane tandem quæso, item ut meretricem ubi *abusus* sis, mercedem dare lex jubet ei atque amittere? Phorm. ii. 3, 66.

accedo] Numquam *accedo*, quin abs te abeam doctior. Eun. iv. 7, 21. Ad hæc mala hoc mi *accedit* etiam. And. i. 3, 10. Postquam amans *accessit*. And. i. 1, 49. Ad flammam *accessit* inprudentius. And. i. 1, 103. Funambuli eodem *accedens* expectatio. Hec. Alt. Prol. 26. Haut invito ad aures sermo mi *accessit* tuus. Hec. iii. 5, 32. Quis paulum vobis *accessit* pecuniæ, sublati animi sunt. Hec. iii. 5, 56. Quod hinc *accesserit*, id de lucro putato esse omne. Adelph. v. 3, 30. Voluntas vostra si ad poëtam *accesserit*. Phorm. Prol. 30.

accido] Misera timeo, incertum hoc quorsus *accidat*. And. i. 5, 29. Interea aliquid *acciderit* boni. And. ii. 3, 24. Eodem die istuc verbum vere in te *accidit*. And. v. 3, 14. Ad genua *accidit*. Hec. iii. 3, 18. Unde exordiar narrare, quæ nec opinanti *accidunt?* Hec. iii. 3, 2. Horum nil quicquam *accidet* animo novum. Phorm. ii. 1, 20.

accingo] Do fidem futurum. GN. *Accingar*. Eun. v. 9, 30. Tute hoc intristi; tibi omne est exedendum: *accingere*, Phorm. ii. 2, 4.

accipio] Dos, Pamphile, est decem talenta. P. *accipio*. And. v. 4, 48. Equidem pol in eam partem *accipio* que et volo. Eun. v. 2, 37. Opinor, narras? non recte *accipis*. And. ii. 2, 30. *Accepi: acceptam* servabo. And. i. 5, 63. *Accepit* conditionem. And. i. 1, 52. Si te æquo animo ferre *accipiet*. And. ii. 3, 23. Restitue quem a me *accepisti* locum. And. iv. 1, 58. Vide Notas. *Accipit* homo nemo melius prorsum neque prolixius. Eun. v. 9, 52. Hancine ut ego contumeliam tam insignem in me *accipiam?* Eun. iv. 7, 1. Aliorsum atque ego feci *acceperit*. Eun. i. 2, 2. Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci *accepta* injuria. Eun. iv. 6, 24. Aliter tuum amorem, atque est, *accipis*. Heaut. ii. 3, 23. Ad contumeliam omnia *accipiunt* magis. Adelph. iv. 3, 15. Partim quæ *accepi* auribus. Hec. iii. 3, 3. Quod incommodi tibi in hac re *accipies*, nisi caves? Heaut. v. 1, 59. vide Notas. Mea causa causam *accipite*. Hec. Alt. Prol. 47. vide Notas. Quamobrem *accipere* hunc mi expediat metum. Heaut. ii. 3, 96. Abs quivis homine, cum est opus, beneficium *accipere* gaudeas. Adelph. ii. 3, 1. Nonne id sat erat, *accipere* ab illo injuriam? Phorm. v. 2, 4. *Accipiunda* et mussitanda injuria adolescentium'st. Adelph. ii. 1, 53. Indignis cum egomet sim *acceptus* modis. Adelph. ii. 1, 12.

accipiter] Non rete *accipitri* tenditur, neque miluo. Phorm. ii. 2, 16.

accubo] Dum *accubabam*, quam videbar mihi esse pulchre sobrius? Eun. iv. 5, 2.

accumbo] Ipsa *accumbere* mecum. Eun. iii. 3, 9.

accuro] Saltem *accurate*. And. iii. 2, 14. Quo magis res omnis cautius, ne temere faciam. *accuro*. Hec. v. 1, 11.

accuso] Qui cum hunc *accusant;* Nævium, Plautum, Ennium *accusant*. And. Prol. 18 et 19. Te ultro *accusabis*. Eun. i. 1, 24. Cotidie *accusabam*. Heaut. i. 1, 50. Ambo *accusandi*. Heaut. i. 1, 67. Ne quid *accusandus* sis, vide. Heaut. ii. 3, 111. Eho, num quidnam *accusat* virum? Hec. ii. 2, 25. Quod me *accusat* vir nunc, sum extra noxiam. Hec. ii. 3, 3. *Accusando* fieri infectum non potest. Phorm. v. 8, 45.

acer] Lenem patrem illum factum me esse *acerrimum*. Phorm. ii. 1, 32. Prima cognitio *acerrima*. Phorm. ii. 2, 32.

acerbus] Nemini plura ego *acerba* credo esse ex amore homini umquam oblata. Hec. iii. 1, 1.

acriter] Postquam *acriter* pater instat. Hec. i. 2, 45.

actor] Me *actorem* dedit: Si hic *actor* tantum poterit a facundia. Heaut. Prol. 12 et 13. vide Notas. *Actoris* opera magis stetisse quam sua. Phorm. Prol. 10. Quem *actoris* virtus nobis restituit locum. Phorm. Prol. 34.

actus] Primo *actu* placet. Hec. Alt. Prol. 31.

actutum] Aperite aliquis *actutum* ostium. Adelph. iv. 4, 2. Congredere *actutum*. Phorm. v. 6, 12.

acuo] Quod illos sat *acuat*. Adelph. v. 3, 49.

adaugeo] Ne tua duritia antiqua illa etiam *adaucta* velit. Heaut. iii. 1, 26.

adbibo] Is mi, ubi *adbibit* plus paulo, sua quæ narrat figmenta? Heaut. ii. 1, 8.

aderesco] Amicitiam, quæ accepta a parvis cum ætate *adcrevit* simul. And. iii. 3, 7.

adcurro] *Adcurrit:* mediam mulierem complectitur. And. i. 1, 106. Continuo *adcurrit* ad me. Eun. ii. 3, 43. *Adcurrunt* servi: soccos detrahunt. Heaut. i. 1, 72. Puer ad me *adcurrit*. Phorm. v. 6, 23. *Accurre* huc. Phorm. v. 7, 90.

addo] Quod tibi dieculam *addo*. And. iv. 2, 27. Verbum si *addideris*. And. v. 2, 18. Neque, præterquam quas ipse amor molestias habet, *addas*. Eun. i. 1, 33. Nisi mihi quidem *addit* animum. Heaut. iii. 2, 31. Ii qui minus habent, ut semper aliquid *addant* divitibus. Phorm. i. 1, 8. Propter misericordiam *addunt* pauperi. Phorm. ii. 1, 47.

adduco] Quæ mi ante oculos coram amatorem *adduxti* tuum! Eun. iv. 7, 24. Nemone medicum *adduxit?* Hec. iii. 1, 43. Numquam animum quæsti gratia ad malas *adducam* partis. Hec. v. 3, 38. Ad misericordiam ambos *adduces* cito. Heaut. v. 2, 42. Turbam domum *adducet*. Adelph. v. 7, 15. Inventum tibi curabo, et mecum *adductum* tuum Pamphilum. And. iv. 2, 1. *Adducti*, qui il-

n civem hinc dicant. And. 3, 21. Si illum potest, qui cui rei est, etiam eum ad ne- itiam *adducere*. Adelph. iii. 4. Aliquando tandem huc imum ut *adducas* tuum. Hec. 4, 61. vide Notas.

Adelphi] Eum hic locum sum- sibi in *Adelphos*. Adelph. rol. 11.

adeo, adverb.] Voltu *adeo* mo- sto, *adeo* venusto, ut nil su- a. And. i. 1, 93. Magis id *eo*, mihi ut incommodet. And. 1, 135. Ipsum *adeo* præsto deo cum Davo. And. ii. 5, 4. ut, si *adeo*, bidui est aut tri- ii hæc sollicitudo. And. ii. 6, Atque *adeo* in ipso tempore cum ipsum. And. iii. 2, 52. uadere, orare, usque *adeo* do- ec perpulit. And. iv. 1, 38. ropera *adeo* puerum tollere inc ab janua. And. iv. 4, 20. unc *adeo*, ut tu sis sciens. nd. iv. 4, 36. Atque *adeo* lon- um'st, nos illum exspectare. nd. v. 6, 13. Adulescentem *deo* nobilem. Eun. i. 2, 124. ion *adeo* inhumano ego sum ngenio. Eun. v. 2, 41. Post- remo *adeo* res rediit. Heaut. 1, 61. Ut clam eveniat par- us patrem, atque *adeo* omnes. Hec. iii. 3, 37. Facis huc *adeo* njuriam. Hec. iv. 4, 68. Ne- que opus est *adeo* mutito. Hec. . 1, 26. Neque defetiscar us- que *adeo* experirier. Phorm. v. 4, 23. Credis te ignorarier, ut tua facta *adeo?* Phorm. v. , 39.

adeon', *adeone*] *Adeon'* homi- nem esse invenustum, aut in- elicem quenquam, ut ego sum? And. i. 5, 10. *Adeone* me igna- vum putas? *adeone* porro in- gratum? And. i. 5, 42 et 43. *Adeone* est demens? And. iii. 1, 11. *Adeon'* videmur vobis esse idonei, in quibus sic inludatis? And. iv. 4, 18. *Adeon'* homines inmutarier ex amore? Eun. ii. 1, 19. *Adeon'* rem redisse? Heaut. v. 2, 27.

adeo, verb.] *Adeamne* ad eum? And. iv. 1, 15. Aliquot me *a- dierunt*. And. iii. 3, 2. Edicit ne vir quisquam ad eam *adeat*. Eun. iii. 5, 30. *Adii* te heri de filia. Hec. ii. 2, 9. Eccum vi- deo: *adibo*. Eun. v. 7, 5. Ma- gistratus *adi*. Phorm. ii. 3, 56. Ad precatorem *adeam* credo. Phorm. i. 2, 90. Capitis peri- clum *adire*. And. iv. 1, 54.

adfabilis] Meditor esse *ad- fabilis*, et bene procedit. A- delph. v. 6, 8.

adfatus] Ut voluptati obitus, sermo, *adfatus* tuus, quocunque adveneris, semper siet. Hec. v. 4, 19. vide Notas.

adfecto] Hi gladiatorio animo ad me *adfectant* viam. Phorm. v. 7, 71. Ad dominas qui *ad- fectant* viam. Heaut. ii. 3, 60.

adfero] Ut sciam, numquid hæc turbæ tristitia *adferat*. And. i. 4, 8. vide Notas. Hæc primum *adfertur* jam mihi ab hoc fallacia. And. iii. 1, 13. Haud auspi- cato huc me *attuli*. And. iii. 2, 12. vide Notas. Hic quoque bonam magnamque partem ad te *attulit*. Eun. i. 2, 43. Quid dicam? quam causam *adferam?* Heaut. iv. 3, 23. Da mihi, at- que *adfer* mihi. Heaut. ii. 1, 11. Nulla res, quæ mi ægritudinem *adferat*. Heaut. iv. 3, 2. Solum unum hoc vitium senectus *ad- fert* hominibus. Adelph. v. 3, 47. Laborem inanem ipsus ca- pit, et illi molestiam *adfert*. Hec. iii. 2, 9. Quod ab illo *adlatum'st*, sibi esse id relatum putet. Phorm. Prol. 22. Mira- bar, si tu mihi quicquam *adfer- res* novi. Phorm. iii. 2, 5. Vide opis siquid potest *adferre* huic. Phorm. iii. 3, 20. Mi opus erat, aliquantulum quæ *adferret*. Phorm. iv. 3, 50. Auxilii ni- hil *adferant*. Adelph. iii. 2, 2. Vide etiam sodes, ut mihi hæc certa et clara *attuleris*. Hec. v. 4, 1.

adficio] Quonam modo nunc te offendam *adfectam?* Hec. iii. 1, 45. Alio suspicans morbo me visurum *adfectam*, ac sensi uxorem esse. Hec. iii. 3, 6. Quanta me cura et solli- citudine *adficit* gnatus? Phorm. ii. 4, 1. Tantane *adfectus* quemquam esse hominem au- dacia? Phorm. v. 7, 84.

adfinis] Neque illarum *adfi- nes* esse rerum, quas fert adu- lescentia. Heaut. ii. 1, 3. Et gener et *adfines* placent. Heaut. v. 1, 63. *Adfinis* nobis. Adelph. v. 8, 25.

adfinitas] Nullon' ego Chre- metis pacto *adfinitatem* effugere potero? And. i. 5, 12. Haud ita decet, si perpetem hanc vis esse *adfinitatem*. Hec. ii. 2, 10. vide Notas. *Adfinitatem* hanc sane perpetuam volo. Hec. iv. 4, 14. Manere *adfinitatem* hanc inter nos volo. Hec. iv. 4, 101.

adficto] Ne te *adfictes*. Eun. i. 1, 31.

adgravesco] Male metuo, ne Philumenæ magis morbus *ad- gravescat*. Hec. iii. 2, 2.

adgredior] Hac non succes- sit, alia *adgrediemur* via. And. iv. 1, 47. *Adgrediar*. Bacchis, salve. Hec. v. 1, 5. Itane agitis mecum? satis astute *adgredi- mini*. Phorm. v. 7, 75. vide No- tas.

adhibeo] Hoc temere nun- quam amittam ego a me, quin mihi testis *adhibeam*. Phorm. iv. 5, 2.

adhortor] *Adhortor*, prope- rent. Eun. iii. 5, 35. Præter quam res *adhortatur* tua. Heaut. i. 1, 8.

adhuc] Qui me tam leni pas- sus animo est usque *adhuc*. And. i. 5, 27. *Adhuc* signa om- nia huic esse video. And. iii. 2, 1. Nihil *adhuc* est, quod ve- reare. Heaut. i. 2, 1. Celabitur itidem, ut celata *adhuc* est. Heaut. iv. 3, 20. *Adhuc* quod factum'st miror, non jusse me abripi hinc. Heaut. v. 2, 47. *Adhuc* non molesta sunt. Adel. i. 2, 42. Sat *adhuc* tua nos frus- trata'st fides. Adelph. iv. 4, 13. Cessatum usque *adhuc* est. A- delph. iv. 4, 23. Vitam duram, quam vixi usque *adhuc*. Adelph. v. 4, 5. Quid *adhuc* habent in- firmitatis nuptiæ? Hec. i. 2, 101. Nil cessavisti usque *adhuc*. Hec. iv. 1, 29.

adigo] Tu homo *adigis* me ad insaniam. Adelph. i. 2, 31. Mox noctu te *adiget* horsum in- somnia. Eun. ii. 1, 13.

adjicio] Ad virginem animum *adjecit*. Eun. i. 2, 63.

adimo] Postquam *ademta* spes est. And. ii. 1, 4. Ut metum, in quo nunc est, *adimam*. And. ii. 2, 2. Hanc, nisi mors, mihi *adimet* nemo. And. iv. 2, 14. Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt, erit *ademta* his. And. v. 1, 18. Diem *adimere* ægritudi- nem hominibus. Heaut. iii. 1, 13. Postquam *ademtam* hanc quoque tibi causam vides. Hec. iv. 4, 58. Quot autem *ademi* curas? Hec. v. 3, 19. Qui hanc mihi *adimat* consuetudinem. Phorm. i. 3, 9. Qui sæpe prop- ter invidiam *adimunt* diviti. Phorm. ii. 1, 46. Phædriæ cu- ram *adimere* argentariam. Phor. v. 6, 46.

adipiscor, *apiscor*] Nuptias effugere ego istas malo, quam

tu *adipiscier*. And. ii. 1, 32. Soli licet hic de eadem causa bis judicium *apiscier*. Phorm. ii. 3, 59. Anne hoc quidem ego *adipiscar*, quod jus publicum'st? Phorm. ii. 3, 65.

adjumentum] Nihil aderat *adjumenti* ad pulchritudinem. Phorm. i. 2, 55.

adjungo] Ut animum ad aliquod studium *adjungant*. And. i. 1, 29. Ille, quem beneficio *adjungas*, ex animo facit. Adelph. i. 1, 47. Imperium, quod amicitia *adjungitur*. Adelph. i. 1, 42. Unam facere familiam; colere, adjuvare, *adjungere*. Adelph. v. 8, 4.

adjuro] Per omnes *adjuro* deos. And. iv. 2, 11. Sancte *adjurat*. Hec. ii. 2, 26.

adjuto] Pamphilumne *adjutem*, an auscultem seni. And. i. 3, 4. Id amabo *adjuta* me, quo id fiat facilius. Eun. i. 2, 70. Quod potero, *adjutabo* senem. Heaut. iii. 1, 7. At te *adjutare* oportet adulescentuli causa. Heaut. iii. 2, 35. Homines nobiles eum *adjutare*. Adel. Prol. 16. Eis onera *adjuta*. Hec. iii. 2, 24. Bonitasque vestra *adjutans* atque æquanimitas. Phorm. Prol. 35. Neque quisquam aderat, qui *adjutaret* funus. Phorm. i. 2, 49.

adjutor] Hic *adjutor* meus et monitor et præmonstrator hoc mihi præstat. Heaut. v. 1, 2. Aut etiam *adjutor* sim ejus iracundiæ. Adelph. i. 2, 66. Sed opus est mi Phormionem ad hanc rem *adjutorem* dari. Phorm. iii. 3, 28.

adjutrix] Nunc ego te in hac re mi oro ut *adjutrix* sies. Eun. v. 2, 46. Matres omnes filiis in peccato *adjutrices*. Heaut. v. 2, 39. Vestra intelligentia si erit *adjutrix* nostræ industriæ. Hec. Alt. Prol. 24. Ut vestra auctoritas meæ auctoritati fautrix *adjutrixque* siet. Hec. Alt. Prol. 40. Præsertim in ea re cum sit mi *adjutrix* socrus. Hec. iv. 4, 83.

adjuvo] Ut me *adjuves* in hac re. And. iii. 3, 10. Id spero *adjuturos* deos. And. iii. 2, 42. Faciam sedulo, dabo operam, *adjuvabo*. Eun. ii. 3, 71. Neque me quidquam consilio *adjuvas*? Heaut. v. 2, 29. Fortis fortuna *adjuvat*. Phorm. i. 4, 26. Pariter nunc opera me *adjuvas*, ac re dudum opitulata es. Phorm. v. 3, 3. Qui me dudum *adjurit* comiter. Phorm. iii. 3, 4. vide Notas.

adlego] Ut ne credas, a me *adlegatum* hunc senem. And. v. 3, 28.

adligo, alligo] Hic furti se *adligat*. Eun. iv. 7, 39. Eo pacto prorsum illi *alligaris* filium. Adelph. v. 3, 58.

adloquor] Cessas *adloqui*? And. ii. 2, 6. Quid cessas hominem adire, et blande in principio *adloqui*? Phorm. ii. 1, 22.

adludo] Forte habui scortum: cœpit ad id *adludere*. Eun. iii. 1, 34.

administro] Lauteque munus *administrasti* tuum. Adelph. v. 1, 2.

admiror] Eis ultro adrideo, et eorum ingenia *admiror* simul. Eun. ii. 2, 19. Cave quicquam *admiratus* sis. Heaut. iv. 6, 23.

admisceo] Ita tu istæc tua misceto, ne me *admisceas*. Heaut. iv. 5, 35. Ne te *admisce*. Heaut. v. 2, 22.

admitto] Fac ut *admittar* ad illam. Eun. ii. 2, 50. Militem rogat, ut illam *admitti* jubeat. Eun. iv. 1, 4. Sed tu quod cavere possis, stultum *admittere*'st. Eun. iv. 6, 23. Unam hanc noxiam amitte: si aliam *admisero* umquam, occidito. Eun. v. 2, 14. Quid ego tantum sceleris *admisi* miser? Heaut. v. 2, 3. Hæc te *admittere* indigna genere nostro? Adelph. iii. 3, 54. Me hoc delictum *admisisse* in me Adelph. iv. 5, 48. Sumtum *admittet*. Adelph. v. 7, 15. It visere ad eam: *admisit* nemo. Hec. i. 2, 114. Si est, culpam ut in se *admiserit*. Phor. ii. 1, 40.

admodum] Hæc inter nos nuper notitia *admodum*'st. Heaut. i. 1, 2. Advenis modo? PAM. *admodum*. Hec. iii. 5, 8. Itane patris ais conspectum veritum hinc abiisse? GE. *admodum*. Phorm. ii. 2, 1.

admoneo] Recte *admones*. And. v. 4, 50. Ridiculum est te istuc me *admonere*. Heaut. ii. 3, 112.

admoveo] Accessi; astiti: animam compressi: aurem *admovi*. Phorm. v. 6, 28.

adnumero] Argentum *adnumeravit* ilico. Adelph. iii. 3, 15.

adnuo] *Adnuo* terram intuens modeste. Eun. iii. 5, 31.

adopto] Inde ego hunc majorem *adoptavi* mihi. Adelph. i. 1, 22. Tuum filium dedisti *adoptandum* mihi. Adelph. i. 2, 34.

adorior] Si me imparatum *adortus* esset. And. iii. 1, 21. Cesso hunc *adoriri*? Heaut. iv. 5, 9. *Adortus* jurgio est fratrem. Adelph. iii. 3, 50. Si ab eo nil fiet, tum hunc *adorior* hospitem. Phorm. iv. 2, 15.

adorno] Continuo hæc *adornant* ut lavet. Eun. iii. 5, 34. Domi non offendissem, ita tum *adornarat* fugam. Eun. iv. 4.

adpello] Poëta cum primum animum ad scribendum *adpulit*. And. Prol. 1. Animum ad uxorem *adpulit*. And. ii. 6. 1.

adplico, applico] Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque *adplicat*. And. i. 2, 22. Tum ille ægre forte *adplicat* primum ad Chrysidis patrem se. And. v. 4, 2. Repente ad studium se *applicasse* hunc musicum. Heaut. Prol. 23. Hi se ad vos *adplicant*. Heaut. ii. 4, 13.

adpono, appono] Postulare gratiæ *adponi* sibi. And. ii. 31. Puer hercle'st. mulier, ne *adposuisti* hunc? And. iv. 4, 1. At istos rastros interea tamen *adpone*. Heaut. i. 1, 37. Cena dubia *apponitur*. Phorm. ii. 2, 28. Si *adporitum* puerum amœdes viderit. And. iv. 4, 34. vide Notas.

adporto, apporto] Quidnam *adportas*? And. v. 2, 17. Verear ne quid Andria *apportari* mali. And. i. 1, 46. Nunciam *adporto* tibi. Heaut. iii. 1, 1. Næ ille haut scit, hoc pacto lucri quantum eii damni *apportet*. Heaut. iv. 4, 25. Quis me semper aliquid *adportet* mali? Adelph. v. 4, 2. *Adporto* novam Epidicazomenen quam vocant comœdiam. Phorm. Prol. 25. vide Notas.

adposco] Porro hæc talenta dotis *adposcet* duo. Heaut. v. 7, 10. vide Notas.

adprehendo] Pone *adprehendit* pallio, resupinat. Phorm. i. 6, 23.

adprime] Id ego arbitror *adprime* in vita esse utile. And. i. 1, 34. Fratrem eii esse *adprime* nobilem? Eun. v. 4, 30. Ego meis me omnibus scio *adprime* obsequentem. Hec. ii. 2, 5. vide Notas.

adprobo] Non satis est tuæ te officium facere, fama ni non *adprobat*. Phorm. iv. 5, 1. vide Notas.

